DESIDERII ERASMI ROTERDAMI COLLOQUIA FAMILIARIA, ...

Erasmus : Roterodamus

* E


DESID. ERASMVS
ROTEROD.

DESIDERII ERASMI
ROTERODAMI
COLLOQVIA FAMILIARIA,

Notis perpetuis
ad modum

IO. MINELLII
inlustrata atque explicata
Operâ
M. IO. PAVLI GVMPRECHTI,
Lyc. Laub. patrii Rectoris.
Accedunt
SCRIVERII CORONIS APOLOGETICA
pro Colloquiis Erasmi; eiusdem dissertatio de
colloquiorum vtilitate; Laus Moriæ, Vita,
Epitaphium, Testamentum, Index lucubrationum,
& Elogia Erasmi,
Item Indices copiosiores.
CVM PRIVILEGIO REGIS POLON. & ELECT. SAX.



LIPSIAE,
Sumptibus IO. LVDOV. GLEDITSCHII,
& MAVR. GEORG. WEIDMANNI.
M DCC XIII.



PRÆFATIO GVMPRECHTI.

Autor Annotationum & Castigationum

BENEVOLO LECTORI

S. D. & O.

PRæter ſpem & opinionem, fortuito quodam caſu inductus hæc Tibi, *Lector Beneuole*, Eraſmi Colloquia cum Notis ad modum Minellii & variorum nunc exhibeo. Cum enim negotiationis librariæ *Gleditſchianæ* Conſors, *Dominus Mauritius Georgius Weidmannus*, ante biennium, & quod excurrit, elapſum inexpectati acceſſus ſui in Muſeo mihi faceret honorem, vt alia

pror-

prorſus in re mecum conferret, quem iter in hæc noſtra Sileſiæ confinia ipſamque deduxerat Sileſiam: tum forte poſitum in Abaco ſcriptorio vidit Colloquiorum Eraſmi libellum, qui propter Latinitatis, quod in eundem priuatum mihi habebatur Collegium, ad manus vsque manſerat. Hic quid de noua editione adornanda chariſſimo Parenti ſuo *Iohanni Ludouico Gleditſchio*, Lipſienſium celeberrimorum Bibliopolarum non poſtremo, ſibique veniſſet in mentem non obſcure ſignificauit, atque a me, vt obſtetricantes manus eidem promouendæ admouerem, eo lubentius promptiusue impetrauit, quo ab officii mei muneriſque ratione minus alienum huiuſcemodi laborem fore intelligebam. Alliciebat me tum Autoris, in Orbe literato Phœnicis, perenne & magnum nomen; tum ingens vbiuis terrarum ad hæc Colloquia plauſus; doctiſſimorum denique virorum Montani & Rabi aliorumque in illuſtrandis iis opera, induſtriæque exemplum. Scilicet Eraſmus ſeculi ſui Varro & ob intermixtas paſſim facetias & erudita dicteria alter quaſi Lucianus, Dialogiſtarum Phoſphorus, venuſtate & figurarum luminibus ita fulget, ita excellit, vt ipſæ Charites vndique floribus conſperſiſſe eius orationem

nem

nem videantur. Numquid enim non vocum differentias, vocabulorum probatæ & minus probatæ Latinitatis selectum, singularia quæuis Etymologica, Syntacticas obseruationes, Prosodiacas præceptiunculas quasi aliud agendo mentibus instillat, Prouerbiales locutiones & ad Antiquitatem omnimodam sponte fluentes allusiones cum doctissimis & salutaribus monitis propinat? Non præter rem Christophoro Longolio *pluris* itaque *fuerit Roterodami* nostri *eloquentia, quam totius Galliæ opes*, vt loquitur Thomas Lansius Consultat. p. 30. edit. Amstelod. 1636. Merito Franciscus Floridus Sabinus, non obesæ naris Criticus, *summum* vocare *virum DESIDERIVM* nostrum non dubitauit; quod M. Iohannes Weitzius ad Dilherrum in Commentatione de Ætatibus Autorum Latinorum p. m. 444. Apparatus Philologiæ obseruat p. 464. Merito Guilielmus Waramus inter alios tantopere viuum adamauit illud eruditorum delicium, orbis literati ocellum istum, Episcopus Cantabrigiensis iam moriens, vt suspiraret: *Vtinam*, inquiens, *mihi contingat, priusquam hinc emigrem, semel videre complectique meum Erasmum; nunquam sinerem illum a me diuelli!* Sed in laudes laudatissimi Viri vberiores hic dif-

fundi nostrum non est: descripsit vitam eius post ipsum integerrime pariter & nitidissime Paulus Merula, quæ prodiit Lugduni Batauorum in 4. Anno Chr. 1607. quæque ostendit, *fuisse olim* (ex Rodolphi Agricolæ in Alexandri Hegii schola de ipso vaticinantis præsagio) vere *magnum*. Dicendum potius quam breuissimis, in quo constiterit noster ad Colloquia hæc annotandi labor: id nimirum egimus, vt iuxta cum perspicuis facillimisque ad modum *Iohannis Minellii* Notulis (de qua explanandi methodo in eruditissimis Præfationibus suis, quotquot eam viam sunt ingressi) planiora redderemus ea, quæ tironibus crucem aliquam inter legendum figere poterant. Cum tamen fere superuacanea nimiumque facilis videretur illa in tam perspicuo Scriptore sola commentandi ratio; coniunximus cum eadem Variorum quoscunque modos alios, qui ad intelligendum penitius & exornandum, vtiliusue terendum manibus libellum facere posse nobis videbantur, ornatus Grammaticos & Rhetoricos indigitando, Tempora ratione Quantitatis Prosaicæ discrepantia signando, Papismos & styli Ethnicismos castigando, sententiasque, vt inspicienti statim sese exponerent, ad mutandum typos indicando, atque tandem materias vtilissimas

ſimas iucundiſſimasque vno vel altero reali adaugendo: qua in re Petri Rabi & Arnoldi Montani, editionis item Baſileenſis Kœnigianæ anno 1707. excuſæ ſtricturas non vsquequaque omiſimus aut eliminauimus, ſed aſteriſcis diſtinctas ſeruauimus. Sed quid multis? Tu, quid fuerit præſtitum, *Lector adamande*, peruidebis ipſe. Sleidanus de Statu Religionis & Reipubl. lib. XII. ad annum 1537. edit. Francofurt. 1610. p. 303. de *Colloquiis Eraſmi* obſeruat, quod Caſpar Contarenus, Reginaldus Polus, & Iacobus Sadoletus prohibuerint eorundem in ſcholis tractationem, vt quæ lubricam & incertam ætatem deprauare poſſint: Vnde tamen iſthæc querimonia, & quam longe rectius ſentiendum ſit de iisdem ita perhibet ipſe Sleidanus p. 305. *De Colloquiis Eraſmi quod dicunt, ſic habet. Inter alias complures lucubrationes, quibus literarum ſtudia mirifice promouit Eraſmus, libellum quoque Iuuentuti confecit ex Dialogis, eumque ſubinde locupletauit, cum auidiſſime legeretur. Et vt erat ingenii præſtantiſſimi ſummæque Vir eloquentiæ, variis in eo luſit argumentis ex media rerum natura deſumptis hominumque vita; & mirabili quadam dexteritate ſuauiſſimoque dicendi genere morum ac pietatis præcepta tradit & ſimul errores in-*

inueteratos atque vitia per occasionem demonstrat. Idem calculo suo comprobat & in eandem tibiam inflat Iacobus Crucius in Mercurio Batauo Epist. 21. lib. II. pag. 161. *Erasmum, quo saepius legas,* inquiens, *plus auferas, & nunquam tamen dimittat te sine siti: ita, elocutione tota sententiosus, actiones vbique dirigens & vitam, crassos etiam errores non raro & aniles superstitiones orationis libertate perstringens; adeo vt tanquam κέρας Ἀμαλθείας omnium elegantiarum copiam legenti abunde suppeditet.* Et quidni suppeditet? quando iuxta cum aliis omnis antiquitatis bonis Autoribus & Promis-condis vel solum septies Terentium euoluerat; quem, vt & Horatium, ad vnguem calluisse & recitare in iuuentute sua, Dictatorem deinceps in prouectiori aetate literariae rei, Erasmum, nouisse constat. Sed manum de tabula! Hic cohibendus est calamus, ne in longum exerescat Praefatio. Tu feliciter his vtere & non sine benedictione diuina fruere; sic dabitur SOLI DEO GLORIA, NVNC ET IN SECVLA!

Dabam ex Museo Laubae
A. O. R. MDCCXIII.

VITA



VITA ERASMI.



Atus Roterodami, in vigilia Simonis & Iudæ Apostolorum. Mater dicta est Margareta, medici cuiusdam Petri filia, e Septimontio, vulgo Seuenbergen, oriunda. Fratres illius duos Dordraci, pene nonagenarios, vidit. Pater dictus est Gerardus. Is cum dicta Margareta, spe coniugii (& sunt qui intercessisse verba dicunt) vixit. Eam rem indigne tulerunt & parentes Gerardi & fratres. Pater erat Helias, mater Catharina. Vterque peruenit ad extremam senectutem; Catharina pene vsque ad nonagesimum quintum annum. Fratres erant decem, nulla soror ex eodem patre & matre; omnes coniugati, excepto vno. Gerardus erat natu minimus. Visum est omnibus vt ex tanto numero vnus Deo consecraretur, (nosti affectus senum) & fratres voluebant rem animo. Scilicet sic fore apud quem conuiuarentur. Gerardus, videns se modis omnibus excludi a matrimonio magno consensu omnium, fecit quod solent deplorati: clam fugit, & ex iti-

nere misit parentibus & fratribus epistolam, cum manu manum complexa, addito elogio, Valete, nunquam vos videbo. Interim relicta est sperata coniux grauida. Puer alitus est apud auiam. Gerardus Romam se contulit. Illic scribendo (nam tum nondum ars typographorum erat) rem affatim parauit. Erat autem manu felicissima, vixitque iuueniliter: mox applicuit animum ad honesta studia. Græce & Latine pulchre calluit. Quin & in Iuris peritia non vulgariter profecerat: nam Roma tum doctis viris mire floruit. Audiuit Guarinum. Omnes autores sua manu descripserat. Parentes vbi resciuerunt esse Romæ, scripserunt, puellam (cuius matrimonium ambierat) esse vita functam. Id ille credens, præ mœrore factus est Presbyter, totumque animum ad religionem applicuit. Reuersus domum, comperit fraudem: nec illa tamen vnquam post nubere voluit, nec ille vnquam post sollicitauit eam. Puerum autem curauit liberaliter educandum, vixque quatuor annos egressum, in ludum literarium misit. Ac primis annis minimum in literis illis profecit inamœnis, quibus natus non erat. Vbi nonum ageret annum, misit Dauentriam. Mater sequuta est, custos & curatrix teneræ ætatis. Ea schola tunc erat barbara. Prælegabatur Pater meus: exigebantur tempora, Prælegebatur Ebrardus & Iohannes de Garlandia: nisi quod Alexander Hegius & Zinthius cœperant aliquid melioris litteraturæ inuehere. Tandem ex pueris collusoribus, qui grandiores natu audiebant Zinthium, primum

cœ-

cœpit odorem melioris litteraturæ. Post aliquoties audiuit Hegium, sed non nisi diebus festis, quibus legebat omnibus. Hic peruenit ad classem tertiam. Tum pestis ibi vehementer sæuiens sustulit matrem relicto filio, iam annum decimum tertium agente. Quum pestis in dies magis incrudesceret, tota domo in qua agebat desolata, reuersus est in patriam. Gerardus, accepto tristi nuntio, cœpit ægrotare, ac paulo post mortuus est. Vterque decessit non multo supra annum quadragesimum. Tres tutores instituit, quos habebat fidissimos: quorum præcipuus erat Petrus Winckel, tum ludi litterarii magister Goudæ. Legauit rem mediocrem, si tutores bona fide administrassent. Ita Buscumducis ablegatus est, quum iam maturus esset Academiæ. Verum illi Academiam metuebant, quod alere religioni statuissent puerum. Illic vixit (hoc est perdidit) annos ferme tres: in ædibus fratrum vt vocant, in quibus tum docebat Romboldus, qui mire adamabat ingenium pueri. Qui & sollicitare illum cœpit, vt suo gregi accederet. Puer inscitiam ætatis excusabat. Hic exorta peste, quum diu laborasset febri quartana, ad tutores reuersus est; iam stilo quoque satis prompto, ex aliquot autoribus bonis formato. Vnus tutor perierat peste: cæteri duo re non admodum bene gesta, agere de monasterio cœperunt. Adolescens languens febri, quæ supra annum illum tenuerat, non a pietate abhorrebat: cæterum a monasterio abhorrebat. Itaque diem ad cogitandum sumit. Interim tutor subornat qui pelliciant, qui minitentur, qui imbe-
cil-

cillem animum perpellant. Atque interea locum in monasterio Canonicorum repererat, qui vulgo Regulares dicuntur, in Collegio, quod est iuxta Delft, dicto Sion, quæ domus est principalis eius Capituli. Vbi dies venisset respondendi, respondit prudenter adolescens, se nondum, neque quid esset mundus scire, neque quid esset monasterium, neque quid esset ipse. Proinde videri consultius, vt adhuc annos aliquot in scholis ageret donec sibi notior esset. Hæc quum videret constanter ab adolescente dici, statim infremuit Petrus Winckel. En ego, inquit, frustra laboraui, qui talem locum tibi magnis precibus pararam. Tu nebulo es: spiritum bonum non habes. Abdico tutelam meam, vide vnde alaris. Adolescens respondit, se accipere abdicationem, & ea esse ætate, vt non opus tutoribus esset. Vbi videt se minis nihil proficere, subornat fratrem, qui & ipse tutor erat, negotiatorem. Is blanditiis agit. Accedunt instigatores vndique. Habebat sodalem, qui prodidit amicum: & vrgebat febris, nec tamen arridebat monasterium: donec forte fortuna monasterium eiusdem ordinis in Emaus, siue Stein, iuxta Goudam viseret. Ibi reperit Cornelium, quem Dauentriæ sodalis in eodem cubiculo habuerat. Is nondum sacrum illum cultum acceperat. Viderat Italiam, sed parum doctus redierat. Hic suum agens negotium, cœpit mira eloquentia depingere vitæ genus sanctissimum: copiam librorum, otium, tranquillitatem, sodalitatem angelicam. Alii alliciebant, alii propellebant. Onerabat febris. Hunc deligit locum fasti-

ſtidito altero. Lactabatur interim, donec haberet ſacram veſtem. Interea, tametſi adoleſcens ſenſit ſuo propoſito quam non omnia illic reſponderent, tamen totum illum gregem excitauit ad ſtudia. Parantem abire ante profeſſionem, partim pudor humanus, partim minæ, partim neceſſitas coërcuit. profeſſus eſt. Tandem per occaſionem Epiſcopo Cameracenſi Henrico a Bergis innotuit. Is Cardinalitium galerum ſperabat: quem & impetraſſet, niſi præſentes defuiſſent nummi. Ad hoc iter optabat hominem latine doctum. Itaque per hunc euocatus eſt cum autoritate Epiſcopi Traiectenſis: quæ ſola ſufficiebat. Autoritatem tamen Prioris & Generalis adiunxit. Conceſſit in familiam Epiſcopi, ſeruato tamen habitu. Quum Epiſcopus eſſet deſtitutus galeri, ſentiretque illum in amore parum conſtantem erga omnes, id egit, vt Lutetiam ſtudiorum mitteretur gratia. Promiſſum eſt ſtipendium annuum. Illic in Collegio Montis acuti, ex putridis ouis & cubiculo infecto morbum concepit. Itaque ad Epiſcopum rediit. Acceptus eſt honorifice. Recreatus eſt a morbo Bergis. Reuiſit Hollandiam: hoc animo, vt maneret apud ſuos. Sed ipſis vltro hortantibus, Lutetiam rediit. Vbi deſtitutus auxilio Mecœnatis, vixit verius quam ſtuduit, & ob peſtilentiam, ibi multis annis perpetuam, per ſingulos annos redeundum erat in patriam. Tandem vbi totum annum ſæuiret peſtis, Louanium commigrare coactus eſt. Ante inuiſerat Angliam, in gratiam Montigii, tunc diſcipuli, nunc Mæcenatis; ſed amici verius quam benigni.

Id

Id temporis omnium bonorum apud Anglos beneuolentiam sibi conciliauit; ob id præsertim, quod profecturus in Galliam, spoliatus in littore Douariensi, non solum non vltus iniuriam esset, sed mox libellum in laudem regis totiusque Angliæ edidisset. Tandem e Gallia magnis promissis in Angliam reuocatus est. Quo tempore amicitia Archiepiscopi Cantuariensis auctus est. Vbi promissa non responderent, petiit Italiam; cuius adeundæ desiderio semper arserat. Egit paulo plus quam annum Bononiæ. Inde Venetias se contulit, edidítque Adagia. Inde Patauium, vbi hybernauit. Mox Romam, quo iam fama celebris ac plausibilis præcesserat. Raphaeli Cardinali S. Georgii præcipue charus fuit. Non defuisset ampla fortuna, nisi mortuo Rege Henrico septimo, & successore Octauo, amicorum literis amplissima pollicentibus in Angliam reuocatus esset. Illic reliquum ætatis peragere decreuerat. Verum vbi ne tum quidem præstarentur promissa, in Brabantiam se subduxit; inuitatus in aulam Caroli Cæsaris, cui Consiliarius factus est; opera Ioannis Siluagii Cancellarii magni. Mutati cultus rationem reddit in libello primo, quo respondit Laicis. Valetudo semper fuit tenera. Vnde crebro tentabatur febribus; præsertim in quadragesima, ob piscium esum, quorum solo odore solebat offendi. Ingenium erat simplex, adeo abhorrens a mendacio, vt puellus etiam odisset pueros mentientes, & senex ad illorum adspectum, etiam corpore commoueretur. Linguæ inter amicos liberioris, nonnunquam plus quam sat esset. Et sæpe falsus, amicis

tamen

tamen non diffidere non poterat. Nec putidulus erat, neque quicquam vnquam scripsit, quod ipsi placeret. Ac ne facie quidem propria delectabatur, vixque extortum est amicorum precibus, vt se pingi pateretur. Dignitatum ac diuitiarum perpetuus contemptor fuit; neque quicquam prius otio ac libertate habuit. Candidus alienæ doctrinæ æstimator: fautorque ingeniorum vnicus, si fortuna suppetisset. In prouehendis bonis literis nemo magis profecit: grauemque ob hanc rem inuidiam sustinuit a barbaris. Vsque ad annum quinquagesimum nec impetiit quenquam, nec impetitus est a quoquam stilo. Idque habebat sibi propositum, omnino stilum incruentum seruare. A Fabro primum est impetitus. Nam Dorpiana orsa suppressa sunt. In respondendo semper ciuilis erat. Lutherana Tragœdia intolerabili illum onerauit inuidia. Discerptus est ab vtraque parte, dum vtrique studet consulere.

TESTAMENTVM EXTREMVM. ERASMI ROTERODAMI.

DESIDERIVS ERASMVS Roterodamus fretus diplomatibus Cæsaris, Summi Pontificis, ac Magnifici Magistratus inclytæ ciuitatis Basiliensis hoc meo chirographo renouo supremam voluntatem meam, quam quocumque titulo firmam ac ratam haberi volo: irritum vero, si quid aliud testatus sum. Principio, certus me nullum ha-

bere legitimum hæredem, præstantissimum virum D. Bonifacium Amerbachium omnium facultatum mearum hæredem instituo: Exsequutores vero Hieronymum Frobenium & Nicolaum Episcopium. Bibliothecam meam iam quidem vendidi D. Ioanni a Lasco Polono, iuxta syngrapham super hoc contractu inter nos confectam: non tradentur tamen libri, nisi hæredi numerauit ducentos florenos: Quod si ille pactum remiserit, aut me prior e vita excesserit, liberum esto hæredi, de libris statuere, quod velit. D. Ludouico Bero lego Horologium aureum. Beato Rhenano cochleare aureum cum furnicula aurea. M. Petro Vetereo centum quinquaginta coronatos aureos: tantundem Philippo Montano. Lamberto famulo, si mihi morienti adfuerit, ducentos florenos aureos, nisi ego viuus hanc summam ei numerauero. D. Iohanni Brischio lagenam argenteam. D. Paulo Volsio florenos aureos centum. Sigismundo Telenio ducatos centum & quinquaginta. Ioanni Erasmio Frobenio duos annulos, quorum alter non habet gemmam, alter habet gemmam subuiridem, Gallis dictam Turquoys. Hieronymo Frobenio lego omnes vestes meas, omnemque supellectilem meam, laneam, lineam, & ligneam: præterea poculum, quod habet insignia Cardinalis Moguntini. Vxori eius annulum, qui habet imaginem mulieris in tergum respicientis. Nicolao Episcopio poculum cum operculo, quod in pede habet versiculos insculptos. Iustinæ vxori eius duos annulos, quorum alter habet Adamantem, alter Turquoys

quoys minorem. M. Euerardo Goclenio poculum argenteum, quod in summo habet imaginem Fortunæ. Si quis legatariorum intercidérit, quod legatum erat, in hæredis arbitrio esto. Hæres præter ea, quæ per Syngrapham designaui, sibi accipiet, quicquid superfuerit poculorum, aut annulorum, aut rerum similium; adhæc numismata, insignia, & Lusitanos cruciatos, Regis Poloniæ & Seuerini Boneri faciem exprimentia, aliaque his similia. Præterea ducatos omnes duplices & quadruplices pecuniam apud Euerardum Goclenium depositam, illi in Brabantia dispensandam relinquet, quemadmodum ei mandavi. Si quid apud Erasmum Schetium erit reliquum, ab eo repetet, eamque pecuniam, ac reliquam omnem, quæ superfuerit, suo arbitrio & ex consilio Exsequutorum distribuet in vsus pauperum ætate ac valetudine infirmiorum, in puellas nupturas, in adolescentes bonæ spei: breuiter, quoscunque subsidio dignos iudicauerit. Hanc extremam voluntatem meam, quo plenior sit fides, propria manu descripsi, ac peculiare annuli mei sigillum, Terminum, adfixi. Basileæ in ædibus Hieronymi Frobenii, duodecima die Februarii, Anno a Natali Domini M. D. XXXVI.

EPITAPHIVM
DES. ERASMI BASILEÆ.

CHRISTO SERVATORIS.
DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO,
VIRO OMNIBVS MODIS MAXIMO,
CVIVS INCOMPARABILEM IN OMNI
DISCIPLINARVM GENERE ERVDITIO-
NEM, PARI CONIVNCTAM PRVDENTIA,
POSTERI ET ADMIRABVNTVR ET
PRÆDICABVNT.
BONIFACIVS AMERBACHIVS, HIERONY-
MVS FROBENIVS, NICOLAVS EPISCO-
PIVS HÆREDES ET NVNCVPATI SV-
PREMÆ SVÆ VOLVNTATIS VIN-
DICES, PATRONO OPTIMO,
NON MEMORIÆ, QVAM IMMORTALEM
SIBI EDITIS LVCVBRATIONIBVS
COMPARAVIT,
HIS TANTISPER DVM ORBIS TERRA-
RVM STABIT SVPERFVTVRO, AC ERV-
DITIS VBIQVE GENTIVM COLLOQVV-
TVRO, SED CORPORIS MORTALIS,
QVO RECONDITVM SIT ERGO,
HOC SAXVM
POSVERE.

MORTVVS EST IV. EIDVS IVL.
IAM SEPTVAGENARIVS
ANNO A CHRISTO NATO
M. D. XXXVI.

IN-

INDEX LVCVBRATIONVM

ERASMI

eo ordine, quo coniunctim in X. Tomis prodierunt Lugduni Batauorum 1703.

Pa-

Panegyricus ad Philippum Burgundionum Principem.
Ad eundem carmen gratulatorium.
Institutio Principis Christiani.
Isocrates de regno administrando.
De morte Declamatio.
Declamatiuncula gratulatoria.
Pacis quærimonia.
Lingua.
Xenophontis tyrannus.
De senectute carmen.
Enchiridion militis Christiani.
Oratio de virtute amplectenda.
Ratio veræ Theologiæ.
Paraclesis.
Modus confitendi.
Enarratio Psalmi, Beatus vir.
Enarratio Psalmi, Quare fremuerunt Gentes.
Paraphrasis in Psalmum, Domine quid multiplicati
Concio in Psalmum, Quum inuocarem.
De puritate ecclesiæ CHRISTI.
Enarratio in Psalmum, Dominus regit me.
De bello Turcis inferendo Consultatio.
Enarratio in Psalmum, Dixi custodiam vias meas.
De amabili Ecclesiæ concordia.
Concio in Psalmum LXXXV.
De misericordia Domini Concio.
Virginis & martyris Comparatio.
Concio de puero Iesu.
Expostulatio IESV cum homine pereunte.
Hymni varii.
Liturgia Virginis Lauretanæ.

Ad-

Aduersus Iudæos, Homiliæ V.
De Lazaro & Diuite, Homiliæ IV.
De Visione, Homiliæ V.
De Philogonio martyre, Homilia I.
De orando Deum, Libri II.
De Dauid & Saule Libri III.
Quum presbyter esset designatus, Homilia I.
In Psalmum, Cantate Domino.
Quum Sarioninus & Aurelianus acti essent in exilium, Hom. I.
De fide Annæ, Homiliæ II.
Commentariorum in secundam ad Corinthios, Hom. VII.
In Epistolam ad Galatas.
In Epistolam ad Philippenses Homiliæ II.

Ex Athanasio,

De sancto Spiritu, Epistolæ II.
Contra Eusebium de Nicæna Synodo, Epistolæ II.
Apologetici duo aduersus eos, qui calumniabantur, quod in persequutione fugisset.
De passione Domini, Homilia I.
De hoc, quod scriptum est, Euntes in vicum, qui contra vos est.
De Virginitate.
De peccato in Spiritum.
De Spiritu sancto.

De Origine.

De vita, phrasi, & operibus Origenis.
Fragmentum in Euangelium Matthæi.

Ex Basilio,

Principium Esaiæ.

Ad quosdam gracculos Epiſtola.
Reſponſio ad Petri Curtii defenſionem.
De Termino, Epiſtola.

ELOGIA ET IVDICIA VARIORVM de ERASMO ROTERODAMO.

EX EPISTOLA LEONIS X. PAPÆ, AD ERASMVM.

VITÆ morumque tuorum honeſtas, eruditio rara, ac eximia virtutum tuarum merita, quæ non ſolum ſtudiorum tuorum monumentis vbique celebratis teſtatiſſima ſunt, verum etiam eruditiſſimorum hominum ſuffragio, denique duorum illuſtriſſimorum Principum, Regis Angliæ, & Regis Catholici, literis nobis commendata, faciunt vt te præcipuo ac ſingulari quodam fauore proſequamur. Vnde poſtulationi tuæ libenter annuimus, vberius etiam noſtram in te pietatem declaraturi, cum occaſionem vel ipſe miniſtrabis, vel caſus obiiciet, æquum eſſe iudicantes ſanctam tuam induſtriam, publicæ vtilitati aſſidue deſudantem, dignis præmiis ad maiora conandum excitari.

EX EIVSDEM EPISTOLA AD

HENRICVM VIII. Angliæ Regem.

Dilligimus admodum in Domino dilectum filium Erasmum Roterodamum, quem inter primos huius scientiæ atque artis esse iudicamus: notum quidem nobis ex domestico congressu antea cum in minoribus essemus, sed deinde longe magis ex eis ingenii monumentis, quæ literis mandauit, non notum solum, verum etiam maxime probatum.

EX EPISTOLA

ADRIANI PAPÆ, ad eundem.

INest tibi magna ingenii vis, varia eruditio, scribendi promptitudo, quanta nostra memoria paucissimis aliis, ne dicamus nullis.

EX EPISTOLA

PAVLI III. PAPÆ, ad eundem.

GRatissimæ nobis fuerunt literæ tuæ: cum enim nos delectare vel ob id tantum potuissent,

nt, quod a te erant, cuius nomen celebre sem-
er amauimus, & doctrinam magni fecimus, eo
iam erant ornatu verborum ac grauitate sen-
ntiarum, vt ob elegantiam gratiores, eam quo-
ue pietatem præferentes, vt grauissimæ nobis
uenerint.

EX EPISTOLA
CAROLI V. IMPER.
ad eundem.

PEr te Respublica Christiana id assequuta est, quod per Cæsares, Pontifices, Principes, Academias, atque per tot viros eruditissimos, hactenus obtinere non valuit: vnde tibi, & apud homines immortalem laudem, & apud superos perpetuam gloriam nequaquam defuturam quam libentissime videmus; & hanc tibi felicitatem contigisse ex animo gratulamur.

EX EPISTOLA
FERDINANDI ARCHIDVCIS AVSTRIAE &c.
ad eundem.

ACcepimus literas tuas, quibus, quæ ad nos de laudabili Opere Paraphrasis in Ioannem a te

a te composito scripsisti, intelleximus, eaque nobis gratissima, & summæ iucunditati fuere. Et cupimus, & affectuose te hortamur, in eiusmodi dignis & maximis laudibus & præconiis extollendis, laboribus & vigiliis perseueres, & persistas, illamque Paraphrasin impressioni, ad communem doctorum & proborum vtilitatem & commodum, quamprimum per otium licuerit, exhibere cures.

EX EPISTOLA HENRICI VIII. ANGLIAE REGIS, ad eundem.

SEd quid ego tuam laudare paro facundiam, cuius per totum terrarum orbem est nobilitata scientia? Nihil queo equidem in tuam laudem effingere, quod tam consummata isthac eruditione satis dignum sit. Quare tuas laudes omitto, de quibus silere satius puto, quam nimis parce dicere.

EX ALIA EIVSDEM EPISTOLA ad eundem.

NVnc autem, postquam in summum quidem creuit, pertinax ille & indefessus animi tui tenor, quem in propaganda & illustranda Christiana fide non æstimandis laboribus tuis, sed

i ingenti sane cum Christiani orbis fructu, com-
odoque, strenue præstas: eo vicissim magni-
dinis euasit amor in te noster, vt nihil quidem
i accedere posse videatur. Quin incredibili
ioque alacritate gestimus, cum solus prope-
odum prouinciam hanc sustineas, tam piis san-
sque conatibus tuis pro virili succurrere, &
æsidio esse.

EX EPISTOLA
SIGISMVNDI, REGIS POLONIAE,
ad eundem.

EX tuis literis, Erasme doctissime, facile per-
speximus, te vere eum esse, qui diceris, hoc
st, virum, præter summam eruditionem ac pru-
entiam, tum integerrimum, tum publicæ tran-
uillitatis, concordiæque Christianæ studiosissi-
ıum; quod etsi nobis dubium nunquam fuit,
ehementer tamen apud nos confirmauit eam de
e opinionem epistola hæc tua, in qua plane agnosci-
nus animum istum tuum vere Christianum, nec du-
itamus, quin vbique sis tui similis, seu ludicra tra-
tes, seu seria.

EX EPISTOLA
PETRI BEMBI,
CARDIN.
ad eundem.

EGo vehementer lætor, doctrinam ſingularem tuam, & probitatem, & continentes ac perpetuos tot annorum labores, quibus te plane confeciſti, vt noſtros homines ſcriptis erudires & locupletares tuis, apud Paulum III. Pont. max. omnium hominum principem, eo loci eſſe, quo merentur. Itaque modo recte valeas, neque te imbecillitas impediat tua, mihi ſpes eſt, te ab eo omnia ſumma honoris & dignitatis inſignia breui conſequuturum.

EX EPISTOLA
RAPHAELIS, CARDIN.
S. GEORGII,
ad eundem.

TVis in literis exoſculati ſumus priſcam quandam, planeque Romani candoris facundiam, ſed eam nobis pridem cognitam perſpectamque abunde quidem ex tuis erudititiſſimis Colloquiis, ſed multo vberius ex præclaris ingenii tui monumentis, quæ abs te, & Græca Latinaque literatura, & proſa pariter atque carmine, perpolita in lucem prodierunt: quæ vt nomen tuum ſe-

seculorum æternæ memoriæ consecrabunt, ita Britanniæ, multis rebus per se claræ, non parum splendoris adiunget alumnus Erasmus.

EX EPISTOLA
ALPHONSI FONSECÆ, ARCHIEP. TOLETANI.
ad eundem.

NEmini non persuasum est, Erasmum non modo esse, sed vnicum ex omnibus esse huic tanto negotio parem, non eloquentiæ modo doctrinæque præsidiis, quibus alioqui nouit orbis quantum valeat, sed fidei apud omnes & auctoritatis.

EX EPISTOLA
PETRI, EPISCOPI CRACOVIENS.
ad eundem.

NAm tu reipublicæ Christianæ pro virili tua prodesse studes, dum de nomine tuo immortalitati consecrando anxius es & sollicitus,

neque ſcribendi, neque legendi finem facis vllum. - - - - - - - - - - Delectat te ſcribendo reipublicæ Chriſtianæ rationibus prodeſſe, & celebre nomen tuum ad poſteros transmittere: da operam, vt quemadmodum te iuuat ſcribere, ita diu ſcribere, diu Reipublicæ prodeſſe queas.

EX EPISTOLA IOANNIS TVRZONIS, EPISCOPI VRATISLAVIENS.

ad eundem.

AT tu quomodo tibi non iniurius videri poſſis, qui laudes, quibus te vniuerſus propemodum orbis veriſſime proſequitur, nimia (ni fallor) hac in parte huius modeſtia, tantum abeſt vt admittas, vt contra maxime auerſeris, declinesque. Debentur profecto tibi longe maiora, præſertim cum tui vnius patrocinio omnium honeſtiſſimarum diſciplinarum nitor, multa iam barbarie, ſitu & ſqualore obtenebratus, reſplendeſcat: tum ſinceræ quoque illius Theologiæ puritas, & ſanctiſſima ſtudia prope ad interitum redacta, te parente, te duce, veluti renata, toto orbe refloreſcant.

EX

EX EPISTOLA

AC. SADOLEDI, EPISCOPI CARPENTO-RACTENSIS,

ad eundem.

Tibi magnopere gratulor, quod ingenio tuo præstanti & singulari otium suppeditatum est, quo facile posses tuæ doctrinæ præclara monumenta in posteritatem propagare, ex quibus tuum nomen perpetuum futurum sit. Quemadmodum quod te solus iam Deus beare posit, vt scribis, hic iam deficientem: agnosco pietatem tuam, & summopere laudo; illud non accipio, te vt deficientem debeas appellare, cuius virtus memoria omnium seculorum celebrabitur sempiterna.

EX ALIA EIVSDEM EPISTOLA ad eundem.

Ego de tua in Psalmum LXXXV, interpretatione, ac de cæteris, quæ in hoc genere plura præclaraque edidisti, & quotidie edis, cum ingenium, & copiam, & facilitatem tuam mirari soleo, tum animi virtutem atque constantiam, quod plurimis æmulis, tuæ laudi obtrectantibus, a instituto labore minime deterreris, studesque

quotidie magis, vt bonis, & literis & moribus per te consulatur: in quo tua scientia & egregia voluntas maximis mihi videtur laudibus ad coelum extollenda.

EX EPISTOLA
STANISLAI TVRZONIS, EPISC. OLMVCENSIS,
ad eundem.

NAm quid mihi charius obuenire potuit, quam vt me ille magnus seculo nostro Erasmus, ille adeo Erasmus omnium disciplinarum linguæ vtriusque sine vlla exceptione facile princeps, in amorem suum volens, ac lubens admiserit. - - - - - - - Iam dudum certe ego Erasmum, quasi numen quoddam, coelitus mihi missum, colo, obseruo, admiror: & quoquo proficiscor, comitem semper ad latus habeo, vt cuius doctissimis pariter & sanctissimis lucubrationibus non doctior solum, sed etiam quotidie melior fio.

EX ICONIBVS ET ELOGIIS
PAVLI IOVII, EPISCOPI NVNCERINI.

ERASMVS Roterodamus, ex Insula Batauorum perpetuis eruditæ laudis honoribus extollendus

ıs videtur, poſtquam ætatis noſtræ Scriptorum
o'pe omnium decus, ingenii fertilitate, ſuperauit.
ab adoleſcentia, pio religioſi animi decreto, ad
ıcullatos Sacerdotes ſe contulit, tanquam humana
ſpiceret. Sed non multo poſt pertæſus intempeſti-
ſeruitutis, votique temere ſuſcepti, ea ſacrati Or-
nis ſepta tranſiliit; vt ad excolendum ingenium
ane liber per omnia Europæ Gymnaſia vagare-
r. Contendebat enim cura ingenti ad ſummæ
oriæ faſtigium, ad quod litterarum omnium
ıgnitione perueniri poſſe intelligebat. Quum
m ad arcana cuiusque doctrinæ infinita lectione,
uſitataque memoria penetraſſet, edidit Moriam,
que inde primam nominis famam longiſſime
otulit, imitatione Luciani Satyræ, pungentes acu-
os paſſim relinquens; omnium ſcilicet ſectarum
ionibus ad inſaniam reuocatis. Opus quidem
lſa adſpergine periucundum, vel grauibus &
ccupatis; ſed ſacrato viro prorſus indecorum,
uum diuinis quoque rebus illuſiſſe videretur.
ed mature demum, quod eius intemperantiæ
ıale audiendo pœnas daret, ſanctiores literas
omplexus eſt, tanta robuſtiſſimi ingenii conten-
one, vt vertendo Græca & Commentarios ex-
udendo, plura, quam quisquam alius, volumina,
ublicaret. Verum ſe ipſo haud dubie cunctis ad-
nirabilior futurus, ſi Latinæ Linguæ conditores
rauiter imitari, quam feruido properantique in-
enio indulgere maluiſſet. Quærebat enim pe-
uliarem laudem ex eloquutionis atque ſtructuræ
ıouitate, quæ nulla certe veterum æmulatione
araretur, vt in Ciceroniano non occulti liuoris

 ple-

plenus ostendit. Tanta enim erat fœcunditas, vt plena semper, ac ideo superfœtante aluo, varia & festinata luxuriantis ingenii prole delectatus nouum aliquid, quod statim ederetur, Chalcographis, tanquam intentis obstetricibus, parturiret. Obiit apud Heluetios Basileæ, septuagesimum excedens ætatis annum, cum Carolus Cæsar in Prouinciam irrumpens, ad Aquas Sextias, Francisco Galliæ Regi graue bellum intulisset.

EX EODEM.

VArro sui seculi & Cicero Germaniæ.

HORVM IVDICIA IVXTA CVIVSQVE DIGNITATEM, SEQVENTIVM VERO IVXTA ÆTATEM DEPOSITA SVNT.

EX EPISTOLA

FRANC. DELOINI, Præsidis Senatus Parisini.

ad eundem.

ECquis tam duro, tamque ingrato animo esse potest, quin tibi libens gratuletur, tot tamque præclara in omnium disciplinarum genere, ingenii atque industriæ tuæ monumenta contrectans? quibus tu plane cum ipsa antiquitate certare,

e, & omnibus nostræ ætatis Scriptoribus pal-
ım præripere videris, doctorum omnium opi-
one, non nostra tantum : dum e mediis igno-
ntiæ tenebris ingenuas artes, atque adeo sacras
teras, vindicas, & longo veluti postliminio
deuntes in suum quodammodo regnum, dignita-
mque restituis.

EX EPISTOLA
GVLIELMI BVDÆI
ad eundem.

ENimuero demiror, deosculor, amplector, susci-
pio tuum istud tam acre, tam exactum,
m celere, tam præsens, tam sibi constans iudi-
um. - - - - - - Quo maxime nomi-
e fidem meam & auctoritatem tueor inter eos
omines, qui te Varronem esse memoriæ nostræ
ıtumant, nisi quod plus eloquentiam ample-
eris.

EX ALIA EIVSDEM EPISTOLA
ad eundem.

EGo nec dicere, nec eloqui, ac ne proloqui
quidem possum, quantopere & tuæ faueam glo-
iæ, & eruditionem admirer. O noster Erasme,
naior enim esse mihi videre, quam vt meum te
ppellem, cum omnibus nostris, vnus satis esse pos-
is. Quin & vsque adeo publicus scriptis tuis

factus es, vt nemo ſibi priuatim vindicare te poſſit.

IBIDEM

DELOINVS BVDÆVM

alloquitur hoc modo.

SOlebas optare, vt treis aut quatuor Eraſmos in Gallia haberemus, (ſi tamen tot ſimul Eraſmi ſimiles vna ætas efferre poſſet) vt tibi animo tuo aliquando obſequi liceret, ingeniique tui mediocritati liberius vela pandere.

EX ALIA EIVSDEM EPISTOLA AD

CVTBERTVM TONSTALIVM.

NAm mihi videbatur Eraſmus non Milo, ſed pentathlus quidam eſſe nobilis, cuius gloria quam latiſſime pateat: qui terrarum peragrator nullibi non documentum ingenii ſui dederit, ac periodon prope vicerit, in ſacris, in profanis, atque in omni parte orbicularis diſciplinæ certauerit, quam Encyclopædiam vocant, & nuſquam non probatus ſit. - - - - - - - - - - Quis eſt enim, cui Eraſmum æſtimare in mentem venerit, nec eſſe famigeratum illum Eraſmum ſuſpicatus ſit, qui arbitretur eum Mercurium in ore, Genium in præcordiis, Palladem in capite, vt Iovem quondam illum, habere?

EX

EX EPISTOLA
[T]HOMÆ MORI
ad eundem.

[D]E te vero nisi me mea spes tam sæpe frustraretur, etiam multo maiora sperarem, quam[qua]m nunc quoque bene sperare quid vetat? Ne[qu]e enim quia parum processit hactenus, ideo fu[tur]i quoque spes adempta est, imo nunc maxime [con]fido. Neque eadem perpetuo cuiquam est [for]tuna, neque diutius potest esse maligna tibi, cui [Pon]tifex, Reges, Episcopi, omnes prope mortales, [qua]qua versus orbis patet Christianus, impendio [fav]ent, ac demirantur.

[E]x Dialogo II. de Poëtis eius æui, p. 406.

CONSCRIPTO A
[L]ILIO GREGORIO GYRALDO.

[V]Ir hic fuit vbique magnus.

EX ANTIPAPPO SECVNDO
IOANNIS STVRMII,
p. 127.

ERasmus Roterodamus, qui copiam Linguæ Latinæ auxit, vir ad omne genus scribendi, natura idoneus, exercitatione etiam perfectus, si, odio Longoliani instituti, delectum verborum, & curam stylo non recusasset adhibere; in Religionis autem tractatione, nescio quomodo, cum omnium litteratorum hominum gratia, & fauore, plusquam Lutherus, vrbanitate, Pontificiorum & Monachorum auctoritati obfuit.

IDEM IN PRÆFATIONE ANTIPAPPI TERTII p. 220.

ERasmus Roterodamus, in quem Deus variarum genus litterarum & prudentiæ & linguæ ita contulit, vt insigne ornamentum exstiterit illius, quo vixit, seculi; siue doctrinam & facultatem orationis, siue iudicium & prouidentiam rerum futurarum spectemus.

EX EPISTOLA
MARTINI LVTHERI
ad eundem.

To-

DE ERASMO ROTERODAMO.

TOties ego tecum fabulor, & tu mecum, Erasme, decus nostrum, & spes nostra, nec dum mutuo nos cognoscimus. Nonne monstri hoc simillimum? imo non monstrum, sed plane quotidianum opus. Quis enim est, cuius penetralia non penitus occupat Erasmus, quem non doceat Erasmus, in quo non regnet Erasmus? de iis loquor, qui literas recte amant.

EX EPISTOLA BARTH. LATHOMI

ad eundem.

VIves enim tu, & gaudebis fructu laborum tuorum in futura etiam vita, tantumque abest vt totus vnquam interiturus sis hoc mortali caducoque corpusculo, vt etiam fama ingenii tui, impressa literatis monumentis, Regum Pyramides superatura sit, clarissimorumque Imperatorum victoriis illustrior futura. Iam vigesimus annus est, opinor, & amplius, ex quo primum mihi cognitus fuisti, cum interim nullum praetermisisti spatium, in quo non aliquam partem, ingenii ac lucubrationum tuarum orbi terrarum communicaueris. Tantam igitur tu laudem tibi putas aliquando interituram esse? aut vllam futuram tam ingratam posteritatem, qua de tot tantisque laboribus tuis leuius censura sit, quam hodie te viuo iudicant non solum docto-

rum

rum hominum ingenia, ſed etiam ipſe terrarum orbis? confirmaſti immortalitatem nominis tui gloriæ magnitudine, tantumque decus ingenii ac ſummæ eruditionis de te vnus hoc ſeculo extuliſti, vt etiam inuidiæ dentibus frænos in omnem partem inieceris.

EX EPISTOLA ANDREÆ ALCIATI ad eundem.

TRiumphas tu quotidie de hoſtibus tuis, qui tot inſignia volumina edideris. - - - - quid amplius parta tanta gloria in arenam deſcendis? iam diu rude donatus es omnium Eruditorum conſenſu. - - - - - - - Falleris, Eraſme, ſi tam male de nominis tui maieſtate, deque ſtudioſorum in te obſeruantia, iudicas, vt arbitreris maleuolorum obtrectationibus de arce te eruditionis & probitatis, quam tam diu inſediſti, deturbari poſſe.

E LVDOVICI VIVIS Lib. III. de Tradendis Diſciplin.

ERASMVS admirabilem habet facilitatem ac lucem.

E CA-

CAMERARIO
in Nouum Fœdus.

Oſtra autem ætate, Deſiderius Eraſmus patria Roterodamus, cum & ingenio eſſet pra-
ıs excellente, & ſtudii induſtria non facile al-
ı cuiquam cederet, copia artium & literarum
ructus, neglectos iamdudum & in puluere ia-
ıtes libros & monumenta doctrinæ Chriſtia-
in lucem reduxit & ad hos in manus ſumen-
s hominum cupiditatem excitauit. Cum au-
n hoc pulcherrimo facto quamplurimorum
lia erga ſe commouiſſet & irritaſſet animos, diſtra-
e cogitationes illius & impedita opera nonnun-
ıam fuit, neceſſitate quadam defenſionis, dum
ſe quaſi vim & iniuriam inſectationum propul-
re cogitur. Sed nimirum verum id eſt, quod
enarius Latinus memorat. Nimis altercando ve-
tas amittitur. Nam & ſemel ille quaſi impul-
ıs, ruere deinde cœpit, reſponſionumque & aſ-
ertionum frequentia, cum longius interdum ab
ıſtituto videtur receſſiſſe, tum certe his occupa-
ionibus commoda, quæ interea conciliari ſtudio-
s piarum literarum potuiſſent, fuerunt interuer-
ı. Neque ego video, quæ gratia ab vllo digna
neritis ipſius haberi poſſit. Cuius diligentia,
abore, aſſiduitate & conſtantia illis temporibus
ɔericuloſa, perfectum eſt vt libros Scriptorum A-
ɔoſtolicorum & Euangelicæ Hiſtoriæ integros
ɔurosque habeamus. Neque mea quidem ſen-

ten-

tentia, vllius operæ, quæ corrigendo vltra Erasmicas notationes progrediatur, locus est relictus.

Ex Lib. XII. Historiarum
IOANNIS SLEIDANI.

INter alias complures lucubrationes, quibus literarum studia mirifice promouit Erasmus, Libellum quoque iuuentuti confecit ex Dialogis, eumque subinde locupletauit, cum auidissime legeretur &, vt erat ingenii præstantissimi summæque vir eloquentiæ, variis in eo lusit argumentis, ex media rerum natura desumtis, hominumque vita, & mirabili quadam dexteritate, suauissimoque dicendi genere, morum ac pietatis præcepta tradit, & simul errores inueteratos per occasionem demonstrat. Hinc illa de ipso querimonia &c. quam paullo ante protulit Sleidanus.

Ex Cap. XVI. Batauiæ.
ADRIANI IVNII.

IN his, sine exemplo, maximum eluxit Desiderii Erasmi Roterodami ingenium, qui multitudine operum Didymum Chalkenterum, ab inuicta scribendi patientia sic nuncupatum, ferme æquasse putandus est; cuius scriptorum numerus tria libellorum millia transcendisse, si Hesychio Milesio credimus, memoratur. Certe, vniuersi prope

or-

orbis testimonio, doctrinæ omnigenæ, ac præsertim sacræ, lauream meruit; non sine inuidia assidua eminentium comite, & quæ altissimis ingeniis adhærere, durante vita, solet, a fato vero quiescere dicta; cuius tamen scintilla rediuiua, tanto post funus annorum interuallo, nec dum sopita nuper se prodere cœpit. Ille fulgore suæ claritatis cæteris propemodum tenebras obduxit: ex eo, quemadmodum ex Oceano, amnes sui cursus auspicium accipiunt, minores quique in Eruditorum numero libenter nomen suum referunt, sumsere suæ institutionis seminaria ceu deposito isthic tyrocinii sui rudimento.

EX CONRADI GESNERI BIBLIOTHECA.

DESIDERIVS ERASMVS, Germaniæ Phœnix, scripsit infinita volumina.

EX ICONIBVS THEODORI BEZÆ.

DESIDERIVM ERASMVM Roterodamum quum inexhausta ingenii vbertas, pari dicendi facultate, ad summæ gloriæ fastigium nostra memoria euexerit, & illi tantum bonæ litteræ renascentes, quantum alii ætatis illius nemini debeant,

beant, age, locus etiam illi, in huius sacrarii vestibulo, & quidem hoc addito Elogio, tribuatur.

In Erasmum cingulo tenus depictum.

Ingens ingentem, quem personat orbis, Erasmum
Hæc tibi dimidium picta tabella refert.
At cur non totum? Mirari desine, Lector.
Integra nam totum terra nec ipsa capit.

In eundem eiusdem argumenti.

Ἥμισυ τοῦ παντὸς πλέον εἶν Ἀσκραῖος ἔειπεν.
Ἥμισυ δ', ὡς οἶμαι, τοῦτο λογισσάμενος.

Obiit Basileæ IV. Idus Iulii, anno Domini cIc Ic XXXVI. annum agens septuagesimum.

EX ICONIBUS
IAN. IACOBI BOISSARDI VESVNTINI.

DESIDERIVS ERASMVS natus Roterodami vrbe Batauorum non ignobili, anno Christianæ salutis cIɔ CCCCLXV. prima studiorum rudimenta posuit Dauentriæ præceptore Alexandro Hegio, viro litteratissimo & Iuuentutis moderatore celeberrimo. Sub cuius disciplina cum satis profecisset, Louanium Brabantiæ Academiam petiuit; ibique in omni bonarum disciplinarum exercitio animum instruens magnam de se omnibus

bus exspectationem concitauit ; vnde Cantabrigiam & Bononiam se conferens, illic quoque in studiis diligentem nauauit operam. Tandem ad S. Theologiam animum applicans, Doctoratus gradum Taurini suscepit. Quum autem adhuc esset iuuenis habitum Monachalem sumserat, vt litteris posset in Cœnobii recessibus liberius vacare. In ea autem professione non diu perseuerauit, quæ ad institutum vitæ, quam sibi proponebat, non admodum facere videretur ; quum statuisset omnes Italiæ, Galliæ ac Germaniæ Academias perlustrare. Factum igitur breui est, vt ob inæstimabilem in omni liberalium artium eruditionem, & admirabilem vim ingenii facundiæque vbertatem, & morum suauitatem, eius fama per omnes Christiani orbis regiones celebris vagaretur, propositisque vberibus & honorificis stipendiis, vndique vocaretur ad docendum a præcipuis Academiis Europæ, a Pontificibus, a Regibus, & a Principibus. Sed sui iuris esse maluit & priuatis studiis incumbere, vacans scriptioni, quæ posset posteritati vtilis ac fructuosa haberi. Ferunt illi a Pontifice oblatum Cardinalitii status dignitatem, quam cum recusasset, cum miraculo a ceteris Patribus Ecclesiasticis exceptum fuisse hunc contemtum, vocatumque Erasmum sapientem bestiam ; qui tantam dignitatem, tamque speciosos & fructuosos titulos imprudenter respueret, quos alii summis votis & laboribus ambirent, & quouis pretio sibi compararent. Quumque multis in locis maiorem vitæ partem carus omnibus exegisset, vrgente iam senio, Basileam Rauraco-

rum in vrbem se recepit, ad Rhenum sitam, loci amœnitate captus, & sodalitio multorum doctissimorum hominum, quibus ea Ciuitas semper ornata est, Academiæ illius Rector factus, quum Scholasticorum inordinatam licentiam & petulantiam refrenare tentaret, ab iis male exceptum ferunt. His irritatum contumeliis, fama est, discerpsisse & cremasse priuilegiorum partem illius Academiæ (quæ cum Moguntina totius Germaniæ creditur antiquissima) vt, his deperditis, studiosæ Iuuentutis proteruia retunderetur. Quod aliquando me audiuisse recordor a piæ memoriæ præceptore meo Hugone Babelo, qui tunc temporis Basileæ Erasmo viuebat & amicus & familiaris. Eius opera fere infinita seruantur multis in locis impressa: sed maxime in Frobeniana Typographia Basileæ, quæ omnia nouem Tomis complexus est, &c. Longum esset enumerasse minora opuscula & emendationes castigationesque Auctorum, tam Græcorum, quam Latinorum, quos Erasmus a barbarie & mendis scriptorum repurgauit. De quibus omnibus exacte tractauit Gesnerus in sua Bibliotheca.

E SCALIGERANIS PRIMIS

p. 79.

ERASMVS perspicacissimo vir ingenio, se ipso haud dubie futurus maior (quod scribit Paulus

lus

lus Iouius) si Latinæ Linguæ conditores imitari, quam petulanti linguæ indulgere maluisset. Erasmi Chiliades excellentissimum opus. Nimius tamen fuit, & quandoque sapit Germanum, videtur enim magnum numerum affectasse, eadem quater repetens.

E SCALIGERANIS SECVNDIS Gall.

POtissima eius opera sunt eiusdem Chiliades, eius Epistolæ, eiusque Nouum Testamentum, quod bonum est: non paucis erroribus laborant quoad Latinitatem eius Colloquia: Nimio habet in pretio Latinitatem Hieronymi, qui male loquebatur. Erasmus melius quam ille loquebatur. - - - - Nullus vnquam siue Lutheranus, siue Caluinista præstantiorem elucubrauit librum nec elegantiorem eius in Nouum Testamentum Paraphrasi. Quamuis Parens meus aduersus Erasmum calamum strinxerit, magni tamen Erasmum facio, magnus fuit vir. O quam præclara Epistola in eius Epistolarum fronte scripta est. Erasmus magnus vir diuinam edidit Paraphrasin. Erasmi præfatio in Senecam est præstantissima: optime de eo iudicauit, melius adhuc quam Lipsius. - - - - Pœnituit Patrem aduersus illum scripsisse. Culpam suam agnouit, sed fuerat irritatus cum vocaretur ab Erasmo Miles, quasi per contemptum, vt Amphitheatrum vocat Dominos Plessæum & Lanouium, mi-

milites per contemptum. In Italia Adagia typis mandari curarunt: ac expunxerunt Erasmi verba & 500. inseruerunt Adagia, quæ talia non sunt. Muretus illos ridet. Erasmi Annotationes in Novum Testamentum multa habent doctissima, & ipsius Paraphrasis est instar optimi Commentarii, quamuis in quibusdam erret. - - - Oportet Magnos Viros in vita semel errare; & ille in Dialogo Ciceroniano nugaciter lapsus.

E GASPARO SCIOPPIO de Arte Critic. p. 6.

NOtum enim diuinum Erasmi Roterodami ingenium; nota incredibilis illius viri & multiplex eruditio; cum pari industria & dexteritate coniuncta.

E DOMINICI BAVDII Epist. Centur. 2. Epist. 27.

SAlibus, & iis interdum aculeatis, abundant nonnulla eius Opera, in quibus crassos errores, & aniles quasdam superstitiones Orationis libertate perstringit, vnde orta est Opinio contemptarum Religionum; sed Norma Christianæ Charitatis suadere debuit humaniorem interpretationem. Videtur autem Erasmus magis habuisse quid fugeret, quam quid sequeretur. Vnus omnia peruidere non potuit, & rem haud exiguam præstitit,

quod

quod in tantis ignorantiæ tenebris oculos attollere potuerit ad inuestigandum lucem veritatis. Meticulosior fuit & timens offensionum, atque hoc vnice in vita studuit, vt omnium ordinum & generum beneuolentiam colligeret. Id forsan impedimento fuit quo minus cornicum oculos configere ausus fuerit & omnia iniquitatis mysteria velo lauato patefacere. Multum tamen, imo infinitum ei debet posteritas, & forte non haberent reprehensores eius vnde famam consequi potuissent, nisi ipsis dedisset quod reprehenderent.

EX

SWEERTII ATHENIS BELGICIS.

SPiritum & vitam Erasmo debent renascentes literæ. Gratus & acceptus summis Pontificibus, Imperatoribus & Regibus. Propensior natura fuit ad iocos quam deceret, quam nonnunquam expediat, vt de se ipse fatetur ad Barbirium. Multa vir tantus scripsit, quæ in 9. Tomos distributa, hodie cum summo omnium stupore leguntur. Inter alia plura non postremum locum obtinent Epistolæ: In iis enim tota elucet eius vita, in iis eiusdem patet genius, ingenium, mores, eruditio, animique dotes.

EX EPISTOLA
IOANN. MALDONATI
ad eundem.

FElix igitur ſis, Eraſme, propitiique tibi adſpirent cœlites, qui tantum boni noſtro ſeculo inuexeris, qui tam bene de Chriſtiana Rep. fueris meritus, vt quicunque ſint vbiuis gentium vere ſapientes, te ſcopum vnicum contemplentur, te principem agnoſcant, te longe quantumuis disſiti coram audire, maiorem in modum geſtiant atque percupiant. Nusquam profecto reperiatur iam Theologus, (vt de Grammaticis ac Rhetoribus taceam) ſi ſit idem Latinus, ſi ſummatibus ex illis, quibus potiſſimum Eccleſia nititur, documenta perceperit, ſi commodus magis quam oſtentator velit haberi, qui non habeat Eraſmum in ore, qui frequenter Eraſmum non citet, qui Ducem Theologorum & Anteſignanum Eraſmum non prædicet ac profiteatur.

EX
AVBERTO MIRÆO.

VT erat peregrinationis amans, pleraſque Chriſtiani Orbis Academias, magna celebritate famæ, qua docendo, qua ſcribendo, obiuit; maior & apud poſteros futurus, ſi minor eſſe voluiſſet. Nam ſi intra profeſſionis literariæ terminos ſubſtitiſ-

tiſſet, ſeque totum hiſce ſtudiis, quibus in primis videbatur, dediſſet, paria fortaſſe cum primis illis Latini Sermonis auctoribus facere potuiſſet. At vero poſtquam Theologum agere voluit, ingenio fiſus nimium ſibi arrogauit, & in tractandis Sacris Literis veterumque Patrum monumentis rigidum nimis cenſorem ſe præbuit.

Ex Opere de Origine & progreſſu Idololatriæ, GER. IOH. VOSSII, Lib. IV. c. XIII. DE J. C. SCALIGERO.

QVis ferat, quod Eraſmum, ſeu iure, ſeu iniuria reprehendere non contentus mox ſubdat: ſed facilius potuit ſpernere Philoſophiam, quam neſciebat, quam imitari, quos formidabat. Nempe, non potuit ſummus vir ab animo ſuo impetrare, vt occaſionem vllam negligeret maledicendi Eraſmo, viro tam præclare merito de Orbe litterato. Atqui non ſpretam eſſe ab Eraſmo Philoſophiam naturalem, vel Colloquiorum arguat liber. In his dialogus, qui puerpera inſcribitur, vbi multa de animæ facultatibus, item illa, cui titulus Problema, vbi de leuium ac grauium motu; & quid omnia congeram? nec ſatis erat, ſi in Philoſophiæ ſtudio ſic traduceretur. Quid pæne ei laudis

dis reliquit? Satis res aperta ex ratione adversus Ciceronianum Erasmi. Quid ea virulentius? sed contineamus nos in illis, quæ postea exarauit. Operis de re Poëtica Lib. IV. qui parasceue inscribitur cap. 1. cum Petrum Aponensem culpasset, quod orationi Latinæ misceret particulas Græcas ἔτι, πάλιν, subiicit deinde contextus, cuiusmodi videas quotidie prodire ex claustris Monachorum; neque ex his solum, sed illis quoque, penes quos summa rei literariæ diu stetit iudicio imperitorum Pædagogorum inter quos Erasmus: cuius mirificam animadvertas latinitatem, vel cum dicit, se calculum suum recantare. Non vacat cætera id genus adscribere; nec opus, quando ipsum, credo, Scaligerum subiit tantum huius maledicentiæ pœnitudo. Hoc enim colligi videtur ex Carmine isto, libro, quem Heroës inscripsit, Tune etiam moreris, &c. Quid dicere potuit magnificentius? Inde igitur potius æstimemus magnitudinem Erasmi, quam aliis eiusdem a nigræ succo loligenis deriuatis. Nec sane Erasmus Scaligero, viro licet in non vna studiorum parte incomparabili, minus de orbe ac studiis meritus esse censendus, modo totum cogitemus Erasmum. Quod nemo negauerit, nisi qui operam eius sacris literis & tot Græcis, Latinisque Patribus impensam suo nesciat pretio æstimare.

Ex Dissertatione de Cœnæ administratione, vbi Pastores non sunt,

conscripta ab

HVGONE GROTIO,

De ritu quodam Ecclesiastico.

Vidit eum, inquit, qui nihil prope non vidit Erasmus. Epistolarum Lib. XXVI.

EX EPISTOLA DEDICATORIA,

Erasmi colloquiis præfixa, Edit. Traiecti ad Rhenum, apud Gisb. a Zyll, an. 1662.

Qvem Magnus Hugo Grotius nihil ignorasse, & non minus ad amœnitatem, quam ad omnium cognitionem natum, vir Clariss. Daniel Heinsius dixere.

EX RESPONSIONE
SIMONIS EPISCOPII,
ad ſpecimen Profeſſorum Leidenſium, p. 64.

HIſce cur non adiungamus Eraſmum noſtrum, portentum certe ſæculi ſui & Hollandiæ noſtræ lumen? Etſi enim, vt de eo Sturmius ait, quod in Pontificatu vidit, non ita, vt potuit, voluit detegere; eam tamen animi moderationem, in diiudicandis ac diſcernendis neceſſariis a non neceſſariis dogmatibus vtique ſeruauit, contra Theologorum Pontificiorum, aliorumque præcipitem ac præfractam in condemnandis quibuslibet pæne errantibus αὐθάδειαν, ac licentiam, vt miraculum prudentiæ ac perſpicacitatis, in iſto caliginoſo æuo hodieque videri poſſit: adeoque non viam tantum monſtraſſe Veritatis ſimul ac Pacis ſtudioſis, ſed perfectum & omnibus numeris abſolutum exemplar, ſi in hoc æuum noſtrum incidiſſet, præbiturus fuiſſet. Non citabimus loca, vnde id manifeſto liquet. Scripta eius ad unum omnia, Apologiæ, Epiſtolæ, Præfationes in Patres, ab ima ad ſummam vsque chordam, aliud pæne nihil ſonant, quam pacis, tolerantiæ, moderationis conſilia, non minus erudita, quam ſalutaria.

E GEORG.

E GEORG. CALIXTI
Adparatu Theolog. p. 154.

VIr magno ingenio & eruditione, neque minore iudicio & prudentia: qui tamen noster profecto non fuit, neque esse vel audire vnquam voluit.

EX HVETIO
de Clar. Interpret.

QVidam intra Noui solius Testamenti cancellos suam interpretando industriam explicuerunt, quorum facile, meo iudicio, princeps est Desiderius Erasmus: is ea felicitate hanc ornauit Spartam, vt & verba verbis, & sententias sententiis, & saporem sapore exæquauerit; & perspicuitatem tamen cum dictionis castitate, & natiuo illo colore obtinuerit, quæ ad integram Interpretis laudem vnice requirebamus. Quinetiam vbi propter Latinæ Linguæ indolem, quod vno Græci, idem pluribus exponere verbis necesse habuit, adscititia verba vario & insigni charactere depingi curauit; quo fidei suæ integritas palam extaret.

E ROLANDI MARESII
Epist. l. 2. Epist. 1.

AT Erasmi quamquam fere extemporaliter, & ab occupatissimo scriptæ Epistolæ mihi supra modum placent, præter eruditionem enim, eloquentiam, & tam in literis, quam in quibusuis aliis rebus prudentiam, quam continent, Lutheranæ etiam sectæ initia, aliasque res tradunt: quas nescio cur Auctor secundum temporis ordinem, qui in literis edendis omnino necessarius est, non digesserit: sed eius rei causas se habuisse dicit.

Ex eodem, ibid. Epist. 26.

INter recentes, qui multa egregie scripserunt, nemo mea sententia Erasmum præcessit, siue iudicium, siue eruditionem, siue eloquentiam spectes, quem non verear cum quouis antiquorum conferre: qui si tota vita cum Theologis quibusdam & Monachis conflictatus non fuisset, meliora etiam quam edidit, orbi communicare potuisset; & si tam mordax, aut in quibusdam tuendis tam pertinax non fuisset, nihil in eo viro, illa ætas, quod desideraret, habuisset.

E DANIELIS GEORG. MORHOFFII

Polyhist. pag. 282. 283.

ERASMI Epiſtolis nihil eſt ſuauius, & acutius. Latinitas in illis non mala, non quidem talis, quam ad imitandum aliquis proponere ſibi debeat (hic enim antiqui Scriptores omne ferant punctum) ſed natiui, extemporalis, & interdum aliquem ex rebus colorem trahens, quod accidit interdum Scriptoribus doctiſſimis, Grotio, Salmaſio ac aliis. Illi enim autores prout res ſunt, quas tractant, prout in Autores ſcribunt, a quorum lectione recentiores diſcedunt, ſtylum ſuum formare ſolent. - - - - Vaſtum hoc opus eſt variarum eius Epiſtolarum, non quidem omnium; nam multæ etiamnum ineditæ ſunt & earum multæ manuſcriptæ in Bibliotheca Gudiana aſſeruantur. Ipſe Eraſmus Lib. 27. Epiſt. 42. non diffitetur, multas ſibi eſſe epiſtolas ex tempore ſcriptas & dictatas, quarum nullum ille exemplum ſeruauerat, doletque multas ex illis in vulgus emanaſſe. Cornucopiæ merito dixeris variarum rerum. Continentur in illo libro arcana ſtatus Ciuilis, Eccleſiaſtici, literarii illorum temporum, faceta nonnunquam & iocoſa, vt ipſe fuit ingenio mire feſtiuo, e. g. cum morem oſculandi in Britannia deſcribit, Lib. 5. epiſt. 10. & iurgium

gium ancillæ cum hera, lib. 5. epist. 6. Editio Epistolarum illarum Frobeniana editione Londinensi & cæteris longe melior est & correctior: multis enim mendis hæc postrema scatet, quamquam aliqua parte locupletior. Index huic operi subiectus vtilissimus est. Lites in Theologorum palæstris cum ventilatas & quicquid in illarum historiam pertinet, illic deprehendes. Quanquam Erasmus se medium semper gesserit, studium tamen partium non raro deprehendes. Magna fuit eius viri veneratio, & merito quidem, ingenium excellens, vastum, diffusum, fœcundum, acre, promptum, ad omnia paratum, in decus & miraculum Seculi natum. Triumphare duobus his ciuibus Batauia potest, Erasmo & Grotio, quibus pares postea secula non facile datura sunt.

Ex eodem, ibid. p. 252.

ERASMVS Roterodamus primus fuit inter Adagiorum Collectores, quod opus ipsi suo tempore profecto fuit difficillimum: Nam credo illum plus labori, operæque huic Scripto impendisse, quam multis aliis. Liticulam illi aliquando mouit Cœlius Rhodiginus, quasi surripuerit sibi aliqua circa Adagia meditata; sed non habet, quo iactet se Rhodiginus, quod guttula vna vel altera hunc fontem auxerit: paucula enim sunt, quæ in opere ipsius Antiquarum

Le-

Lectionum habentur de quibusdam adagiis, Etiam Verdicerius nugacissimus ille veterum & recentiorum censor, pag. 158. vngues suos in hoc opere figit, cui similem ille ne paginam quidem scribere poterat. Multæ sunt operis eius editiones. Frobeniana est emendatissima. Edidit & Henricus Stephani e typographeo suo. Noua editio omnium est corruptissima licet cæteris locupletior: nam adiecti sunt Erasmi Chiliadibus Cognati, Iunii, & aliorum auctorum Adagia. Liber est, quo nemo carere potest Latinæ linguæ paululum studiosior. Sufficere tamen tyroni Epitome eius potest, & in Germania & Amstelodami nitidior edita. In qua præterea laudandum est, quod Adagia suis sub titulis ponantur, quod non fit in magno opere, vbi Index supplet locorum communium titulos.

IOH. IAC. HOFMANNVS.

Tom. II. Lexici, p. 45. a. b.

DESIDERIUS ERASMUS, ROTERODAMUS, a solo natali: Varro sui seculi & Cicero Germaniæ, Iouio: Alterum orbis iubar, maximumque rei literariæ decus, Gifanio: Ingeniosus veterum scriptorum censor,

for, Lud. Viu. Vir vbique magnus aliis dicitur. Contra inter Latinos aliquando Germanus, Giraldo de Poët. sui temporis, videtur. Hales vero notis in Chryf. ad Hebr. acumen & certitudinem eius cenfuræ, quam in Latinis præftitit, in Græcis defiderat. In religionis negotio his Defiderium, illis Erafmum effe noluiffe, queritur Iac. Verheid. Imo Eduard. Leigh, Res & verba, inquit, Philippus, Res fine verbis Lutherus, verba fine re Erafmus: In quo iudiciorum æftu, quid de Viro, omnium fuffragiis maximo, fentiendum, vt ipfe noris, adi ipfiusmet Defiderii huius fcripta.



COLLO-



COLLOQVIA ERASMI

cum

CASTIGATIONIBVS & NOTIS

ad modum

IOHANNIS MINELLII

& variorum.

IN PRIMO CONGRESSV.



NOn temere [1] docet quidam [2] vt salutemus libenter. Comis [3] enim & blanda [4] salutatio sæpe conciliat [5] amicitiam, inimicitiam diluit [6]: certe mutuam [7] beneuolentiam alit [8] augetque. Quidam vsque adeo Demeæ [9] sunt, ingenioque agresti [10], vt vix salutati [11] resalutent.

Nonnullis hoc vitii [12] conciliauit educatio verius [13], quam natura. Vr-

1 Sine causa, frustra. 2 Cato nimirum, quem putant Distichorum Autorem. 3 Humana. 4 suauis. 5 parat, fert. 6 pellit, abigit, tollit. 7 reciprocam, inter se. 8 nutrit, conseruat, sustentat. 9 morosi, difficiles, austeri. 10 rudi, rustico. 11 si fuerint salutati. 12 Quibusdam vitium illud. 13 potius, magis; non tam educatio.

Vrbanitatis[14] est salutare obuios, aut eos, qui nos adeunt[15], aut quos adimus ipsi colloquendi gratia[16]. Item operis aliquid agentes, cœnantes, oscitantes, singultientes, sternutantes, tussientes[17].

In ructu crepituue ventris salutare[18] hominis est plus satis[19] vrbani.

Sed inciuilius etiam eum salutare, qui reddit vrinam[20], aut aluum exonerat[21].

Salue Pater, salue Matercula, salue mi frater, salue Præceptor obseruande[22], salue multum mi Patrue, salue dulcissime[23] nepos.

Vrbanum est addere cognationis aut affinitatis titulum, nisi cum habent aliquid odii[24]; tum enim præstat abuti minus quidem propriis, sed plausibilioribus[25]: veluti cum nouercam salutamus matrem; priuignum, filium; vitricum, patrem; sororis maritum, fratrem; fratris vxorem, soro-

---

14 Ciuilitatis opus, negotium. i. e. Vrbanum est. 15 ad nos veniunt. 16 ad quos imus, vt colloquamur sc. invicem, daß man mit einander spreche/ rede; sich zu besprechen / zu unterreden. 17 qui opus aliquod agunt, cœnant, oscitant, singultiunt schlucken; sternutant; tussiunt. 18 si quis ructum crepitumue ventris emiserit. Wenn einer einen Rültz oder sonst einen gehen läst. 19 nimium, allzu/ gar zu/ überflüßig/ aus der maassen/ über aus. 20 das Wasser abschlagen/ harnen. 21 seine Nothdurfft verrichten/ einen sedem haben / zu Stuhle seyn. 22 honorande, æstimande. 23 allerliebster / suauissime. Mein Hertzens-Enckel. 24 sunt aliqua ex parte odiosi. Sie haben was verhaßtes/ unangenehmes bey sich. 25 non adeo conuenientibus, qui non adeo ad eos pertinent, magis tamen ipsis placent. Die ihnen zwar so eigentlich nicht gehören / die sie aber gleichwohl lieber hören/ die ihnen besser gefallen/ zu denen sie besser Lust haben.

sororem[26]. Idem in ætatis aut officiorum titulis faciendum: gratius enim fuerit, si senem patrem, aut virum eximium[27] salutes[28], quam ætatis cognomine; etiamsi[29] olim honoris causa dicebatur, ὦ γέρων. Salue præfecte, salue tribune; non autem: salue caligarie, aut calcearie[30].

Salue adolescens, salue iuuenis. Senes ignotos adolescentes filiorum cognomento salutant; adolescentes vicissim illos Patres aut Dominos.

Blandior salutatio inter amantes[1].

Salue mea Cornelia, mea vita, mea lux, meum delicium, meum suauium, mel meum, mea voluptas vnica, meum corculum, mea spes, meum solatium, meum decus.

Honoris gratia, aut secus.[2]

Salue here. Ohe, salue tu quoque bone vir. Salue

26 Die Stieff-Mutter redet man nicht Frau Stieff-Mutter/ sondern Frau Mutter an; den Stieff-Sohn nicht Herr Stieff-Sohn/ sondern Herr Sohn; der Schwester Mann heist lieber Herr Bruder/ als Herr Schwager; des Bruders Weib/ Frau Schwester/ als Frau Schwägerin ꝛc. 27 Mein Herr/ alter Vater/ wackerer Mann. 28 compelles, appelles, dicas, alloquaris. 29 Wiewohl/ wenn auch schon. 30 Nicht: GOtt grüß euch Herr Schuster!

1 Wie Verliebte einander zu caressiren pflegen: GOtt grüsse sie/ meine Cornelia, mein Leben/ mein Licht/ mein Vergnügen/ Ergötzen/ mein süsses Kind/ mein Zucker-Mündchen/ meine eintzige Lust/ mein Hertzchen/ Hertze/ meine Hoffnung/ mein Trost/ mein Verlangen/ meine Zierde. 2 Wie man einander ehret oder schmähet. Ehren- oder Schelt-Titul.

Salue vir ornatissime, clarissime. Salue etiam atque etiam[3] literarum decus. Salue plurimum amicorum optime. Salue mi Mœcenas. Salue Patrone singularis. Salue vir spectatissime. Salue vnicum huius ætatis ornamentum. Salue Germaniæ delicium. Saluete quotquot estis, vna salute omnes[4]. Saluete pariter omnes. Saluete belli homunculi[5]. Salue congerro lepidissime. Salue vini pernicies[6]. *Resp.* Salue & tu gurges, helluoque placentarum[7]. Salue multum virtutis omnis Antistes. *Resp.* Salue tantundem totius probitatis exemplar.

Salue anicula annos nata quindecim. *Resp.* Salue puella annorum octoginta[8].

Bene sit tibi cum tuo caluitio[9]. *Resp.* Bene tibi cum lacero naso[10]. Vt salutaris[11], ita resalutaberis; si male dixeris peius audies.

Salue iterum atque iterum. *Resp.* Et tu salue perpetuum. Salue plus millies[12]. *Resp.* Equidem malim saluere semel[13]. Salue quantum vis

3 multoties, iterum atque iterum; vielfältig. 4 GOtt grüß euch alle mit einander / einen wie den andern; alle zusammen. 5 Ihr seyd mir liebe Leutchen. 6 Du Wein-Amsel. 7 Du Kuchen-fresser. 8 Guten Tag altes Mütterchen von funffzehn Jahren. Wieder so viel! Blutjunges Mägdchen von achtzig Jahren. 9 Glück zu Kahl-Kopff. 10 Glück zu zerrißne und beschmißne Nase. 11 i.e. salutaueris. Wie einer grüßt / so wird ihm gedanckt. Wie man in Pusch schallt / so schallt es wieder heraus. 12 Ellips. quam. Mehr als tausendmahl / viel tausendmahl. 13 Ich will lieber mit einem Grusse zu frieden seyn. Vel: Ich habe genung / wenn ich einmahl wohl daran bin. Saluere enim duplici significatu gaudet; primo est salutandi formula aduentantium; secundo idem est ac saluum esse, sanum esse. Ludit ergo ambiguitate termini.

vis[14]. *Resp.* Et tu quantum mereris[15]. Salue-re te iubeo. *Resp.* Quid si nolim? Equidem ægrotare malim, quam tua salute saluere[16].

Salua sit tua { Sanctitas. Amplitudo. Celsitudo. Maiestas. Beatitudo. Sublimitas. } magis vulgo recepta sunt, quam probata doctis.

In tertia Persona.

Sapidus Erasmo suo salutem dicit. Sapidus Beatum suum plurima salute impertit[17].

Alia forma.

Saluus sis Crito. Bene tibi sit, vir optime[18]. *Resp.* Et tibi melius! *pax tibi frater*, Christiana salutatio est, à Iudæis profecta, neque tamen repudianda. Similis est: Bona vita[19]!

Aue Præceptor. *Resp.* Equidem malim habere, quam auere[20].

Χαῖρε[21]. *Resp.* Memento te Basileæ esse, non

14 Es gehe dir nach Wuntsche/ so wohl/ als du selber wilt. 15 Und dir nach Verdienste! Es gehe dir so wohl/ als du es werth bist. 16 valere, recuperare sanitatem, conualescere. 17 plurimam salutem impertit Beato suo. 18 Glück zu/ mein Herr! Es müsse ihm wohl gehen! 19 Er lebe wohl! wie gehts/ ist das Leben noch frisch interrogat. 20 i. e. cupere, appetere, desiderare, inhiare. Lusus est ex Æquiuocatione vocis *auere*, & collatione Verbi *habere*, h. enim non est litera, b. autem quibusdam aspirate vt bh. pronunciatur. 21 Gaude! Ich wüntsche viel Freude! GOtt gebe viel Freude!

non Athenis. *Resp.* Cur tu igitur audes Romane loqui, quum Romæ non sis [22]?

Bene precandi Formulæ.

Et bene precari, salutationis genus est. (†)

Grauidæ [23].

Faxit Deus, vt feliciter parias; vt maritum pulchra prole facias parentem [24]. Faxit illa Virgo mater, vt feliciter fias mater. Precor, vt hic tumor vteri feliciter subsidat [25]. Velint superi, vt non maiore molestia elabatur, quam illapsum est, quicquid est hoc oneris, quod gestas [26]. Donet tibi Deus felix puerperium [27].

Conuiuis.

Sit felix conuiuium. Bene sit vniuerso cœtui. Precor

22 Est arguta retorsio & responsio κατ' ἄνθρωπον, qua suo quasi gladio alter alterutrum iugulat. Facit huc versiculus: Turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum. (†) Es ist auch ein Gruß/ wenn man gutes wünschet. Es ist eine Art von Grussen/ gute Wüntsche thun. 23 Vterum gestanti. Einer Schwangeren können diese Wüntsche gethan werden. 24 Nititur Prædicamento Relationis hæc formula, cum Relata sint simul, nec prius quis incipiat esse parens, quam susceperit ex fœmina filium aut filiam; sicuti nec quis maritus mas est, nisi duxerit vxorem seu maritam. Gebe GOtt! daß sie ihren Liebsten durch ein angenehmes Kind erfreue. Gebe GOtt! daß ihr Ehe-Herr bald ein hocherfreuter Vater werde. 25 Hic Papizat, & Mariæ tribuit, quod solius Dei est. Subsidat autem idem est ac: subtus cadat. Daß sich sc. die Leibesfrucht glücklich sencke! 26 Verleihe der Dreyeinige GOtt/ daß es mit der Geburth so leichte zugehe/ als mit der Empfängniß ihrer Leibes-Bürde! 27 GOtt schencke ihr glückliche Sechs-Wochen! Er lasse es ihr im Kind-Bette glücklich gehen!

Precor omnia læta vobis omnibus. Deus bene fortunet vestrum conuiuium [28].

Sternutanti.

Sit faustum ac felix. Seruet te Deus [29]. Sit salutiferum. Bene vertat Deus [30].

Auspicanti quippiam.

Sit felix & faustum rei publ. [31] Bono sit omnibus, quod instituis. Bene vertat, quod agis [32]. Bene fortunet Deus tuos labores. Faueant superi tuis conatibus. Quæso, vt, quod instituisti, superis bene fortunantibus feliciter absoluas. Bene fortunet Christus opt. max. quod in manibus est [33]. Feliciter cedat, quod instituisti. Feliciter exeat, quod aggressus es. Rem sanctam aggressus es, precor, vt felix sit exitus, ac prosperum Numen aspi-

---

28 Glück zur Gasterey! Glück zu ihr Herren Gäste insgesamt. Ich wüntsche ihnen allen viel Freude und Frölichkeit. GOtt lasse ihnen bey diesem Gastmahl wohl seyn. 29 Germanus dicit: GOtt helff! helff ihm GOtt! GOtt lasse ihn leben! Obs recht sey bey denen Niesenden dergleichen Gruß abzulegen / davon handelt d'Espagne im Schibboleth p. 149. seqq. weitläufftig. M. Christianus Köberus de Sternutatione Cap. II. & III. & M. Godofredus Birnbaum Disputat. post. §. 21. 30 GOtt lasse es ihm wohlbekommen! Prosit! 31 Es gereiche zum gemeinen Besten/ zur allgemeinen Wohlfahrt. Vergat in emolumentum rei publ. ciuitatis. 32 sc. Deus; aut Passiue explicandum est Verbum: vertat pro vertatur; siue reciproce per Ellipsin Pronominis Se, cuiusmodi Exempla Verborum plurima collegit M. Elias Major in libro de Varianda Oratione C. II. Sect. VI. p. 314. sqq. Curt. Ira dehinc vertat (sc. se, i. e. vertatur) in rabiem. Sueton. in Aug. c. 23. si res publica in meliorem statum vertisset pro: se vertisset, i. e. conuersa fuisset. 33 Germanus dicit: *sub* manibus. Was du unter den Händen hast.

aſpiret pulcherrimis cœptis. CHRISTVS bene cœpta ſecundet. Proſpere ſuccedat, quod auſpicatus es. Deum opt. maximumque precor, vt iſtud conſilium, quam eſt honeſtum, tam ſit & felix[34]. Bonis auibus cœpta res, melioribus exeat[35].

Iter facienti.

Precor, vt bonis auibus Italiam adeas, melioribus redeas[36]. Opto tibi felicem curſum & recurſum feliciorem[37]. Faxit Deus, vt itinere hoc feliciter peracto breui tibi proſperum reditum gratulemur. Contingat tibi feliciter & nauigare & renauigare. Sit iter lætum, reditus lætior. Vtinam iſta profectio tibi ſuccedat ex animi tui ſententia. Vtinam tibi tam iucunda ſit iſta profectio, quam nobis erit interim moleſtum tui deſiderium[38]. Bonis auſpiciis[39] ſoluas ancoram. Precor, vt ex vtriusque votis ſuccedat hoc iter.

Con-

34 Eſt elegans transpoſitio particularum: tam, quam. Vide de eleganti Vocum Ordinatione Chriſtoph. Arnoldi Ornatum Linguæ Lat. c. II. reg. 40. 35 Modus loquendi Ethnicus ab Auguribus, qui ex auium volatu, paſtu & cantu futura prædixerunt. 36 Arnoldus de Permutat. Verbi c. IV. Ornatus adeundi verbum ad locum vulgare habet, pro quo elegantius vſurpari poſſe credit quod modum a loco ſignificat, vt ſi Eraſmus dixiſſet: Italiam abeas, pro adeas. Venuſta eſt per gradus comparationis ſicuti quædam Gradatio coniuncta cum Homœoteleuto Compoſitorum ex Eo, adeas, redeas. 37 Obſeruanda hic expolitio, quæ ordine mutato dicitur: *felicem* curſum, recurſum *feliciorem.* (Vide Arnoldum l. cit. c. V. reg. 33.) qualis non recurrit in verbis: Sit iter *lætum*, reditus *lætior*. 38 i. e. quo te deſiderabimus. 39 Bona fortuna, cum gratia Numinis, Deo adſpirante.

Contractui.

Precor, vt hic contractus commodo bonoque sit vtrisque. Precor, vt hoc matrimonium voluptati sit omnibus nobis.

Promiscua precandi formulæ.

Sospitet de Iesus opt. max. Superi propitii te nobis incolumem restituant. Seruet te Deus animæ dimidium meæ [40]. Opto tibi reditum incolumem.

Precor, vt hic annus tibi lætis auspiciis ineat, lætioribus procedat, lætissimis exeat, ac sæpius recurrat semper felicior [41]. *Resp.* At ego vicissim tibi multa secula felicissima precor, ne tu gratis [42] sis nobis bene precatus.

Precor, vt hic dies tibi candidus illuxerit. Precor, vt hic Sol tibi felix surrexerit. *Resp.* Tantundem tibi reprecor. Sit felix exortus huius diei & sit vtrique nostrum prosperrimus.

Opto tibi noctem prosperam, Pater. Precor tibi noctem placidam. Contingat tibi felix somnus. Det Deus placidam quietem. Det somnum absque somniis. Faxit Deus, vt aut placide dormias, aut feliciter somnies. Sit tibi fausta nox. *Resp.* At ego tibi, quando gaudere soles lucro [43], pro vna fausta mille precor faustissimas.

Vale.

---

40 pro: animæ meæ dimidium. 41 Gradatio. 42 umsonst/ sine mercede, præmio, compensatione. 43 si amas quæstum, wenn du gerne Profit hast/ wenn du gerne viel zum Besten hast. Respicit autem formulam Germanorum: Ich wünsche dir eine gute Nacht! in qua indefinite, non numerice, capienda est vocula eine. Subinnuit autem vsum Adiectiui numerandi: Vnus, a, um, circa quem non raro cespitant linguæ tirones.

Vale, in Digreſſu [44].

Valete omnes. Bene vale. Cura, vt quam re-ctiſſime valeas. Valetudinem tuam cura diligenter. Iubeo te bene valere. Iam me tempus alio vocat; tu valebis. Valeto quam optime. Vale pancratice [45], aut ſi mauis, athletice [46]. Vale vt dignus es. Vale vt meritus. In hoc biduum valebis. Si me dimittis, valebis in craſtinum. Num quid vis? Eſt aliud, quod me velis [47]? *Reſp.* Nihil, niſi vt proſpere valeas. Da operam, vt ſis proſpera valetudine. Age curam valetudinis tuæ. Habe curam ſalutis tuæ. Fac, vt proximo congreſ-ſu te lætum ac nitidum [48] videamus. Iubeo te curare cuticulam [49]. Cura, vt ſit mens ſana in corpore ſano. Da operam, vt totus valeas, tum corpore, tum animo. *Reſp.* Dabitur quidem ope-ra. Valebis tu quoque. Tibi viciſſim precor proſperam valetudinem.

Salutare per alium [50].

Frobenium iubebis meo nomine ſaluere plurimum. Eraſmiolum item mea cauſa ſalutabis diligenter. Tuæ matri Gerdruti, quam potes, offi-cio-

44 Diſceſſu, Abitu. Beym Abſchiede/ Fortgehen. 45 firmiter, firma valetudine. Geſund und ſtarck. 46 fortiter, wacker/ tapffer. 47 cupis ſ. cupias. Iſt noch etwas / darinne du mich nöthig haſt / das ich dir ſoll. ſc. facere? 48 ſäuberlich / nicht greulich/ bey guter Leibes-Conſtitution. 49 Warte deines Leibes/ thue dir gutes / laß dir wohl ſeyn / bequeme dich / pflege deiner Haut / per Synechdoch. Partis pro Toto. 50 Wie man einen ſoll grüſſen laſſen.

ciosissime ex me salutem dicito. Dic, me omnibus [51] omnia læta precari. Salutabis mihi sodalitatem [52] diligenter. Amicos omnes meis verbis salutato. Vxori salutem ex me annunciabis. Fratri tuo in literis tuis meo nomine salutem adscribes. Mei vice salutabis affinem meum. Num quid tuis mandas per me? *Resp.* Vt recte valeant. Est ne quod velis ad tuos perferri me nuncio [53]? *Resp.* Multam salutem omnibus, sed præcipue Patri. Sunt [54], quos per me tuo nomine velis salutatos? *Resp.* Omnes, qui de me percontabuntur [55]. Salutem, quam mihi ab aliis attulisti, ab amicis pertulisti, illis multo cum fœnore referes [56]. Quorum nomine mihi salutem attulisti, hos omneis [57] mea gratia vicissim salutabis accurate [58]. In amicis salutandis sis quæso mihi vicarius [59]. Salutassem generum meum per literas, sed tu mihi apud illum epistolæ vice fueris. Heus heus, quo properas? *Resp.* Recta [60] Louanium. Resiste [61] paulisper, est quod tibi mandem. *Resp.* Atque pediti non conuenit sarcina. Quid rei est? *Resp.* Vt Goclenium, Rutgerum, Ioannem Campensem, totumque chorum trilinguem [62] mihi salutes. *Resp.* Si nihil aliud

---

51 Polyptoton. Fig. Rhetor. 52 Societatem, consortium, sodales. Die Cameradschafft / die Cameraden / die Compagnie. 53 internuncio, per me nuncium, me nunciante. 54 sc. aliqui. 55 sciscitabuntur, disquirent. 56 Enallage Futuri pro Imperat. aut Coniunct. 57 per Epenthesin antiqua scriptione pro: omnes. 58 sorgfältig / fleissig. 59 vertritt meine Stelle/ perage meas vices. 60 sc. via. 61 Regredere. Komm ein wenig wieder zurücke/ vel: Siste. Bleib stehen. Consiste. 62 trium linguarum callentem.

aliud, quam salutes, præter salutes, sarcinæ imponis, facile perferam. Atqui ne gratis isthuc facias, precor, vt tibi quoque eunti ac redeunti salus sit comes.

Reducem[63] *quomodo salutare oporteat.*

Saluum te aduenire gaudemus. Sospitem adesse volupe est. Te nobis redditum esse voluptati est. Gratulamur tibi felicem reditum. Gratia superis, quod nobis[64] incolumis redieris. Quo molestius fuit nobis tui desiderium, hoc reditus conspectus tui iucundior est[65]. Gratulamur & tibi & nobis, quod viuus ac valens nobis restitutus sis. Hoc reditus tuus est nobis iucundior, quo minus expectatus. *Resp.* Ego vicissim lætor, quod incolumis vos incolumes offenderim. Quod te saluum repererim, vehementer gaudeo. Non viderer mihi redisse saluus, nisi vos saluos reperissem. Nunc demum mihi videor sospes, cum vos incolumes ac pulchre valentes conspicio.

Percontandi forma in primo Congressu[1].

GEORGIVS. LIVINVS.

Ge. EX qua tandem[2] corte aut cauea nobis ades?

Li.

---

63 Reuersum ex itinere, wie man einen bewillkommen müsse/ der von der Reise wieder heim/ zurücke/ kömmt. 64 i. e. ad nos, in vsum nostrum. Est Dat. commodi. Uns zum Besten. 65 Quanto, tanto; wie viel/ so viel. it. Je/ desto. Se beschwerlich/ so angenehm.

1 Alloquio, Conuentu. Bey der ersten Zusammenkunfft/ Anrede/ bey dem ersten Anblicke. 2 cohorte, i. e. loco parietibus cincto ad custodiam gallinarum, columbarum &c. Aus welchem Tauben-Hause/ Hühner-Hause/ Neste/ Meyerhofe.

Li. Quid ita[3]? *Ge.* Quia male ſaginatus. Quia macie pelluces totus, ariditate crepitas[4]. Vnde prodis? *Li.* E collegio Montis acuti[5]. *Ge.* Ergo ades nobis onuſtus literis? *Li.* Imo pediculis. *Ge.* Pulchre comitatus aduenis. *Li.* Sane, nec tutum eſt nunc, viatorem ire incomitatum. *Ge.* Agnoſco ſodalitium ſcholaſticum. Ecquid nouarum rerum adfers è Lutetia? *Li.* Illud in primis, quod, ſcio[6], tibi videbitur incredibile: Lutetiæ Beta ſapit, & Quercus concionatur[7]. *Ge.* Quid tu narras? *Li.* Hoc quod audis. *Ge.* Quid ego audio? *Li.* Hoc quod narro. *Ge.* Monſtri ſimile. Oportet illic fungos & lapides eſſe auditores, vbi tales concionentur. *Li.* Atqui ſic res habet. Nec audita narro[8], ſed

3 ſc. loqueris. **Was redeſt du ſo? Wie ſo?** 4 **Die Sonne möchte dich durchſcheinen/du biſt klapper-dürre; du biſt dürre/ daß du klapperſt; du klapperſt/ ſo dürre und mager biſt du.** 5 **Spitz-Bergen.** 6 Certa quædam verba elegantius in ipſum orationis contextum inferuntur per modum interiectionum v. g. rogo, precor, quæſo, ſcio, ſpero, credo, reor &c. **welches dir/ wie ich weiß/ ſehr unglaublich ſcheinen wird; für: davon ich weiß/ daß es dir/** de quo ſcio, quod tibi illud &c. 7 Ludit ex nomine ***Bedæ*** magiſtri cuiusdam Pariſienſis, & *Querceti*; quale quid erat, cum Donellus *Cuiacium* in Prælectionibus ſuis ſolitus fuit *περιφράζειν*, *Homo neſcio cutas.* Beta enim per t. durum eſt herba inſipida & fatua. Et Betæ a Diogene appellabantur homines molles & cynædi. Contra clarum Bedæ nomen eſt, ad cuius conciones lapides clamaſſe Amen perhibentur. Sic Lactantio teſte, fuit, qui Cyprianum immutata vna litera Coprianum vocaret; lib. V. c. II. de Iuſtit. §. 27. 8 **Ich hab es nicht vom Hören ſagen/ ich hab es ſelber erfahren;** non ex relatione aliorum, ſed *αὐτοψίᾳ* & experientia, ex auditu hisce meis auribus adhibito in præſentia, habeo; non refero relata.

ſed comperta. *Ge.* Oportet igitur illic plurimum ſapere homines, ſi ſapit Beta & Quercus. *Li.* Recte coniectas.

Alia[1].

GEORGIVS. LIVINVS.

Ge. Valeſne? *Li.* Contemplare vultum. *G.* Quin[2] potius lotium iubes? An me putas Medicum? Non rogo, quid valeas, nam facies ipſa loquitur, te belle valere; ſed quomodo tibi placeas[3]. *L.* Corpus quidem belle habet, ſed animo male eſt. *G.* At non valet, qui iſthac parte laborat. *L.* Sic res habent meæ. Corpus valet, ſed ægrotat crumena. *G.* Facile iſti morbo medebitur mater. Vt valuiſti vſque[4]? *L.* Varie, vt ſunt res mortalium. *G.* Satin'[5] recte vales? Saluane res? Satin' ſaluæ res? Fuiſtine ſemper proſpera valetudine? *L.* Proſperrima, gratia ſuperis. Ego Dei beneficio perpetuo belliſſime valui. Semper proſpera valetudine ſum vſus. Hactenus bona valetudine fui, fauſta, incolumi, felici, proſpera, ſecunda, integra, baſilica, athletica, pancratica valetudine. *G.* Faxint ſuperi, vt iſthuc[6] ſit perpetuum ac proprium. Lætus iſthuc audio. Voluptatem mihi nuncias. Eſt iſthuc mihi auditu perquam iucundum. Sermonem iſtum ex te audire ſupra modum gaudeo. Iſthuc

1 ſc. Percontandi forma, ratio. 2 Quid non, Cur non, Quomodo non, quaſi ex ***qui non*** per Craſin. 3 quam te (cum) ſis contentus, quam tibi tua arrideat valetudo; tua ſors. 4 vſque huc, huc vſque, hactenus, tenus hac. 5 Satisne per Apocopen in fine dictionis, propter Affectum dicentis. 6 iſtud per alternationem literarum vicinarum (c.) (d.)

huc haud inuitus audio. Oppido [7] lætor isthuc audire ex te. Vt idem semper facias opto. Vt ad istum modum quam diutissime valeas, opto. Tibi gratulor, mihi gaudeo. Gratia superis. Gratiam habeo superis. *L.* Equidem pulchre valeo, si tu vales. *G.* Nihil interim molestiæ fuit? *L.* Nihil, nisi quod vestra consuetudine frui non licuit. *G.* Quo pacto vales? *L.* Recte, pulchre, belle, perbelle, bellissime, perpulchre, feliciter, commode, minime male. Valeo vt volo potius, quam vt mereor; basilice [8], pancratice, athletice. *G.* Expectabam vt diceres etiam, taurice [9].

Male valere.

G. Rectene vales? *L.* Vellem quidem. Non admodum ex sententia. Equidem vtcunque [1] valeo. Sic satis. Valeo vt possum, quando vt volo non licet. Vt soleo. Ita vt superis visum est. Non optime, sane. Sic, vt ante hac peius nunquam [2]. Valeo, vt solitus sum. Valeo, vt solent, quibus cum Medicis res est. *G.* Vt vales? *L.* Secus quam

7 Vehementer, valde, multum, perquam, maxime, maximopere. **Das ist mir lieb / erfreut / zu vernehmen; ich erfreue mich sehr / daß ich das von dir höre.** ex pro a, vel abs te. 8 regie, **herrlich/ königlich/ köstlich/ vortrefflich/ wie ein Riese/ wie ein Hirsch.** 9 **Ich wartete immer / ich hörete immer / wenn du sagen würdest / wie ein Rind / Ochse / Vieh oder Roß.** Videtur perstringere eos, qui inusitatis & longius accersitis Tropis illis vtuntur: Pancratice, athletice.

1 Quadantenus, aliqua ex parte, quodammodo, **so hin/ etlicher maassen.** 2 **Schlimmer als jemahls.**

quam vellem. G. Qua valetudine es? L. Haud ſane commoda, incommoda, perquam incommoda, infelici, parum proſpera, parum ſecunda, mala, aduerſa, infauſta, imbecilli, dubia, mediocri, vix mediocri; longe alia, quam vellem; tolerabili, qualem optem hoſtibus meis [3]. G. Rem mihi ſane quam acerbam narras. Prohibeant ſuperi. Auertat Deus. Bona verba [4]. Hic cupiam te vanum [5] eſſe. Bono ſis animo oportet. Forti infractoque ſis animo. Multum iuuat animus in re mala bonus. Fulciendus eſt animus ſpe fortunæ ſecundioris. Quid morbi eſt? Quod mali genus eſt? Quis te morbus habet? Quo morbo teneris? Quid habes morbi? Quis te tenet morbus? L. Neſcio, & hoc laboro periculoſius. G. Verum [6]. Nam ad ſanitatem gradus eſt, nouiſſe morbum. Nullosne conſuluiſti Medicos. L. Et quidem permultos [7]. G. Quid reſpondent? L. Id quod aduocati Demiphoni apud Comicum; alius negat, alius ait [8], alius deliberandum cenſet. In hoc conſentiunt omnes, me miſerum eſſe. G. Quam pridem [9] habet te hoc mali [10]? Diu eſt, quod teneris iſto morbo? Quantum temporis eſt, quod te malum hoc corripuit? L. Dies plus minus [11] viginti. Ferme menſis eſt. Iam tertius eſt menſis. Mihi

---

3 Chriſtiane magis Germanus: Ich wolt es meinem ärgſten Feinde nicht gönnen / keinem Hunde gönnen. 4 Ey rede beſſer! Was redeſt du? Was bringſt du zu Marckte? 5 mendacem. 6 ſc. eſt. 7 conſului. 8 affirmat. 9 quamdiu? a quo tempore? 10 per Hypallagen für: habes tu hoc mali. 11 circiter, mehr oder weniger / ohngefehr / eher mehr als weniger.

Mihi quidem ſeculum videtur, quod ægrotare cœpi. *G.* Adnitendum cenſeo ne morbus fiat familiaris[12]. *L.* Iam nimium aſſueuit. *G.* Num eſt hydrops[13]? *L.* Negant. *G.* Num dyſenteria[14]? *L.* Non arbitror. *G.* Num febris? *L.* Opinor febris ſpeciem, ſed nouam, vt nunc noui ſubinde morbi exoriuntur ante hac incogniti. *G.* At plus ſatis erat veterum[15]. *L.* Ita viſum eſt naturæ nimium nouercæ[16]. *G.* Quoto die recurrit dolor? *L.* Quoto

12 quotidianus, vetus, inueteratus; ne radices agat. Daß ſie nicht einwurtzele / daß ſie nicht bey dir hauſe und herberge; daß ſie nicht eingewohne / daß ſie ſich nicht allzugemein mit dir mache. 13 die Waſſerſucht. 14 die rothe Ruhr. 15 Es war an den alten überley genug. 16 Pertinet hæc Phraſis ad ſtyli Ethniciſmum; & benigna potius natura mater eſt, quam iniuſta nouerca, ſeu naturam ſubintelligas naturantem ſeu naturatam. Profecta autem eſſe videtur illa ex Plinio Hiſt. nat. Scriptore: Ante omnia, inquiente, natura nouerca vnum hominem animantium cunctorum alienis velat opibus; cæteris varia tegumenta tribuit, teſtas, cortices, coria, ſpinas &c. Hominem tantum nudum & in nuda humo natali die abiicit. Eſt autem nouercari, annotante Cellario inter voces nullius aut obſcuræ auctoritatis, idem ſignificans ac: nouercæ more agere, aduerſari. Vide Anti-Barbarum p. 70. Non ſatis eſt æſtimare, Plinius lib. VII. Hiſt. nat. 7. inquit, parens melior homini natura an triſtior nouerca fuerit. Sed merito Heidfeldius in Sphinge Cap. VII. de Terra, naturam rerum parentem optimam, artem nouercam appellat, cum eorum tantum mater ſit, quæ ex ſe genuit, eorum autem, quæ terræ implantantur, nouerca. Et in Corollariis p. m. 980. Dardanarios ex terra tam iuſta matre nouercam facere obſeruat. Si autem natura mater eſſe deſinat, non primæ creationi, ſed lapſui hominum eſt imputandum, quorum valetudo, ſi perſtitiſſent in innocentia, nullis omnino herbis lædi potuiſſet. Idem valet de

to…ie narras, imo quotidie: ſæpius quam Euripus[17]. *G.* Papæ[18]! malum abominandum. Vnde contraxiſti morbum? Vnde ſuſpicaris hoc eſſe collectum mali? *L.* Ex inedia. *G.* At non ſoles vſque adeo ſuperſtitioſus eſſe, vt te ieiunio maceres[19]. *L.* Non erat religio, ſed inopia. *G.* Quænam? *L.* Quia non dabatur cibus. *G.* E frigore natum arbitror. E putribus ouis morbum ortum ſuſpicor. *L.* E vino plus ſatis[20] diluto. E crudis malis contracta eſt ſtomachi cruditas. *G.* Vide ne ex immodico aut intempeſtiuo ſtudio conciliaris† hoc mali, aut ex potatione largiore, aut Venere parum moderata[21]. Quin accerſis Medicum? *L.* Timeo ne citius morbum augeat, quam adimat. Metuo ne pro remedio det venenum. *G.* Deligendus eſt igitur, cui tuto fidas. *L.* Si moriendum eſt, malo ſemel mori, quam tot pharmacis excarnificatus. *G.* Fac igitur, vt ipſe tibi ſis Medicus. Si diffidis homini

---

Beſtiis. Quotquot ergo ſumus naturæ ſiue naturantis, ſiue naturatæ, h. e. terræ cœlique ſeu rerum vniuerſitatis alumni, ſtatuamus & ſinamus eam eſſe fœcundiſſimam matrem, quæ recte a Poëtis Pandora, quaſi omnia largiens & παντρόφος vocatur; vt monet laudatus Heidfeldius p. 988. quæſt. Quomodo nos terram matrem conſiderare & complecti decet? Et nonne tribus ornauit Natura hominem præſidiis? ingenio ad inuentionem neceſſariorum, ſermone ad auxilium, manibus ad perfectionem omnium eorum, quæ vel ingenio excogitaſſet vel ſermone ab aliis didiciſſet. Cardanus lib. 2. de Subtil. 17 fluxus & refluxus maris, Ebbe und Fluth/ Meer-Strudel. 18 Vah! Hem! Ey das iſt abſcheulich. 19 torqueas, affligas. 20 i. e. aqua permiſto, mit Waſſer angemengt/ verdünnt / durchſchlickert. † conciliaveris, accerſiueris, 21 i. e. immodica, unmäßig.

mini Medico, precor, vt sit tibi Medici vice Deus! Sunt, qui tecti[22] cuculla Dominicali aut Franciscana revaluerunt. *L.* Idem fortassis euenisset, si lenonis pallio tecti fuissent. Verum ista diffidenti nihil conducunt. *G.* Fide igitur, vt reuiuiscas. Alii morbo leuati sunt[23], nuncupatis alicui diuo votis. *L.* At ego cum diuis non paciscor[24]. *G.* Proinde tu vel a Christo, cui fidis[25], pete sanitatis beneficium. *L.* At ego, an beneficium sit, nescio. *G.* An non beneficium est, liberari morbo? *L.* Nonnunquam mori felicius est. Ab illo nihil peto, nisi vt, quod scit optimum esse, mihi largiatur. *G.* Sume quod aluum deiiciat[26]. *L.* Iam sua sponte cita est. *G.* Ciendus est aluus. Mouendus est aluus. *L.* Imo sistendus est magis; nam plus satis profluit.

Alia.

G. Fuitne tibi hoc iter faustum & commodum? *L.* Sic satis: nisi quod nihil vsquam[1] tutum est a latronibus. *G.* Hic est belli ludus[2]. *L.* Est, sed sceleratissimus. *G.* [3]Pedes aduenis, an eques? *L.* Partim pedestri itinere, partim vehiculo, partim equo, partim nauigio. *G.* Quo in statu sunt res Gallicæ?[4] *L.* Sane turbulento. Magnæ bellorum minæ sunt[5]. Quid mali allaturi sint hostibus, nescio: certe Galli iam ipsi non dicendis

22 induti, vestiti. 23 liberati sunt. 24 transigo, pactum ineo, contraho. 25 in quo confidis. 26 laxet, purget, euacuet, cieat, moueat, amolliat, recludat, aperiat.

1 Nusquam, nullibi. 2 Der Krieg treibts nicht anders/im Kriege gehts so her. 3 An. 4 Quæ facies est rerum Gallicarum? quis status? quomodo comparatum est cum rebus Gallicis? 5 Bella magna mala minantur.

dis[6] malis affliguntur. *G.* Vnde proficiſcuntur iſti bellorum tumultus? *L.* Vnde, niſi ex ambitione Monarcharum*? *G.* At horum prudentia conueniebat[7] ſedari rerum humanarum tempeſtates. *L.* Sedant illi quidem, ſed ut Auſter mare. Perſuadent ſibi[8], ſe deos eſſe, ſuaque cauſa[9] mundum hunc eſſe conditum[10]. *G.* Imo Princeps Reipublicæ gratia conſtituitur, non Reſpublica Principis cauſa. *L.* Imo non deſunt Theologi qui frigidam* ſuffundant[11], & ad hos tumultus claſſicum canant[12]. *G.* Iſtos ego ſtatuerem in prima acie[13]. *L.* At illi ſibi cauent poſt principia*[14]. *G.* Iſta publica fatis curanda relinquamus[15]. Tuæ res quo tandem in ſtatu ſunt? *L.* Optimo, felici, mediocri, tolerabili. *G.* Quo pacto ſe res habent tuæ? num ex voto? *L.* Imo ſupra[16] votum, ſupra meritum, ſupra ſpem. *G.* Satin' ex ſententia? Satin' ſalua omnia[17]? Satisne proſpera omnia? *L.* Res in peiore ſtatu eſſe non poteſt. Peiore in loco negotium non poteſt eſſe. *G.* Non cepiſti igitur quod captabas[18]? Non contigit præda quam venabaris? *L.* Venabar equidem, ſed irata Delia[19]. *G.* Nihil reliquum eſt ſpei? *L.* Spei permul-

---

6 ineffabilibus, inenarrabilibus. * Monarchæ, penes quos ſolos ſumma rerum eſt. 7 debebant. 8 Imaginantur. 9 ſui gratia, propter ſe. 10 creatum. * Id eſt, clanculum incitent. Vide Proverb. 11 ſc. aquam, die Oel ins Feuer gieſſen. 12 Lermen blaſen. 13 an die Spitze / vorn an. * hoc eſt, in tuto. 14 Hinten an. Sie ſehen ſich wohl für / daß ſie nicht zu nahe kommen. 15 Prouidentiæ Dei relinquamus. 16 Beſſer als ichs wünſche / verdiene / hoffe. 17 ſc. ſunt. 18 Schnappen. 19 Diana, i. e. infeliciter. Ohne Succeſs.

multum, ſed rei [20] nihil. *G.* Epiſcopus nihil oſtendit ſpei? *L.* Tota plauſtra [21], totasque ſpei naues, ſed præterea nihil. *G.* Nihil adhuc miſit? *L.* Promiſit quidem largiter, at ne teruncium* quidem miſit [22]. *G.* Ergo ſpe alendus [23] eſt animus. *L.* Sed hac non ſaginatur venter. Qui ſpe aluntur, pendent, non viuunt. *G.* Attamen hoc eras ad iter expeditior, quod nihil eſſet oneris in zona*. *L.* Fateor; atque etiam tutior. Nulla enim ſunt arma certiora aduerſus latrones. Sed ego malim & onus, & periculum. *G.* Nihil ne tibi ademptum eſt in via? *L.* Mihine [25]? Quæſo quid eripias nudo*? Aliis citius periculum erat a me. Licuit mihi vacuo* viatori per totum iter canere [26] & eſurire. Num quid vis? *G.* Quo nunc hinc abis? *L.* Recta [27] domum, ſalutaturus penates [28] iamdiu non viſos. *G.* Precor, vt illic offendas omnia læta. *L.* Vtinam ita velint ſuperi. Nihil interim extitit [29] noui domi noſtræ? *G.* Nihil, niſi quod reperies auctam familiam. Nam tua *Catulla** peperit tibi *Catulum* abſenti. Tua galli-

20 eſt Paronomaſia, viel Hoffnung/ wenig Erfüllung/ per Homœoteleuton. 21 Ita Græci, ὅλας ἁμάξας, viel Fuder. * quem Plinius Triuncem vocat, nummulus eſt, in vilitatis Prouerbium verſus. Eſt quarta pars aſſis. 22 eſt Paregmenon. 23 ſuſtentandus, cibandus. * crumena, marſupio. In zona milites geſtabant pecuniam. 25 aliquid ereptum, ademptum ſit? * Prouerb. Nudior Leberide. * Alluſum eſt vulgato Iuuenalis: Cantabit vacuus coram latrone viator. 26 ſtipitem pulſare. 27 ſc. via, gerades Weges. 28 domeſticos meos. 29 accidit, contigit, geſtum, actum eſt. * Iocus eſt in Paronomaſia.

gallina peperit tibi ouum. *L.* Bene nuncias. Grata nuncias. At ego tibi pro isthoc nuncio polliceor euangelium *. *G.* Quodnam? secundum Matthæum? *L.* Non; sed secundum Homerum. En, accipe. *G.* Tibi serua tuum euangelium: mihi saxorum satis est domi. *L.* Ne sperne munusculum. Aëtites * est, qui grauidis admotus in nixu maturat [30] partum. *G.* Quid ais? Est mihi sane gratissimum. Dispiciam vnde possim hoc donum pensare [31]. *L* Abunde pensatum puta, si boni consulueris. *G.* Imo nihil accidere potuit magis in tempore: nam vxori meæ iampridem tumet vterus [32]. *L.* Illud igitur abs te stipulabor *, vt si masculum ediderit [33], me susceptorem [34] asciscas.

* locus est ex ambiguo. Nam Evangelium dicitur munus, quod datur rem lætam nuncianti. Bothen-Brodt / Trinck-Geld / Recompens. * Adlerstein. 30 subleuat, promouet, facilitat. 31 remunerari, sarcire. 32 grauida est, vterum gestat vxor mea. * Stipulatur qui promissum accipit. Nam paciscitur & qui promittit, & cui promittitur. 33 enixa fuerit, pepererit, 34 patrinum. Patrinos ab Episcopo Romano Hygino, Sec. II. anno circiter 50. institutos fuisse, Historiæ Ecclesiasticæ monumenta produnt. Decretum recitat Gratianus de Consecrat. dist. 4. c. 99. Meminit eiusdem Tertullianus l. de corona milit. Conf. Polyd. Vergilius lib. IV. de Inuent. rerum c. 4. Occasionem præbuerunt ritui, obseruante Balduino, Parentes, qui ex Gentilismo ad Christianam religionem recens conuersi fuerant, qui vel ob ignorantiam non potuerunt, vel ob incuriam noluerunt infantes suos in verâ fide Christianorum educare. Ideo alii, qui melioris essent iudicii, in partes parentum vocati sunt, vt non tantum de Baptismo testarentur infantis, sed & curam educationis in pietate & vera fide vna cum parentibus susciperent; dicti hinc Compatres, Compatrini, Susceptores.

ſcas. *G.* Polliceor, ac tuum indetur [35] puero nomen. *L.* Quod vtrisque bene vertat. *G.* Imo nobis omnibus.

Perſonæ.

MAVRITIVS. CYPRIANVS.

Ma. Rediſti nobis obeſior ſolito. Rediſti procerior. *Cy.* At equidem mallem prudentior, aut doctior. *M.* Imberbis abieras, rediſti barbatulus. Contraxiſti tibi abſens nonnihil ſenii. Quid ſibi vult hic pallor? quid macies? quid frons caperata [1]? *C.* Vt eſt fortuna, ſic eſt corporis habitus. *M.* Num aduerſa? *C.* Nunquam mihi quidem alias ſecunda [2], ſed nunquam, quam nunc, reflauit * odioſius. *M.* Doleo vicem tuam. Dolet mihi tua calamitas [3]. Sed quid iſthuc mali eſt? *C.* Vniuerſæ pecuniæ naufragium feci*. *M.* In mari

35 imponetur, nuncupabitur, ſtatuetur. Ioh. Andreas in Gloſſa ad Decretum Innocentii III. dicit vxorem ſuam Milanciam dixiſſe, quod ſi pulchra nomina venderentur, caro ea eſſe emenda pretio; referente Chaſſanæo in Catal. Glor. Mundi P. XI. Conſiderat. 23. p. m. 716. Celeberrimum Iure Conſultum Weſenbecium accepimus vndecim filiorum Patrem, quorum vnicuique Apoſtoli alicuius nomen fuerit inditum, deficiente nonniſi duodecimo. Confer Sagittarii Quæſt. illuſtr. Philoſoph. Dec. III. quæſt. 10. Piccarti Obſeruat. Hiſt. Polit. Dec. XI. c. VI. & Dec. XIV. c. 10. Pontus Thiardeus annos natus octoginta librum de impoſitione nominum publicauit. Teiſſer. P. II. Eloge. p. 363.

1 In rugas contracta, contorta, rugoſa, aſpera. 2 benigna, fauens, proſpera, fauſta fuit. * Metaphora ab aduerſis ventis. 3 Es iſt mir leyd um dich; ich beklage dich/ deinen Zuſtand/ habe Mitleiden mit dir; es jammert mich deiner. Miſeret me tui. * Id eſt, iacturam feci. Allegoria.

mari? *C.* Non, ſed in littore, nondum nauem ingreſſus. *M.* Vbinam? *C.* In littore Britannico. *M.* Bene habet quod ipſe nobis viuus enataſti. Præſtat pecuniæ iacturam facere, quam vitæ. Leuius eſt pecuniæ diſpendium, quam famæ. *C.* Vita famaque incolumi, periit pecunia. *M.* VITA SARCIRI[4] NVLLO PACTO POTEST, FAMA ÆGRE POTEST, PECVNIA FACILE ALICVNDE SARCIETVR. Qui malum hoc accidit? *C.* Neſcio, niſi quod ſic erat in fatis meis. Sic viſum eſt ſuperis. Sic libuit genio meo malo[5]. *M.* Vides igitur DOCTRINAM AC VIRTVTEM TVTISSIMAS ESSE DIVITIAS, QVÆ NEC ERIPI POSSVNT, NEC GRAVANT CIRCVMFERENTEM[6]. *C.* Pulchre tu quidem philoſopharis, ſed interim ego ringor*.

Alia. Perſonæ.

CLAVDIVS. BALBVS.

Cl. Gratulor tibi reduci[1], Balbe. *Ba.* Et ego tibi ſuperſtiti, Claudi. *C.* Gratulor tibi in patriam reuerſo. *B.* Imo gratulare magis e Gallia profugo. *C.* Quid ita? *B.* Quia illic bellis feruent* omnia.

---

4 reſtitui in integrum, inſtaurari, reſarciri, reddi, redintegrari. Loquitur autem non de abſoluta & ſimplici impoſſibilitate, ſed de ἀδυναμίᾳ humanarum virium. Zach. VIII, 6. Luc. I, 37. Matth. XIX, 26. 5 Græci ἀλάστορα nuncupant. Duos autem genios nocentem & iuuantem priſci ædibus tribuebant. 6 Μόνη κτημάτων ἡ σοφία ἀθάνατον· Μόνη χρημάτων ἡ ἀρετὴ ἀναφέρεται; vt Græcus perhibet. * diſcrurior animo, patior, premor, angor.

1 Ex itinere reuerſo, reducto; de itinere confecto. * Metaphora ab aquis ſumta.

omnia. C. Quid Musis cum Marte[2]? B. Atqui illic ne Musis quidem parcitur. C. Tu igitur feliciter elapsus es[3]. B. At non sine periculo. C. Totus alius nobis redisti. B. Qui sic? C. Ex Hollando versus es in Gallum. B. Quid? an capus eram * quum hinc abirem? C. Vestis indicat te mutatum ex Batauo in Gallum. B. Hanc metamorphosin * malim, quam in gallinam. Sed VT CVCVLLA * NON FACIT MONACHVM, ITA NEC VESTIS GALLVM. C. Iam ne calles Gallice? B. Sic satis. C. Quo pacto didicisti? B. Magistris haudquaquam mutis *. C. Quibus? B. Mulierculis, quouis turture loquacioribus[4]. C. In tali ludo[5] facile discimus loqui. Sonasne probe sermonem Gallicum[6]? B. Imo & Latinum sono[7] Gallice. C. Nunquam igitur scribes bona carmina *. B. Cur ita? C. Quia periit tibi syllabarum quantitas. B. Mihi satis est qualitas. C. Quid? estne Lutetia immunis a pestilentia? B. Non est, sed perpetua non est: aliquando remittit sese, mox recrudescit; nonnunquam intermittitur, deinde

2 scil. rei est? Was hat der Krieg mit denen Gelehrten/ die Gelehrten mit dem Kriege/ die Musen/ die freyen Künste mit dem Marte zu thun. 3 euasisti. * Iocus est ex ambigua voce gallus. * Transformatio. * Prouerbium vulgi. * Prouerb. id est, libri. 4 Gr. τρυγόνος λαλίστερος. Notissima Metaphora in garrulos. Vulgo dicitur: Pica loquacior; i. e. loquacissimus, verwaschen/ verplappert/ verplaudert/ schwatzhafftig wie ein Agelaster. 5 schola, Phrontisterio. 6 Pronuncias ne rite Gallorum more? multum refert quo quis sono Vocabula Gallica inter loquendum protulerit. 7 clango, enuncio. * Allusit ad hoc, quod vulgus Gallorum perperam pronunciat accentus.

deinde recipit ſeſe. *C.* Non ſat erat malorum vbi bellum eſt? *B.* Erat, niſi ſecus eſſet viſum ſuperis. *C.* Annonæ caritatem iſtic eſſe oportet. *B.* Imo penuriam. Omnium rerum illic inopia eſt præterquam ſceleratorum militum. Bonorum virorum illic eſt mira vilitas. *C.* Quid accidit Gallis, vt bellum ſuſcipiant cum Aquila[8]? *B.* Quia mouet illos exemplum ſcarabæi[9], qui non ceſſit aquilæ. IN BELLO NEMO SIBI NON VIDETVR HERCVLES[10]. *C.* Non te remorabor diutius. Alias[11] latius nugabimur, quum erit vtrique commodum. Nunc alio[12] me vocant negotiola* quædam.

Domeſtica Confabulatio. Perſonæ.

PETRVS, MIDA puer, IODOCVS.

Pe. HEus heus puer; nemon' huc prodit? *Mi.* Hic, opinor, effringet[1] fores. Familiarem oportet eſſe. O lepidum caput! Quid adfers, mi Petre? *P.* Me ipſum. *M.* Næ tu rem haud magni precii huc attuliſti. *P.* Atqui magno conſtiti Patri meo. *M.* Credo pluris, quam reuendi poſſis.

---

8 Imperatore. Aquila per Metonymiam ſigni pro ſignato Cæſar dicitur. 9 Scarabæus aquilam quærit, inuadit. Prouerb. cum imbecillior atque impotentior inſidias ſtruit inimico longe potentiori. Eine Mücke wieder einen Elephanten/ ein Roß-Käfer wieder den Adler. 10 fortiſſimus, ſtrenuus Heros. Im Kriege ſind wir alle tapffere/ ſtattliche Helden. 11 alio tempore. 12 aliorſum, in alium locum. * Ταπείνωσις arrogantiæ vitandæ cauſa.

1 Effringere fores Germanus reddit: die Thüre einſchlagen/ Pulſando frangere, deſtruere.

poſſis [2]. *P.* Cæterum Iodocus eſtne domi? *M.* Incertus ſum; ſed viſam. *P.* Quin tu potius abi, & roga ipſum an velit nunc eſſe domi. *M.* Abi tu potius, ſisque tibi ipſi Mercurius [3]. *P.* Heus Iodoce, num es domi? *Io.* Non ſum. *P.* Impudens, non ego audio te loquentem? *I.* Imo tu impudentior. Nuper ancillæ tuæ credidi, te non eſſe domi, & tu non credis mihi ipſi? *P.* Æquum dicis, par pari relatum [4]. *I.* Equidem vt non omnibus dormio, ita non omnibus ſum domi [5]. Tibi poſthac ſemper ero. *P.* Sed tu mihi videre [6], cochleæ vitam agere [7]. *I.* Qui ſic? *P.* Quia

2 **Theurer / als man dich wieder verkauffen / loß werden / wieder an den Mann solte bringen können.** 3 nuncius & interpres. 4 Alluſum eſt ad id, quod Cicero refert de Ennio & Naſica, lib. III. de Oratore. Naſica cum ad Poëtam Ennium veniſſet, eique ab oſtio quærenti Ennium, ancilla dixiſſet, domi non eſſe: Naſica ſenſit, illam domini iuſſu dixiſſe & illum intus eſſe. Paucis poſt diebus cum ad Naſicam veniſſet Ennius & eum a ianua quæreret, exclamat Naſica, ſe domi non eſſe; tum Ennius: Quid? ego non cognoſco vocem, inquit, tuam? Hic Naſica: Homo es impudens; ego cum te quærerem, ancillæ tuæ credidi, te domi non eſſe, tu mihi non credis ipſi? 5 Cicero in Epiſtolis lib. VII. ſignificat, vetus illud Prouerbium eſſe: non omnibus dormio; ſuum vero & nouum: non omnibus ſeruio. Merula prius illud translatum putat a maritis, qui vxores quæſtus cauſa mœchis proſtituunt, qui ſomnum adſimulant, vt adultero concedant; de quibus Iuuenalis: doctus & ad calicem vigilanti ſtertere naſo. Sic Galba Mæcenatem conuiuio excipiens animaduertit amore illum vxoris captum. Dimiſit ergo ſenſim caput, perinde ac ſi dormiret. Famulo interim vinum clam ſurripienti continuo acclamat: Neſciebas ne me ſoli Mæcenati dormire? 6 videris. 7 ſolitarium. **Eingezogen leben / wie eine Schnecke.**

Quia perpetuo domi latitas, nec vsquam prorepis. Non secus * atque claudus sutor, iugiter domi desides. Tu tibi domi situm contrahis. *I.* Est quod agam * domi; foris nihil est negotii. Et, si quid esset, tamen hoc cœlum me dies aliquot a publico cohibuisset. *P.* At nunc sudum est, & inuitat ad deambulandum. Vide vt blanditur. *I.* Si prodeambulare lubet, non recuso. *P.* Plane videtur hoc vtendum cœlo. *I.* Asciscendus est vnus aut alter congerro. *P.* Fiet, modo dicas quos velis. *I.* Quid, si Hugonem? *P.* Haud multum interest inter Hugonem & nugonem. *I.* Age, placet. *P.* Quid si Alardum? *I.* Homo minime mutus est. Quod auribus diminutum est, lingua pensat. *P.* Si videtur, Neuium adiungemus. *I.* Si quidem dabitur illius *copia*, nunquam erit fabularum *inopia* [8]. Placent confabulones, superest vt locum dispicias amœnum. *P.* Ego vero tibi locum ostendam, vbi nec nemoris vmbram, nec pratorum smaragdinum virorem, nec fontium viuas scatebras desiderabis. Dices dignam Musis sedem. *I.* Magnifice polliceris. *P.* Nimium affixus es libris. Nimium assides libris. Immodico studio te ipsum maceras. *I.* Malim studio macrescere, quam amore. *P.* AT NON IDEO VIVIMVS, VT STVDEAMVS: SED IDEO STVDEMVS, VT SVAVITER VIVAMVS [9]. *I.* Mihi

* Plautinum est. * Allusum est ad carmen Homeri:

Οἴκοι βέλτερον εἶναι, ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφι.

8 Elegans & sponte subnata Paronomasia & Homœoteleuton. 9 Antimetabole inuertit verba, verborumque contextum, aliumque sensum educit.

hi vero vel immori chartis dulce est[10]. *P.* Equidem immorari probo, immori[11] non probo. Ecquid voluptati fuit hæc deambulatio? *I.* Me quidem vehementer oblectauit.

Alia. Personæ.

ÆGIDIVS. LEONARDVS.

Æg. Quo noster Leonardus[1]? *Le.* Ad te ibam. *Æ.* Istud quidem facis insolens[2]. *L.* Quam ob rem? *Æ.* Quia iam annus est, quod nos non inuiseris. *L.* Malo in hanc peccare partem, vt desideres, quam vt obtundam[3]. *Æ.* Imo boni amici nulla est apud me satietas. Imo quo crebrius venies, hoc mihi venies gratior. *L.* Quid interim agitur domi tuæ? *Æ.* Multa sane quæ nolim. *L.* Non miror. Sed iam ne peperit vxor? *Æ.* Iamdudum, & quidem gemellos. *L.* Quid ego audio? *Æ.* Sic res habet, atque illi iam denuo tumet vterus. *L.* Isthoc pacto solet augeri familia. *Æ.* Sed vtinam fortuna sic augeret pecuniam, vt vxor familiam. *L.* Iamne elocasti filiam? *Æ.* Nondum. *L.* Vide ne parum tutum sit virginem tam grandem detinere domi[4]. Quærendus est gener aliquis. *Æ.* Nihil opus. Iam proci complures illam ambiunt sponsam. *L.* Quid igitur superest, nisi vt e multis deligas, qui tibi maxime sit accom-

10 per Hyperbolen, pertinaciter & anxiſſime inhærere, adhærere, affixum esse, operam dare libris, codicibus, scriptis eruditis. 11 est Paradiastole cum Antitheto.

1 sc. vadit, properat. 2 præter consuetudinem, morem. 3 molestiam & fastidium mei pariam. 4 iuxta monitum Sirac. VII, 27.

commodus? *Æ.* Omnes eiusmodi sunt, **vt** nesciam quem cui [5] præferam: sed abhorret **a** nuptiis filia. *L.* Quid ais? Atqui, ni fallor, **iam**dudum nubilis est. Iamdudum est apta **viro**, matura coniugio. Iampridem est tempestiua **vi**ro. *Æ.* Quidni, annum egressa iam decimum septimum? Annum iam agens vndeuigesimum? Annos nata decem & octo? *L.* Cur abhorret igitur a matrimonio? *Æ.* Ait, se velle Christo nubere. *L.* Sane multas habet ille sponsas. An **malo** genio nupsit, quæ caste viuit cum marito? *Æ.* Mihi quidem non videtur. *L.* Quis Deus [6] hunc affectum afflauit [7] filiæ? *Æ.* Nescio, sed abduci ab hoc proposito nullis rationibus potest. *L.* Vide ne sint incantatores, qui instigent & allectent, *Æ.* Noui ego istos plagiarios*. Sedulo arceo **hoc** hominum genus ab ædibus meis. *L.* Quid igitur est in animo [8]? Morem geres animo puellæ? *Æ.* Equidem obluctabor [9] quoad licebit. Nihil non experiar, quo mutem illius sententiam. Quod si pertendet [10], vt cœpit, non pugnabo cum illius animo, ne forte videar θεομαχεῖν*, vel potius μοναχομαχεῖν*. *L.* Religiose tu quidem loque-

5 alteri. 6 Genius, welcher Tod / Hencker / Geyer. 7 indidit, inspirauit. * Plagium furti genus vnde plagiarii dicuntur, qui abducunt aliena mancipia aut liberos etiam. 8 Quæ mens animi est? quod propositum animo insidet? Was hast du vor einen Vorsatz / was wirst du thun / was ist deine Resolution, was hast du willens / im Sinne? 9 obnitar, obsistam, contraibo, in diuersum, contrarium ibo. 10 perget, continuabit, perdurabit, perseuerabit, persistet. * Id est, cum deis pugnare. * Id est, cum monachis pugnare.

loqueris: ſed etiam atque etiam fac explores [11] virginis conſtantiam, ne poſt facti pœniteat, cum mutare non erit integrum [12]. *Æ.* Equidem adnitar [13] pro mea virili. *L.* Quid rerum gerunt filii? *Æ.* Natu maximus iamdudum maritus eſt, breui pater futurus [14]. Minimum [15] ablegaui [16] Lutetiam: nam hic nihil aliud [17] quam ludebat. *L.* Quid eo [18]? *Æ.* Vt Magiſter nobis redeat ſtultior, quam exierat. *L.* Bona verba [19]. *Æ.* Medius iam cœpit initiari ſacris [20]. *L.* Precor vt bene vertat [21] omnibus.

Alia. Perſonæ.

MOPSVS. DROMO.

Mo. Quid fit? Quid agitur, Dromo? *Dr.* Sedetur. *M.* Video. Sed quomodo ſe res habent tuæ? *D.* Vt ſolent iis [1], quibus ſuperi ſunt parum propitii [2]. *M.* Iſthuc ominis auertat Deus [3]. Quid agis? *D.* Equidem ocium ago. Id quod vides, nimi-

Alluſum eſt autem ad vocem μονομαχεῖν, quod eſt, ſingulari certamine congredi. 11 Iterum atque iterum, ſedulo atque diligenter explora, perueſtiga, ſcrutare. Eſt Periphraſis verbi per Imperatiuum: fac. 12 liberum, in tua poteſtate, arbitrii tui. 13 conabor, ſtudebo, in id incumbam. 14 Expreſſio petita eſt ex Prædicamento Relationis; maritus quippe non eſt, niſi qui habet vxorem, pater non eſt, niſi qui filium aut filiam. 15 natu. 16 miſi, remoui ex oculis. 17 ſc. agebat. 18 iſtorſum ablegaſti? 19 **Sachte! ſachte! rede anders! bey leibe nicht!** Eſt Charientiſmus. 20 ſacris imbui, auſpicari ſacra. 21 cedat, ſit, eueniat.

1 ſcil. ſe habere. 2 quibus Deus parum eſt propitius. **Die einen ungnädigen GOtt im Himmel haben.** 3 **Da ſey GOtt vor! ſo böſe wollen wir nicht** ominiren; **das wollen wir nicht hoffen.**

nimirum nihil. *M.* Præſtat otioſum eſſe, quam nihil agere [4]. Ego te fortaſſis occupatum ſeriis negotiis interpello. *D.* Imo maxime vacuum. Iam enim me cœperat ocii tædium, & congerronem deſiderabam. *M.* Fortaſſis impedio *, interrumpo, interturbo tua negocia. *D.* Imo tædium ocii [5] diſcutis [6]. *M.* Da veniam ſi te parum in tempore interpellaui. *D.* Imo ipſo in tempore aduenis. Opportune te huc attuliſti. Optatus ades. Interuentus tuus eſt mihi vehementer gratus. *M.* Fortaſſis aliquid ſeriæ rei inter vos agitur, cui nolim eſſe impedimento. *D.* Imo lupus, quod aiunt, ades in fabula [7]: nam de te ſermo erat. *M.* Facile crediderim: nam mihi huc venienti mire tinniebat auris *. *D.* Vtra? *M.* Læua: vnde coniicio, nihil magnifice de me fuiſſe prædicatum. *D.* Imo nihil non honorificum. *M.* Vanum igitur fuerit oportet. Sed quid eſt bonæ rei? *D.* Aiunt te venatorem eſſe factum. *M.* Imo iam intra caſſes

---

4 Atilii facete dictum. Plinius lib. I. Epiſt. vlt. Et ſatius eſt omnino quieſcere, quam rebus nauci, nihili, inanibus, occupari. * Συνωνυμία. 5 Die langweilige Zeit. 6 diuerberas, propellis. 7 Wenn man des Wolffes gedenckt/ so kömmt er. Prou. cum interuenit, de quo mentionem iniecimus. Næuianæ fabulæ cum id agerent, quemadmodum Romulus & Remus a lupa eſſent nutriti; repente verum lupum actioni interueniſſe dicunt. Inde natum Adagium. Alex. ab Alexandro Genial. Dierum lib. V. c. 15. ſcribit: Cum inter loquendum medio affatu is ſuperuenit, de quo ſermo fit, lupum in fabula, qui minime nos loqui ſinat, eſſe dixerunt. Nam fere conſtat, quem prior lupus viderit, proloqui nequiſſe. * Vulgo dicunt, cum aures tinniunt, de ſe verba fieri.

casses * meos est præda quam venebar. *D.* Quænam? *M.* Lepida [8] puella, quam perendie ducturus sum: vosque oro vt meas nuptias vestra præsentia dignemini honestare [9]. *D.* Quænam est sponsa? *M.* Aloisia Chremetis filia. *D.* Egregium spectatorem formarum [10]! Tuis oculis adlubuit illa [11], nigro capillitio, simis [12] naribus, ore prælargo [13], ventre prominulo [14]? *M.* Desinite. Mihi eam duxi, non vobis. Non sat est, quod suo Regi pulchra est Regina [15]? Ita demum mihi illa placebit, si vobis non admodum placeat.

Alia.

SYRVS. GETA.

Sy. Opto tibi multam felicitatem. *Ge.* Et ego tibi conduplicatum opto, quicquid optas mihi. *S.* Quid agis rei? *G.* Confabulor. *S.* Quid? confabulare [1] solus? *G.* Vt vides. *S.* Fortasse tecum. Pro-

---

* Allusum est Ouidiano isti: Incidit in casses præda petita meos. 8 bella, formosa. **Ein feines/ hüpsches/ artiges.** 9 condecorare, ornare. 10 pulchritudinum, i. e. formosarum, pulchrarum. Loquitur per Asteismum irrisorie. **Ein trefflicher Kenner/ was schön ist.** scil. 11 **Die hat deinen Augen gefallen/ angestanden?** quæ est. 12 depressis, **gepfetscht/ breit-gequetzscht/ gedruckt/ eingebogen.** 13 amplo, late diducto, magno. 14 aliquantum prominente, **etwas erhaben/ hoch/ hervorragend/ erhöhet.** 15 Suus cuique vxori maritus, sua quæque vxor marito. Procorum quisque certatim sponsam suam extollere conatur. Vnde Cicero ad Atticum: Suam cuique sponsam, mihi meam, suum cuique amorem, mihi meum. Cascus Cascam ducit. Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam: Quisquis amat ceruam, ceruam putat esse Mineruam.

1 Confabularis, colloqueris. Persona 2. in *re* mollius effertur, quam in *is* terminata.

Proinde tibi videndum, vt cum homine probo fabuleris. *G.* Imo cum lepidissimo congerrone confabulor. *S.* Quo? *G.* Apuleio. *S.* Istud quidem nunquam non facis. Sed amant* alterna Camoenæ. Tu perpetuo ſtudes. *G.* Non eſt vlla ſtudiorum ſatietas. *S.* Verum; ſed eſt tamen modus* quidam. NON OMITTENDA QVIDEM SVNT STVDIA, SED TAMEN INTERMITTENDA[2] NONNVNQVAM. NON ABIICIENDA SVNT, SED RELAXANDA. NIHIL SVAVE QVOD PERPETVVM. VOLVPTATES *COMMENDAT RARIOR VSVS. Tu nihil * aliud quam ſtudes. Perpetuo ſtudes. Continenter incumbis literis. Indeſinenter inhæres chartis. Studes noctes ac dies. Nunquam non ſtudes. Aſſiduus es in ſtudio. Iugiter intentus es libris. Nullum facis ſtudendi finem, neque modum. Nullam ſtudiis tuis requiem intermiſces. Nunquam ſtudendi laborem nec intermittis, nec remittis. *G.* Age, tuo more facis. Rides me* vt ſoles. Nunc ludis tu quidem me. Salſe me rides. Satyricum agis. Naſo me ſuſpendis adunco, Non me fallit tuum ſcomma. Nunc plane ioco mecum agis. Sum tibi riſui. Rideor abs te. Pro delectamento me habes. Nunc * me ludos deliciasque facis. Eadem,

---

*Hemiſtichium bucolicum. *Horatius: Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum. 2 Paradiaſtole diſcernit omittendi & intermittendi verba; item abiiciendi & laxandi. *Horatianum eſt. *Elegans συνωνυμία. *Obſerua copiam. *Si interponatur pronomen: *tu*, integer erit Pentameter.

Eadem opera aſſue mihi auriculas aſini[3]. Ipſi codices puluere ſituque obducti loquuntur, quam ſim immodicus in ſtudio. *S.* Emoriar, ni loquor ex animo. Diſperеam, ſi quid fingo. Ne viuam, ſi quid ſimulo. Loquor id quod ſentio. Quod res eſt dico. Serio loquor. Ex animo loquor. Non ſecus ſentio, quam loquor.

Cur non viſis?

G. Quid cauſæ eſt, quod tam diu nos non inuiſeris? Quid rei eſt, quod nos tam raro viſis? Quid accidit, quod tanto tempore nos non adieris[4]? Quare tam rarus es ſalutator[5]? Quid ſibi vult, quod nos tam diu non conueneris? Quid obſtitit, quo minus viſas nos frequentius? Quid impedimento fuit, quo minus iam diu feceris nobis tui videndi copiam[6]?

Non licuit per occupationes.

Sy. Non licuit per ocium[7]. Volui quidem, at non licuit mihi per mea negotia. Hactenus non ſinebant negotia, vt te viſerem. Non patiebantur vndæ negotiorum*, quibus inuoluebar, vt te ſalutarem. Occupatior fui, quam vt potuerim[8]. Tam variis diſtringebar curis, vt mihi non fuerit

3 Du wilſt mir eines auffhefften. So treuhertzig machſt du mich nicht/daß ich dies glaube. Berede mich was anders. 4 ad nos non ieris, veneris, acceſſeris, nos non conueneris. 5 Warum biſt du ſo ein ſeltſamer Gaſt? rara auis in terra hac? 6 facultatem, occaſionem, honorem. Daß du dich ſchon ſo lange nicht haſt ſehen laſſen. 7 Tempus defuit, defecit. * Vt vndæ curarum apud Catull. pro immenſis curis & negotiis. 8 præ occupationibus non potui. *Quam vt*, eleganter adhibentur præmiſſis Comparatiuis. Geſchäfftiger/ als daß/ i. e.

rit liberum adire te. Vix ipſi mihi fuit copia mei[9], ſic me totum moleſta quædam negotia poſſidebant[10]. Negotiis meis imputabis, non mihi. Non defuit voluntas, ſed vetuit neceſſitas. Hactenus non vacauit. Hactenus non contigit ocium. Hactenus non fuit vacuum. Non licuit per valetudinem. Non licuit per tempeſtatem. *G.* Equidem accipio tuam excuſationem, ſed hac lege, ne ſæpius vtaris. Excuſatio tua iuſtior eſt, quam vellem[11], ſi quidem valetudo fuit in cauſa. Hac lege mihi purgatus[12] eris, ſi[13], quod ceſſatum[14] eſt, officio ſarcias: ſi ſuperiorem[15] ceſſationem crebra viſitatione penſes. *S.* Tu nihil moraris[16] iſtiusmodi officia nimium vulgaria. Amicitia noſtra firmior eſt[17], quam vt ſit officiis iſtis vulgaribus alenda. Satis crebro viſit, qui conſtanter amat. *G.* Male ſit iſtis curis, quæ te nobis adimunt. Quid imprecer iſtis negociis, quæ talem amicum nobis inuident? Peſſime ſit iſti febri, quæ nos tam graui deſiderio torſit tui. Male pereat iſta febris, te quidem incolumi.

Man-

---

viel zu geſchäfftig/ daß ich. Sic. Du biſt viel zu klug/ daß du das glauben ſolteſt. *Sapientior* es, *quam vt* iſtis fidem adhibeas. 9 Ich bin meiner faſt ſelbſt nicht mächtig geweſen/ ich habe mich kaum zu laſſen gewuſt. 10 tenebant, conſtringebant. 11 gerechter/ als mir lieb iſt. 12 excuſatus. Iul. Cæſ. de Bello Gall. lib. 1. c. 28. His, quorum per fines iuerant, ſi ſibi purgati eſſe vellent, imperauit. 13 vt. 14 prætermiſſum, omiſſum. 15 antegreſſam, præteritam, priſtinam negligentiam, inopiam, raritatem. 16 penſi non habes. Du ſtöſſeſt dich / kehreſt dich an ſolche gemeine Freundſchaffts-Dienſtleiſtungen nicht; fragſt darnach nicht. 17 Iſt viel zu feſte/ beveſtiget/ daß pro: iſt beveſtiget / gewiſſer/ als daß ꝛc.

Mandandi ac pollicendi.

IACOBVS. SAPIDVS.

Ia. Quæso vt hæc res tibi cordi sit. Etiam atque etiam rogo vt hoc negotium tibi sit curæ. Hac in re velim vt totum Sapidum exeras[1]. Si me amas, causam hanc tractabis diligenter. Hac in re quæso vt aduigiles. Curabis hanc rem mea causa diligenter. Si vere is es, quem semper esse te mihi persuasi, fac vt sentiam hac in causa, quanti me facias. *Sa.* Desine, ego tibi hoc effectum reddam, & quidem propediem. Euentum præstare non possum[2]: illud polliceor, mihi nec fidem nec studium defuturum. Curabo diligentius, quam si mea res ageretur: quanquam[3] meam esse duco, quæ sit amici. Faciam vt in me quiduis desideres citius, quam fidem ac diligentiam. Tu fac in vtramque dormias aurem[4]: ego tibi hoc confectum dabo. Tu quietus esto, in me recipio prouinciam[5] omnem. Gaudeo mihi datam occasionem, qua declarem animum in te

1 Daß du sehen lassest/ was Sapius kan. Nomen proprium eleganter ponitur pro appellatiuo aut Pronomine: Velim vt totum *te*, omnes vires tuas, neruos quoscunque exhibeas, ostendas, adhibeas, intendas. 2 Vor den Ausgang kan ich nicht Bürge/ gut seyn. Ouid. Epist. 2. Her. 85. eleganter:

Exitus acta probat? careat successibus opto,

Quisquis ab euentu facta notanda putat.

3 Elegans Correctio schematica. 4 secure, sine curis. Sis animo tranquillo & vacuo, omni sollicitudine vaca. Plautus: de isthac re in oculum vtrumuis conquiescito. Du magst auf beyde Augen und Ohren fein sicher und geruhig/ unbesorgt/ ungehindert schlaffen; darffst dir kein grau Haar deswegen wachsen lassen. 5 officium, negotium omne, partes omnes, opus omne.

in te meum. Equidem oratione nihil polliceor, ſed re præſtabo, quidquid eſt amici ſinceri, & ex animo beneuolentis. Nolim te lactare vana ſpe. Illud efficiam, vt dicas hoc negotii mandatum amico.

Succeſſus.

Sa. Res ſucceſſit opinione melius [6]. Fortuna votis vtriusque fauit. Si fortuna tibi nupſiſſet [7], non potuiſſet eſſe obſequentior. Res tua & ventis *, & amne ſequundo proceſſit. Vicit etiam vota noſtra fortunæ fauentis afflatus. Opinor te litaſſe Rhamnuſiæ *, cui ſic ex ſententia cadunt omnia. Plus impetraui quam fuiſſem auſus optare. Ventis per omnia ſequundis hic curſus nobis peractus eſt. Res omnis cecidit ex ſententia. Pulchre nobis cecidit hæc alea [8]. Opinor volaſſe noctuam [9], adeo feliciter exiit nobis parum ſapienter inſtitutum.

Gratiarum actio.

Ia. Equidem & gratiam habeo, & habiturus ſum, quoad viuam, maximam. Pro iſto tuo in me

---

6 melius, quam opinati eramus. 7 Cui fortuna fauet, ſponſa petita manet. * Metaphora a nauigantibus. * Fortunæ cognomentum eſt a loco: quemadmodum dicimus Paphiam & Cypridem. Litat autem, non quisquis ſacrificat, ſed cuius ſacrum Deo placuit. 8 ſors iſta, luſus iſte. 9 Athenienſibus noctuæ volatus indicium victoriæ. Nec illepidus huius adagii vſus, quando non viribus, ſed pecunia, cui Athenienſes noctuam inſculpebant, negotium quoddam erat confectum. Male conſultis etiam felicem exitum credita eſt auis hæc Mineruæ largiri. Vlulæ ſeu Noctuæ laudes autore Curtio Jaële decantatas apud ipſum vide.

me officio pares agere gratias vix possum, referre nequaquam. Video quantum debeam tuo in me studio. Nihil miror: neque enim tu quicquam noui[10] fecisti, & hoc magis debeo. De isthoc tuo in me officio[11] amo te, mi Sapide, vt par est, maxime. Quod hac in causa præstiteris amicum minime aulicum*, & habetur a me gratia, & semper habebitur[12]. Quod meum negotium tibi cordi fuerit, amo te, & habeo gratiam. Isthoc officio gratiã inisti apud me maximam. Pergratum est, quod causam meam egeris bona fide[13]. Ex omnibus officiis, quæ tu plurima in me contulisti, hoc est longe gratissimum. Referre gratiam parem nequaquam possum: agere accuratius inter nos superuacaneum sit: quod vnum possum, habeo dum vixero[14]. Isthoc beneficio fateor tibi me magnopere deuinctum esse. Hoc nomine plus tibi debeo, quam vnquam soluendo esse queam. Hoc beneficio arctius me tibi deuinxisti[15], quam vt possim dissoluere*. Obligatiorem me tibi reddidisti, quam vt nomen meum e tuo diario* possim vnquam expungere. Hoc officio me sic tuum red-

---

10 insueti, insoliti, inusitati. 11 Propter isthoc tuum in me officium; istius tui in me officii causa. * Quia verbotenus amant: re ipsa nihil minus præstant, quam promissa. 12 *Habendi* verbum per Antanaclasin nunc in Præsenti nunc Futuro adhibetur. 13 fideliter. 14 Videtur hic subindicare differentiam superius indicatam, inter gratias agere, referre ac habere. Conf. Popma. Gratias *agimus* verbis, *habemus* animo & voluntate, *referimus* vel *reddimus* factis 15 obstrinxisti, obligasti. *Eleganter manet in Metaph. *Diarium, codicilli siue commentarioli rerum actarum in singulos dies.

reddidisti, vt nullum mancpium æque sit in rebus heri sui. Hac te me tibi deuinctiorem reddidisti, quam vt vnquam æs alienum possim resoluere. Plurimis nominibus tibi debeo, sed non alio plus quam hoc. Pro mediocribus beneficiis agendæ sunt gratiæ: hoc maius est, quam vt conueniat verbis gratias agere.

Responsio.

Sa. Aufer mihi ista. Maior est nostra necessitudo, quam vt vel tu mihi, vel ego tibi pro vllo officio debeam gratias agere. Non contuli hoc in te beneficium, sed retuli. Mihi quidem abunde relatam gratiam arbitror, si gratum est quod feci sedulo. Non est cur mihi gratias agas, si pro tot tuis in me beneficiis non vulgaribus hoc officioli rependi [16]. Equidem nihil laudis mereor: ingratissimus habendus, si defuissem amico. Quicquid est in rebus meis, quicquid mea cura præstari potest, hoc tam tuum esse ducito, quam id quod est maxime tuum. Videor mihi beneficium accepisse, quod nostrum officium boni consulis. Pro tantillo officio mihi tam accurate gratias agis, quasi non multo maiora tibi debeam. Sibi bene facit, qui bene facit amico. Qui bene meretur de amico, non dat beneficium, sed fœnerat [17]. Si ex animo probas officium in te meum, fac vtare [18] sæpius. Ita credam tibi gratum esse, quod feci, si quoties desiderabis operam meam, non roges, sed imperes quod voles.

Alia,

16 reposui. 17 lucratur, accipit. 18 vtere, fac vt vtaris.

Alia, in congreſſu.

ARNOLDVS. CORNELIVS.

Ar. Salue multum, Corneli, iam toto ſeculo deſiderate[1]. *Co.* Salue & tu, ſodalis exoptatiſſime. *A.* Iam deſperabamus reditum tuum[2]. Vbi tamdiu peregrinatus es? *C.* Apud inferos[3]. *A.* Non admodum veri diſſimile dicis, adeo nobis rediſti ſqualidus, macilentus, ac pallidus. *C.* Imo ab Hieroſolymis adſum[4] tibi, non a profundis manibus[5]. *A.* Quis Deus, aut quis ventus[6], te illuc adegit? *C.* Quæ res adigit alios innumeros? *A.* Stultitia[7], ni fallor. *C.* Igitur hoc conuicii[8] non in me ſolum competet[9]. *A.* Quid illic venabare[10]? *C.* Vt miſer eſſem. *A.* Iſthuc licebat domi[11]. Eſtne illic, quod tu putes ſpectatu dignum[12]? *C.* Vt ingenue fatear tibi, propemodum nihil. Oſtenduntur quædam monumenta vetuſtatis, quorum mihi nihil non videbatur commentitium, & excogitatum ad alliciendos ſimplices & credulos. Imo nec hoc arbitror illos certo ſcire, quo loco ſita fuerit olim Hieroſolyma. *A.* Quid igitur vidiſti? *C.* Magnam vbique barbariem[13]. *A.* Nihilo ſanctior redis? *C.* Imo multis partibus deterior. *A.* Nummatior ergo? *C.* Imo

1 Quem iam ſeculum deſideraui, nach dem mich ſchon ein Seculum verlanget hat. 2 de reditu tuo. An deiner Wiederkunfft. 3 mortuos. 4 veni. 5 ex ſepulchro. 6 Germ. Welcher Tod oder welcher Hencker? 7 ſc. eſt. 8 hæc exprobratio. 9 quadrabit, conueniet. 10 Was hatteſt du da zu ſuchen? was machteſt / ſchaffeteſt du da? 11 fieri. 12 eſſe. 13 Wildniß / Barbarey.

C. Imo nudior * Leberide [14]. *A.* An non pœnitet igitur tam longinquæ peregrinationis frustra susceptæ? *C.* Nec pudet, quia tam multos habeo stultitiæ meæ sodales: nec pœnitet, quia frustra iam sit pœnitere. *A.* Nihil ergo fructus refers e tam difficili peregrinatione? *C.* Multum. *A.* Quid tandem? *C.* Quia posthac viuam suauius [15]. *A.* An quia iucundum est meminisse laborum * actorum? *C.* Est isthuc quidem nonnihil, sed non in hoc sunt omnia [16]. *A.* Estne aliud præmium [17]? *C.* Est sane [18]. *A.* Quod? effare. *C.* Magna voluptate, quoties libebit, & ipse me afficiam, & alios [19], mentiendo, quoties itinerarium meum recitabo in conciliabulis [20] aut in conuiuiis. *A.* Profecto non tu procul aberras a scopo. *C.* Deinde non minus capiam voluptatis, quum alios audiam mentientes de rebus, quas nec audierunt vnquam, nec viderunt. Idque faciunt tanta confidentia, vt quum narrent Siculis gerris * vaniora, tamen sibi etiam persuadeant se vera loqui. *A.* Mira voluptas. Non omnino tibi periit oleum & opera *, quod aiunt. *C.* Imo hoc arbitror aliquanto consultius, quam quod faciunt isti, qui paullo pecuniæ conducti proficiscuntur in militiam

* Vide Chiliades. 14 Ich habe nicht / daß eine Hummel an mir nisten könnte / Blut-arm. 15 iucundius, tranquillius, annehmlicher / ruhiger. * Vide Prou. Acti labores. Nach gethaner / geschehener / vollbrachter Arbeit ist gut ruhen. 16 posita. Es bestehet. 17 tibi inde? habesne? 18 mihi inde; habeo. 19 recreabo multum. 20 in Gelachen. * Vide Chiliades, Ertz-Lügen. * Vide Chiliades. Der Teutsche sagt: Es ist Hopffen und Maltz verlohren oder verdorben.

tium, omnium scelerum scholam. *A.* Sed illiberalis [21] est voluptas, ex mendaciis voluptatem capere. *C.* Verum hoc aliquanto liberalius, quam obtrectatione vel delectare, vel delectari, aut alea tempus & rem perdere. *A.* Cogor equidem pedibus in tuam ire sententiam [22]. *C.* Verum est & alius fructus. *A.* Quid? *C.* Si quis erit amicus egregie carus, affinis huic insaniæ, eum admonebo, domi maneat: vt nautæ solent eiecti naufragio [23] monere nauigaturos, quid periculi sit vitandum. *A.* Vtinam mihi monitor adfuisses [24] in tempore! *C.* Quid? num similis morbus te quoque corripuit [25]? Num afflauit & te huius mali contagium [26]? *A.* Visi Romam & Compostellam [27]. *C.* Deum immortalem! quanto mihi solatio est [28], te contigisse [29] stultitiæ meæ socium! Quæ Pallas* isthuc tibi misit [30] in mentem? *A.* Non Pallas, sed ipsa Moria, præsertim cum domi haberem vxorem integra [31] adhuc ætate, liberos aliquot, & familiam, quæ pendebat [32] ex me, & opera mea quotidiana alitur. *C.* Oportuit fuisse seriæ rei [33] quippiam, quod te a carissimis

21 Unanständig / indecens. 22 ambabus amplecti tuam sententiam, tibi assentiri, adstipulari tuæ sententiæ. 23 passi naufragium. 24 me monuisses. 25 inva sit. Befallen / angewandelt / ergrieffen. 26 Germ. Hast du auch ein Angeblähs kriegt. 27 Vidi oder inuisi; Ich habe gesehen oder besucht. 28 quantum mihi solatium est! Zu was vor einem Troste gereicht mir es! 29 factum, i. e. in stultitia mea socium. * Allusit ad Homerum, qui sæpe Palladem facit huic aut illi suggerentem quid facto sit opus. Was vor ein Geist der Weißheit / wer? 30 indidit. 31 vegeta, alacri. 32 dependebat. 33 ponderosi, momentosi quidpiam.

mis tuis distraxerit[34]. Narra obsecro. *A.* Pudet[35] dicere. *C.* Non apud me, qui, vt scis, eodem tenear[36] malo. *A.* Compotabamus aliquot vicini. Vbi vino incaluerat animus[37], erat[38] qui prædicabat, sibi esse in animo salutare[39] diuum Iacobum: erat alter qui diuum Petrum. Ilico non defuit vnus aut alter, qui sponderent se comites fore. Tandem visum est, vt omnes irent[40] simul. Ego, ne viderer parum commodus compotor[41], pollicitus sum & ipse. Mox agitari[42] cœptum, vtro[43] potius iremus, Romam, an Compostellam. Factum est senatus consultum[44], vt bonis auspiciis vtroque postridie proficisceremur omnes. *C.* O graue decretum! dignius quod vino inscriberetur[45] quam æri[46]. *A.* Ac mox ingens obambulat patera, quam vbi suo quisque ordine ebibisset, votum factum est inuiolabile[47]. *C.* Noua religio; sed num omnibus contigit reditus incolumis[48]? *A.* Omnibus præterquam tribus, quorum vnus in profectione moriens, mandauit nobis vt suis[49] verbis salutem diceremus Petro & Iacobo. Alter periit Romæ, iussitque vt suo nomine salutaremus vxorem ac liberos. Tertium reli-

---

34 abstraxerit, abduxerit. 35 me. 36 laborem. 37 Da uns warm um den Kopff worden war. 38 aliquis. 39 visitare. 40 iremus, proficisceremur, migraremus. Man hats vor gut angesehen / visum est sc. consultum. 41 Ein Zech-Bruder der sich in die Compagnie nicht schickete. 42 deliberari. 43 decretum. 44 quorsum. 45 aquæ, i. e. obliuioni daretur. 46 diuturnæ memoriæ mandaretur. 47 indissolubile. Es hat die Gelübde niemand brechen dürffen. 48 num omnes redierunt incolumes? 49 suo nomine.

reliquimus Florentiæ, valetudinis plane deploratæ[50]: opinor iam esse apud superos. *C.* Adeone pius erat? *A.* Imo nugator[51] maximus. *C.* Vnde igitur isthuc suspicare? *A.* Quia peram habebat indulgentiis largissimis distentam[52]. *C.* Audio: sed iter est longum in cœlum, nec satis, vt audio tutum, ob latrunculos* qui obsident[54] regionem aëris mediam. *A.* Verum: sed ille sat erat munitus[55] diplomatibus. *C.* Qua lingua descriptis[56]? *A.* Romana. *C.* In tuto est igitur[57]? *A.* Est, nisi forte incidat in genium[58] aliquem qui latine nesciat[59]: tum esset illi redeundum Romam, & nouum diploma impetrandum[60]. *C.* Bullæ[61] venduntur illic & mortuis? *A.* Maxime. *C.* Sed interim illud mihi monendus es, ne quid effutias incogitantius: iam enim corycæis* plena sunt omnia. *A.* Ego vero nihil eleuo[63] indulgentias, sed combibonis mei stultitiam rideo, qui quum esset alioqui nugator nugacissimus, salutis suæ proram, vt aiunt, ac puppim* in membrana

50 desperatæ, bey sehr mißlicher Gesundheit / in der höchsten Unpäßligkeit. 51 Der gröste Possenmacher von der Welt / der schertzhaffteste Mensch / bipedum nugacissimus. 52 Er hatte den Rantzen voller Ablaß. * furunculos, Schnaphänchen / Mörderchen. Ridiculo vtitur diminutiuo. 54 obsessam tenent. besetzt haben. 55 instructus, loricatus, verwahrt / versehen / ausgerüstet. 56 sc. diplomatibus munitus erat. 57 i. e. Tutus igitur est? 58 Dæmonem, i. e. obuiam venerit Dæmoni. 59 non calleat. 60 accipiendum, assumendum, expetendum. 61 Diplomata, indulgentiæ. * Id est, Sycophantis, obseruatoribus, proditoribus. Vide Prouerb. 63 extollo, effero, minuo, sperno. * cardinem, caput. Vide Chiliades.

brana collocauit potius, quam in correctis [65] affectibus. Sed quando fruemur illa voluptate, quam modo prædicabas [66]? *C.* Quum erit commodum, adornabimus [67] compotatiunculam aliquam, vocabimus nostri ordinis homines, ibi certabimus mentiendo [68], nosque affatim mutuis mendaciis oblectabimus [69]. *A.* Age fiat.

Aliæ Personæ.

PAMPHAGVS. COCLES.

Pa. AVt parum prospiciunt oculi [1], aut Coclitem veterem compotorem meum video. *Co.* Imo nihil te fallunt oculi tui: vides sodalem ex animo tuum. Nulla cuiquam erat spes reditus tui [2], qui tot annos abfueris, ignaris omnibus [3] quæ te terrarum haberet regio [4]. Sed vnde [5]? dic, quæso. *P.* Ab Antipodibus [6]. *C.* Imo ab insulis, opinor, Fortunatis. *P.* Gaudeo quod agnoueris sodalem tuum; nam verebar ne sic domum redirem, quemadmodum rediit Vlysses. *C.* Quonam pacto rediit ille? *P.* Nec ab vxore est agnitus. Solus canis iam vetulus mota cauda [7] dominum agnouit. *C.* Quot annos ille domo absuerat? *P.* Viginti. *C.* Tu plures abfuisti; nec tamen fefellit me tua facies. Sed quis isthuc narrat de Vlysse? *P.* Home-

65 emendatis. 66 laudabas. 67 instruemus. 68 Wir wollen um die Wette lügen/ sehen wer am besten lügen und aufschneiden kan. 69 Wir wollen einander die Haut recht voll lügen.

1 Ich sehe nicht wohl. 2 Es hätte niemand gedacht/ daß du würdest wiederkommen. 3 quia nemo gnarus erat, sciebat. 4 vbi delitesceres. 5 sc. venis. 6 Gegenfüsser/ die Völcker die unter uns wohnen/ und uns die Füsse zukehren. 7 caudam mouit &.

Homerus. *C.* Oh, ille, vt aiunt, pater eſt omnium fabularum. Fortaſſis vxor interim aſciuerat taurum* alium[8], & idcirco non agnouit Vlyſſem* ſuum. *P.* Imo[9] nihil illa caſtius: ſed Pallas addiderat Vlyſſi ſenium[10], ne poſſet agnoſci. *C.* Qui[11] tandem agnitus eſt? *P.* E tuberculo, quod habebat in digito pedis, id animaduertit nutrix iam admodum anus, dum illi pedes lauat. *C.* O curioſam lamiam*! Et tu miraris, ſi[13] ego te agnoui ex iſto tam inſigni naſo? *P.* Nihil me pœnitet huius naſi[14]. *C.* Nec eſt[15] cur pœniteat, cum organum tibi ſit ad res tam multas vtile. *P.* Ad quas? *C.* Primum ad extinguendas lucernas erit cornu vice. *P.* Perge. *C.* Deinde ſi quid hauriendum erit e cauo profundiore, fuerit loco promuſcidis. *P.* Papæ! *C.* Si manus erunt occupatæ, licebit vti vice paxilli. *P.* Etiamne amplius? *C.* Conducet excitando foculo, ſi defuerit follis. *P.* Belle narras. Quid præterea? *C.* Si lumen officiat ſcribenti, præbebit vmbraculum[16]. *P.* Ha ha he: eſt præterea quod dicas[17]? *C.* In bello navali

---

* Id eſt, adulterum. *Horat.* Quærenti taurum monſtrauit inertem. 8 einen andern Bremmer. * Sic appellat maritum, qui nimium diu abfuit. Nam Vlyſſem reducem nullus agnouit præter canem. 9 Nequaquam. Ja/ gerade; hat ſich wohl! 10 fecerat ſenem Vlyſſem, faciem ſenis dederat. 11 Quomodo. * Veneficæ mulieres, quæ oculos habent quibus proſpiciunt omnia, cum foris ſunt, domi cæcutiunt. Je die vorwitzige alte Hexe! 13 quod, vbi. 14 Es reuet mich nicht/ es verdreuſt mich nicht/ daß ich eine ſo groſſe Naſe habe. 15 Es darff dich auch nicht reuen. 16 Lichts Schirm/Schatten. 17 Weiſt du weiter nichts?

uali præbebit vſum harpagonis *. *P.* Quid in bello terreſtri? *C.* Erit loco clypei. *P.* Quid deinde? *C.* [19] Findendis lignis erit cuneus. *P* Probe. *C.* Si præconem agas, erit tuba: ſi claſſicum canas, cornu: ſi fodias, ligo: ſi metas, falx: ſi nauiges, ancora: in popina fuerit fuſcina: in piſcando hamus. *P.* O me felicem! neſciebam, me circumferre tam ad multa conducibilem ſuppellectilem. *C.* Sed quis interim terrarum angulus te habuit? *P.* Roma. *C* At qui [20] fieri potuit, vt in tanta [21] luce nemo te ſciret viuum [22]? *P.* Imo nusquam magis latent boni viri; adeo vt ſæpe clarisſima luce neminem videas in frequenti foro [23]. *C.* Redis igitur nobis onuſtus ſacerdotiis [24]. *P.* Venatus equidem ſum ſedulo [25]: at parum fauit Delia *. Nam complures illic piſcantur * hamo, quod dici ſolet, aureo [27]. *C.* Stultum piſcandi genus. *P.* Et tamen pulchre ſuccedit nonnullis. Sed non omnibus feliciter cadit hæc alea [28]. *C.* Annon inſigniter ſtulti ſunt, qui plumbum commutant auro? *P.* Sed non intelligis, in plumbo ſacro venas auri ſubeſſe. *C.* Quid igitur? rediſti

nobis

---

* Inſtrumentum quo iniecto attrahunt nauem commiſſuri bellum. Schiff-Hacken / Ancker-Hacken. 19 In. Bey Spaltung des Holtzes / wo Holtz zu ſpalten ſeyn wird. 20 quomodo, quo pacto, qua ratione? 21 tam clara. 22 eſſe. 23 Reſpicit Diogenem ipſo meridie homines inter homines quærentem. 24 Presbyteriis. Prieſterthümer. 25 Sectatus ſum, Affectaui, Ambii. * Diana. Es hat nicht ſeyn wollen. * Prouerb. Aureo piſcari hamo. 27 Sueton. in Aug. c. 25. §. 8. 28 hic luſus, das Spiel geräth nicht allen / gelingt nicht.

nobis nihil aliud quam Pamphagus[29]? *P.* Lupus hians. *C.* Felicius redeunt, qui asini redeunt sacerdotiorum sarcina graues. Cur mauis sacerdotium quam vxorem? *P.* Quia mihi placet ocium. Arridet Epicurea vita. *C.* At mea sententia suauius viuunt, quibus est lepida puella domi, quam complectantur quoties libet. *P.* Sed adde: nonnunquam quum non libet. Amo voluptatem perpetuam. Qui ducit vxorem, vno mense felix est: cui contingit[30] opimum sacerdotium, in omnem vsque vitam fruitur gaudio. *C.* Sed tristis est solitudo; adeo vt nec Adam suauiter victurus *fuerit* in Paradiso, nisi Deus illi adiunxisset Euam. *P.* Non deerit Eua, cui sit opulentum sacerdotium[31]. *C.* SED VOLVPTAS NON EST VOLVPTAS, QVÆ CVM MALA FAMA MALAQVE CONSCIENTIA CONIVNCTA EST[32]. *P.* Verum dicis: & idcirco mihi in animo est[33], confabulatione[34] librorum solitudinis tædium fallere[35]. *C.* Istis quidem sodalibus nihil iucundius. Sed redisne ad tuam piscationem? *P.* Redeo, si liceat parare nouam escam. *C.* Aureamne, an argenteam? *P.* Vtramlibet. *C.* Bono animo

29 quasi πᾶν φάγος, der alles fressen will / omnia comedens, omnia vorans, vt est in Epitaphio Timocreontis Rhodii propter cibi & vini auiditatem indito:

Multa bibens, tum cuncta vorans, male denique dicens
multis, hic iaceo Timocreon Rhodius.

30 qui sortitur, consequitur, impetrat, indipiscitur. 31 Wer nur Spartam hat / dem wird es an der Martha nicht fehlen. 32 Egregia sententia! 33 decretum, statutum mihi est. 34 colloquio. 35 pellere, fugare.

animo es: Pater suppeditabit. *P.* Nihil illo tenacius. Nec crediturus est denuo, quum intellexerit, mihi sortem etiam perisse. *C.* Verum ista lex est aleæ[36]. *P.* Sed ille non delectatur hac alea. *C.* Si pernegabit[37] ille, commonstrabo tibi vnde possis quantum voles pecuniæ sumere. *P.* Tu vero mihi voluptatem narras[38]: age monstra; iam cor mihi salit. *C.* In promptu est. *P.* Nactus es thesaurum aliquem? *C.* Si nactus essem, mihi nactus essem, non tibi. *P.* Si queam corradere centum ducatos, reuixerit spes[39]. *C.* At ego tibi commonstro vnde possis haurire centum millia. *P.* Quin tu igitur me beas? Ne diutius eneca[40]. Dic vnde. *C.* Ex Asse Budæi: illic reperias innumeras myriades, siue auream malis monetam, siue argenteam. *P.* Abi quo dignus es cum tuo ioco. Illinc tibi resoluam, quod debuero pecuniæ. *C.* Resolues, sed quod illinc tibi numeraro. *P.* Age, noui nasum tuum[41]. *C.* At mihi præ te nasus est nullus. *P.* Imo nihil te nasutius[42]. Nihil es nisi nasus[43]. Ludis in re seria. Hac in re ringi * possim citius, quam ridere. Res grauior est quam vt ridere libeat.

Tu

36 Auf dem Spiele gehts nicht anders her. 37 prorsus non permiserit. 38 Du redest was mir in meinen Krahm dienet; das ist Wasser auf meine Mühle. 39 Ich wolte wieder guter Dinge seyn/ einen Muth fassen/ mir wäre gerathen/ geholffen. 40 torque, vexa, affige, macera. 41 suffenum tibi sapientiam tuam. 42 Nasewciser/ super ctugeres. 43 Totus totusnasus es, quantus quantus, omni ex parte. Es ist nichts an dir als lauter Nase. * irasci. Das Maul flerren/ ziehen/ rümpffen. Ringitur iratus, non ridet. Rictus igitur est diductio labiorum, sed præ dolore, cum risus sit ex gaudio.

Tu si hic esses [45], non luderes [46]. Sum tibi ludibrio. Illudis mihi, & illudis me. Ioco me tractas in re neutiquam iocosa. C. Minime rideo; id, quod res est, dico. Non rideo quidem; imo rem ipsam dico. Serio loquor. Ex animo loquor. Simpliciter loquor. P. Ita tibi semper stet in capite * pileum, vt ista tu simpliciter loqueris [47]. Sed cesso abire domum, cogniturus quo statu sint illic omnia? C. Offendes [48] noua permulta. P. Credo; sed vtinam omnia ex animi sententia [49]. C. Isthuc optare licet omnibus; sed hactenus obtigit nemini. P. Hoc quoque commoditatis adfert vtrique nostrum sua peregrinatio, quod dulcior erit posthac domus. C. Nescio: nam video, quosdam septies [50] illo recurrere. Adeo scabies illa sine fine solet prurire, si quem semel inuaserit.

Alia. Militaria.

HANNO. THRASYMACHVS*.

Ha. VNde redis nobis Vulcanus*, qui Mercurius [2] hinc abieras nobis? Th. Quos Vulcanos aut quos Mercurios mihi narras [3]? H. Quia alatus

45 Wenn du an meiner Stelle wärest/ si alter ego esses. 46 iocareris. * Prouerb. est in eos, qui diuersum sentiunt ab iis, quæ dicunt: id est, præpostero stet pileum. 47 Ich wolte daß dir der Hut auf dem Kopffe allemahl so gerade [kein mahl gerader] stehen müste/ als wie du dis in Einfalt redest. 48 Reperies, deprehendes. 49 offenderem. 50 Numerus certus pro incerto, wohl siebenmahl.

* Id est, audax in pugna, nomen aptum militi. * claudus: Vulcanus enim fingitur claudus; Mercurius alatus. 2 alatus. 3 loqueris.

alatus videbare [4] quum abires, nunc claudicas. *T.* Sic a bello rediri ſolet. *H.* Quid tibi cum bello, homo quouis dama [5] fugacior? *T.* Spes prædæ reddiderat fortem. *H.* Multum igitur refers manubiarum *? *T.* Imo zonam inanem *. *H.* Tanto minus grauare [6] ſarcina. *T.* Atqui ſceleribus onuſtus redeo. *H.* Grauis profecto ſarcina, ſi verum dicit Propheta, qui peccatum appellat plumbum. *T.* Plus illic ſcelerum & vidi, & patraui, quam vnquam antehac in omni vita. *H.* Ecquid igitur arridet vita militaris? *T.* Nihil neque ſceleſtius, neque calamitoſius. *H.* Quid igitur in mentem venit iſtis, qui nummo conducti, nonnulli gratis, currunt ad [7] bellum, non aliter quam ad conuiuium? *T.* Ego nihil aliud coniectare poſſim, quam illos agi malis furiis [8], ſeſeque totos malo dæmoni, ac miſeriæ deuouiſſe, nec aliud quam hic manes ſuos anticipare [9]. *H.* Ita quidem videtur: nam ad res honeſtas vix vllo precio conduci queant. Sed expone nobis, quomodo geſtum ſit prælium, & vtro [10] ſeſe inclinarit victoria. *T.* Tantus erat ſtrepitus, tumultus, tubarum bombi, cornuum tonitrua, hinnitus equorum clamor virorum, vt neque videre potuerim

---

4 **Du lieffeſt als wenn du flögeſt.** 5 **Flüchtiger als ein Reh/ Gemſe/** Germ. dicit: **flüchtiger/ ſchneller als ein Windſpiel.** * Pecunia e ſpoliis collecta. **Beute.** * Vide Prouerb. Zonam perdidit. 6 grauaris. Perſona 2. Paſſ. vſitatius in *re*, quam in *ris* terminatur. Arnoldi Ornatus Lat. Ling. c. IV. reg. 90. 7 Germ. ſpricht: **in Krieg lauffen.** 8 Germanus dicit: **Der Geyer reitet ſie.** 9 **Sich vor der Zeit ins Grab / in die Grube bringen.** 10 quam in partem.

rum quid gereretur, adeo vt vix ſcirem vbi eſſem ipſe. *H.* Vnde igitur cæteri, qui ex bello veniunt, ſic depingunt ſingula, quid quisque dixerit aut geſſerit, quaſi nusquam non adfuiſſent ocioſi ſpectatores? *T.* Ego credo iſtos mentiri ſplendide. In tentorio meo quid geſtum ſit, ſcio: quid in prælio, prorſus ignoro. *H.* An ne hoc quidem ſcis, vnde tibi venerit claudicatio? *T.* Vix, ita me Mauors poſthac male amet[11]: ſuſpicor, aut ſaxo, aut equi calce læſum genu[12]. *H.* At ego ſcio. *T.* Scis? an tibi narrauit aliquis? *H.* Non, ſed diuino[13]. *T.* Dic igitur. *H.* Quum fugeres pauidus, collapſus humi offendiſti[14] in ſilicem. *T.* Diſperеam, niſi rem acu tetigiſti[15]. Adeo veriſimile eſt quod diuinaſti. *H.* Abi domum, & vxori narra tuas victorias. *T.* Illa mihi occinet haud ſuaue encomium*, qui[17] nudus redeam. *H.* Sed vnde reſtitues, quod rapuiſti? *T.* Iam pridem reſtitui. *H.* Cui? *T.* Scortis, œnopolis*, & iis qui me vicerunt alea. *H.* Satis militariter. PAR EST, VT QVOD MALE PARTVM EST, PEIVS DISPEREAT. Verum a ſacrilegiis, opinor, temperatum eſt[18]. *T.* Imo illic erat ſacrum nihil

11 eſt iurandi formula. Straff mich der Krieges-Gott, per Euphemiſmum. 12 Ich vermuthe / es hat mich ein Stein getroffen/oder ein Pferd ans Knie geſchlagen. 13 auguror. 14 impegiſti, du biſt aufgeſchlagen. 15 Du haſts auf ein Haar/ genau/ juſt/ richtig getroffen. Diuinando aſſecutus es. * Solent encomio laudari, qui fortiter ſe geſſiſſent in bello. Sie wird mir den Herr Görgen ſingen/die Laudes preiſen/ mein Theil geben. 17 quod. * Id eſt, vinorum venditoribus, cauponibus. 18 cautum eſt.

nihil*. Nec profanis parcitum est, nec sanis [19]. *H.* Quo pacto sarcies [20]? *T.* Negant oportere sarciri, quod in bello commissum sit: iure fit, quod illic fit. *H.* Iure belli fortassis. *T.* Tenes [21]. *H.* At istud ius summa est iniuria. Te non patriæ pietas, sed prædæ spes pertraxit in bellum. *T.* Fateor, & arbitror, paucos illuc ire sanctiore proposito. *H.* EST ALIQVID INSANIRE CVM MVLTIS. *T.* Concionator e suggesto pronuntiauit, bellum esse iustum. *H.* Suggestum illud non solet mentiri. Sed vt iustum sit Principi, non continuo iustum est tibi. *T.* Audiui ex Rabbinis*, quod licet sua cuique arte viuere. *H.* Præclara ars, incendere domos, diripere templa, violare sacras virgines, spoliare miseros, occidere innoxios. *T.* Lanii conducuntur ad mactandum bouem; cur nostra ars reprehenditur, quod conducimur ad mactandos homines? *H.* Non eras solicitus, quonam esset migratura anima tua, si contigisset in bello cadere? *T.* Non admodum. Bona spes habebat animum meum: nam diuæ Barbaræ me semel commendaram. *H.* Receperat illa tutelam tui? *T.* Sic, mihi visa est annuere capite aliquantulum. *H.* Quando istliuc tibi visum est? mane? *T.* Non, sed a [22] cœna. *H.* Sed tum, vt arbitror, etiam arbores tibi visæ sunt ambulare. *T.* Vt hic diuinat omnia! Sed præcipua spes erat in di-

* Allusum est ad Prou. Οὐδὲν ἱερόν· tametsi deflexit in alium sensum. 19 est Paregmenon. 20 pensabis, restitues. 21 Assequeris, diuinas, nosti, ita est. * Rabbinos vocant Hebræi, quos nostri Magistros nostros. 22 post cœnam.

in diuo Christophoro *, cuius imaginem quotidie contemplabar. *H.* In tentoriis? Vnde illic diui? *T.* Carbone pinxeramus illum in velo. *H.* Nimirum haudquaquam ficulnum [23], vt aiunt, præsidium erat carbonarius ille Christophorus. Sed extra [24] iocum; non video qui possis expiari [25] a tantis flagitiis, nisi te conferas [26] Romam. *T.* Imo noui viam breuiorem. *H.* Quam? *T.* Ibo ad Dominicales: illic paulo transigam [27] cum commissariis. *H.* Etiam de sacrilegiis? *T.* Etiamsi Christum ipsum spoliassem, ac decollassem etiam; tam largas habent indulgentias, & autoritatem componendi. *H.* Bene habet, si vestram compositionem [28] Deus ratam habuerit. *T.* Imo magis metuo, ne diabolus non habeat ratam [29]. Nam Deus natura placabilis est. *H.* Quem tibi sacerdotem deliges? *T.* Cui cognouero quam minimum esse frontis [30] ac bonæ mentis. *H.* Ne non [31] habeant similes labra lactucas. Ab illo purus abibis ad Corpus Dominicum? *T.* Quid ni? Posteaquam semel effudero sentinam * in illius cucul-

* Allusum est vulgi opinioni, vnde plerumque Christophoros cum hoc disticho pictos videas: Christophori sancti faciem quicunque tuetur, Illo nempe die non morte mala morietur. 23 inualidum, infirmum, debile, parum vtile & validum. Vide Chiliad. 24 citra. 25 absolui, liberari. 26 facias. Vorstius de Latinit. falso suspecta. c. 27. p. m. 292. Fac te huc. Mache dich hieher. 27 agam, tractabo. 28 reconciliationem, pactionem. 29 probauerit, approbauerit. 30 parrhesiæ, ingenui vultus. 31 Vt. Daß finnigter Speck und garstige Butter zusammen komme.
* Metaphora a nauibus desumpta: pro, Omnia facinora, Lernam malorum.

cullam, ego me exoneranero sarcina: ipse viderit, qui absoluit. *H.* Qui scis, an absoluat? *T.* Scio. *H.* Quonam indicio? *T.* Quia manus imponit capiti, admurmurans nescio quid. *H.* Quid si reddat tibi omnia peccata tua, quum manum imponit, hæc admurmurans: Absoluo te ab omnibus benefactis quæ [33] nulla in te comperio, & restituo [34] te tuis moribus, talemque dimitto, qualem accepi? *T.* Viderit ille quid dicat: mihi satis est, quod me credo absolutum. *H.* Sed isthuc [35] tuo periculo credis: fortasse non fuerit satis Deo, cui debes. *Th.* Vnde tu mihi obuius, qui mihi conscientiam e serena [36] nubilam [37] redderes? *H.* Felix occursus: BONA AVIS EST OBVIUS AMICUS, QVI BENE MONEAT. *T.* Nescio quam bona, certe parum suauis.

Herilia.

RABINVS*. SYRVS.

Ra. HEus heus furcifer [1], iamdudum raucesco clamore, nec tu tamen expergisceris: videre mihi vel cum glitibus certare posse. Aut ocius surge, aut ego tibi fuste somnum istum excutiam [2]. Quando crapulam hesternam edormieris? Non te pudet, somnium hominis [3], in multam lucem stertere? Qui frugi [4] sunt famuli, solent exor-

33 quorum. 34 reddo, relinquo. 35 cum, auf. 36 tranquilla, quieta, dormiente. 37 luridam, inquietam.

* Aptum heri nomen, vt Syrus serui, ex omnibus Comœdiis: & Cicero Iudæorum & Syrorum gentem seruituti natam adserit. 1 Galgen-Vogel. 2 expellam, eiiciam. 3 Du Schlaaffmütze/du Träumer/ i. e. homo somnolente. 4 boni, fidi.

exortum ſolis anteuertere[5], curareque vt herus ſurgens reperiat omnia parata. Vt ægre diuellitur a nido tepeſacto cuculus! Dum ſcalpit caput, dum diſtendit neruos, dum oſcitat tota abit hora. *S.* Vixdum diluxit[6]. *R.* Credo; tibi: nam tuis oculis adhuc multa nox eſt. Tibi nox adhuc eſt concubia[7]. *S.* Quid me iubes facere? *R.* Fac vt luceat foculus[8]: verte pileum ac pallium: exterge calceos & crepidas. Inuerſas caligas[9] primus intus purga ſcopis, mox foris. Deinde ſuffitum aliquem facito purgando aëri[10]. Accende lucernam. Muta mihi lineum induſium[11], ac ad ignem fumi expertem ſicca lotum. *S.* Fiet. *R.* Atqui moue te ocius[12]. Iam hæc feciſſe* oportuit. *S.* Moueo. *R.* Video; ſed nihil promoues[13]. Vt incedit teſtudo! *S.* Non poſſum ſimul ſorbere, & flare[14]. *R.* Etiam ſententias loqueris, carnifex[15]? Tolle matulam. Compone lecti ſtragulas, reuolue cortinas[16]. Verre pauimentum. Verre ſolum cubiculi. Adfer aquam lauandis manibus. Quid ceſſas, aſine? Annus eſt priusquam accendas candelam. *S.* Vix reperio ſcintillam ignis

5 ante Solis ortum ſurgere. 6 dies illuxit. 7 Nox conſtat ſex partibus: 1. veſpere & crepuſculo. 2. prima face. 3. nocte concubia & intempeſta. 4. media nocte. 5. conticinio; vbi omnia tacere ſeu conticere ſolent. 6. gallicinio. 7. diluculo ſeu aurora. 8 Mach ein Feuer auf den Herd. 9 inuerte & primo purga. 10 ad purgandum, purificandum aërem. 11 da mihi aliud induſium. 12 celerius, velocius. * Terentianum eſt. Es ſolte ſchon gethan / geſchehen ſeyn. 13 Du kömmſt ja nirgends hin / du richteſt ja nichts aus; du bleibſt ja immer auf einer / der alten Stelle. 14 Zweyerley auf einmahl thun. 15 Du Scherge / Schorcke. 16 aulæa & vela. Vorhänge.

ignis. *R.* Sic heri condidisti. *S.* Nec follem habeo. *R.* Vt respon∫at nebulo, quasi qui te habeat, careat folle. *S.* Quam imperiosum habeo dominum! vix huius iussis decem expediti famuli fecerint satis. *R.* Quid ais, cessator [17]? Nihil; omnia recte. *R.* Non ego te audio murmurantem? *S.* Equidem precor. *R.* Credo, Pater noster inuersum. Precationem, opinor, Dominicam præpostere. Quid gannis [18] de imperio? *S.* Precor tibi, vt fias imperator. *R.* Et ego tibi, vt fias homo ex caudice [19]. Sequere me ad templum vsque. Mox domum recurrito, lectos concinnato. Hæc confusa suo quæque loco digerito [20]. Fac vt niteat tota domus. Matulam defricato. Hæc sordida submoueto ab oculis, fortassis inuisent me quidam aulici. Si quid sensero prætermissum, vapulabis [21] largiter. *S.* Hic sane noui benignitatem * tuam [22]. *R.* Proinde caue, si sapis. *S.* At interim de prandio nulla mentio. *R.* Vah, vt hic mentem [23] habet furcifer! Non prandeo domi. Itaque sub horam decimam ad me transcurrito, adducturus me eo, vbi sum pransurus. *S.* Tibi quidem prospectum, sed hic interim nihil est quod edam. *R.* Si non est quod edas, est quod esurias. *S.* Nemo fit esuriendo satur. *R.* Est panis. *S.* Est, sed ater & furfuraceus.

R. De-

---

17 Du Trödler / Trödelmatz. 18 blateras, obloqueris. 19 ex trunco. Aus einem Stücke Holtze. 20 disponito. 21 verberaberis. * A'κυρολογία, vel etiam ἀντίφρασις. id est, animum verberandi cupidum. 22 Charientismus est irrisorius: liberalitatem tuam in verberibus infligendis. 23 vbi habet cogitationes!

R. Delicias hominis[24]! Te quidem fœnum esse[25] oportuit, si pabulum detur te dignum. An postulas, vt te asinum tantum placentis saginem? Si fastidis panem citra opsonium[26], adde porrum, aut, si mauis, cepe.

Alia.

R. Est tibi abeundum in forum. *S.* Tam procul? *R.* Non sunt nisi sex passus; tibi pigro sunt bis mille. Consulam autem tuæ pigritiæ. Eadem legatione[1] multa conficies negotia: tu supputa in digitos, vt memineris. Primum deflectes[2] ad vestiarium, ac thoracem vndulatum*, si iam perfectus est, ab eo recipies. Hic quæres Cornelium veredarium*. Is plerumque est in Ceruo[5]; ibi potitat. Rogabis, si[6] quid habet literarum ad me, & ad quem diem sit profecturus. Deinde conuenies mercatorem pannarium[7]: rogabis meis verbis, ne quid solicitus sit quod pecuniam non miserim ad diem præscriptum[8]; numerabitur propediem. *S.* Quando? ad Calendas Græcas[9]? *R.* Rides, ganeo; imo ante Calendas Martias.

---

24 Deliciosum hominem! o delicatulum! Ich werde dirs mahlen. 25 edere, fœno pasci. 26 Zugemüse/ Bey-Gerücht/ Bey-Essen / Neben-Essen.

1 Missione, simul & semel. 2 abibis, declinabis. *Vulgo de chamelot. Gewässerten Brust-Latz / Futter-Hembde/ Weste. * Quem vulgo cursorem aut postam vocamus. Postilion/ Post-Knecht/ Bothe. 5 in diuersorio ad signum Corui. 6 num, an. 7 Tuch-Händler. Du wirst in Tuch-Laden gehen. 8 dictum, promissum, definitum, designatum. 9 i. e. nunquam. Græci n. carent Kalendis. Sueton. c. 84. in Aug.

tias[10]. In reditu deflectes[11] ad læuam, & ex bibliopolis disces[12], si quid aduectum sit[13] nouorum libellorum e Germania. Cognosce qui sint, & quanti venales. Post hæc rogabis Goclenium, vt mihi dignetur[14] esse conuiua alioqui cœnaturo soli. *S.* Etiam conuiuas vocas[15]? non habes domi vnde vel murem pascas[16]. *R.* Proinde tu, confectis cæteris, abi ad macellum, & eme nobis armum ouillum: eum curabis eleganter assum[17]. Audin'[18] hæc? *S.* Plura quam vellem. *R.* At vide, vt memineris. *S.* Vix potero dimidium. *R.* Etiam hic stas, cessator? Iam redisse oportuit. *S.* Quis possit vnus tot rebus obeundis sufficere[19]? Deduco, ac reduco[20]. Sum illi a scopis, a matula, a pedibus, a manibus, a poculis[21], a libellis, a rationibus, a iurgiis, a legationibus: postremo non videor illi sat occupatus[22], nisi sim & coquus.

Alia.

Ra. Profer ocreas: nam equitandum est. *S.* En adsunt. *R.* Probe quidem abs te curatæ: totæ albent

10 ante principium Martii, ante decursum Februarii. 11 te conuertes ad sinistram sc. manum. 12 audies. 13 appulerit. 14 dignetur, mihi esse; per ornatam Verbi interpositionem & Pronominis præpositionem. 15 inuitas, rogas? 16 cibes, satures. 17 assandum. 18 Audisne. Est Syncope cum Apocope propter affectum dicentis. Sic Vin' pro: visne? Satin' pro: satisne, sanus es, qui me id rogites? 19 So viel Sachen alleine bestreiten/ gewachsen seyn. 20 Ich überlege mirs hin/ich überlege mirs her. 21 De Seruis huius farinæ variis ex professo scripsit Laurentius Pignorius, vbi & muscarum abactores, & serui a matula, & panicoctores & auiarii percensentur. 22 negotiosus.

bent ſitu. Opinor nec exterſas, nec vnctas hoc anno, adeo rigent præ ſiccitate. Exterge ſubuuido[1] panno: mox vnge ad ignem diligenter, ac macera[2], donec molleſcant. *S.* Curabitur. *R.* Vbi calcaria? *S.* Adſunt. *R.* Verum, ſed obducta rubigine. Vbi frænum & ephippia? *S.* Sunt in promptu. *R.* Vide, ne quid deſit, aut ne quid ruptum, aut mox rumpendum, ne quid nobis ſit in mora, cum erimus in curſu[3]. Propera ad ſellarium[4], & hoc lorum cura ſarciendum. Reuerſus inſpice ſoleas, ſiue calceos equorum, num qui claui deſint, aut vacillent. Quam macilenti ſunt equi, quamque ſtrigoſi[5]! Quoties abſterges[6], aut pectis illos in anno? *S.* Imo quotidie. *R.* Nimirum[7] res ipſa loquitur. Ieiunant, opinor, nonnunquam totum triduum. *S.* Minime. *R.* Negas tu quidem, ſed aliud dicturi ſint equi, ſi loqui liceat[8]: quamquam ſatis loquuntur ipſa macie[9]. *S.* Curo ſedulo. *R.* Cur igitur tu habitior[10] equis? *S.* Quia non paſcor fœno. *R.* Hoc igitur reſtat. Adorna manticam[11] celeriter. *S.* Fiet.

Moni-

1 Paululum madefacto. 2 tere, frica, mollifica. 3 in via, itinere. 4 Sättler. 5 quaſi ſtringoſi, exhauſti. 9 abſtergis. 7 Scilicet. 8 poſſent. 9 ſatis loquitur ipſa macies. 10 habitior, habitatior, pinguior. Gell. IV. c. 20. Equum nimis ſtrigoſum & male habitum, ſed equitem vberrimum & habitiſſimum viderunt. Infrequentes Participiorum Præteriti Temporis Gradus Comparationis ſedulo collegit M. Elias Maior in vtiliſſima de varianda Oratione libro p. m. 126. ſqq. 11 peram, perulam viatoriam, Die Reit-Taſche/ der Reiſe-Sack/ Reiſe-Mantel.

Monitoria Pædagogica.

PÆDAGOGVS. PVER.

Pæ. TV mihi videre non in aula natus, sed in caula[1], adeo moribus es agrestibus. Puerum ingenuum[2] decent ingenui[3] mores. Quoties alloquitur te quispiam, cui debes honorem, compone te in rectum corporis statum[4], aperi caput. Vultus sit nec tristis, nec toruus, nec impudens, nec proteruus, nec instabilis, sed hilari modestia temperatus: oculi verecundi semper intenti in eum, cui loqueris: iuncti pedes, quietæ manus. Nec vacilles alternis tibiis, nec sint gesticulosæ manus, nec mordeto labrum, nec scabito caput, nec fodito aures. Vestis item ad decorum componatur, vt totus cultus, vultus, gestus, & habitus corporis ingenuam modestiam, & verecundam indolem præ se ferat[5]. *P.* Quid si mediter[6]? *Pæ.* Fac. *Pu.* Siccine satis? *Pæ.* Nondum. *Pu.* Quid si sic? *Pæ.* Propemodum. *Pu.* Quid si sic? *Pæ.* Hem satis est; isthuc tene[7]: ne sis inepte loquax aut præceps. Nec vagetur animus interim, sed sis attentus quid ille dicat. Si quid erit respondendum, id facito paucis, ac prudenter, subinde præfatus honorem[8], nonnunquam & addito cognomento honoris gratia: atque identidem

1 Est Paronomasia, cum Antitheto. 2 honestum, decorum, formosum. 3 honesti, decori, formosi. 4 positum, Positur. 5 referat, exhibeat, ostendat, monstret. 6 tentem? periculum faciam? audeam? 7 serua, retine. Dabey bleib/ das behalt. 8 quod fit sueta formula: Mit Erlaubniß/ sie vergeben mir/ sie erlauben / erlauben sie mir. Veniam dabis, ignosce, permitte, liceat.

dem modice flectas alterum genu, præsertim vbi responsum absolueris. Nec abeas, nisi præfatus veniam, aut ab ipso dimissus. Nunc age, specimen aliquod huius rei nobis præbe. Quantum temporis abfuisti a maternis ædibus? *P.* Iam sex ferme menses. *P.* Addendum erat, Domine. *P.* Iam sex ferme menses, Domine. *P.* Non tangeris desiderio Matris? *Pu.* Nonnunquam sane. *Pæ.* Cupis eam reuisere? *Pu.* Cupio, Domine, si id pace liceat tua[9]. *Pæ.* Nunc flectendum erat genu. Bene habet. Sic pergito. Cum loqueris, caue ne præcipites sermonem, aut hæsites lingua, aut palato immurmures[10]; sed distincte, clare, articulate consuescito proferre verba tua. Si quem præteribis natu grandem, Magistratum, Sacerdotem, Doctorem, aut alioqui virum grauem, memento aperire caput, nec pigeat inflectere genu[11]. Itidem facito cum præteribis ædem sacram, aut imaginem crucis[12]. In conuiuio sic te præbebis hilarem, vt semper memineris quid deceat ætatem tuam: postremus omnium admoueto manum patinæ. Si quid datur lautius, recusato modeste: si instabitur, accipe, & age gratias: mox decerpta portiuncula, quod reliquum est, illi reddito, aut alicui proxime accumbenti[13]. Si quis præbibit[14], hilariter illi bene precator[15], sed ipse

9 bona tua cum venia. 10 In dich hinein redest / und die Worte verbeissest. 11 Incuruare tergum. 12 Papismum redolent; vitare debemus speciem idololatrias, cultusque imaginum soliique crucifixo Saluatori non crucibus ligneis genua inflectere. 13 assidenti. 14 Zutrincken / indicat poculum, offert. 15 benedicito.

ipſe bibito modice. Si non ſitis, tamen admoueto cyathum labiis. Arride loquentibus: ipſe ne quid loquaris, niſi rogatus. Si quid obſcœni dicetur, ne arride, ſed compone vultum, quaſi non intelligas. Ne cui obtrectato, ne cui temer anteponito, ne tua iactato, ne aliena deſpicito[16]. Eſto comis etiam erga tenuis fortunæ ſodales[17]. Neminem deferto. Ne ſis lingua futili[18]. Ita fiet, vt ſine inuidia laudem inuenias, & amicos pares[19]. Si videris conuiuium eſſe prolixius[20], precatus veniam ac ſalutatis conuiuis[21] ſubducito te a menſa[22]. Vide vt horum memineris. *Pu.* Dabitur opera, mi Præceptor. Nunquid aliud vis? *Pæ.* Adito nunc libros tuos[23]. *Pu.* Fiet.

De Luſu.

NICOLAVS. HIERONYMVS.
COCLES. PÆDAGOGVS.

Ni. Iamdudum & animus, & cœlum, & dies[1] inuitat ad ludendum. *Hi.* Inuitant quidem hæc omnia, ſed ſolus Præceptor non inuitat[2]. *N.* Subornandus[3] orator quispiam, qui veniam ex-

16 Auguſtinum ferunt menſæ appenſam habuiſſe tabulam hoc inſcriptam monito:

Quisquis amat dictis abſentum rodere vitam
Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi.

17 tenuioris fortis homines. 18 procaci. Habe kein ungewaſchen / liederlich Maul. 19 acquiras, parias. 20 diuturnius, fuſius. 21 Mache den andern Gäſten dein Compliment. 22 diſcedito a menſa. 23 Ito nunc ad libros tuos.

1 Eſt Polyſyndeton. 2 eſt Epanalepſis cum Polyptoto.
3 Es muß einer angeſtifftet / heimlich auffgeworffen werden.

extorqueat[4]. *H.* Apte quidem dictum, extorqueat: nam citius clauam extorſeris e manu Herculis, quàm ab hoc ludendi veniam. At olim illo nemo fuit ludendi auidior. *N.* Verum; ſed iam olim ille oblitus eſt, ſe fuiſſe puerum. Ad verbera facillimus[5] eſt & liberalis; hic parciſſimus idemque difficillimus. *H.* Attamen protrudendus[6] eſt aliquis legatus, non admodum verecundæ *[7] frontis, quem non illico pro elet *[8] ſuis ſatuis [illegible]. *N.* Eat qui volet; ego carere malo, quam [illegible]re. *N.* Nemo magis accommodus[9] ad hanc legationem, quam Cocles. *N.* Nemo profecto: nam perfrictæ[10] frontis eſt, ac bene linguax[11]; deinde ſenſum hominis[12] pulchre callet. *H.* I Cocles, ab omnibus nobis magnam initurus[13] gratiam. *C.* Equidem experiar[14] ſedulo: verum ſi non ſucceſſerit, ne conferte culpam in oratorem[15] veſtrum. *H.* Bene ominare[16]: ſi te ſatis[17] noui mus, impetrabis. Abi orator, redibis exorator[18]. *C.* Eo. Bene fortunet legationem meam Mercurius.

4 Extorquere, herauspreſſen/ herausmartern/heraus trillen/ heraus zwingen/ erzwingen. 5 promptiſſimus, paratiſſimus. 6 propellendus. *Vide Prou. perfrictæ frontis. 7 pallidæ. *Eſt abigere & longe propellere. Idem exagitare ſignificat & perturbare. Terent. in Phormione act. 1. ſc. 4. 8 qs: porro telet, h. e. veluti iaculis aut telis retundat, abigat, repellat, reiiciat, propulſet, a ſe arceat. Abſchrecken / verjagen / von ſich treiben. 9 aptus, idoneus. 10 temerariæ, pertinacis. 11 loquax. Er hat ein gut Mundwerck / Maul/ er hat viel Mauls. 12 viri, Præceptoris. 13 meriturus, conſecuturus, reportaturus, indepturus. 14 Conabor, tentabo. 15 adioocatum, cauſæ veſtræ Patronum. 16 ſpera, confide, bono ſis animo. 17 recte, plene. Vorbitter/ Ausbitter/ Erbitter.

rius*. Salue Præceptor. *P.* Quid ſibi vult nugamentum hominis[19]. *C.* Salue Præceptor obſeruande[20]. *P.* Inſidioſa ciuilitas[21]. Satis iam ſalueo. Dic quid velis. *C.* Totus diſcipulorum tuorum grex[22] orat ludendi veniam. *P.* Nihil aliud[23] quam luditis, etiam absque venia. *C.* Scit tua prudentia, vigorem ingeniorum excitari moderato luſu, quemadmodum nos docuiſti ex Quintiliano. *P.* Sane vt iſthuc tenes, quod pro te facit. [24]Laxamento[25] opus eſt iis, qui vehementer laborant: vobis, qui ſegniter ſtudetis, & acriter luditis, fræno magis opus eſt, quam laxatis habenis. *C.* Adnitimur pro viribus. Et ſi quid hactenus ceſſatum eſt, poſt diligentia ſarcietur[26]. *P.* Oh ſartores[27]! *C.* Ego capitis mei periculo non dubitem eſſe ſponſor[28]. *P.* Imo culi[29] periculo potius. Scio quam[30] non ſit tutum tibi credere; tamen hic periculum faciam, quam ſis bonæ fidei. Si dederis verba[31], poſthac nequicquam mecum egeris. Ludant, ſed gregatim in campis. Ne diuertant[32] ad compotationes, aut alia nequiora. Mature ſe recipiant domum

ante

---

*Præſes nunciorum. Valeat Ethniciſmus in re ludicra & iocoſa; in re ſane ſeria Chriſtianus ſubſtitueret: Legatus ex ſinu Patris cœleſtis. 19 i. e. homo nugax. 20 honorande, colende. 21 Die Höfligkeit hat was zu bedeuten/ iſt mir verdächtig/ hat eine Tücke hinter ſich. 22 cœtus, numerus; omnes diſcipuli. 23 facitis, agitis. 24 e re tua eſt. Was dir in deinen Kram dienet. 25 Remiſſione. 26 eingebracht werden. 27 Ihr ſeyd mir die rechten Einbringer. 28 Ich wolte meinen Kopff zu Pfande ſetzen. 29 podicis. 30 quod. 31 prætereaque nihil. 32 conuertantur.

ante ſolis occubitum[33]. *C.* Fiet. Exoraui, quamquam ægre[34]. *H.* O lepidum caput[35]! omnes amamus te plurimum. *C.* Sed interim cauendum ne quid peccemus[36], alioqui de meo tergo dependendum foret[37]. Fideiuſſi[38] veſtro omnium nomine. Quod ſi quid accidat, non eſt quod me poſthac vtamini legato[39]. *H.* Cauebitur; ſed quod luſus genus potiſſimum placet? *C.* De hoc in campo conſultabimus[40].

Pila.

Ni. Nulla res melius excercet omnes corporis partes, quam pila palmaria, ſed aptior hyemi, quam æſtati. *Hi.* Nullum anni tempus nobis parum accommodum[1] eſt ad ludendum. *N.* Minus ſudabitur, ſi ludamus reticulo[2]. *H.* Imo reticulum[3] piſcatoribus relinquamus; elegantius eſt palma vti. *N.* Age, nihil moror: ſed quanti certabimus? *H.* Talitro[4]; ſic parcetur pecuniæ. *N.* At ego malo fronti parci, quam pecuniæ. *H.* Et mihi frons charior eſt pecunia. Aliquo periculo cer-

---

33 occaſum. 34 difficillime, vix. 35 charum pectus, ſuaue corculum; gratum fraterculum. 36 mali agamus, delinquamus. 37 ludetur de meo corio. 38 Sponſor fui. 39 ne poſt hac me vtamini legato. **Braucht mich nur nicht mehr/ ihr dürfft mich nicht mehr zu eurem Abgeſandten/ Abgeordneten / brauchen.** 40 conſilia agitabimus, deliberabimus.

1 Incommodum, moleſtum eſt. 2 Raquette, palmula, tudicula luſoria; inſtrumentum luſorium, quo pilam accipimus & remittimus. 3 Luditur æquiuoco; hic enim reticulum ſumitur in ſenſu famoſiori pro reti. **Das Netze.** 4 percuſſio, quæ condylo, vngue digiti fieri ſolet, (**ein Naſen-Stieber/ Stirnöpel/**) imprimis in fronte.

certandum est[5], alioqui friget[6] ludus. *N.* Sic res habet, vt dicis. *H.* Vtra pars prior euicerit tres lusus, ei victa[7] pendet sextam drachmæ partem: sed hac lege, vt quicquid e victoriis collectum fuerit[8], insumatur in conuiuium, ad quod pariter vocentur omnes. *N.* Placet lex; & rata esto. Superest igitur vt sortiamur partes. Nam sumus ferme pares omnes, vt non admodum referat[9], quis cui[10] coniungatur. *H.* Tu tamen me longe peritior es. *N.* Vt sim[11]; sed tu felicior. *H.* Etiam hic valet fortuna? *N.* Illa nusquam non[12] regnat. *H.* Age, fiat sortitio. Euge, bene cecidit; contigere[13] quos volebam. *N.* Et nos nostræ sodalitatis non pœnitet. *H.* Agedum, simus viri[14]. AMAT VICTORIA CVRAM. Suum quisque locum grauiter tueatur. Tu mihi consiste a tergo, excepturus pilam si me transuolet. Tu isthic obserua, repulsurus huc ab aduersariis reuolantem. *N.* Ne musca quidem hac[15] præteruolarit impune. *H.* Agite bonis auibus[16]; mittite[17] pilam in tectum. Qui miserit nihil præfatus, frustra miserit. *N.* Hem, accipe igitur. *H.* Mittito. Si miseris extra lineas, aut infra supraue tectum,

5 Um etwas muß es gehen / müssen wir spielen. 6 tepet. Es geht zu laulicht / zu schläffricht her / es ist keine Lust beym Spiele. 7 quæ victa fuit, vincitur; quæ lusu excidit. Welches verspielet. 8 Der Gewinst / Profit, quæstus, lucrum, prouentus e lusu. 9 intersit, differat. Es wird kein grosser Unterscheid / Vortheil seyn / nicht viel verschlagen. 10 cui quis, vter vtri, quo cum quis; quem quis nanciscatur socium, sodalem. Wer zu dem andern komme. 11 Etiamsi, licet, quamuis. 12 vbique, vbiuis. 13 socii. 14 strenue agamus. 15 sc. parte, hic. 16 feliciter. 17 iacite, conicite.

tectum, vestro damno fuerit[18], aut certe nobis fraudi esse nolim[19]. Tu sane parum commode mittis. *N.* Tibi quidem[20], at nobis commode. *H.* Vt miseris, ita remittam. Par pari referam. Sed præstat ingenue legitimeque ludere. *N.* IN LVDO PVLCHRVM EST ARTE VINCERE. *H.* Fateor; atque etiam in bello. Sed habet vtraque pars suas leges. Et sunt artes illiberales[21]. *N.* Credo, plures septem. Signa terminum testula, aut rudere, aut, si mauis, pileo tuo[22]. *H.* Tuo malim. *N.* Rursus accipe pilam. *H.* Mitte. Pone notam. *N.* Habemus duos terminos satis longinquos. *H.* Vtcumque; sed tamen vincibiles[23]. *N.* Plane vincibiles, si nemo repugnet[24]. *H.* Euge priorem metam prætercurrimus. Vicimus quindecim. Heus, præbete vos viros: viceramus & hic, si tu tuo constitisses loco. Sumus igitur pares. *N* Non diu futuri[25]. Vicimus triginta, vicimus quadraginta quinque. *H.* Sestertia[26]? *N.* Non[27]. *H.* Quid igitur[28]? *N.* Numeros. *H.* Quo pertinent numeri, si nihil est quod numeres. *N.* Noster hic lu-

18 vestrum damnum est. 19 damno esse non debet, nobis non officiet. 20 pro te. 21 malæ, inhonestæ. 22 Gieb ein Mahl/ Ziel. 23 superabiles, attingibiles. 24 Obsistat. 25 sc. estis. 26 aliquot sestertiorum millia. Sestertium enim notat Sestertios 1000. Vnde sestertia 1000 faciunt 100000 sestertios. Decies sestertium i. e. decies centena millia nummorum sestertiorum. Sestertius a. est quarta pars drachmæ. Ein Dreyer/ Pfennig. De Sestertiis ex professo scripsit Gronouius; quæ dissertatiuncula recensetur ab ipso in Epist. 377. ad Vossium. conf. Epist. 379. Germanus ait: Wenns so viel Reichsthaler/ so viel Ducaten wären. 27 sc. sunt. Die sinds nicht. 28 sc. vicistis?

ludus est [29]. *H.* Præpropere tu quidem ante victoriam canis triumphum. Vidi qui vincerent ab hoc numero, qui nihil habebant. Varia est vt Martis, ita lusus alea. Habemus triginta. Iam rursus pares sumus. *N.* Nunc serio res agitur. Euge, successit; habemus potiores. *H.* Non diu habituri. Dixin'? Rursum æquali fortuna sumus. *N.* Diu nutat fortuna, velut anceps, vtris velit addicere victoriam. O fors fortuna, si nobis faueris, dabimus tibi maritum. Euge, audiuit votum. Penes nos est huius certaminis victoria. Pone notam cretaceam, ne excidat [30]. *H.* Iam appetit* vespera, & sudatum est satis: præstat a ludendo desistere, ne quid nimis. Supputemus lucrum. *N.* Nos euicimus tres drachmas, vos duas. Restat igitur vna ad compotatiunculam. Sed interim quis soluet pretium pilarum? *H.* Omnes ex æquo, pro sua quisque portione: nam lucrum exilius est, quam vt inde possit aliquid decidi.

Ludus Globorum missilium.

ADOLPHVS. BERNARDVS.
ARBITRI.

Ad. TV toties apud me gloriatus es, te mirum quendam esse artificem in certamine mittendorum globorum [1]. Age, libet experiri, qui vir sies [2]. *Be.* Nihil detrecto, huc si quid libet. Nunc tu plane, quod dici solet, in planiciem

29 Hic ludus noster est. Das Spiel ist unser/ gewinnen wir.
30 nobis. * Appetit pro instat, quoties est verbum neutrale. Appropinquat, ingruit vespera.

1 Im Schnellen. 2 Wie du dich halten wirst.

niciem prouocas equum[3]. *A.* Et tu senties, me non esse asinum[4]. *B.* Placetne monomachia*, vt vnus cum vno congrediatur, an mauis adiungi socios periculi? *A.* Malo μονομαχεῖν*, ne qua pars victoriæ decidatur[5] alteri. *B.* Isthuc & ipse malo, vt laus in solidum sit mea. *A.* Hi spectatores erunt, & arbitri[6]. *B.* Recipio. Sed quod erit victori brabeum, aut quæ victo pœna? *A.* Quid si victo amputetur auricula? *B.* Imo testium alter exsecetur potius. Non est magnificum certare pro pecunia. Tu Gallus es, ego Germanus; decertemus pro suæ vterque gentis gloria. *A.* Si vicero, tu ter exclamabis, Floreat Gallia: si victus, quod absit, fuero, totidem verbis celebrabo tuam Germaniam. *B.* Age placet conditio. Adsit fortuna! Quando periclitantur hoc ludo duæ maximæ nationes, sint æquales sphæræ. *A.* Nosti saxum illud prominens haud procul a porta? *B.* Noui. *A.* Ea erit meta, & hæc linea. *B.* Esto: sed sint, inquam, pares globi. *A.* Minus discernas ouum ab ouo, aut ficum a ficu. Sed mea non refert, vtrum malis; elige. *B.* Mitte. *A.* Heus, tu mihi non brachium, sed balistam[7] habere videris, ita torques globum[8]. *B.* Satis momordisti labrum, satis rotasti brachium; tandem mitte. O vires Herculeas!

---

3 Prou. quoties quis ad id prouocatur in quo plurimum valet. Da kömmest du recht an; da führest du das Pferd auf den Tummel-Platz. 4 Du solst mich auch nicht faul finden. * Singulare certamen. Mann vor Mann. Huic opponitur: Paar und Paar. * Singulari certamine congredi. 5 tribuatur, decedat, dematur. 6 Sie sollen zum rechten sehen. 7 Armbrust. 8 Schnellen / schiessen.

leas?[9] sed tamen vinco. *A.* Nisi sceleratus ille laterculus[10] obstitisset, præuerteram te. *B.* Consiste in sphæræ tuæ vestigio[11]. *A.* Non vtar dolo malo. Cupio virtute, non fraude vincere: quandoquidem de gloria certamen est. Bene vertat. *B.* Ingens profecto iactus. *A.* Ne ride prius quam viceris. Adhuc pene sumus pares. *B.* Nunc res agitur. Vter prior metam contigerit, is vicerit. Vici, canta. *A.* Sed definiendum erat, quoto ludo constaret victoria: nam primo nondum incaluerunt vires. *B.* Definiant arbitri. *Ar.* Tertio. *Ad.* Placet. *B.* Quid ais? Agnoscisne victorem? *Ad.* Tibi fortuna magis aspirauit; viribus & arte non tibi cessero. Sed quod arbitri pronunciauerint, id sequar. *A.* Germanus vicit; & hoc gloriosior est victoria, quod talem artificem vicerit. *B.* Nunc canta, Galle. *A.* Sum raucus*. *B.* Hoc Gallis nouum non est[12]: sed tamen coccyssa. *A.* Floreat Germania ter! *B.* Imo ter: hoc erat canendum. Contraximus siticulam; eamus ad compotatiunculam: ibi perficietur cantio. *A.* Non recuso, si ita videtur arbitris. *B.* Ita commodius est. Melius canet Gallus colluto*[13] gutture.

Ludus

9 fortes. 10 Der Blut-Ziegel / der leichtfertige Ziegel. 11 Bleib stehen / wo dein Keulchen liegt; bleib liegen wo du liegst; rücke dich nicht fort. * Allusit ad gallos gallinaceos, quibus natura est vox rauca, qui proprie dicuntur coccyssare, vnde & Galli vulgo vocant gallum *cocq.* 12 nihil noui. * Ita *Persius:* Guttur mobile colluerit. Solet enim medicamentis vox fieri mollior; quod fit hic vino. 13 inuncto, peruncto.

Ludus Sphæræ per Annulum ferreum.

GASPAR. ERASMVS.

Ga. Age, nos auspicabimur. Victo[1] succedet Marcolphus. *Er.* Sed quod erit victori præmium? *G.* Victus ex tempore faciet & recitabit distichon in laudem victoris. *E.* Accipio legem. *G.* Vis ne sortiamur, vter prior incipiat? *E.* Esto tu Prior, si libet; ego malim esse Abbas. *G.* Hoc[2] tua conditio potior est, quod tibi nota est area. *E.* Versaris in tua harena[3]. *G.* In hac exercitatior sum, quam in libris. Tamen istud perquam exigui momenti est. Æquum est, vt tantus artifex in hoc certamine mihi largiare nonnihil. *G.* Imo isthuc abs te peterem iustius: sed PARVM EST HONESTA PRECARIA VICTORIA. IS DEMVM VINCIT, QVI SVO MARTE[4] VINCIT. Ita sumus pares, vt non melius commissus fuerit[5] olim cum Bitho Bacchius[6]. *E.* Tua sphæra commodior est mea. *G.* Et tua vola vincit meam. *E.* Ludito legitime, absque technis, ac dolo malo. *G.* Dices, tibi rem esse cum homine probo. *E.* Sed prius audire cupio huius

1 Qui victus fuerit, ei a pedibus erit, a tergo sequetur eum. 2 Tanto. Du bist um so viel besser dran/ du hast so viel voraus. 3 arena. 4 propriis virtutibus, sua virtute. 5 congressus fuerit. 6 Bithus & Bacchius nobile par gladiatorum; pares arte, pares audacia. Proinde quoties duo æqualiter contendunt inter sese, ita vt neuter alteri velit concedere, festiue dicemus Bacchium cum Bitho commissum. Caroli Stephani Dictionarium Hist. Geograph. Poëticum. Man hätte uns nicht besser zusammen schleudern können.

huius ſphæriſterii * plebiſcita.[7] *G.* Quaternio ludum abſoluit. Qui hanc lineam prætcrierit, in damno eſt[8]: reliquos limites ſi tranſilias, ſine fraude fiet. Qui globum ſuo loco mouerit perditius feriendi. *E.* Intelligo. *G.* En occluſi tibi portam. *E.* Sed iſthinc te excutiam[9]. *G.* Id ſi feceris, cedam tibi huius certaminis palmam*. *E.* Bona fide[10]? *G.* Optima: non enim potes alia via, niſi ſic mittas ſphæram tuam in parietem, vt reſiliat in meam. *E.* Id experiar. Quid ais, bone vir? Nonne depulſus es? *G.* Fateor: vtinam tam ſapiens eſſes, quam es felix. Sed iſthuc centies tentanti[11] vix ſemel ſucceſſerit. *E.* Imo ſi quid audes deponere pignoris, niſi tertio quoque experimento ſucceſſerit, vinces[12]. Sed interim redde pactum præmium. *G.* Quodnam. *E.* Diſtichon. *G.* Reddam. *E.* Et quidem ex tempore. Quid arrodis[13] vnguem? *G.* Habeo. *E.* Recita clare. *G.* Clariſſime:

Plaudite victori iuuenes hic quotquot adeſtis:
*Nam me qui vicit, doctior eſt * nebulo.*

Non-

---

* Sphæriſterium, locus in quo ſphæris luditur. Habent autem quæque peculiares ſuas leges. Ein Regel-Parchen/ Spiel-Hauß. 7 ſtatuta. 8 damnum patitur, mulctabitur. 9 expellam, propulſabo, eiiciam, eliminabo. * Signum pro re ſignata, id eſt, victoria. 10 Im rechten Ernſte? Parol? Serio ne an ioco? 11 ſi tentares. Du möchteſt es wohl ꝛc. es würde dir kaum einmahl glücken. 12 Um was wollen wir wetten/ daß ichs immer aufs dritte mahl treffen will? 13 mordes. * Philoſophus quidam apud Laertium, videns quendam laſciua ſaltatione geſtientem, Quo melius, inquit, feceris, hoc deterius facies. In re mala quo melior es artifex, hoc vir es peior.

Nonne distichon habes? *E.* Habeo: sed quale abs te allatum est[14], tale tibi referetur[15].

Saltus.

VINCENTIVS. LAVRENTIVS.

Vi. Libet ne decertare[1] saltu? *La.* Ludus iste non conuenit pransis[2]. *V.* Quam ob rem[3]? *L.* Quia ventris saburra* grauat corpus. *V.* Non admodum sane, qui pransi sint in pædagogio[4]: nam ibi plerumque cœnaturiunt[5] prius quam absoluerint prandium. *L.* Quod igitur saliendi genus placet? *V.* Auspicemur ab eo, quod est simplicissimum, a saltu locustarum, siue magis ranarum, vtraque tibia, sed iunctis pedibus. Qui longissime promouerit cingulum, coronam feret. Huius vbi erit satietas[6], aliud atque aliud genus experiemur. *L.* Equidem nullum recusabo genus, nisi quod geritur cum periculo tibiarum: nolim mihi rem esse cum Chirurgis. *V.* Quid si certemus vnica tibia[7]? *L.* Iste ludus est Empusæ;* valeat[8]. *V.* Hastæ innixum salire, cumprimis est elegans. *L.* Liberalius est certare cursu. Siquidem hoc certaminis genus apud Virgilium* proposuit[9] & Æneas. *V.* Ve-

14 accepi. 15 referam, reddam.

1 Um die Wette springen. 2 qui pransi sunt. 3 Quidni? * Saburra, onus nauis, quo libratur aduersus fluctus, & Plautus inquit de fœmina: Nos mulieres sabburratæ largiloquæ sumus. 4 orphanotrophio. 5 cœnare desiderant, auent, cupiunt. 6 habebimus satietatem. 7 auf einem Beine. Empusa qs. ἐν πῦσα, die nur ein Bein hat; ἕνα πόδα ἔχουσα. * Spectrum est apud Aristophanem, quod apparet vnica tibia: vnde & Græci nomen dedere. 8 absit. * Lib. 5. Æn. 9 in medium produxit.

Verum; ſed idem propoſuit & cæſtuum [10] certamen, quo non delector. *L.* Deſigna ſtadium [11]. Hoc loco ſit carcer [12], quercus iſta ſit meta. *V.* Sed vtinam adeſſet Æneas, qui proponat & præmia victori. *L.* VICTORI ABVNDE MAGNVM PRÆMIVM EST GLORIA. *V.* Victo potius dandum erat præmium, ſolatii gratia. *L.* Sit igitur victo præmium, vt [13] lappa coronatus redeat in vrbem. *V.* Equidem non recuſarim, ſi tu præcedas tibia canens. *L.* Eſt ingens æſtus. *V.* Nec mirum, quum ſit ſolſtitium æſtiuum [14]. *L.* Præſtiterat natare. *V.* Mihi non placet ranarum vita. Animal ſum terreſtre, non amphibion * [15]. *L.* Sed tamen hoc exercitamenti genus olim cumprimis habebatur liberale [16]. *V.* Imo etiam vtile. *L.* Ad quid? *V.* Si fugiendum ſit in bello, ibi potiſſimum valent qui ſeſe curſu pedum & natatu exercuerunt. *L.* Artem narras haudquaquam aſpernandam. Neque enim minus laudis eſt aliquando bene fugere, quam fortiter pugnare. *V.* Sum plane rudis & imperitus natandi, nec ſine periculo verſamur in alieno elemento. *L.* Sed aſſueſcere oportet: nemo naſcitur artifex [17]. *V.* At ego iſtius generis artifices permultos audio natas-

ſe

10 Cæſtus, genus clauæ, pilas plumbeas loris bubulis appenſum habens. Der Riemen-Kampff. 11 ſpatium curriculi, decurſus. 12 terminus a quo, principium curſus. 13 Kletten/ i. e. ſerto lapposo, corona lappea. 14 cum Sol Cancrum ſit ingreſſus. * Amphibia dicuntur, quæ ſimul & in aqua viuunt & in terra, vt crocodilus, anates, anſeres, cygni, & ſimilia. 15 Ein Thier das in zweyerley Elementen lebet. 16 decens, honeſtum, conueniens, pertinens. 17 Es fällt kein Meiſter vom Himmel.

ſe, ſed non enataſſe[18]. *L.* Experieris primum innixus ſuberi. *V.* Nec ſuberi* fido magis quam pedibus: ſi vobis cordi eſt[19] natatio, ſpectator eſſe malo, quam certator[20].

Confabulatio pia.

ERASMVS. GASPAR.

Er. VNde nobis prodis? E popina quapiam? *Ga.* Bona verba[1]. *E.* E ſphæriſterio[2]? *G.* Ne hoc quidem. *E.* Ex œnopolio*? *G.* Nequaquam. *E.* Quando non aſſequor diuinando[3], dic ipſe. *G.* Ex æde Virgini matri ſacra. *E.* Quid illic tibi negotii eſt? *G.* Salutem dixi nonnullis. *E.* Quibus? *G.* Chriſto, ac diuis aliquot. *E.* Religioſior tu quidem es, quam pro ætate[4]. *G.* Imo nullam ætatem non[5] decet religio. *E.* Si cupiam eſſe religioſus, patiar mihi iniici cucullam. *G.* Atque ego idem facerem, ſi, quantum caloris adfert, tantundem pietatis adferret cuculla[6]. *E.* Aiunt vulgo, pueros angelicos in ſatanam[7] verti, vbi conſenuerint. *G.* Sed ego prouerbium iſthuc ab autore ſatana natum arbitror. Imo vix exiſtimo ſenem eſſe vere pium, niſi qui a teneris annis

---

18 Geſchwommen/aber nicht entkommen. * Græce φέλλος, corticis genus ſemper fluitans: vnde qui diſcunt natare, ſubiiciunt pectori. Horat. Nabis ſine cortice. Eine Rinde/ Schale. 19 affixa. Ans Hertze gebacken / gewachſen / gebunden. 20 Ich will lieber einen Zuſchauer abgeben/ als mitmachen.

1 Eſt Charientiſmus. Rede anders. 2 Das Ball-Hauß. * Græcum eſt οἰνοπώλιον, taberna vinaria. 3 Errathe/ treffe. 4 ætatis modulo, quam ætas requirit. 5 omnem; nulla ætas eſt, quam non. 6 Elegans transpoſitio & interpoſitio 7 Diabolos.

annis assueuerit. NIHIL FELICIVS DISCITVR, QVAM QVOD AB IPSA STATIM PVERITIA DISCITVR. E. Quid igitur est religio? G. Est purus cultus Numinis, & obseruatio præceptorum illius. E. Quæ sunt illa? G. Longum est, sed vt in summa dicam, in rebus quatuor est sita. E. In quibus? G. Primum, vt recte pieque sentiamus[8] de Deo, de scripturis diuinis: atque vt illum non vereamur modo, tanquam Dominum, verum etiam amemus ex intimis affectibus, vt Patrem beneficentissimum. Secundum, vt summa cura tueamur[9] innocentiam: ea est, ne quem lædamus. Tertium, vt teneamus[10] caritatem, hoc est, vt de omnibus, quantum datur, bene mereamur. Quartum, vt seruemus patientiam. Ea præstat, vt mala nobis illata[11], si mederi nequeamus, patienter toleremus, non vlciscentes, nec malum malo referentes. E. Næ[12] tu probus es Concionator. Sed præstas ista, quæ doces? G. Equidem adnitor pro mea virili. E. Qui potes pro virili, cum sis puer[13]? G. Meditor pro viribus[14], & quotidie mecum ineo rationem[15]: si quid cessatum fuerit, corrigo: illud præter decorum,

8 rectam piamque sententiam foueamus. 9 seruemus. Germ. dicit: Uber die Unschuld halten. 10 It. Uber oder an der Liebe halten. 11 facta. 12 Profecto. 13 Lusus est in termino: pro virili, als ein Mann / nach Vermögen. 14 ex omnibus viribus. 15 Alludit ad descriptionem boni viri ex Appendice Virgiliana:

Non prius in dulcem declinat lumina somnum;
Omnia quam longi reputauerit acta diei.
Quæ prætergressus? quid gestum in tempore, quæ non?
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi?

corum, hoc dictum petulantius, hoc factum incircumspectius, hoc taceri præstiterat, illud omissum. *E.* Quando subducitur* ista ratio? *G.* Ferme sub noctem, aut si quando magis vacat. *E.* Sed age, dic mihi, quibus studiis totum transigis diem? *G.* Nihil celabo tam fidum sodalem. Mane, simul atque sum expergefactus, (id fere fit ad sextam aut quintam,) pollice signum crucis pingo in fronte & in pectore[16]. *E.* Quid deinde? *G.* Auspicor initium diei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *E.* Pie sane. *G.* Mox paucis saluto Christum. *E.* Quid illi narras? *G.* Ago gratias, quod eam noctem mihi voluerit esse prosperam, precorque, vt diem itidem illum totum mihi bene fortunet, ad ipsius gloriam, & animæ meæ salutem: vtque is, qui est vera lux occasum nesciens, Sol æternus, omnia viuificans, alens, exhilarans, dignetur illucescere menti meæ, ne vsquam impingam* in vllum peccatum,

---

*Metaphora ducta a calculatoribus. 16 Tertullianus de Christianis: Frontem crucis signaculo feriunt ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia. Respicit a. ad Prudentii verba, quæ mutuatus est Lutherus quoque in Catechismo:

Fac cum sinente somno
Cassum fugis cubile,
Frontem locumque cordis
Crucis figura signet.

Frons signatur vt sedes intellectus; pectus vt sedes & habitaculum voluntatis & affectuum; ad fidei confessionem & crucis commonefactionem. * Metaphora ab offendentibus ad lapidem aut aliud quippiam. Incidam, præcipitem, dilabar, deflectam, irruam.

tum, ſed ipſius ductu perueniam ad vitam æternam. *E.* Haud inauſpicatum diei exordium. *G.* Deinde ſalutatis Parentibus, quibus ſecundum Deum primam debeo pietatem, cum tempus eſt, confero me ad ludum literarium, ſed vt per templum, ſi commodum eſt, ſit mihi tranſitus. *E.* Quid illic? *G.* Rurſus tribus verbis ſaluto[17] Ieſum, ac diuos diuasque omnes, ſed nominatim Virginem matrem, tum eos, quos habeo mihi peculiares. *E.* Næ tu mihi probe legiſſe videris illud Catonis, Saluta libenter. Non ſat erat mane ſalutaſſe[18], niſi mox denuo ſalutares? An non vereris ne moleſtus ſis immodico[19] officio? *G.* Amat Chriſtus ſubinde appellari. *E.* Sed ineptum videtur alloqui, quem non vides. *G.* Nec eam mei partem video, qua illi loquor. *E.* Qua? *G.* Animo. *E.* Sed ocioſum eſt ſalutare non reſalutantem[20]. *G.* Reſalutat frequenter arcano afflatu[21]. Denique abunde reſalutat, qui dat quod petitur. Quid hic ab illo flagitas? Nam video, tuas ſalutationes eſſe petaces[22], cuiusmodi fere ſunt mendicorum. *G.* Sane non procul aberras a ſcopo. Precor enim, vt, qui puer duodecim annos natus, ſedens in templo docuit ipſos doctores, cuique Pater cœlitus emiſſa voce dedit autoritatem docendi mortalium genus, quum diceret: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt; ipſum au-

17 compello, adoro, inuoco. 18 Ein Compliment machen / einen Bonis dies biethen. 19 ſuperfluo, durch die überflüſſige/ übermäſſige Bedienung. 20 Germ. dancken. 21 impulſu, inſtinctu. 22 bettelhaffte.

audire: quique est æterna sapientia summi Patris, illustrare dignetur [23] ingenium meum ad perdiscendas honestas literas; quibus vtar ad ipsius gloriam. *E.* Quos autem habes diuos tibi peculiares? *G.* Ex Apostolis Paulum, ex Martyribus Cyprianum, ex Doctoribus Hieronymum, e Virginibus Agnetem. *E.* Quæ res istos tibi conciliauit? electio, an casus? *G.* Sortito [24] obuenerunt. *E.* Atque istos nihil aliud quam salutas? An ab his quoque mendicas aliquid? *G.* Precor vt me suis suffragiis [25] Christo commendent, efficiantque vt illius munere aliquando contingat in ipsorum venire contubernium [26]. *E.* Sane rem non vulgarem petis. Quid tum postea? *G.* Ad ludum propero, & quod is locus postulat, toto ago pectore. Sic enim imploro Christi præsidium, quasi citra illius opem nihil efficiat nostrum studium: sic studeo, quasi ille nihil auxilii sit laturus, nisi grauiter laboranti. Ac modis omnibus do operam, ne merito vapulem [27], ne quid [28] dicto factoue vel Præceptorem offendam, vel sodales meos. *E.* Probus es, quum ista cogitas. *G.* Quum dimissus a ludo domum propero, rursus, si licet, per ædem sacram [29] iter facio, rursusque tribus verbis saluto Iesum. Si quid est obsequii præstandum Parentibus, obeo [30]. Quod si quid etiam superest temporis, mecum aut cum sodali repeto quod prælectum est [31] in schola. *E.* Næ

23 velit. 24 per sortem. 25 votis, vocibus. 26 societatem. 27 percutiar, verberer. 28 qua in re. 29 templum. 30 perficio, ago. 31 propositum est.

Næ tu perparcus es[32] temporis*. *G.* Nec mirum, si parcus sum rei, vt multo pretiosissimæ, ita irrecuperabilis. *E.* At Hesiodus docet, in medio parcendum esse: in principio præproperam, in fine* seram esse parsimoniam. *G.* Recte Hesiodus de vino; sed ætatis nulla est intempestiua parsimonia. Dolium si sinas, non exhauritur. At ætas nunquam non[33] defluit, siue dormias, siue vigiles. *E.* Fateor: sed quid deinde rei geritur? *G.* Adornata Parentibus mensa, recito consecrationem; deinde prandentibus ministro, donec iubeor & ipse prandium sumere. Actis gratiis, si quid vacat[34], lusu quopiam honesto laxo animum cum sodalibus, donec hora reuocat in ludum[35] a lusu. *E.* Ac rursum salutatur Iesus? *G.* Salutatur, si commodum est. Sin est cur aut non vacet, aut non sit tempestiuum, tamen præteriens templum cogitatiuncula saluto. Rursus in ludo totis viribus hoc agitur, quod locus postulat. Domum reuersus, idem ago quod ante prandium. A cœna suauibus fabulis memet oblecto: mox prosperam noctem precatus Parentibus ac familiæ, mature me confero ad nidum: illic flexis ante lectum genibus, mecum, vt dixi, reputo, quibus studiis is dies peractus sit. Si quid est grauioris admissi[36], Christi clementiam imploro vt ignoscat, polliceorque meliora: si nihil est, ago gratias illius bene-

32 admodum, perquam. Trefflich/ sonderlich/ sehr/ sparsam/ menageuse. *Ἐλλειψις, scil. emensor vel computator. * Vide Prou. Sera in fundo parsimonia. 33 Omni tempore, semper. 34 superest temporis. 35 scholam. 36 si quid grauius admisi.

beneficentiæ, quod me seruarit[37] ab omni vitio[38]. Deinde me totum illi toto pectore commendo, vt me protegat ab insidiis mali genii, & ab obscœnis somniis. His factis, lectum ingressus, frontem ac pectus signo crucis imagine[39], ac me compono ad somnum. *E.* Qua pacto te componis? *G.* Nec pronus cubo, nec supinus, sed primum lateri dextro innitens, brachiis ita transuersim seu decussatim complicatis, vt pectus muniant figura crucis, dextra manu sinistro admota humero, læua dextro. Ita dormio suauiter, donec aut expergiscar ipse, aut exciter. *E.* Sanctulus* es, qui ista possis. *G.* Imo stultulus es, qui ista dicas. *E.* Laudo institutum, si queam assequi. *G.* Velis tantummodo. Nam vbi assueueris pauculos menses, erunt hæc etiam suauia; adeo vertentur in naturam. *E.* Sed nihil audio de sacris. *G.* Nec hac parte mihi desum[40], diebus præcipue festis. *E.* In his quomodo te geris? *G.* Primum omnium excutio me ipsum, num qua labe peccati sit animus contaminatus. *E.* Id si comperias, quid tum? subducis te ab altari? *G.* Nequaquam corpore, sed animo me submoueo, ac veluti procul stans, nec audens attollere oculos ad Patrem Deum, quem offendi, tundo pectus meum, dicens

37 custodiuerit. 38 malo. 39 Prudentius:

Fac cum vocante somno
Castum petis cubile
Frontem locumque cordis
Crucis figura signet.

* Μέμψις duplex, quarum altera mordax est, altera μεμπτική. 40 Ich thue mir keine Kürtze.

cens illud ex Euangelio cum publicano: Domine*, propitius esto mihi peccatori. Deinde, si sensero, quempiam offensum a me, eum curo placandum e vestigio, si licet[41]: sin minus, statuo in animo[42], mihi, cum primum licebit, reconciliare proximum. Si quis offendit me, remitto vindictam, doque operam, vt qui læsit, agnoscat errorem suum, & resipiscat. Sin eius rei nulla spes est, vindictam omnem Deo relinquo. *E.* Isthuc durum est. *G.* An hoc durum, condonare leuem noxam fratri tuo, cuius ignoscentia tibi mutua sit frequenter opus: quum Christus omnia commissa nostra nobis semel condonarit, & quotidie condonet? Imo mihi videtur hæc non esse liberalitas in proximum, sed fœneratio apud Deum: perinde quasi conseruus ex pacto remittat conseruo tres drachmas, vt ipsi Dominus condonet talenta decem. *E.* Perpulchre tu quidem philosopharis, si modo certum sit, quod ais. *G.* An postulas aliquid certius euangelica cautione? *E.* Non est æquum. Sed sunt qui se non credant esse Christianos, nisi quotidie Missam, vt appellant, audierint. *G.* Horum institutum equidem non damno: præsertim in his, qui abundant ocio[43], quiue totos dies occupantur profanis negotiis. Tantum illos non approbo, qui superstitiose sibi persuaserunt, diem fore parum faustum, nisi fuerint eum auspicati a Missa: & statim a sacro[44] se conferunt, vel ad nego-

---

*Luc. 18. 41 fieri potest. 42 in corde. 43 tempore otiose. 44 post sacra, nach dem Gottes-Dienste.

gociationem, vel ad prædam, vel ad aulam; vbi si, quod per fas nefasque gerunt, successerit, Missæ imputant. *E.* Suntne qui sic desipiant? *G.* Magna pars hominum. *E.* Sed redi ad sacrum. *G.* Si licet, adsto vicinus altari sacro, quo percipere queam ea quæ sacrificus recitat, præsertim Epistolam & Euangelium. Ex his aliquid conor decerpere, quod infigam animo meo: id mecum aliquandiu rumino *. *E.* Nihil interim oras? *G.* Oro, sed cogitatione magis quam strepitu labiorum. Ex his, quæ recitat sacerdos, arripio precandi occasionem. *E.* Dic istud explanatius: nam non satis assequor[44] quid velis. *G.* Dicam. Finge recitari epistolam, Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Ad hæc verba sic mecum loquor Christo[45]: Vtinam vere sim azymus, purus ab omni fermento malitiæ. Sed tu, Domine Iesu, qui solus es ab omni malitia purus ac sincerus, largire vt indies & ipse magis ac magis expurgem vetus fermentum. Rursum, si forte legatur Euangelium de seminante semen suum, sic oro mecum: Felix ille, qui meretur esse terra bona: precorque, vt me ex terra parum[46] frugifera sua benignitate faciat terram bonam, sine cuius beneficio[47] nihil omnino bonum est. Sint hæc exempli causa dicta: nam singula persequi prolixum sit. Sed, si contingat[48] sacrificus mutus,

* Lepide translatum a pecoribus ruminantibus. 44 intelligo, scio. 45 cum Christo, ad Christum. 46 non, minime, minus, neutiquam. 47 gratia. 48 obueniat.

tus, quales multos habet Germania, aut non detur[49] adesse propius altari, fere libellum paro, in quo descriptum sit eius diei Euangelium & Epistola; inde ipse aut pronuncio, aut oculis lego. *E.* Intelligo: sed quibus cogitationibus potissimum transmittis[50] hoc tempus? *G.* Ago gratias Iesu Christo pro ineffabili charitate, quod genus humanum sua morte redimere dignatus est; & oro, ne patiatur suum sacrosanctum sanguinem pro me frustra fusum esse, sed suo corpore semper pascat animum meum, suo sanguine viuificet spiritum meum, vt paulatim adolescens virtutum auctibus efficiar idoneum membrum corporis illius mystici, quod est ecclesia: nec vnquam deficiam ab illo sanctissimo foedere, quod in extrema coena distributo pane[51], & porrecto poculo, pepigit cum discipulis suis electis, & per hos cum omnibus, qui per baptismum in societatem illius insiti[52] sunt. Quod si sensero vagari cogitationem, lego Psalmos aliquot, aut aliud quippiam pium, quod animum ab euagando[53] cohibeat. *E.* Habes in hoc Psalmos certos? *G.* Habeo; sed quos non ita mihi ipsi indixi[54] quin omittam, si cogitatio quaepiam incidat, quae magis reficiat animum meum, quam illa Psalmorum recitatio. *E.* Quid de ieiunando? *G.* Cum ieiunio mihi nihil est negotii. Sic enim me docuit Hieronymus, non esse

49 possim, liceat. 50 transigis. 51 in distribuendo panem & porrigendo poculum. 52 implantati sunt. 53 euagationibus. 54 iniunxi, praecepi, statui, mandaui, imperaui.

esse valetudinem atterendam [55] ieiuniis, donec corpus ætate [56] robur iustum collegerit [57]. Nondum autem egressus sum [58] annum decimum septimum. Sed tamen, si sensero opus, prandeo, cœnoque parcius, quo me præbeam alacriorem studiis [59] pietatis per diem festum. *E.* Posteaquam cœpi semel, expiscabor* omnia. Quomodo affectus es [60] erga conciones? *G.* Optime. Ad has non minus religiose accedo, quam ad sacram synaxim. Et tamen deligo, quos audiam. Sunt enim quos præstat non audisse. Quod si talis contingit, aut si nemo contingit, tempus hoc transigo sacra lectione: lego Euangelium & Epistolam cum interpretatione Chrysostomi aut Hieronymi, aut si quis alius occurrit [61] pius ac doctus interpres. *E.* Sed MAGIS AFFICIT VIVA VOX. *G.* Fateor; & audire malo, si detur concionator tolerabilis [62]: sed non videor omnino caruisse concione, si Chrysostomum aut Hieronymum scripto loquentem audiero. *E.* Non opinor. Sed quid te delectat [63] confessio? *G.* Magnopere: nam confiteor quotidie. *E.* Quotidie? *G.* Sic est. *E.* Alendus est igitur tibi proprie sacerdos. *G.* Sed illi confiteor, qui vere* solus remittit peccata, cui est potestas vniuersa. *E.* Cuinam? *G.* Christo. *E.* An

55 vim inferendam valetudini, debilitandam, minuendam valetudinem. 56 annis. 57 acceperit, consecutum fuerit. 58 superaui. 59 exercitiis, operibus. *Metaph. id est, sciscitabor. 60 Quo animo es, quomodo animatus es? 61 in manus venit. 62 mediocris, non intolerabilis. 63 quomodo tibi placet. * Περίφρασις Dei, vel, vt ipse explicat se, Christi.

An istud sat esse putas? *G.* Mihi quidem sat esset, si sat Proceribus Ecclesiæ & consuetudini receptæ. *E.* Sed quos tandem appellas Ecclesiæ Proceres? *G.* Pontifices, Episcopos, Apostolos. *E.* Et inter hos annumeras Christum? *G.* Is est omnium sine controuersia colophon*. *E.* Et huius receptæ confessionis autor? *G.* Is quidem autor est omnis boni; sed an ipse instituerit hanc confessionem, qualis nunc est in vsu Ecclesiæ, Theologis excutiendum relinquo; mihi puero & idiotæ sufficit maiorum autoritas. Hæc est certe præcipua confessio; nec est facile confiteri Christo. NON CONFITETVR ILLI, NISI QVI EX ANIMO IRASCITVR SVO PECCATO. Apud illum expono, deploroque, si quid admisi[64] grauius; clamo, lacrymor, ploro, me ipsum execror, illius imploro misericordiam; nec finem facio, donec sensero peccandi affectum penitus expurgatum e medullis animi, & succedere tranquillitatem aliquam & alacritatem, condonati criminis argumentum. Atque vbi tempus inuitat, vt adeam sacrosanctam mensam corporis & sanguinis dominici, confiteor & sacerdoti, sed paucis, & non nisi ea quæ certo videntur crimina; aut eiusmodi, vt vehemens suspicio sit[65] crimen esse. Neque vero protinus[66] arbitror esse piaculum, hoc est, enorme crimen, quod admittitur aduersus quaslibet constitutiones humanas, nisi contemptus accesserit malitiosus. Imo vix arbi-

*Præcipuus, & caput. 64 commisi, deliqui. 65 valde verendum sit. 66 illico, statim.

arbitror crimen capitale [67], cui non sit adiuncta malitia, hoc est, peruersa voluntas. *E.* Laudo quod sic es religiosus, vt tamen superstitiosus non sis. Hic quoque puto locum esse Prouerbio: NEC OMNIA, NEC PASSIM, NEC QVIBVSLIBET. *G.* Deligo mihi sacerdotem, cui credam arcana pectoris. *E.* Isthuc est sapere*. Sunt enim permulti, quod compertum est, qui, quod accipiunt in confessionibus, effutiunt. Sunt improbi quidam & impudentes qui percontantur a confitente, quæ præstiterat tacuisse. Sunt indocti & stolidi, qui ob sordidum quæstum præbent aurem verius quam animum, cum nec diiudicent inter noxam & recte factum, nec docere possint, nec consolari, nec consulere. Hæc sic habere, frequenter audiui ex multis, & ipse partim expertus sum. *G.* Et ego nimium. Proinde deligo mihi virum non indoctum, grauem, spectatæ integritatis [68], linguæ continentis [69]. *E.* Profecto felix es, qui ista mature sapere [70] cœperis. *G.* Denique illa prima mihi curarum est, ne quid committam, quod cum periculo credam sacerdoti. *E.* Nihil melius, si quidem possis cauere. *G.* Nobis quidem difficillimum est; sed auxiliante Christo facile est. Primum est, vt adsit bona voluntas. Eam mihi subinde renouo, præsertim diebus dominicis. Deinde subduco [71] me ipsum pro viribus ab improborum con-

67 Halßbrechende / halßbrüchichte. * Verbum loco Nominis Substantiui: id est, sapientia; vel: sapienter factum. 68 nota integritate, sinceritate. 69 silentis, taciturnæ. 70 intelligere. 71 subtraho.

consortio; & sodalibus integerrimis me adiungo[72], quorum conuictu[79] fiam melior. *E.* Recte tibi consulis. CORRVMPVNT ENIM MORES BONOS COLLOQVIA PRAVA. *G.* Otium ceu pestem quandam fugio. *E.* Nec mirum: nam nihil malorum non docet otium. Sed, vt nunc sunt hominum mores, solus viuat oportet, qui velit abesse a malorum consortio. *G.* Non omnino vanum est quod dicis. Plures enim mali, vt Græcus ille sapiens dixit. Sed ex paucis optimos deligo. Et PROBVS SODALIS NONNVNQVAM SODALEM REDDIT MELIOREM. Vito lusus, qui prouocant ad nequitiam: vtor innoxiis. Comem me præbeo omnibus: sed familiarem non nisi bonis. Quod si quando incidero in malos, aut corrigo blande monendo, aut dissimulo, toleroque: si videor non profecturus, certe cum primum licet, memet ab illis suffuror*. *E.* Nunquamne titillauit* animum tuum libido capiundæ cucullæ? *G.* Nunquam; sed crebro solicitatus sum a quibusdam, ab hoc seculo, velut a naufragio, ad portum monasteriorum vocantibus. *E.* Quid ego audio? Captabant prædam? *G.* Miris technis adorti sunt & me, & parentes. Sed mihi stat sententia, non addicere me vel matrimonio, vel sacerdotio, vel instituto monachorum aut vlli vitæ generi, vnde post me non queam extricare, priusquam mihi fuero pulchre notus. *E.* Quando isthuc erit? *G.* Fortasse nunquam. Sed ante annum vigesimum octa-

vum

72 socio, associo. 79 conuersatione. * Id est, illorum consortium effugio. * Inuasit, incessit, cepit.

rum nihil statuetur. *E.* Cur ita? *G.* Quia audio passim tam multos sacerdotes, monachos, & maritos deplorantes, quod sese temere præcipitarint * in seruitutem. *E.* Cautus es, qui capi nolis. *G.* Interim tria mihi curæ sunt [80]. *E.* Quænam ista? *G.* Vt proficiam in probitate morum. Dein, si id nequeam, certe tuear illibatam innocentiam ac famam. Postremo, paro [81] mihi bonas literas ac disciplinas, in quouis vitæ genere futuras vsui. *E.* Sed interim a Poetis abstines? *G.* Non in totum, sed castissimos quosque [82] potissimum lego. Quod si quid inciderit parum verecundum, prætercurro, quemadmodum Vlysses obturatis auribus Sirenas prænauigauit. *E.* Sed cui interim studiorum generi te potissimum addicis? Medicinæ, Juri Cæsareo aut Pontificio, an Theologiæ? Nam linguæ, bonæ literæ, Philosophia, pariter conducunt [83] ad omnem professionem. *G.* Nondum vlli me plane addixi, sed ex omnibus gustum aliquem capio, ne cuiusquam plane sim rudis: vtque, degustatis singulis, certius eligam, cui sim accommodus. Medicina vbiuis terrarum certissimum viaticum est: Iurisprudentia viam aperit ad dignitates: Theologia mihi cum primis placeret, nisi me mores quorundam & morosæ inter ipsos contentiones offenderent. *Er.* Non facile labitur, qui sic pedetentim incedit. Complures hisce temporibus abstinent a Theologia, quod vereantur, ne vacillent in fide Catholica, cum videant, nihil non vocari

* Id est, temere coniecerint. 80 tria curo. 81 comparo acquiro. 82 omnium castissimos. 83 seruiunt, prosunt.

vocari in quæstionem [84]. *G.* Ego, quod lego in sacris literis & in symbolo, quod dicitur Apostolorum, summa fiducia credo, nec vltra scrutor, Cætera permitto Theologis disputanda ac definienda [85], si velint. Si quid tamen receptum est vsu populi Christiani, quod non plane pugnet cum sacris literis, hactenus seruo, ne cuiquam sim offendiculo. *Er.* Quis Thales * te docuit istam Philosophiam? *G* Fuit mihi admodum puero consuetudo domestica cum integerrimo viro Ioanne Coleto. Nostin' hominem? *E.* Quid ni? tanquam te. *G.* Is eam ætatem huiusmodi præceptiunculis imbuit. *E.* Non inuidebis, si me præbeam æmulum instituti tui? *G.* Imo isthoc nomine mihi futurus es multo charior. Scis enim, SIMILITVDINE MORVM CONGLVTINARI FAMILIARITATEM AC BENEVOLENTIAM. *E.* Verum; sed non inter competitores eiusdem magistratus, quum simili laborent morbo [86]. *G.* Nec inter eiusdem sponsæ procos [87], quum pariter laborent amore. *E.* Sed extra iocum, experiar imitari rationem istam. *G.* Precor vt tibi vertat [88] quam optime. *E.* Fortassis assequar te. *G.* Vtinam & præcurras. Sed interim non operiar te; quin ipse quotidie me ipsum superare

---

84 disputationem, controuersiam, dubium, dubitationem, disquisitionem. 85 decidenda. * Thaleti primas tribuunt inter sapientes. Ponitur ergo Proprium pro Appellatiuo. 86 Respicit fortassis vnanimitatem Caroli V. & Francisci I. Regis Franciæ circa habendum Mediolanum, quando Carolus: Quod frater meus, inquiebat, Rex Galliæ vult, idem & ego volo. Zincgref. Apophthegm. Germ. P. I. p. 87. 88 corriuales, competitores. 88 succedat.

rare contendo: sed tamen adnitere, si potes, vt anteuertas.

Venatio.

PAVLVS, THOMAS, VINCENTIVS, LAVRENTIVS, BARTHOLVS.

Pa. TRahit sua*quemque voluptas[1]. Mihi placet venatio. *Th.* Placet & mihi: sed vbi canes, vbi venabula, vbi casses? *P.* Valeant apri, ursi, cerui, & vulpes; nos insidiabimur cuniculis. *Vi.* At ego laqueos iniiciam locustis. Insidiabor gryllis. *La.* Ego ranas captabo. Ego papiliones venabor. *L.* Difficile est sectari volantia[2]. *Ba.* Difficile; sed pulchrum*: nisi pulchrius esse ducis sectari lumbricos aut cochleas, quia carent alis[3]. *La.* Equidem malo insidiari piscibus; est mihi hamus elegans. *B.* Sed vnde parabis escam[4]? *L.* Lumbricorum vbique magna est copia[5]. *B.* Est, si tibi velint prorepere e terra. *L.* At ego mox efficiam, vt multæ myriades prosiliant. *B.* Quo pacto? incantamentis? *L.* Videbis artem. Imple hanc situlam[6] aqua. Hos iuglandium summos[7] cortices virentes confractos immittito[8]. Hac aqua

*Hemistichium Virg. ex Bucol. 1 Alius atque alius, alia atque alia delectatur voluptate. 2 persequi, assequi. *Allusum est ad Prouerb. Difficilia quæ pulchra. 3 Martial. lib. XII. Epigr. 36.

Vis cursu pedibusque gloriari?
Tigrim vince leuemque Passarinum:
Nulla est gloria præterire asellos.

4 Gefretze/ Lock-Speise. 5 Sat vbique lumbricorum est, datur. 6 vrnulam, vasculum hoc. 7 extremos, extimos. 8 confringe & immitte frequenter; vbi confregeris, vbi fuerint confracti.

aqua perfunde ſolum[9]. Nunc obſerua paulisper. Vides emergentes[10]? *R.* Rem prodigioſam[11] video. Sic olim, opinor, exiliebant armati[12] ex ſatis[13] ſerpentis dentibus Sed plerique piſces delicatioris & elegantioris ſunt[14] palati, quam vt eſca tam vulgari capiantur. *L.* Noui quoddam inſecti genus, quo talibus inſidiari ſoleo. *B.* Tu vide an poſſis imponere piſcibus; ego ranis faceſſam negotium[15]. *L.* Quomodo? reti? *B.* Non; ſed arcu. *L.* Nouum piſcandi genus. *B.* At non iniucundum. Videbis, & fateberis. *V.* Quid ſi nos duo micemus digitis[16]: *P.* Ignauum eſt ac ruſticum luſus genus[17]. Ad focum[18] deſidentibus magis conuenit, quam in campo verſantibus. *V.* Quid ſi certemus nucibus[19]? *P.* Nuces admodum pueris[20] relinquamus; nos grandiuſculi[21] ſumus. *V.* Et tamen nihil aliud adhuc, quam pueri ſumus. *P.* Sed quibus decorum eſt ludere nucibus, iisdem non indecorum eſt equitare in arundine longa. *V.* Tu igitur præſcribito luſus genus: ſequar quocunque vocaris[22]. *P.* Et ego futurus ſum omnium horarum homo[23].

Eun-

---

9 terram. 10 prorepentes, proſilientes? 11 portentoſam, miram. 12 cataphracti, muniti. Geharnischte Männer. 13 ſparſis, diſſeminatis, conſitis. 14 Sie haben eine ſo dünne Schmecke/ daß ſie nicht. 15 zu ſchaffen / zu thun machen. 16 Einrathen; ludere par impar. 17 Es geht gar zu ſchläffrich und bäurisch bey dieſem Spiele her. 18 fornacem. Beym Ofen/beym Camine/ ad caminum. 19 Um Nüſſe ſpielen. 20 puſillis, qui perquam pueri ſunt. Den gar kleinen Knaben. 21 Etwas groß/ ſchon ein wenig zu groß/ allzu groß. 22 vocaueris, me inuitaueris. 23 Ich will mich auch in alles ſchicken. Omnium horarum homines ſolent vocari vrbani & feſtiui atque faceti,

Euntes in ludum literarium.

SYLVIUS. IOANNES.

Sy. CVr adeo curris Ioannes? *Io.* Cur lepus, vt aiunt, pro carnibus[1]? *S.* Quid hoc Prouerbii est? *I.* Quia nisi adfuero in tempore ante recitatum catalogum, actum est de pelle mea[2]. *S.* Hac quidem ex[3] parte nihil est periculi. Modo præterita est[4] quinta. Inspice horologium, manus[5] nondum attigit punctum, quod horam ab hora æquis spaciis dirimit[6]. *I.* At ego vix habeo fidem horologiis: mentiuntur nonnunquam. *S.* At mihi fide, qui campanæ vocem[7] audiui. *I.* Quid loquebatur[8]? *S.* Horam esse quintam. *I.* Sed est & aliud, vnde magis etiam timeam. Reddenda est[9] memoriter[10] hesterna lectio, satis[11] prolixa. Vereor vt[12] possim. *S.* Commune periculum narras[13]. Nam & ipse vix[14] satis teneo. *I.* Et nosti Præceptoris sæuitiam. Omnis illi noxia capitalis est[15]. Nec magis parcit nostris natibus

---

ad ludos & iocos parati, vt Asinius Pollio, Ciceronis æmulus. **In alle Sättel gerecht.**

1 Consequendis. Alii legunt: ***pro canibus***; i. e. canes euitando festinant? 2 **Es geht übers Leder/ es kostet meine Haut/ mein Buckel wirds gewahr.** 3 in. 4 præteriit, audita est, sonuit. 5 index. 6 separat, discernit. 7 sonitum. **Den Glocken-Schlag/ Seiger-Schlag/ Klang.** 8 **Wie viel schlugs? Was sagte die Glocke?** 9 recitanda. 10 **auswendig/ aus freyem Gedächtnisse.** 11 vere, fere. 12 *vt* pro: *ne* post verbum timendi vereor. 13 **Es wird mir eben so gehen / mit mir nichts anders seyn.** 14 Vix bene satis, **kaum gut genung/ nicht gar zu perfect.** 15 **Ein iegliches Versehen kostet bey ihm Halß-Abhacken/ über iedem Verfehlen gehts bey ihm um den Hals/ Kopf/ ums Leben.**

tibus[16], quam si corium esset bubulum. *S.* Verum is non aderit in ludo[17]. *I.* Quem igitur vicarium constituit? *S.* Cornelium. *I.* Strabum illum? Væ nostris natibus[18]! Is vel Orbilio * plagosior est. *S.* Verum dicis; & ideo non raro sum illius brachio precatus paralysin[19]. *I.* Non est pium, imprecari[20] Præceptori. Nobis potius cauendum, ne incidamus in illius tyranni manus. *S.* Reddamus inter nos vicissim, altero recitante, altero codicem inspiciente[21]. *I.* Pulchre mones. *S.* Fac præsenti sis animo. Nam metus officit memoriæ[22]. *I.* Facile deponerem pauorem, si non adesset periculum. At in tanto discrimine quis possit esse securus[23] animo? *S.* Fateor; attamen non agitur de capite, sed de parte diuersa[24].

Alia.

CORNELIVS. ANDREAS.

Co. SCito tu quidem pingis, sed charta tua perfluit[1]. Charta subhumida est, ac transmittit atramentum. *An.* Quæso vt appares mihi pennam hanc. *C.* Deest mihi gladiolus scriptorius[2]. *A.* En

---

16 Adeo percellit, flagellat podicem, ac si. 17 schola, classe. 18 Unser Steiß/ Podex, Hinterste/ wird Kirmeß haben/es wird uns gehen. * Orbilium literatorem Horat. plagosum appellat. Lege Suet. libro de claris Grammat. c. IX, 4. 19 Die Lähme/ der Schlag/daß er verlahmen möge. 20 male precari, Leuit. XX, 9. Deut. XXVII, 16. Actor. XXIII, 5. Exod. XXII, 28. 21 Wir wollen einander überhören/ aufsagen. 22 impedit memoriam. 23 tranquillo, sedato, libero animo. 24 i. e. podice, posterioribus.

1 Chartam tuam perfluit atramentum; charta tua transmittit atramentum, dein Papier schlägt durch. 2 scalpellum.

A. En tibi. *C.* Hui quam obtuſus [3]! *A.* Accipe coticulam. *C.* Vtrum amas ſcribere cuſpide [4] duriuſcula, an molliore? *A.* Attempera [5] ad manum tuam. *C.* Ego molliore ſoleo. *A.* Quæſo vt mihi deſcribas ordine figuras elementorum [6]. *C.* Græcas an Latinas? *A.* Latinas primum conabor imitari. *C.* Suppedita [7] chartam. *A.* Accipe. *C.* Sed meum atramentum dilutius [8] eſt, ſubinde infuſa aqua [9]. *A.* At meum linteolum [10] prorſus exaruit. *C.* Imminge; niſi mauis immeiere [11]. *A.* Imo potius rogabo alicunde. *C.* Præſtat habere domi, quam rogare commodato. *A.* Quid eſt ſcholaſticus absque calamo & atramento? *C.* Quod miles absque clypeo & gladio. *A.* Vtinam mihi eſſent articuli tam celeres [12]. Equidem [13] non poſſum dictantis vocem ſcribendo aſſequi. *C.* Prima cura ſit, vt bene ſcribas: proxima, vt celeriter. SAT CITO, SI SAT BENE. *A.* Belle: ſed iſtam cantionem cane Præceptori, quum dictat, SAT CITO, SI SAT BENE.

Agendi

3 hebes. 4 mucrone, acuta parte, ſummo acumine. 5 accommoda. 6 literarum. 7 porrige, cedo. 8 nimis dilutum, dilutum magis, plus iuſto. 9 quia ſubinde infuſa eſt; ab aqua infuſa. 10 linter meus, vaſculum atramentarium. 11 Oſtendit non tam immingendi, quam immeiendi Verbum in vſu eſſe probatæ Latinitatis autoribus, vtut propter uſum Simplicis penitus reprobrari nequeat. Vtrumque a. notat vrinam mittere, exonerare veſicam. 12 Ich wünschte / daß ich so geschwinde auf die Gelencke wäre. 13 Ego quidem.

Agendi gratias Formula.

PETRVS. CHRISTIANVS.

Pe. GRatum mihi fecisti[1], quod aliquoties ad me scripseris. Habeo gratiam[2], quod ad me crebrius scripsisti. Amo te, quod interdum ad me literas dare non dedignatus es. Habeo gratiam, quod crebris literis me viseris. Ago tibi gratias, qui literarum fasciculis[2] nos oneraris. Maxima tibi a me habetur gratia, qui nos aliquando literis lacessiueris[3]. Pergratum[4] mihi fecisti, quod nos dignatus sis tuis literis. Debeo tibi[5] pro tuis humanissimis ad me literis. Magni beneficii loco duco, quod non es grauatus[6] ad me scribere.

Responsio.

Ch. Imo meum est[7] deprecari culpam impudentiæ, qui non veritus sim[8] tibi homini tum occupatissimo, tum doctissimo, meis illiteratis literis obstrepere[9]. Agnosco solitam tuam humanitatem, qui meam audaciam boni consulueris[10]. Verebar ne quid[11] offendissent te meæ literæ, quod nihil omnino responderes. Non est quod agas gra-

1 Officium. 2 Gratias *habemus* animo & voluntate; ***agimus*** verbis; ***reddimus*** & ***referimus*** factis; ***facimus*** cum remittimus aliquid aut præstandum, aut præstitum. 2 **Brief-Paqvetchen/ kleinen Brieff-Paqveten.** 3 prouocaueris. Relatiuum: ***qui*** pro: ***quod***, causaliter positum, Subiunct. requirit. 4 Rem gratam, perquam iucundam. 5 Debitor sum tuus. 6 grauiter persuasus, permotus, inductus. 7 mearum partium est, ad me pertinet, mei est officii. 8 dubitauerim. 9 esse molestus. 10 in optimam partem fueris interpretatus. 11 aliqua ex parte, nonnihil.

gratias[12]: mihi plus satis est[13], si sedulitatem meam accepisti in bonam partem.

Noua rogandi Formula.

Pe. Nihilne[1] nouarum rerum adfertur[2] e patria? Num quid noui de nostratibus accepisti? Quid noui? Ecquid nouarum rerum apportas? Num quid noui fertur[3]? Num quæ res nouæ e patria nunciantur?

Responsio.

Ch. Noui quidem permultum, at nihil veri. Nouarum quidem rerum satis, at nihil comperti[4]. Noua permulta, at explorati nihil. Non parum noui, at veri non multum. Nihil adfertur noui. Nouarum rerum nihil prorsus accepi. Certi nihil, noui nonnihil. Rumores adferuntur permulti, sed dubii. Plurima est fama, at rerum nihil, firmi nihil. Si vana te capiunt, adfero tota plaustra[5] mendaciorum. Fabularum totos modios apporto. Tantum mendaciorum adfero, quantum vix vna nauis vehat[6]. *Pe.* Exonera te quam primum, ne succumbas tanto oneri. *Ch.* Nihil habeo præter ea, quæ iactantur in tonstrinis, in vehiculis, & in nauibus.

An accepisti literas? Formulæ.

Pe. Nihilne literarum accepisti? Num aliquas e patria recepisti literas? Nullæ tibi sunt redditæ

12 non est opus, vt. 13 sufficit, contentus sum, gaudeo.
1 Omnino nihil, nihil prorsus. 2 recensetur, narratur? 3 circumfertur? 4 certi, explorati. 5 Fuder / Wagen voll / Ein Schober voll. 6 Plätze voll Lügen / die auf einer Kuh-Haut nicht Raum hätten.

tæ literæ? Num quid ſcriptorum accepiſti? Num quas accepiſti epiſtolas? Ecquas ab amiculis accepiſti literas? Nihil epiſtolarum aduolauit [1] e Gallia?

Reſpenſio.

Ch. Literarum nihil accepi. Ne pilum [2] quidem literarum accepi. Ne tantulum quidem adfertur literarum. Nemo literam ad me [3]. Ne verbum quidem a quoquam redditur [4]. Tantum literarum accepi iam diu, quantum vides in oculo meo [5]. Equidem pecunias, quam literas malim. Argentum accipere malim, quam epiſtolas. Nummos recipere malim, quam epiſtolia. Nihil moror [6] literas, modo veniat argentum. Equidem numerari malo mihi, quam ſcribi [7].

Credo, Formulæ.

Pe. Facile credo. Haud difficile creditu eſt. Credi iſtud perfacile poteſt. Iſtud tibi quis non credat? Admodum incredulus fuerit, qui hoc tibi non credat. Profecto habeo tibi fidem. Iſtius rei mihi facile fidem facis. Credo tibi vel iniurato [8]. Veriſimile dicis. Adferunt tamen non-

---

1 Appulit, aduentauit. 2 hilum. 3 ſc. ſcripſit. Es hat mir niemand keinen Buchſtaben/keine Zeile geſchrieben. 4 reſpondetur. 5 Nicht ſo viel/ als mir in einem Auge wehe thut. 6 deſidero, expeto, curo, aueo. Ich frage viel nach Briefen / ich habe die Briefe von Briefen/ ich ſchere mich/ härme mich nichts um die Briefe. 7 Ich laſſe mir lieber auszahlen/ als ſchreiben. 8 Ich gläube dirs du darffſt nicht ſchwören/ ungeſchworen/ unbeſchworen; etiamſi non iuraueris. Iuratus, conſpiratus &c. Participia ex Verbis Neutris Neutralis ſignificationis Temporis Præteriti. Talia quoque ſunt: adultus, auſus, clamatus, de-

nonnihil ſolatii literæ. At ego alterutrum mallim, quam neutrum[9].

Vtilitatis Formulæ.

Ch. Quorſum ſpectant literæ ſine pecunia? Ad quid tandem inanes conducunt literæ? Quorſum valent, ad quid conferunt, faciunt, proſunt, proficiunt literæ vacuæ? Cui gratæ, cui acceptæ literæ ſine nummis? Quid emolumenti adferunt literæ inanes? Cui bono ſunt ocioſæ literæ? Quid iuuant? Cui ſunt vſui? Ad quid conducibiles ſunt? Quid ſecum adferunt momenti? Cui rei ſunt vtiles inanes epiſtolæ?

Reſponſio.

Pe. Podici tergendo vtiles, idoneæ, accommodæ. Conducunt natibus tergendis. Si vſum neſcis earum ad anum expurgandum valent. Ad nates tergendas. Ad poſticum purgandum. Conferunt ad eam corporis partem mundandam, quæ ſemet identidem inquinat[1]. Valent conueſtiendis ſcombris[2]. Inuoluendo thuri ſunt accommodæ[3]. Quid? valentne amiculi[4]? Quid vxor agit tua? *Ch.* Recte: eam apud matrem reliqui, & quidem prægnantem[5].

Bene precandi.

Pe. Bene & tibi & illi vertat[6]: tibi, quod pater

---

flagratus, emerſus, titubatus, i. e. qui clamauit, titubauit, iurauit. 9 Lieber eines von beyden/ als keines von beyden.

1 Inquinat egregios adiuncta ſuperbia mores. 2 Scumpris, piſcibus marinis inuoluendis. Daß man Saltz-Fische/ v. g. Häringe drein wickelt. 3 Zu Kramer- oder Saffran-Dütten. 4 Deminutiuum amici adhibetur ad ſignificandum amorem, blandiendi quoque & feſtiuitatis cauſa. 5 grauidam, vterum geſtantem. 6 cedat.

ter, illi, quod mater futura ſit. Adſit Deus. Vt vtrique veſtrum fauſtum felixque ſit, precor optoque. Quæſo, oro ſuperos omneis[7], vt incolumis prolem vobis dignam pariat, & pulchra te faciat prole parentem. Laudo te, quod virum te præſtiteris. Gaudeo, te virum præſtitiſſe. Gallum[*] te eſſe declaraſti, at non Cybeles[8]. Abi; virum te iudico. *Ch.* Ludis; idque facis tuo more. Age age, eſt tibi ius apud me loquendi quælibet. Audio, te patriam nuper reuiſiſſe. *Pe.* Sic eſt factum. Nam diutiuſcule iam abfueram; non ferebam tam diuturnum patriæ deſiderium. Non poteram a Parentum conſpectu abeſſe diutius. Torquebat me diutinum amicorum deſiderium. *Ch.* Pie feciſti: humanus es, qui iſta cogites. DVCIMVR ENIM OMNES ADMIRABILI QVODAM AMORE EIVS REGIONIS

---

7 per Epentheſin ſcriptio antiqua pro: omnes. * *Qui*, vt **Catullus** inquit, corpus euirat Veneris immodico vſu. Gallus a. dicitur a Phrygiæ flumine Gallo, ex quo bibentes adeo furere incipiunt, vt ſe virilitatis parte priuent. **Es hat mit dieſem Fluſſe eine Beſchaffenheit / wie mit denjenigen / davon man saget / wer daraus trincke der ſchnarre / oder könne das R nicht ausſprechen**, vt Laubæ in Prouerbio eſt tales bibiſſe ex riuo pagi **Hennersdorff**/ cuius incolæ ruſtici omnes illa linguæ impotentia in efferenda canina litera laborare dicuntur. **Ein ſolcher habe aus der Hennersdorffer Bach getruncken.** 8 Cybele vel Cibelle, vxor Saturni fingitur materque Deorum. Gallus Cybeles, eſt *Sacerdos caſtratus*, qualis Atys fuerat, quem Cybele ſacris ſuis præfeciſſe fertur vt perpetuo caſtitatem ſeruaret, qui tamen Sangritidem compreſſit. Senſus igitur hic eſt: Gallum te oſtendiſti, ſed non caſtratum, non euiratum.

GIONIS, QVÆ NOS ALVIT ATQVE EDIDIT. Et

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Dic, quæso, quonam in loco[9] illic offendisti[10] omnia?

Noua omnia, Formula.

Pe. Nihil non[1] nouum. Mutata omnia[2]. Nouata singula. Vniuersa noua. Vide quam repente[3] tempus res mutet humanas. Videbar mihi in alium venire mundum[4]. Vix dum[5] decennium abfueram, & non secus omnia admirabar, quam Epimenides somniatorum princeps, vix tandem expergefactus. *Ch.* Quænam ista est fabula? Quid istuc est fabulæ? *P.* Dicam equidem, si vacat[6]? *C.* Nihil fuerit[7] iucundius. *P.* Sellam igitur vna cum puluino mihi poni iube[8]. *C.* Recte admones; nam sedens commodius mentieris. *P.* Fabulantur historici de Epimenide quodam Cretensi, qui deambulandi gratia solus vrbem egressus, cum, subita pluuiæ vi compellente, in

9 statu, in quo rerum statu. 10 reperisti, deprehendisti, vidisti cuncta, vniuersa, singula?

1 Omne, quoduis. 2 sunt. Es hat sich alles verändert/verneuert. 3 subito, illico. 4 Constructio Verbi: *Videor*, dependet a sequente Commate ratione Personæ: Es schiene mir/als wenn ich/ Videbar; Es schien mir/ als wenn ihr/ Videbamini; Es hat mir geschienen/ als wenn du/ Visus es mihi; Es hat dir geschienen/ als wenn ich/ Visus sum tibi. 5 Vix. *Dum* cum particulæ *Vix* postponitur, videtur Pleonastice abundare; quando autem præponitur & constructionem inchoat, tum copula *Et* omittenda venit. 6 Tempus. 7 erit. Enallage Modi. 8 Iube vt ponatur sella, cum culcitra.

te, in quandam ſpeluncam ingreſſus, obdormisſet, quadraginta perpetuos annos ſomnum continuarit.

Non credo, Formula.

Ch. Quid narras? incredibile dictu. Non veriſſimile dicis. Somnium mihi narras. Non fit mihi ſimile veri. Monſtri ſimile narras. Non pudet tam improbæ vanitatis? Digna fabula quæ addatur veris narrationibus Luciani. *Pe.* Imo rem narro a grauiſſimis proditam autoribus: niſi forte tibi parum ſpectatæ [1] fidei eſt Aulus Gellius. *C.* Mihi vero, quæ ſcribit ille, folia Sibyllæ [2] ſunt omnia. *P.* Quid tandem Theologum tot annos ſomniaſſe reris [3]? Nam Theologum fuiſſe proditum eſt. *C.* Audire geſtio.

Reſponſio.

Pe. Quid aliud, quam quæ poſtea prodidit Scotus, & huius farinæ [4] ſodales? Sed bene cum Epimenide actum eſt [5], qui vel tandem [6] ad ſe rediit: multi Theologi nunquam expergiſcuntur a ſuis ſomniis. *Ch.* Age, facis vt Poëta dignum eſt:

1 Suſpectæ, ſubleſtæ fidei, friuolus eſt. 2 certiſſima ſunt, diuina ſunt Oracula. Ich halte alles, was er ſchreibet, vor ungezweiffelt, vor gewiß, vor ein Evangelien-Buch. Hinc Iuuenalis:

Credite, me vobis folium recitare Sibyllæ.

3 opinaris, arbitraris, putas, exiſtimas. Reor, ratus ſum, reri, Verbum paulo inſolentius. Vnde formula tironum crux: Rebare te fari ſcio, at fabare neſcio, i. e. Credebas te colloqui intelligenti, ſed loquebaris neſcienti. 4 commatis, furfuris commilites alii. 5 Der Epimenides iſt noch wohl daran geweſen; es iſt noch wohl um ihn beſtellet geweſen; es hat um den Epimenidem noch wohl geſtanden, ausgeſehen. 6 doch noch endlich.

est: sed perge mentiri. *P.* Epimenides igitur somno solutus[7] e spelunca prodit, circumspicit, mutata videt omnia, syluas, ripas, flumina, arbores, agros, breuiter, nihil non nouum. Accedit ad vrbem, percontatur, manet illic aliquandiu, neque nouit quenquam, neque a quopiam agnitus est. Alius hominum cultus, nec idem vultus[8], mutatus sermo, diuersi mores[9]. Nec miror, hoc Epimenidi post tantum annorum[10] euenisse, cum mihi idem propemodum euenerit, qui pauculos[11] annos abfuissem. *C.* Quid vterque Parens[12]? viuuntne? *P.* Viuunt ambo, & valent vtcunque[13], senio, morbo, denique bellorum calamitate confecti[14]. *C.* Hæc est humanæ vitæ comœdia. Hæc est fatorum lex ineuitabilis[15]. *P.* Cœnabis hodie domi? *C.* Foris cœnaturus sum. Foris cœnandum est mihi. *P.* Apud quem? *C.* Apud socerum meum, apud generum meum, apud nurum meam, apud affinem meum. AFFINES DICVNTVR, QVI NON SANGVINIS, SED MATRIMONII CONIVNCTIONE COPVLATI SVNT. *P.* Quæ sunt igitur vsitata vocabula affinitatum? *C.* Maritus & vxor, nota sunt nomina.

Socer.

---

7 expergefactus, excitatus. 8 Elegans Paronomasia: Cultus, vultus. 9 Ellipsis Verbi Substant. 10 tot annos, tantum annorum spatium. 11 perpaucos, per pauculos, admodum paucos. 12 sc. agit? quid rerum agunt ambo Parentes? Pater & Mater? Etlicher massen/ quodammodo, aliqua ex parte, sic satis; so hin/ so ziemlich. 14 postquam sunt. 15 In der Welt gehts nicht anders her/ auf dieser Kirchmeß setzt es solche Kuchen.

Socer[16], vxoris meæ Pater est mihi.
Gener[17], filiæ meæ maritus.
Socrus[18], vxoris meæ Mater.
Nurus[19], filii mei vxor.
Leuir[20], mariti frater. Leuir dicitur ab vxore, vt Helena Hectorem leuirum vocat, quod esset nupta Paridi.
Fratria[21], fratris mei vxor.
Glos[22], mariti soror.
Vitricus[23], Matris meæ maritus.
Nouerca[24], Patris mei vxor.
Priuignus[25], vxoris aut mariti filius.
Priuigna[26], filia alterutrius.
Riualis[27], qui amat eandem.
Pellex[28], quæ amat eundem: vt, Thraso riualis est Phædriæ, & Europe pellex est Iunoni.

Cras mecum prandeas.

Pe. Ago gratias. Laudo te. In crastinum igitur te ad cœnam voco. Cras ergo vt mecum cœnes, oro. Cras igitur mecum prandeas, rogo. Cras igitur te mihi conuiuam volo.

Timeo ne non[1] possim.

Ch. At vereor, ne non licuerit. Vt possim, metuo.

16 Schwieger-Vater. 17 Eydam/Schwieger-Sohn. 18 Schwieger-Mutter. 19 Schwieger-Tochter/ Schnur/ Schnürchen. Deminut. 20 Schwager. 21 Schwägerin/ Fr. Schwester. 22 Schwägerin. 23 Stieff-Vater. 24 Stieff-Mutter. 25 Stieff-Sohn. 26 Stieff-Tochter. 27 Mit-Buhler. 28 Concubina mariti, vxorem habentis. Eine Beyschläfferin/ Kebs-Weib/Bey-Weib; differt a Pallaca, quæ est cœlibis concubina. Ein Balck.

1 i. e. *vt*. Duæ enim negationes apud Latinos affirmant. *Vt* vero post *timendi* Verbum denique denuo negat.

metuo. Veniam, ſi quidem licebit. At metuo, ne non queam.

Quare?

Pe. Cur non licebit? Qui[2] ſic? Quid ita? Quam ob rem? Quo pacto? Quid cauſæ? Quid obſtiterit, quo minus poſsis?

Domi me eſſe oportet.

Ch. Tum quidem mihi domi manendum eſt. Vt domi nocte ſim, neceſſe eſt. Tum certe foris eſſe non licebit. Cras mihi quoquam ire foras liberum non erit. A prandio abeſſe mihi integrum non erit[3]. Aliquot ipſe conuiuas eo die operior*. Aliquot amiculi conſtituere ea nocte domi noſtræ cœnare. Ipſi mihi conuiuæ ſunt ea nocte tractandi, alioqui lubens venirem. Ni id eſſet, haud grauatim[4] facerem. Quod ni eſſet, haud me tibi difficilem præberem. Non excuſarem, ſi liceret. Non paterer bis rogari, ſi queam. Parce[5] rogare; vel inuocatus adeſſem, ſi quo pacto liceret. Haud grauate[6] tibi obſequerer, ſi poſſim. Fruſtra rogas eum, cui non eſt liberum[7]: fruſtra item rogaturus, ſi liberum eſſet[8]. Nunc vt maxime cupiam, non poſſum: tunc ſuperuacaneum eſſet rogare volentem. *P.* Vel[9] perendie apud me ſis, oportet. Saltem perendino

---

2 Cur? quare? quomodo? 3 Ich werde nicht dürffen von der Mahlzeit weg bleiben. * Id eſt, expecto. 4 non inuitus, lubens. 5 Deſine, ceſſa; Deſiſte rogando. 6 Facile. 7 quia vltra poſſe & facultatem ſiue Phyſicam ſiue Moralem nemo obligatur. 8 quia vltro, ſponte mea, meapte ſponte, non rogatus venirem. 9 Ad minimum, Minimum, Certe. Zum wenigſten/ doch gewiß.

dino die ad cœnam venias, necesse est. Quarto abhinc die[10] non grauaberis mihi præbere conuiuam. Die Iouis proximo non potes effugere[11], quin venias.

Non possum promittere.

Ch. Non possum polliceri. Affirmare istud tibi non possum. Promittere certum nequeo. Veniam, vbi vtrique nostrum videbitur commodissimum.

Diem dicere debes.

Pe. Diem igitur mihi constituas volo, ad quem mecum sis cœnaturus. Diem igitur assignes, oportet. Diem igitur promittas, necesse est. Diem certum mihi præfiniri, præscribi, præstitui, constitui cupio. Ad certum diem condicito. Diem mihi dicas velim.

Nolo te præscire.

Ch. Equidem non soleo dicere diem amicis. Cum quibus mihi parum conuenit[12], iis soleo diem dicere*. Præscium te esse nolim. Præscire te nolo. De improuiso te opprimam[13]. Inopinato te opprimam. Te nec opinantem oppressero. Te nihil suspicantem oppressurus sum. Non expectatus adfuero. Adoriar te nec opinantem. Veniam vltroneus, & insperatus conuiua.

Præ-

10 Post quatriduum, quatuor dies. 11 Du kanst mir nicht entwischen; du kansts nicht Umgang haben/ nehmen; du must. 12 Mit denen ich mich nicht vertragen kan; mit denen ich nicht stimmen/ überein kommen kan. * Iocus est ambiguus significatione; nam illis diem dicimus, quos in ius vocamus. 13 Uberfallen/ überrumpeln/ überraschen.

Præſcire volo.

Pe. Biduum præſcire volo. Biduum præſcius eſſe cupio. Præmoneto biduo prius, quam venias. Fac me biduo ante certiorem. *Ch.* Si me vrges, dico tibi diem Sybariticum[14], ne deſit apparandi ſpacium. *P.* Quid hoc verbi eſt? *C.* Sybaritæ conuiuas inuitabant in annum proximum, vt vtrinque eſſet iuſtus apparatus. *P.* Valeant Sybaritæ cum ſuis moleſtis conuiuiis[15]: ego congerronem voco, non ſatrapam[16].

Tuo malo optas.

Ch. Equidem tuo detrimento. Tuopte quidem malo. In damnum tuum iſtud optas. Incommodo iſtud precaris tuo. *Pe.* Quid ita? Quam ob rem? *C.* Ego inſtructus accedam. Ego munitus veniam. Aggrediar te paratus. Inſtructus multa fame accedam; tu vide, vt vulturem expleueris. Parabo ventrem, ac dentes exacuam; tu vide, quibus modis lupum exatures. *P.* Age ad hoc certamen te prouoco. Age fac pro viribus, pro virili, ſi quid potes. *C.* Veniam, ſed non incomitatus[17]. *P.* Tanto venies gratior. Sed quo comite venies? *C.* Vmbra*. *P.* Nec ſecus poſſis, ſi modo luce venias. *C.* Sed vmbram adducturus ſum dentatam vnam atque alteram, ne tu me vocaris impune. *P.* Age vt libet, modo ne

14 Ich will mir ein Jahr Zeit/ Friſt nehmen; will dir ein Jahr Friſt geben. 15 luxu deliciisque affluentibus. Sie mögen seyn/ wer ſie wollen. 16 Perſarum Principem, prouinciæque Præfectum. 17 ſolus. * Id eſt, comite.

ne laruas[13] adducas. Sed explana, si libet, quid sibi velit vmbræ vocabulum. *C.* Apud eruditos vmbræ vocantur, qui ipsi non vocati comitantur eum, qui vocatus est ad conuiuium. *P.* Talium vmbrarum adduc quantum voles.

Ea lege promitto.

Ch. Veniam quidem; at hac lege, vt tu postridie eius diei viciſſim apud me cœnes. Faciam eo quidem pacto, vt deinde mihi quoque sis conuiua. Ea lege cœnam condico, vt tu rurſum mihi sis conuiua. Spondeo futurum, sed hac exceptione, si tu postero die itidem apud me sis. Recipio[19] tibi, facturum me. Do fidem futurum, his quidem legibus, vt tu mecum postridie prandeas. *Pe.* Age fiat. Esto. Sit ita vt vis. Si iubes, faciam. Noui Gallorum magnificentiam. Non vis gratis apud me cœnare, niſi vices retuleris. At isto quidem pacto redire solent in orbem [20] conuiuia. Sic naſcitur conuiuiorum longa periodus*. Hac viciſſitudine fiunt sine fine reciproca conuiuia. *C.* Nihil ſuauius, si minimum accedat apparatui quotidiano. Cæterum ego te detineo, alio fortaſſis iturum. *P.* Imo ego te, opinor. Sed cras latius & familiarius confabulabimur. Verum craſtino die plura nugabimur. Interim fac valeas. Interim cura vt bene valeas. Interim valebis.

Quo

18 spectra, lemures. Geſpenſter / Polter-Geiſter / quales apparebant Romulo post mortem Remi, quem interfici fecerat. Vmbras enim τὰ εἴδωλα, hoc est, defunctorum animas quandoque appellamus. 19 Promitto, spondeo. 20 circulum. Es wird ein Kräntzchen draus. * Id est, circumductio. Es währet zu lange. Man kömmt nicht herum / nicht wieder davon.

Quo is? Formula.

Ch. Quo tu nunc abis? Quo tu nunc properas? Quo tu tam celeri gradu tendis? Quonam te confers? Quo nunc iter est?

Eo domum, Formula.

Pe. Domum me recipio. Domum reuertor. Domum repeto. Domum me confero. Viso quid domi agatur. Accerso medicum. Rus hinc concedo. Constitui ad hanc horam cum viro quodam grauissimo colloqui. Statui hac hora congredi cum viro grauissimo. *Ch.* Quonam? *P.* Cum Curione multiloquo. *C.* Precor igitur tibi præsentem Mercurium. *P.* Quid opus Mercurio fauente? *C.* Quia res erit cum linguaci. *P.* Atqui hac gratia[1] magis conueniebat, mihi Memoriam[2] precari propitiam. *C.* Quid ita? *P.* Quia patientissimis auribus opus erit potius, quam strenua lingua. At auris Memoriæ dicata est. *C.* Quanam iturus es? Qua ibis? *P.* Hac ad sinistram, hac, illac, per forum. *C.* Comitabor igitur te. Assectabor, ac deducam te ad diuerticulum[3] vsque. *P.* Non patiar te circumagi. Nolim te tantum laboris mea causa capere. Isthuc officii serua cum erit vsus; nunc nihil opus est. Ne mea gratia facias viæ tuæ dispendium[4]. *C.* Mihi quidem compendium est[5], frui tantisper amico.

---

1 ea propter, ea de causa, id circo. 2 memoriæ Deam. Mercurius enim a mercibus dictus: verum non mercatorum & furum, sed & eloquentiæ Deus gentilibus habitus est. 3 Scheide-Weg; Herberge / Gasthof. 4 Verlängere dir den Weg mir zu gefallen nicht. Thue dir nicht Schaden. 5 Es ist mein Vortheil; ich komme eher / reiche zu / der Weg wird mir nicht lang.

amico. Nihil habeo quod agam, & non ſum piger, ni[6] tibi ſum moleſtus comes. *P.* Nemo iucundior aſſecla. At non ſinam, vt mihi claudas læuum latus: non admittam, vt mihi ſiniſter ambules[7]. Hic te ſuperis commendo. Nolo te longius comitem. Vlterius nolo me comiteris.

Commendandi Formulæ.

Ch. Tu me Curioni magnopere commendato. Fac me Curioni multiloquo quam commendatiſſimum facias. Me Curioni commendatum quam diligentiſſime curato. Iube vt me ſibi commendatiſſimum habeat. Ego me illi per te commendatum facio. Me tibi etiam atque etiam commendo. Me tuæ humanitati, quam poſſum, diligentiſſime commendo. Recommendo, pro commendo, barbaris relinquito[8]. Vide ne pauca cum multiloquo loquaris. Vide ne cum multiloquo ſis pauciloquus.

Obſequii.

Pe. Vis me tibi morem gerere? Vis me tibi obſequi? Vis tibi obſecundem? Te igitur imitari me iubes? Quandoquidem ita vis, faciam libentiſſime. Ne ſis mihi diutius in mora[9], imo ne vterque alteri. *Ch.* Sed priusquam abeas, quæſo te, ne graueris me docere, quo pacto his ſit vtendum, in mora, in cauſa, in culpa, qui ſoles elegantiæ ſtudioſus eſſe. Quare age, doce obſecro, diſſere amabo.

In

6 niſi. 7 Daß du mir unten an/ zur Lincken/ geheſt. 8 Contra *Præſentare* pro *repræſentare* barbaris relinquendum. Vide Cellarii Anti-Barb. & Curas poſteriores. 9 Halt mich nicht länger auf/ ne diutius me detine, morare.

In culpa, in causa, in mora.

Pr. Mos gerendus est tibi. Non est culpa in me, non est culpa in te. Mora est in te[10]. In te causa est, grammatice quidem dicitur; at multo elegantius,

In culpa.

Non sum in culpa[11]. Culpa non est mea. Vaco culpa. Quod nihil proficis, tua desidia in causa[12] fuit, non Præceptor, non Pater tuus. In culpa omnes estis. Vtrique in culpa estis. Vtrique culpandi estis. Ambo accusandi estis. Ambo in culpa estis. Incidisti in morbum tuo ipsius vitio, tua ipsius culpa. Itidem dicuntur in vitio esse, quibus culpa debet imputari: & in crimine esse, qui culpandi sunt: & in damno esse, qui damno afficiuntur. Hoc genus sermonis non temere licet invertere: damnum in illo est; vitium in illo est.

In causa.

Quo minus ad te scripserim, morbus in causa fuit. Quo rarius ad te scripserim, mea negotia in causa fuerunt, non negligentia. Quid in causa fuit? Quid causæ fuit? Ego non sum in causa. Quod nullas a me literas acceperis, tabellarius in causa fuit. Quod tam macilentus es, amor, non studium, in causa est. Hoc est causæ.

In mora.

Non ero vobis in mora. Quidnam nobis in mora

10 Du hältest dich selber auf. 11 Germ. dicitur: Ich bin nicht Schuld / &: ich bin nicht in der Schuld; bin ausser aller Schuld.
12 *in* Pleonastice positum cum Ablatiuo: Germanus omittit dicens in Nominatiuo: Deine Faulheit ist Schuld / Ursache; nicht: ist in der Ursache.

mora fuit? Tu nobis in mora fuisti [13]. Tu semper in mora es. Quid te remoratum est? Quis te remoratus est? Habes [14] quod petebas; tuum est, memoriæ insculpere. Habes affectatiunculæ [15] tuæ præmium. Vale, mi Christiane. *Ch.* Vale in crastinum [16] & tu, mi Petre.

In occursu.

CHRISTIANVS. AVGVSTINVS.

Ch. Salue multum, iucundissime Augustine. *Au.* Salue tantundem mi humanissime Christiane. Felix sit tibi hujus diei exortus [1]. Prosper sit tibi hic dies. Qui [2] tandem agitur? *C.* Suauiter, vt nunc res nostræ sunt. Et cupio omnia quæ vis. *A.* Merito te amo. Amo te. Amandus es. Benigne dicis. Comis es. Habeo gratiam.

Irascor tibi, Formula.

Ch. At ego nonnihil tibi succenseo. At ego tibi subirascor [1]. Verum ego tibi sum subiratus. Atqui ego sum in te stomachosior. Atqui nonnihil [2] est, vel habeo, quod tibi succenseam.

Qua causa? Formula.

Au. Quidnam est istud, obsecro? Quid ita? Quam ob rem tandem, oro? Quid admisi sceleris? Quid commerui? Promereor bona, aut laudem: Commereor mala, aut pœnam: illud in bonam

---

13 Du hast uns verweilet/ aufgehalten/gehindert. 14 hic. 15 appetentiæ, affectationis. 16 Biß wir einander morgen wieder sprechen/ wieder sehen.

1 Guten Morgen/ einen glückseligen/ frölichen guten Morgen! 2 Quomodo, quo pacto? Wie gehts/ was macht man?

1 Præpositio *Sub* in compositione minuendi vim habet; Subirascor, ich bin ein klein wenig böse/zornig auf dich. 2 aliquid.

bonam, hoc in malam partem ſumitur. Demeremur eum, quem nobis beneficio reddimus obnoxium.

Quia non curas me.

Ch. Quod nulla mei tibi cura ſit. Quod nihil nos reſpicis. Quod tam raro nos reuiſas. Quod nihil nos cures. Quod me plane negligis. Quod noſtri curam videris abieciſſe. *Au.* At nihil eſt cauſæ, cur ſuccenſeas. At præter meritum meum. At immerito ſuccenſes. Neque enim mea culpa accidit, quod te rarius viſam. Dabis veniam occupationibus meis, per quas mihi non licet toties, quoties cupio, te reuiſere. *C.* Ita demum tibi ignoſcam, ſi hodie apud me cœnes. Ea conditione purgatus mihi eris, ſi veſperi ad cœnam venias. *A.* Haud iniquas pacis leges præſcribis, Chriſtiane: quare haud inuitus faciam. Equidem faciam volens. Iſtud quidem fecero perlubenter. Haud grauate faciam. Hic ſane non me præbebo difficilem. Nihil hac re fecero libentius. Animo faciam lubenti. *C.* Laudo tuam facilitatem, & hac in re, & in cæteris omnibus. *A.* Sic ſoleo amicis obſequi, præſertim non iniqua petentibus. Ridiculum[1]: an tu me recuſaturum putabas oblatum, quod vltro etiam erat rogandum?

Ne fallas me, Formula.

C. Age, at caue ne me deluſeris. Caue fallas. Caue ſpem fruſtra foueam. Caue luſeris expectan-

[1] Wie muß ich lachen! das iſt lächerlich!

ſtantem. Caue mihi verba[1] dederis. Vide ne me fruſtra habeas. Vide ne me vana ſpe lactes[2]. *A.* Nihil opus iureiurando. In cæteris, in aliis, time perfidiam; hac in re non fallam. Sed heus tu, caue quicquam paraueris præter quotidiana: mea cauſa diem feſtum nolo. Scis, me conuiuam minime edacem, bibacem multo minus. Noſti enim, me conuiuam non multi cibi, ſed ioci plurimi. *C.* Curabitur diligenter. Ego te Pythagorica[3] cœna excipiam, aut fortaſſe frugaliore. *A.* Imo Diogenica[4], ſi me delectare voles. *C.* Certe Platonica cœna te excipiam, in qua multum ſit literatarum fabularum, cibi minimum, cuius voluptas duret etiam in poſterum diem: alioqui qui prolixe fuerit acceptus[5], fortaſſis eo die ſuauiter afficitur, ſed poſtridie dolet caput, crudus eſt ſtomachus. Apud Platonem qui cœnabat, vnam voluptatem capiebat ex apparatu facili, fabuliſque philoſophicis: alteram poſtridie, quod nec capitis grauedinem, nec ſtomachi cruditatem ſentiret. Ita prandebat etiam ſuauiter ex condimento[6] cœnæ pridianæ. *A.* Placet, fiat vt mones.

1 ſc. vana, mera, nuda; ad fraudem & impoſturam. 2 alas. Abſpeiſen / mit der ſüſſen Milch einer vergeblichen Hoffnung träncken. 3 frugali, tenui, oleribus & bellariis conſtante, atque muta, ſilentiique plena. 4 admodum tenui. Diogenes enim in ſingulas dies cibum emendicabat, in cœna & prandio nullis poculis, abiecto adeo ligneo cyatho, vtebatur. Du ſolſt mir gar nichts vorſetzen/ wo du mir einen recht groſſen Gefallen thun wilſt. 5 ſplendide lauteque habitus. 6 Denn der Hunger iſt ein guter Koch. Condimentum cibi fames, potionis ſitis; Socrates Athenienſium luxum irridens reſpondit. Sanus nempe itemque

nes. *C.* Tu vide, omnes curas tuas, ac rugas[7] etiam iſtas, domi relinquas. Huc præter nugas[8] & riſum nihil adferas, &c, vt inquit Iuuenalis,

Protinus ante meum, quicquid dolet, exue limen.

A. Quid? literas mecum venire non vis? Muſas meas mecum adducam, niſi quid aliter cenſes. *C.* Tetricas Muſas vna cum negotiis domi claudas. Blandas Camœnas omnes, deinde ſales tuos, dicteria, ſcommata, facetias, lepōres[9], ridicula omnia tecum adducito. *A.* Ita fiet. Exporrigemus frontem[10]. Bellos homunculos agemus[11]. Ridebimus affatim. Curabimus cutem[12]. Indulgebimus genio[13]. Genialiter cœnabimus. Epicureos agemus. Bonum vultum faciemus, & erimus boni ſocii. *Inelegantium elegantiæ ſunt, qui ſuam habent linguam ſibi peculiarem.* *C.* Quo nunc properas? *A.* Ad generum meum. *C.* Quid illuc? quid eo? quid illo? *A.* Audio neſcio quid turbæ inter eos natum, vt redigam eos in gratiam, vt reducam in concordiam, vt pacem inter eos componam. *C.* Benigne facis; quanquam nihil te opus eſſe arbi-

---

Ieiunus ſtomachus raro vulgaria temnit.
Animis famelicis quiduis amarum dulce eſt, Prou. XXVII, 7. Fames efficit, vt crudæ etiam fabæ ſaccharum ſapiant. 7 frontem rugatam, corrugatam, caperatam, aſperam atque ſeueram. Signum pro Signato, Adiunctum pro Subiecto. 8 inter nugas & rugas elegans eſt Antitheſis. 9 In ſyluis lepŏres, in verbis quære lepōres. 10 Serenabimus vultum. 11 Wir wollen luſtige / ſaubere Pürſchel ſeyn. 12 Wir wollen des Leibes warten/ wir wollen uns pflegen. 13 Wir wollen nach unſers Hertzens Gedancken thun/ thun wie uns lüſtet.

arbitror: nam ipsi inter se melius hoc bellum composuerint. *A.* Fortassis & induciæ iam indictæ sunt; noctu de pacis legibus[14] agetur. Sed nunquid me aliud vis[15]? *C.* Vocabo te per puerum meum. *A.* Vbi voles, domi ero. Bene vale. *C.* Bene sit tibi. Fac hic ad quintam horam adsis. Heus Petre, accerse ad cœnam Augustinum, qui mihi hodie, vt scis, cœnam condixit[16]. *Pe.* Eo. Salue, Poëta. Cœna iamdudum parata est; te herus expectat domi, vbi voles, accedas. *A.* Venio. Salue, mi Christiane. *C.* Bene factum quod venisti. Gaudeo, te aduenisse. Gratulor mihi quod venisti. Nondum quinta sonuit, credo. *P.* Imo iamdudum præterita est. Haud longe sexta abest. Instat hora sexta. Mox sextam audies. *A.* Parui refert an post quintam venerim, nec ne, modo ne post cœnam. Nam POST FESTVM VENIRE, MISERVM EST. At quorsum tantos apparatus? Quorsum tot epulæ[17]? Num me lupum existimas? Num tibi lupus videor? Num me vulturem putas[18]? *C.* Non vulturem, sed tamen nec cicadam, vt rore viuas*. Nihil est luxus. Mundities mihi semper placuit, sordes detestor. Nec Apitius* mihi placet, nec Dio-

14 conditionibus. 15 sc. rogare. Wilst du sonst noch etwas bey mir? Wilst du mich sonst noch um etwas ansprechen/ fragen. 16 Er hat sich aufs Abend-Essen zu mir versprochen; er hat versprochen des Abends mit mir zu speisen. 17 Wozu soll so viel Essen? Wozu dienet dieser Unrath/ diese Ungelegenheit? 18 Ein unersättlicher Vielfraß. * Vide Prou. Rore pascitur. * Nepotum omnium, vt Plin. inquit, altissimus gurges.

Diogenes[19]. Præstat aliquid superesse, quam deesse. Si præter cicer nihil apponeretur, & fuligo forte illapsa in ollam condiret legumen, quid tum ederetur? Nec omnia sapiunt omnibus. Itaque mihi placet moderata varietas. *A.* Non tu metuis leges sumptuarias*? *C.* Imo peccaui frequenter in diuersum. Nihil nobis opus lege Fannia[21]. Satis nos docet frugalitatem ipsa tenuitas[22]. *A.* Haud ita conuenerat[23]. Longe aliter pollicitus es. *C.* Age, inepte[24], nec ipse conuenta seruas. Conuenerat enim, ne quid præter nugas inferres. Quin hæc missa faciamus. Lauemus, ac discumbamus. Heus tu, puer, cape guttum[25] ac patinam, linteum ex humero suspende, ministra aquam: quid cessas? Laua, Augustine. *A.* Laua tu prior. *C.* Bona verba: hoc anno perpetuo illotus cœnare mallem. *A.* Ridiculum: non honoratiori, sed turpiori ante alios lauandum est: laua igitur vt immundior. *C.* Tu es vrbanus plus satis. Es vrbanior quam sat sit, quam par est. Quorsum attinet ista vrbanitas? Huiusmodi ceremonias ineptas mulierculis relinqua-

19 Vt per Apitium luxoriosum; ita per Diogenem sordidum & tenuiter nimis victitantem indicamus. * Cibarias. Policey, Kleider- und Speiß-Ordnungen. De legibus sumptuariis lege Gel. l. 2. c. 24. Plin. l. 10. c. 50. Macrobium l. 2. Sat. c. 17. 21 quæ perlata est, cum res publica Romana ex luxuria conuiuiorum detrimenta pateretur ingentia, autore Fannio Consule. Macrob. 3. Saturnal. c. 17. 22 Selbst die Dürfftigkeit lehret uns die Mäßigkeit. 23 Wir hatten es so nicht mit einander verlassen/ abgeredet; wir waren so nicht mit einander eines worden. 24 Du dummer Kerl/ du plumper Geyer. 25 gutturnium. Gieß-Vaß; Gieß-Kanne; labrum.

quamus, quæ nunc & ab aulicis fastidiuntur, vnde tamen olim profectæ sunt. Lauetis terni aut quaterni simul. Ne teramus tempus huiusmodi moris. Ego nulli designabo locum; sumat sibi quisque quem volet. Qui delectatur igni [26], hic commodius accumbet. Qui offenditur luce [27], deligat hunc angulum. Quem delectat prospectus [28], hic sedeat. Agite, satis morarum. Accumbite. Ego domi sum; vel stans cœnabo, si lubeat, vel obambulans. Cessatis? At interim cœna corrumpitur. *A.* Viuamus nunc, curemusque * cuticulam. Simus nunc Epicurei. Nihil nobis cum fronte Stoica. Valeant curæ. Absit omnis liuor, exulet obtrectatio. Sit mens læta, frons hilaris, sermo lepidus. *C.* Quinam sunt isti Stoici atque Epicurei, Augustine? *A.* Stoici, Philosophorum quoddam genus est triste, seuerum, ieiunum, qui hominis summum bonum, honesto nescio quo, metiuntur. Epicurei, his longe diuersi, felicitatem hominis voluptate terminant. *C.* Tu igitur cuias es tandem? Stoicus, an Epicureus? *A.* Zenonem laudo, at Epicurum [29] viuo. *C.* Quod tu ioco dicis, Augustine, id serio factitant hodie non pauci, pallio tantum & barba Philosophi. *A.* Imo isti vel Asotos * superant luxu [30]. *C.* Heus, Dromo,

26 Wer gerne warm sitzet. 27 Nicht gerne/ ungerne an dem Liechte/ an der Sonne / im Lichten sitzet. 28 Wer gerne in der Stube hervor/ sich in der Stube umsiehet. * Prouerb. sunt, Cuticulam curare, Bacchanalia viuere, Indulgere genio. 29 Epicureum, vt Epicurus, vt Epicureus viuo. * Asoti, populus luxu perditus, ex re nomen habens: Græcis enim Asotus dicitur intemperans, parumque sobrius. 30 Sie führen mehr als ein ἀσώτisches Leben; sie leben ärger als die Schweine.

mo[31], ades huc. Tuo munere fungere, consecra cœnam[32]. *A.* Quidquid appositum est, & quicquid apponetur, felix ac sacrum esse iubeat, qui sua benignitate pascit vniuersa. Amen. *C.* Appone epulas. Quid cunctamur capum hunc discerpere? quid trepidamus hunc gallum lacerare? *A.* Ego Herculem præstabo, ac belluam hanc conficiam. Vtrum mauis de ala, an de poplitibus[33]? *C.* Vtrum vis, nihil mea refert. *A.* In hoc genere alis primæ partes tribuuntur, in cæteris poplites lautiores putat vulgus. *C.* Tu multum laboris mea causa sumis. Tu permultum laborem mea causa sumis. Tu omnibus ministras; ipse nihil edis. Ego tibi hanc alam ministrabo; at ea lege, vt dimidium mihi restituas. *A.* Itane agitur? At istud est tibi ministrare, non mihi. Tibi serua: ego enim sum impudentior, quam cui ministrari quicquam debeat. *C.* Probe facis. *A.* Eho, tu lupo * cibum ministras? Vulturem inuitas? *C.* At ieiunas, non cœnas. *A.* Imo me vno nihil edacius. *C.* Imo mendacius nihil. Proinde agito ac si domi sis tuæ. *A.* Istud iam plane mihi persuasi. Istud iam in animum induxi. Sic stat sententia. Consilium est istud facere. *C.* Quid[34] tibi hoc vinum placet? Quid hoc villi[35] delectat? *A.* Mihi quidem perplacet. Me certe vehementer iuuat. Me satis delectat. Me non mediocriter iuuat. *C.* Vtrum mauis? rubrum, an candidum? *Non*

---

31 Cursor. 32 Bete vor Tische. 33 Von der Keule. * Id est, voraci: Substantiuum loco Appellatiui. 34 An, anne, quam, num? 35 vile vinum, hoc vilis vini. Villum qs. vinulum Deminut. Ein Weinchen/ kleiner / geringer / schlechter Wein; Weinlein.

Non refert quo ſit colore.

Au. Equidem vtroque iuxta[36] delector. Nihil refert quo ſit colore, modo ſapor placeat. Non laboro quantum oculis placeat vinum, modo palatum iuuet. Nihil me mouet aſpectus, ſi ſapor placeat. Parui refert quo ſit colore, quem habeat colorem, ſi ſapiat bene. Non cupio oculos paſcere, ſi palato ſatisfacere queat: modo palatum iuuare poſſit. Nihil moror colorem, modo gratus ſit ſapor. *Ch.* Credo. Atqui ſunt cœnaticæ Philoſophiæ* cumprimis periti, qui negant, vinum eſſe probandum, niſi quod placeat quatuor ſenſibus: oculis, colore: naribus, odore: palato, ſapore: auribus, fama & nomine. *A.* Ridiculum, quid fama conducit ad potum? *C.* Tantum, vt multi non ſtupidi palati[37] vehementer probarint villum Louanio vernaculum[38], quum crederent eſſe Belnenſe[39]. *A.* Fortaſſe iam larga potatione palatum[40] obſurduerat. *C.* Imo nondum attigerant poculum. Tamen iudicium tuum audire cupio, hominis his in rebus peritiſſimi. *A.* Album noſtrates[41] rubro præferunt, quod rubrum paulo ſit acerbius, & alterum exilius quidem, ſed illud mitius, &, vt arbitror, ſalu-

---

36 pariter, æque, perinde. *Catius inducitur apud Hor. cœnaticæ Philoſophiæ ad vnguem doctus. 37 Die eine güte Wein-Schmecke gehabt; die den Geſchmack des Weines wohl haben urtheilen-können. 38 Ein geringer Land-Wein. 39 Gallicum ex Belſia vulgo la Beauſſe, vinum generoſum. Ein Orleanner-Wein/ein guter Champagner-Wein. 40 palatus. Solet plerumque ebriis perire facultas diſtinguendi potum. 41 ciues noſtri. Leute unſers Ortes.

ſalubrius [42]. *C.* Habemus & ſubrubrum, & flauum, & purpureum. Hoc muſtum eſt hornum [43]. Hoc bimum [44] eſt, ſi quem capit vetuſtas. Habemus & quadrimum: ſed iam vapeſcit [45] ac deſipiſcit ſenio. Ætate vigor euanuit. *A.* Luculli * diuitias audio. *C.* Heus puer, vbi ceſſas? Nos hic plane negligis: non vides quanta ſit hic ſiccitas [46]? Quid ſi hoc rerum ſtatu incendium [47] contingeret, quo reſtingueremus? Dato ſingulis plenos cyathos. Auguſtine, quid habes, quod parum es hilaris? Quid accidit tibi, quod ſedes triſtior? Quid eſt tibi, quod minime gaudes? Aut doles, aut carmina condis. Tu nunc Chryſippum [48] agis; Meliſſa tibi opus eſt. *A.* Quam hic mihi fabulam narrat? *C.* Chryſippus adeo fertur intentus fuiſſe ſuis argutiis logicis, vt ad menſam etiam fame periturus fuerit, niſi ancilla Meliſſa cibum in os ingeſſiſſet. A. Ille vero indignus erat, qui ſeruaretur. Sed ſi te offendit taciturnitas, placetque conuiuium vocalius [49], eſt quo id efficias. *C.* Memini. Recte admones: liberalius bibendum: largius, copioſius, meracius [50] oportet bibere.

Rem

42 Vino rubro fertur vis quædam ineſſe conſtringendi; albo non item. 43 Vnius anni, huius anni, heuriger / dißjähriger. 44 duorum annorum. 45 Er verdunſtet / ſchläget um / verliehret die Krafft. * Trium Romanorum diuitiæ nobilitatæ ſunt, Luculli, Craſſi, & Varronis. 46 Wie wir hier im Trockenen ſitzen; wir haben hier nichts zu trincken. 47 Ein Brand / ardor. 48 Du biſt ein anderer Chryſippus; Thuſt du doch wie Chryſippus; ſo in tieffen Gedancken / ſo ſtille ſitzeſt du. 49 Da es laut zugehet / da viel geredet wird. 50 purius. Reiner aus; vinoſius, Weinſüchtiger.

Rem attigisti.

Au. Rem acu tetigisti. Recte iudicas. Scopum attigisti. Nam, FOECVNDI CALICES QVEM NON FECERE DISERTVM? *C.* Perdocte tu quidem, Augustine, vt omnia; sed quoniam in sermonem vinarium, quando in mentionem incidimus vinorum, libet interrogare, quonam consilio veteres illi Bacchum, quem vini autorem videri volebant, Poëtarum Deum dixerint. Quid enim illi temulento deo cum Poëtis, Musarum virginum cultoribus? *A.* Quæstio, ita me Bacchus amet [51], poculis digna: verum quorsum tuæ quæstiones spectent, satis intelligo. *C.* Quorsum, amabo? *A.* Astute de vino disputationem iniicis Gallica techna, quam didicisse Parisiis te suspicor, nimirum quo minus interim absumatur vini. Abi, virum te iudico; non frustra in tanta schola versatus es. *C.* Accipio tua dicta; referam paria scommata [52], vbi erit commodum. Sed ad rem. *A.* Dissoluam vbi bibero: [illegible] quidem absurdum fuerit, sicco palato de quæstione vinosa disputare. Præbibo tibi, Christiane. Propino

51 Est Ethnica iurandi aut asseuerandi formula. So lieb mir Bacchus ist/ so lieb ich Baccho bin. Conf. Elias Maior de varianda Orat. c. III. Sect. I. p. 349. maxime vero Barnabas Brissonius de Formulis lib. VIII. p. 708. Tales fuerunt: ita mihi superstite filio mori liceat. Ich wolte/ daß ich ohne Kinder sterben müste/ wo nicht/ ꝛc. ita Deos mihi velim propitios. Ich wolte/ daß mir die Götter abhold seyn müsten/ wo nicht ꝛc. ita me Deus amet. Hohle mich GOtt/ so wahr mir GOtt hilfft. Ita sim felix. So gerne ich glückselig wäre. Ita viuam. So wahr ich lebe; ich will nicht gesund seyn/ ita valeam. 52 Ich will dir auch/ wieder/ eines auf den Peltz geben.

bo tibi hunc scyphum dimidiatum[53]. *C.* Accipio abs te libenter. Sit saluti. Prosit. *A.* Iam accingor, vt me missum facias. Ego meo more præpostere faciam. Quod Baccho pueritiæ effigiem tribuerint, id habet mysterii, quod vinum potum curas & solicitudines animis nostris eximit, hilaritatemque quandam inducit. Quare senibus quoque ipsis iuuentam quandam reddere videtur; dum & hilariores facit & formosiores: id quod Horatius, cum multis in locis, tum præcipue his versibus aperte testatur:

Ad mare[54] cum veni, generosum & lene requiro[55],
Quod curas abigat, quod cum spe diuite manet
In venas animumq; meum, quod verba ministret,
Quod me Lucanæ iuuenem commendet amicæ[56].

Nam quod huic Poëtas dicarunt deo, id significatum voluisse suspicor, quod vinum & ingenium excitat, & facundiam ministrat, quæ duo Poëtæ sunt aptissima. Vnde frigent carmina, quæ scribuntur aquæ potoribus[57]. Est quidem igneus suapte natura Bacchus, sed adhibitis Nymphis[58] redditur temperantior. Habes quod quærebas? C. Nihil vnquam audiui verisimilius dici ab homine Poëta. Dignus es qui bibas gemma*. Heus puer, tolle hanc patinam, atque appone cætera.

53 Es gilt dir ein Halbes! 54 in Campaniam, aut Lucaniam. 55 cupio vinum nobile & aliis locis aduectum, quod morbi mei obliuionem inducat. 56 quod mihi vires præstet ad Venerem. 57 ab iis, qui aquas potant. 58 i. e. si aqua vinum fuerit dilutum; si aqua fuerit adhibita, admixta. * Ἐκ λιθου ψηφίς, id est, e gemma: συνεκδοχικῶς sumta parte præstantiore, pro toto poculo gemmis ornato.

cætera. *A.* Puerum habes admodum inurbanum [59]. *C.* Est veterator nequissimus. *A.* Cur non instituis alio pacto? *C.* DIFFICILE EST CANEM VETVLVM LORIS ASSVESCERE. DIFFICILLIMVM EST VETERATORIS MVTARE MORES. Vetulus canis non facile assuescit loro. Me quidem dignus est. Dignum patella operculum [60].

Si cognoscerem quid te oblectet, tibi ministrarem. Formula.

Au. Decerperem tibi quidpiam, si palatum tuum tenerem. Ministrarem tibi, si gula tua mihi satis cognita esset. Apponerem tibi, si, quid potissimum iuuaret, scirem. Si nossem ingenium palati tui, essem tibi structor [61]. Equidem tantundem palato, quantum animo, sapio. *C.* Palatum habes eruditissimum. Nihil tuo palato doctius. Nec eo te puto inferiorem [62], de cuius singulari peritia testatur Satyricus:

Ostrea[63] *callebat*[64] *primo deprendere*[65] *morsu,*
Et semel aspecti dicebat littus echini[66].

A. Et tu mihi, Christiane, vt par pari referam, ipsum audiuisse Epicurum, aut in schola Catiana * institutus videris. Quid enim tua gula aut sapientius,

59 agrestem, male moratum. 60 Dem Bier ist recht gegeben. Vor einen solchen Herrn schickt sich kein besser Diener. 61 Ich wolte dir vorlegen. 62 eum te puto superiorem; ei te cedere puto. 63 conchas marinas, die Austern / Ostern. 64 sciebat, poterat. 65 internoscere. 66 Echinus piscis hirsutus & aculeo armatus suo merito in deliciis habitus. Ein Meer-Igel. * Catius Epicureus fuit, & cœnarum autor. Vide Horat. lib. II. Serm.

tius, aut fastidiosius? *C.* Si oratoriam æque artem vt culinariam callerem, nec Cicero ipse me vinceret. *A.* Equidem si alterutra carendum esset, culinariam, quam rhetoricam, mallem. *C.* Subscribo tuo iudicio: grauiter, acute, vereque iudicas. Quid enim oratorum confert loquacitas, nisi quod aures ociosas inani voluptate demulcet[67]? Culinaria tum palatum, tum ventrem, tum totum hominem, quantus est, pascit, ac reficit. Concedat laurea linguæ[68], inquit Cicero: at vtraque concedat culinæ. Nunquam mihi Stoici illi magnopere placuerunt, qui omnia ad suum, nescio quod, honestum referentes, cutis ac palati nullam rationem habendam putant. Dici non potest, quanto Diogene sapientior Aristippus mihi fuisse videtur. *A.* Ego Stoicos cum suis ieiuniis contemno. Epicurum magis laudo ac probo, quam Diogenem illum Cynicum, qui crudis oleribus, ac simplici aqua victitabat. Quare nihil miror, si Alexander, Rex fortunatissimus, se Alexandrum, quam Diogenem, esse maluit. *C.* Nec ego sane, quamlibet vilis homuncio, cum Diogene meam Philosophiam commutarem: fortassis & Catius tuus facere recusaret. Melius nostri temporis Philosophi sentiunt, qui contenti Stoicorum more disputare, viuendo[69] ipsum etiam Epicurum vincunt. At ego quidem rem in primis præclaram Philosophiam puto, si parce adhibeatur. Nimium philosophari non

67 delectat. 68 Der Lorber muß der Zunge weichen; Beredtsamkeit behält den Preiß vor der Tapfferkeit. Laurea, pro: fortitudine laureata. 69 vita sua.

non laudo. Eſt enim res perquam ieiuna, ſterilis atque triſtis. Vbi in calamitatem, aut ægritudinem incidi, tum demum ad Philoſophiam, tanquam ad medicam, confugio. Vbi conualui, rurſum illi vale renuncio. *A.* Tuam rationem probo. Belle philoſopharis. Salue igitur, Philoſophe non e Stoa*, ſed e culina. *C.* Quid tandem habes, Eraſmi, quod parum ſis hilaris? Quid ſibi vult corrugata frons? quid ſilentium? An mihi ſuccenſes, quod te frugaliore cœna acceperim? ERASMIVS. Imo tibi ſum iratus, quod tantum impendii mea cauſa ſit factum. Interminatus erat Auguſtinus, ne ſua cauſa diem feſtum[70] faceres: vis nos poſthac redire nunquam. Nam talem cœnam dare ſolent ii, qui vnam duntaxat dare conſtituiſſent. Quos tandem conuiuas videris accepiſſe? Non amiculis, ſed ſatrapis, cœnam paraſſe videris. An nos heluones eſſe credis? Hoc non eſt dare cœnam, ſed triduanam ſaturitatem. *C.* Etiam tu pergis eſſe Demea[71]? Cras vt lubet diſputa; hodie Mitionem[72] te præbeas, oro. De impendio cras ſobrii diſputabimus: nunc nihil niſi meras nugas audire libet. *A.* Chriſtiane, vtrum de bubulis an de ouillis carnibus mauis? *C.* Bubulis quidem magis delector, at ouillas magis ſalutares arbitror. ITA INGENIVM EST HOMINVM, VT PERNI-

---

*Porticus Athenis, vnde dicti Stoici. 70 Germ. omittit Subſtant. *dies.* Ein Feſt machen. Ceremonien / Solennitäten machen. 71 Homo durus & agreſtis. Proprium pro Appellatiuo per Antonomaſiam. 72 mitem, quietis amantem.

PERNICIOSISSIMA QVÆQVE APPETANT VEHEMENTISSIME. *A.* Galli suillas carnes mirum in modum amant. *C.* Galli amant quæ paruo constant. *A* Hac vna in re Iudæus sum: nam nihil æque odi atque carnes suillas. *C.* Nec iniuria: quid enim insalubrius? Ego in hoc non cum Gallis, sed cum Iudæis sentio. *Er.* At ego ouillas pariter amo, & suillas; sed diuersa ratione. Nam ouillis, quod amem, libenter vescor: suillas præ amore non attingo, ne quid offendam. *C* Bellus homo es, Erasmi, ac festiuus. Equidem mirari mecum soleo, vnde tanta in palatis humanis diuersitas. Nam, vt Horatiano carmine vtar,

Tres mihi conuiuæ prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diuersa palato.

E. Quamquam, vt ait Comicus, quot homines, tot sententiæ, & suus cuique mos; tamen nemo me adduxerit, vt credam, plus ingeniis inesse varietatis quam palatis. Ita vix duos reperias, quos eadem iuuent. Permultos vidi, qui butyri ac casei ne olfactum quidem ferrent. Sunt quibus carnes nauseæ sint: alius elixis, alius assis abstinet. Multi aquam vino præferunt. Et, quod incredibile est, vidi hominem, qui nec pane, nec vino vteretur. *C.* Et quibus tandem miser ille victitabat? Quibus vescebatur? *E.* Cæterorum nihil fastidiebat, non carnes, non pisces, non olera, non poma. *C.* Vis vt istud tibi credam? *E.* Si lubet. *C.* Credo, at ea lege, vt vicissim mihi mentienti fidem sis habiturus. *E.* Age faciam: modo verecunde mentiaris. *C.* Quasi vero sit

I quic-

quicquam tuo commento impudentius. *E.* Quid dicet frons tua, si hominem tibi commonstrem? *C.* Macilentum quempiam ac monogrammum *esse oportet. *E.* Imo diceres athletam. *C.* Polyphemum [73] potius. *E.* Hoc tibi mirum videri demiror, cum multi sint, quibus pisces vento durati sint panis loco: nonnullis hoc præstent herbarum radices, quod nobis panis. *C.* Credo; sed perge mentiri. *E.* Quendam in Italia, cum illic agerem, videre memini, qui nullo neque cibo, neque potu adiutus, somno saginabatur. *C.* Vt nihil pudet? Non possum illud Satyricum non dicere:

Tunc immensa caui spirant mendacia folles [74].

Tu poëtaris. Tu nunc Poetam agis. Nam, Mentiris, dicere, mihi religio est [75]. *E.* Mentiar, si non Plinius * autor certissimus scripsit, vrsum quatuordecim dies solo somno mirum in modum saginari: quo tamen ita alte premitur, vt ne vulneribus quidem queat excitari. Imo, quo magis mireris, addam quod Theophrastus scribit, per id tempus vrsorum carnes coctas quoque, si asseruentur, reuiuiscere. *C.* Vereor ne Parmeno ille, Terentianus [76] ista non contineat. Mihi facile fidem facis. Ministrarem tibi de ceruinis carnibus,

---

*Monograṁi dicũtur homines pr̨etenues ac pusilli, a picturis, in quibus vnica linea notantur homunculi, ceu procul apparentes. 73 Cyclopem, ingenti corpore vnicoque oculo in fronte. 74 Caui folles i. e. pulmones immensa mendacia protrudunt. 75 per conscientiam non audeo. Ich mache mir ein Gewissen. * Hist. Animal. lib. 1. cap. 3. 76 Comœdia Parmenonis nomine inscripta.

bus, si satis essem vrbanus. *E.* Vnde tibi nunc venatio? Vnde ferina? *C.* Midas, homo hominum, qui viuunt, liberalissimus, nostrique amantissimus, mihi misit dono[77]: dono quidem, sed sic, vt ego minoris emam sæpenumero. *E.* Qui sic? *C.* Quia famulis plus dandum, quam daretur in macello vendenti. *E.* Quæ res cogit hoc facere? *C.* TYRANNVS OMNIVM VIOLENTISSIMVS. *E.* Quis iste? *C.* MOS. *E.* Profecto tyrannus iste frequenter iniquissimas leges obtrudit mortalibus. *C.* Idem suo more nudiustertius hunc ceruum venatus est. Quid tu, qui soleas istius studii esse amantissimus? *A.* Equidem hoc studio plane relicto, iam præter literas nihil venor. *C.* At mihi videntur literæ quouis ceruo fugaciores. *A.* Duobus tamen potissimum canibus assequimur, admiratione scilicet, atque improbitate laboris. Nam & ADMIRARI PLVRIMVM DISCENDI ARDOREM MINISTRAT; Et vt facundissimus Poëta scripsit,

Labor omnia vincit improbus.

C. Amanter admones, Augustine, vt soles: propterea non desistam, non conquiescam, non defatigabor, donec consequar. *A.* Carnes ceruinæ sunt nunc admodum tempestiuæ. Meminit Plinius* de hoc animante quiddam admirabile. *C.* Quidnam obsecro? *A.* Quoties arrexere aures, acerrimis esse auditus: at contra cum remisere, surdos[78]. *C.* Istud ipsum mihi sæpenumero euenit. Nam si quando fiat sermo de recipiendis au-

77 est Anadiplosis. *Hist. nat. lib. 8. c. 36. 78 e. Ic.

aureis, nihil tam auritum. Hic enim cum Pamphilo illo Terentiano aures arrigo. Vbi de numerando verba fiunt, illico demitto. *A.* Laudo te; facis vt te decet. *C.* Vis de his leporinis clunibus? *A.* Tibi sumito. *C.* An de tergo mauis? *A.* Hoc animal præter illa & clunes nihil habet appetendum. *C.* Vidistine vnquam leporem candidum? *A.* Sæpenumero. Plinius* in Alpibus candidos reperiri scribit, quibus hybernis mensibus niuem pro cibatu esse sit creditum[79]. An verum sit, Plinius ipse viderit. Quod si leporis cutem candidam reddit nix, stomachum habeat candidum necesse est. *C.* Mihi verisimile non fit. *A.* Accipe magis admirandum, at fortasse tibi non inauditum. Idem vtramque vim singulis inesse testatur, maris & fœminæ, ac fœmellas sine mare æque gignere. Istud ipsum multi asseuerant, præsertim venandi studiosi[80]. *C.* Est ita vt dicis. Sed hos cuniculos[81], si placet, tentemus, quia pinguiusculi sunt ac tenelli. Ministrarem illi Nymphæ[82], si propius assiderem. Augustine, istius tibi vicinæ curam age[83], si libet: calles enim, quo gestu sit ministrandum istis Veneribus. *A.* Teneo quid dicas, nasute[84]. *C.* Quid te anserinæ carnes delectant? *A.* Me quidem non mediocriter iuuant, vt sum minime fastidiosus. At hic

*lib. eod. c. 55. 79 de quibus sit creditum, eis niuem pro cibo esse hybernis mensibus. 80 venationi dediti. Die fleissig jagen. qs. caniculos, Caninchen. 82 Seruirem isti virgini. Ich legte ihr vor/ich wolte sie bedienen. 83 Sorge vor deine Nachbarin/ vor die/ bediene die/ so dir am nächsten sitzt. 84 Du Spitz-Kopff/ du Spötter/ du Naseweiß. Derisor, reprehensor, censor.

hic anser, nescio quo pacto, nihil me iuuat[85]: nihil enim in vita vidi siccius: siccior est pumice, aut etiam nouerca Furii illius, in quem Catullus * multum iocatur. Ligneus mihi videtur. Et mehercule, quantum suspicor, veteranus miles immodicis excubiis sese macerauit. Aiunt enim, anserem inter omnia longe esse vigilantissimum. Et profecto, nisi coniectura fallor, hic anser ex eorum numero est, qui, canibus vna cum excubitoribus somno sopitis, Romanum olim Capitolium defenderunt[86]. *C.* Verisimile (ita me Deus amet) dicis: nam ex eo seculo relictum arbitror. *A.* Hæc quoque gallina aut parcum saginatorem habuit, aut amauit, aut certe zelotypa vixit, quo quidem morbo hoc animantis genus maxime laborat. Hic capus longe melius pinguet[87]. Vide, curæ quid faciant. Quod si ex Theodorico nostro Gallo faceremus capum, multo citius pinguesceret. *Th.* Non sum gallus. *A.* Fateor, non es gallus Cybeles[88], neque gallus gallinaceus, at forte Gallus gallaceus. *C.* Quid hoc

---

85 Ist nicht vor mich/ steht mir nicht an/ hilfft mich nichts/ kommt mir nicht zu statten/ ist mir nicht eindächtig. * In Epigrammate, cuius initium, Furi cui neque seruus &c. Inter alia subiungit;

Atqui corpora sicciora cornu,
Aut si quid magis aridum est, habetis,
Sole & frigore & esuritione.

86 Manlius enim, canibus excubitoribus somno sopitis, anseris clangore excitatus hostes noctu rupem clam conscendentes, de summa rupe deiecit. 87 pinguis est. 88 Sacerdos castratus. Vide supra Bene precandi Formulas (8) Gallus est πολύσημον, vox multa significans, iuxta versum:

Gallus auis, populus, fluuius, Bacchique sacerdos.

hoc verbi est? *A.* Hoc ænigma tibi coniectandum relinquo: ego Sphingem præstiti, tu Oedipus esto. *C.* Dic mihi bona fide, Augustine, nulla tibi cum Gallis vnquam fuit necessitudo? Nihilne affinitatis tibi cum Gallis contraxisti? Nullum fuit commercium? *A.* Nihil, nihil sane? *C.* Tanto es nequior. *A.* Sed cum Gallabus nonnihil. *C.* Libetne de iecore anserino*? quod apud veteres in deliciis cumprimis habebatur. *A.* Non sum reiecturus, quod a tua manu venerit. *C.* Non est quod expectes Romanas delicias. *A.* Quas? *C.* Carduos, cochleas, testudines, colubros, fungos, boletos, tubera*. *A.* Istis omnibus ego vel rapam præferam. Liberalis es, benignus es, Christiane. *C.* Has perdices nemo attingit, ne columbos quidem. Cras est dies ieiunii ab Ecclesia indicti; aduersus hanc esuriem munite vos. Onerate saburra nauim aduersus imminentem tempestatem. Bellum instat; instruite ventrem commeatu. *A.* Vtinam isthuc verbi tacuisses, hilariores surrexissemus a cœna. Miseros nos reddis ante tempus. *C.* Quid ita? *A.* Quia minus anguem odi, quam pisces. *C.* At non tu solus. *A.* Quis hoc tædii nobis inuexit? *C.* Quis commonstrauit aloën, absynthium, & scammonium* dare in remediis? *A.* Sed ista dantur ægrotis. *C.* Sic hæc dantur nimium recte valentibus. Aliquando præstat ægrotare, quam plus satis valere. *A.* At

---

* Vide Plin. lib. 10. cap. 22. * Artischocken/Spanische Disteln/Schnecken/Muscheln/Aale/Schwämme/Piltze/Morcheln. * Herbæ & Pharmaca amaritudinis notæ.

At mihi videtur minus oneris olim impoſitum Iudæis. Equidem ab anguillis & porcis facile temperarim, modo liceat capis & perdicibus expleri. *C.* In plerisque non res, ſed animus nos diſcernit a Iudæis. Illi manum abſtinebant a certis cibis, velut ab immundis & animum inquinaturis. Nos cum intelligamus omnia munda eſſe mundis, tamen carni laſciuienti, velut equo ferocienti, pabulum ſubducimus, quo magis dicto ſit audiens ſpiritus. Nonnunquam immoderatum ſuauium[89] rerum vſum abſtinentiæ moleſtia caſtigamus. *A.* Audio: ſed eadem opera defendi poſſet circumciſio præputii. Moderatur[90] & illa coitus pruritum, & cruciatum adfert[91]. Si omnes itidem abhorrerent a piſcibus atque ego, vix a parricida tam atrox ſupplicium exigerem[92]. *C.* Quorundam palato gratior eſt piſcium, quam carnium, eſus. *A.* Congruunt igitur his, qui gulæ ſeruiunt, non valetudini[93]. *C.* Equidem audiui, quondam apud Æſopos* & Apitios præcipuum luxum in piſcibus fuiſſe. *A.* Qui conueniunt igitur deliciæ cum ſupplicio? *C.* Non

89 iucundarum, dulciſſimarum. 90 temperat, minuit. 91 dolores parit, facit. 92 parricidam tam atrociter mulctarem. 93 Eſſen/ was ihnen ſchmeckt/ nicht was ihnen dient/ geſund iſt; ſie leyden was ſie können. * Æſopi & Apitii luxus multorum literis nobilitatus eſt. Feſtiuiter autem, mutato Numero, luxurioſos vocant Æſopos & Apitios, quemadmodum effœminatos dicimus Sardanapalos, fortes Scipiones atque Camillos.

Non omnibus sunt murænæ*, aut scari[95], aut acipenseres[96]. *A.* Ergo tenues soli discruciantur, quibus satis male est[97], etiam cum vesci licet carnibus. Fit enim non raro, vt, cum licet vesci per Ecclesiam, non liceat per crumenam. *C.* Durum mehercle interdictum. *A.* Quod si interdictus carnium esus diuitibus vertitur in delicias; & , si pauperibus sæpe non licet vesci carnibus, etiam cum licet, ac ne piscibus quidem, qui fere carius emuntur; cui igitur bono erit interdictum? *C.* Omnibus: nam tenuibus, cochleis aut ranis licebit vesci, aut cepe, porrumue arrodere. Mediocres detrahent nonnihil quotidianis opsoniis. Quod si quid diuites deliciabuntur hac occasione, suæ gulæ imputent, non incusent Ecclesiæ constitutionem. *A.* Pulchre dixti[98]: sed interim a tenuibus, qui summis sudoribus alunt familiam, & procul absunt ab amnibus ac lacubus, exigere carnium abstinentiam, est indicere famem, aut βυλιμίαν* magis. Atqui si quid Homero credimus, LONGE MISERRIMVM MORTIS

*Muræna, Scarus, Acipenser, pisces sunt, olim carissimi, & in deliciis diuitum habiti. Bricken/ Muhr-Aale / Murenen. 95 Scaro Romani non inter Saxatiles modo, sed pisces vniuersos primum locum tribuerunt; qui primitus penes acipenserem fuit. Voss. lib. IV. c. 24. de Orig. & Progr. Idolol. der Schear. 96 Acipenser, der Stör; ali creditur serenitate aëris; vnde Germani: Er lebt vom Winde / wie ein Stör; aura victitat acipenseris more. 97 Sie sind übel genung dran/ es sieht übel um sie aus. 98 dixisti, per Syncopen. *Βυλιμία est ingens fames. λιμὸς enim fames: & βυ syllaba auget, quasi totos boues esuriat aliquis.

TIS GENVS EST, PERIRE FAME. *C.* Sic visum est Homero cæco: at apud Christianos miser non est, qui bene moritur. *A.* Esto sane: sed tamen durum est, a quoquam exigere, vt moriatur. *C.* Nec hoc animo Pontifices interdicunt esum carnium, vt intereant homines, sed vt vel affligantur[99] moderate, si deliquerunt, vel subducto lætiore pabulo, corpora minus ferociant aduersus spiritum. *A.* Isthuc ipsum efficiet moderatus carnium esus. *C.* Sed in tanta corporum varietate certus carnium modus[100] præscribi non potest; cibi genus potest. *A.* Sunt & pisces, qui multum addant alimenti: sunt carnes, quæ minimum. *C.* Sed in genere plus alunt carnes. *A.* Age dic mihi, si quo tibi foret iter, vtrum malles equum alacriorem ac sublasciuum, an morbidum, qui subinde collabens sessorem[101] deiiciat in terram? *C.* Quorsum istud? *A.* Quia piscium esus corruptis humoribus corpora nostra reddit magnis morbis obnoxia, vt iam spiritui non possint subseruire. *C.* Quibus morbis? *A.* Podagræ, febri, lepræ, morbo regio*. *C.* Qui scis? *A.* Credo medicis: id malim, quam experiri. *C.* Id fortassis in paucis accidit. *A.* Equidem arbitror in pluribus. Porro, *quoniam animus agit per organa materialia corporis, quæ malis aut bonis hu-*

99 castigentur, daß sie kasteyet werden. 100 mensura certa. 101 equitem. *Soluere nodosam nescit medicina Podagram. Ouid. Morbus autem regius ita dictus, quod in aulis Regum grassetur. Idem & Icterus & aurigo, ab auri colore. Die gelbe Sucht; Gall-Sucht/ quia bilis colorem biliosum per totum corpus diffusa repræsentat.

humoribus afficiuntur, vitiatis instrumentis non potest vt vult, exerere vim suam. C. Scio, medicis magnopere damnatum esse piscium esum; sed secus visum est maioribus nostris, quibus obtemperare, religiosum est[102]. *A.* Religiosum erat & olim, non violare sabbatum: sed prius[103] erat, seruare hominem sabbato. *C.* Suæ quisque saluti consulat. *A.* Imo, si Paulo volumus auscultare, nemo quæ sua sunt, quærat, sed quisque quæ alterius. *C.* Sed vnde hic nouus Theologus in conuiuio? Vnde nouus hic ac subitus Magister noster? *A.* Quia mihi male conuenit[104] cum piscibus. *C.* Quid igitur? An non abstines a carnibus? *A.* Abstineo, sed obmurmurans[105], nec sine meo magno malo. *C. Caritas omnia suffert. A.* Verum; *sed eadem quam minimum exigit.* Si suffert omnia, cur non ferunt nos his vesci cibis, quos indulsit libertas Euangelica? *Cur hi, a quibus Christus toties amorem sui stipulatus est*[106]*, patiuntur tot hominum & corpora periclitari morbis capitalibus, & animas æterna damnationis periculo, ob rem nec interdictam a Christo, nec per se necessariam? C. Vbi aliud suadet necessitas, cessat humana constitutionis vigor, cessat & voluntas nomotheta**. *A.* At non cessat offendiculum infirmorum. Non cessat scrupulus meticulosæ conscientiæ. Postremo non

102 pium est. 103 magis religiosum, pium. 104 Ich can mich übel vertragen mit den Fischen. 105 inuitus, coactus. 106 requisiuit, poposcit. *Id est, legis autor, νομοθέτης, Legislator.

non satis constat, quibus limitibus finiatur ista necessitas. An quum cœperit ichthyophagus* agere animam [107]? Sero morienti porriguntur carnes. An cum totum corpus habet epialus*? Non tanti erat ciborum delectus. *C.* Quid igitur tu velles præscribi? *A.* Scio, si quis mihi redd at Ecclesiasticæ rei dictaturam [108]. *C.* Quid isthuc verbi est? *A.* Si summus essem Pontifex, hortarer omneis ad perpetuam vitæ sobrietatem, sed præcipue sub diem festum. Cæterum ius facerem cuique vescendi quibus vellet pro corporis salubritate, dum moderate & cum gratiarum actione: daremque operam, vti hoc, quod detraheretur obseruationibus huiusmodi carnalibus, accresceret [109] ad studium veræ pietatis. *C.* Nimirum istud mea quidem sententia tanti est, vt te faciamus Pontificem. *A.* Rides: sed tamen ceruix hæc sufficeret vel triplici coronæ* sustinendæ. *C.* At interim vide, ne ista scribantur inter articulos Parisiensium. *A.* Imo quicquid dictum est, scribetur in vino, sicuti par est dicta [110] inter pocula [111]. Sed satis iam Theologiæ in conuiuio. In cœna sumus, non in Sorbona*. *C.* Quid vetat

---

* Id est, qui vescitur piscibus. Est populus inde nomen habens. 107 expirare, efflare, in agone versari. * Epialus febris genus est vehemens, ominis caussa sic dicta Epialus, quasi placide assiliens, quemadmodum furiæ dicuntur Eumenides, quum nulli bene velint, der kalte Todes-Schweiß. 108 principatum, summam. 109 accederet, adderetur. * Pontificis diadema triplici corona insignitum est. 110 scilicet scribere, quæ dicta sunt. 111 Beym Truncke. * Gymnasium Parisiense, qui nomen dedit fundator Robertus de Sorbona anno 1270.

vetat dici Sorbonam, vbi bene ſorbetur? *A.* Sorbeamus igitur, non diſputemus, ne nobis a ſorbis* dicatur Sorbona non a ſorbendo. *C.* Agite, hoſpites humaniſſimi, quæſo vt cœnulam noſtram, licet tenuem, æqui bonique conſulatis. Præbete vos hilares, ac lubentes, quamuis conuiuium tenue ſit & frugale: ego, veſtra facilitate fretus, familiariter[112] vos vocare ſum auſus. Et eſt ſane veſter mihi aduentus, conſpectuſque, non modo gratiſſimus, verum etiam iucundiſſimus. CONVIVÆ. Cœna tua, Chriſtiane optime, multis modis elegans, lautaque nobis videtur. Quod excuſas, id vnum habet accuſandum. Nam magnificentior fuit, quam ſat eſt. Siquidem hoc conuiuium opiparum inprimis ac lautum iudicarim, quod primum ſimplicibus epulis, deinde hilaritate, riſu, iocis, ſalibus ſit conditum[113]: quæ omnia noſtro conuiuio non defuerunt. Verum de conuiuarum numero hic mihi quiddam in mentem venit, quos neque pauciores tribus, neque plures nouem eſſe oportere ſcripſit Varro. Tres enim ſunt Charites*, id eſt, Gratiæ, humanitatis ac beneuolentiæ præſides: & nouem ſunt Muſæ, honeſtiorum ſtudiorum duces. At hic decem conuiuas eſſe video, virginibus exceptis. *A.* Nihil conuenientius accidere potuit. Nos ſumus Varrone ipſo paulo ſapientio-

* Pomi genus acerbitate conſtringens fauces, vt quædam occidant etiam. 112 minus ſplendide, laute, honorifice, magnifice, vt fas eſt inter familiares, vt moris eſt inter pares. 113 conditum, a condio, iui. Ich würtze/ überzuckere. * Vide Gel. lib. 13. cap. 18.

entiores. Nam tres puellas lepidissimas, tanquam tres Charites adhibuimus. Deinde quia a nouem Musarum choro Apollo abesse nunquam credendus est, iure decimum adiecimus conuiuam. *C.* Poëtice dixisti. Si mihi laurus adesset, laurea corona caput tuum cingerem, fieresque Poëta laureatus. *A.* Si malua coronatus essem, maluatus. Tantum honoris mihi non arrogo. Honor hic maior est, quam vt mihi conueniat. Haud equidem tali me dignor honore. *C.* Vultisne singuli tantundem mea causa facere, quantum vestra sum facturus. *Co.* Volumus, ac lubentes quidem. *Cb.* Ebibetis igitur ordine suum quisque calicem; a me exemplum capietis. Tibi hoc primum propino, Mida. MIDAS. Accipio abs te libenter. Pro quo vulgus, *Praestolor*, dicit. Equidem non recuso. Nihil tua causa recusabo. *Cb.* Tu deinde caeteris propina. *Mi.* Erasmi, praebibo tibi dimidiatam pateram[114]. *Er.* Precor vt sit tibi bono. Sit tibi bonum atque commodum. Prosit tibi. *Proficiat*, durius dicitur. *Cb.* Sed cur cessat patera? Cur non obambulat? Defecit nos vinum[115]? Vbi sunt oculi tui, furcifer[116]? Vola[117] adfer eiusdem generis sextarios duos. PVER. Erasmi, salue; quidam pro foribus[118] te conuentum[119] expetit. *E.* Quisnam est?

114 dimidium paterae. Eine halbe Trinck-Schale / die Helffte des Trinck-Geschirres. 115 Es gebricht uns am Wein / der Wein geht uns ab / es fehlt uns Wein. 116 Curre cito. 117 qs. furcam ferens; Du Galgen-Vogel / Galgen-Schelm. 118 ante fores. 119 conuenire. Begehrt mit dir zu sprechen / zu dir zu kommen.

eſt? *P.* Mori[120] famulum ſe dicit: herum eius ex Britannia aduenifſe; cupere vt ſe viſas, quandoquidem prima luce iter parat in Germaniam. *E.* Chriſtiane, ſubducatur ratio[121]: nam mihi quidem abeundum. *C.* Rationem, Eraſmi doctiſſime, huius cœnæ ego confecero. Non eſt quod calculum fruſtra teras: gratiam habeo, qui dignatus ſis noſtro adeſſe conuiuio. Sed auocari te, moleſtum eſt, nondum peracta fabula. *E.* Quid ſupereſt, niſi vt dicam, Valete & plaudite? *C.* Age, boni conſulemus, quando tu non ab equo ad aſinos, ſed ab amicis ad amiciſſimos properas. *E.* Ego pariter tibi gratias ago, quod pro tua humanitate ad hoc conuiuium longe ſuauiſſimum me vocaris. Valete, ſodales optimi. Bibite non ſegniter, & viuite ſuauiter. *C.* Heus Dromo. Sedetis jamdudum ocioſi omnes. Libetne cuiquam quicquam amplius? *Co.* Nihil omnino. Strenue munus noſtrum adminiſtrauimus. *Ch.* Tolle igitur hæc, ac bellaria appone. Muta quadrulas, atque orbes. Tolle cultrum meum, qui humi decidit. Pira vino perfunde. Adſunt mora præcoqua[122], etiam domi noſtræ nata. *Co.* Tanto erunt ſuauiora, quod vernacula. *Ch.* En pruna cerea,[123] en Damaſcena*, rarum apud nos ſpectaculum. En mitia mala. En mali nouum genus, cuius

120 Thomæ Mori, Henrico VIII. a ſecretis, qui tandem colla ſecuri ſubmittere coactus eſt. 121 Ducatur calculus. 122 Mora ante coacta. Maulbeeren / Kratz- oder Brom-Beeren die vorher übertocht ſind. 123 Pruna cerea, gelbe Pflaumen/ Wachsgelbe. Damaſcenæ pruna, Zwetſchen. * A Damaſco monte, non ab oppido. Græcis δαμάσκηνα etiam dicuntur.

A

cuius matrem[124] ego hisce manibus conseui. Nuces castaneæ, omne deliciarum, quas horti nostri benigne effundunt, genus. *A.* Sed flosculi desunt. *Ch.* Isti Gallici* sunt adparatus, qui magnificentiam eam potissimum amant, quæ minimo constat. Nobis non est ea mens, aut ingenium. *A.* Non apud Gallos tantum reperies, quibus ea placent, quæ minimo constant. *Ch.* Sed heus tu, Augustine, num tu credis, te hic immunem bibisse? Egone te meis immunem tinxero poculis? At interim propinatori tuo dimidium scyphi debes. *A.* Is iamdudum me missum fecit. Is mihi huius debiti gratiam fecit[125]. *Ch.* Vnde ille sibi vendicat tantum autoritatis? Vix Romanus pontifex hoc vinculi relaxet. Nosti priscam conuiuiorum legem*: Ἢ πίθι, ἢ ἄπιθι. *A. Remittendi iurisiurandi[126] ius habet, cui factum est, & cuius intererat seruari. Ch.* Sed omnium conuiuarum interest, seruari leges inuiolabiles. *A.* Age, quando hæc est Germanorum religio*, exorbebo quod reliquum est. Sed quid tibi rei mecum est? *C.* Impendium[127] reddas oportet vnus nomine omnium. Quid expalluisti? Ne verere, perfacile poteris. Fac quod sæpe fecisti, vt aliqua elegantia doctiores a cœna surgamus: neque enim clam te est[128], veteres illos in secundis mensis

124 arborem, semen seu nucleum. * Gallorum magnificentia in conuiuia. 125 absoluit me debito, veniam dedit debiti. * Id est, Aut bibe, aut abi. 126 iuramenti potestatem, facultatem. * Mos religiose obseruatus, sacra consuetudo. 127 Sumptus, impensas. Die Kosten / was aufgewendet worden / drauff gegangen ist. 128 te non fugit, non ignotum tibi est.

mensis hilariora quædam disputare solitos. Age igitur, quibus & quot modis hæc oratio potest enunciari: indignum auditu?

Indignum auditu, Formula.

A. Dixti pulchre, per posterius supinum. Auditu minime est dignum. Indignum est audiri. Haud dignum est, quod audiatur. Et, vt audiatur, indignum. Leuius est [129], quam quod audiri debeat. Vix operæ precium est referre. Non tanti est vt audiatur. Ineptius est, quam quod audiatur. Non est operæ precium narrare. *C.* Quot modis hæc sententia verti potest, Magno mihi constat?

Variandi ratio hanc orationem, Magno mihi constat.

A. His verbis: impendio, insumo, impertio, constat, vt: Multum in te docendo insumpsi laboris. Plurimum ea in re operæ insumpsi. Non minus pecuniæ quam curæ in eam rem impendi. Non parum insumpsi pecuniæ, temporis permultum, laboris plurimum ingenii nonnihil. Multum lucubrationis impendi [130]. Multis vigiliis hæc res mihi constat, multo sudore, multa opera, plurimo labore, sumptu ingenti, pecunia magna. Pluris mihi constat quam credas. Minoris mihi constat vxor, quam equus meus [131]. *C.* At quid sibi vult, Augustine, quod verbo isti, Constat, modo Ablatiuum, modo Genitiuum Casum apponis? *A.* Quæstionem perutilem ac late paten-

129 Vilius. 130 Ich habe aufgewendet/ angeleget/ auf dieses geleget/ spendiret. 131 Es kostet / es stehet mich.

patentem mouisti. Verum ne conuiuas loquacitate mea premam, paucissimis absoluam. Sed cupio singulorum hac de re audire sententiam, ne cuiquam, vt dixi, sim molestus. *C.* Quidni cupiant idem vel puellæ? *A.* Illæ sane nihil aliud quam audient. Accingar igitur, Grammatica bene fortunante[132]. Scis, verba emendi, ac vendendi, aliaque, esse consimili significatu, quibus apponantur hi genitiui, solidi, tanti, quanti, pluris, minoris, tantidem, quantiuis, quanticunque: at ita, si substantiua non apponantur: quæ si accedant, vtraque in ablatiuum casum vertuntur. Quod si precium certum apponatur, pones in ablatiuo. Si per adiectiuum substantiue positum, in ablatiuo pones, nisi per aduerbia loqui malis. *C.* Quænam verba sunt, de quibus præcipis? *A.* Hæc fere sunt, emo, mercor: redimo, id est, aut captum, aut perditum: vendo, venundo: reuendo, id est, rursus vendo, quod mihi venditum erat. Veneo[133], id est, vendor: cuius præteritum veniui vel venii: supinum, venum: hinc venalis. Ab illo, id est, vendo[134], vendibilis manat. Mereo, pro inseruio, & stipendium facio. Comparo, id est, emo vel committo. Commuto, muto, permitto. *Cambire* peni-

132 Ethnica dicendi ratio, vbi quælibet res in Dei vicem appellari solebat. Sic Pudicitiam, Concordiam, Mentem, Spem numero Deorum adscripserunt. Vide Rauisii Textoris Officinam Poëticam lib. I. c. 10. de multitudine Deorum. 133 qs. venum eo. Ich gehe zu Kauffe / bin zu verkauffen. 134 qs. venum do seu venundo. Ich gebe zu kauffen / will verkauffen / biete feil / biete aus und an.

penitus barbarum in hoc ſenſu [135]. Æſtimo, taxo, iudico pro æſtimo, cenſeo. Liceor, liceris: licitor, licitaris: addico. Diſtrahor, id eſt, circumferor vt veneam. Metior, pro æſtimo, aut taxo. Conſtat, pro emitur. Conducere, locare. Fœnero, ad fœnus do. Fœneror, ad fœnus accipio. Paciſcor, pactus ſum; pango, pepigi, id eſt, pactum facio. C. Da exemplum

Vendendi & Emendi Formulæ.

Au. Quanti iſtum agrum in ſingulos annos locas? Reſpondebimus: Vigenis libris Francicis. Hui, nimio locas [136]. Imo locaui olim multo pluris. At ego tanti non conducam. Si conduxeris minoris, peream. Imo iam vicinus tuus Chremes agrum obtulit, ac rogat. Quanti? Tantidem quantum tu petis. At multo meliorem. Mentiris. Facio, vt ſolent, qui licentur [137]. Tu ipſe tanti poſſide. Quid liceris, vel licitaris, quum nihil ſis empturus? Quanticunque addixeris [138], ſoluam optima fide.

Alterum exemplum.

Congrum [139] iſtum, Syra, quanti vendis? Decem obolis. Nimio, turpiſſima [140]. Imo minimo: nulla tibi vendet minoris. Emorior, ſi non tanti mihi conſtat, aut certe non multo minoris. Mentiris, venefica, quoniam duplo vis vendere, aut

135 Antiquis enim cambire idem erat, quod pugnare, iter inchoare: hinc, campſo, iter flecto. 136 elocas pretio. 137 pretium offerunt. Feilſchen/ um etwas handeln/ etwas abkauffen wollen. 138 mihi conceſſeris, pollicitus fueris. So theuer/ in dem Preiſſe als du mirs laſſen wirſt. 139 Congrus. Ein Meer-Aal. 140 ſc. vetula, anus.

aut triplo. Et centuplo, si queam: sed fatuos non inuenio. Quid si liciter te ipsam? Quanti æstimas te? Vt lubet. Quanti me liceris? Quanti indicas te? Dic, quanti te taxas? Quanti te ipsam inscribis? Decem scutatis[140]. Hui, tanti? Eho, an tu minoris me æstimas? Ego olim non semel pluris in vnam noctem sum conducta[141]. Credo; at nunc non paulo minoris æstimo quam piscem. Abi in malam rem[142], ganeo; tantidem te æstimo, quanti tu me. Qui te teruncio emerit, nimio emerit[143]. Aut pluris emar, aut non vendar. Si magno venire cupis, larua tibi opus est: nam rugæ istæ non sinunt, vt carius vendaris. Ei, qui tanti me nolit, non sum venalis. Ego ne culmo quidem te emero. Constiti pluris.

Tertium exemplum.

Auctioni hodiernæ interfui. Ain' tu? Licitatus sum vectigalia. Quanti tandem? Decem millibus*. Hui, tanti? Ne mireris; erant qui multo pluris licitarentur: pauci qui minoris. Cui tandem addicta sunt vectigalia[144]? Chremeti vxoris tuæ summo & maximo amico. Sed diuina,

140 Scudi; Scutatus sc. nummus. Ein Ducat von 9 Liere. 141 Ich habe mehr gegolten/ man hat mich theurer bezahlt/ bedungen/ behandelt. 142 in crucem, patibulum, in coruos. Abeundi verbo in imprecandi sensu docte vtuntur Latini. 143 Du bist nicht einen Heller werth/ vor einen Heller zu theuer. * Frequens apud Latinos in numerariis summis defectus. Decem millibus, subaudi, nummis aut denariis, aut simile. 144 Wem sind die Zölle zugeschlagen/ zuerkannt worden; wem sind sie blieben? Wer hat den Zoll noch endlich behalten?

na[145], quanti ſunt addicta. Decem. Imo quindecim. Deus bone, ego mihi hominem ipſum cum tota familia dimidio addictum nolim. At ille vxorem tuam duplo emptam cupit. *Animaduertiſtine in his orationibus, vbicunque adſit ſubſtantiuum precii, id in ablatino poni, cæteris aut in genitiuo poſſitis, aut in aduerbium mutatis? Comparatiuum nunquam audiſti ſine ſubſtantiuis, exceptis illis duobus: pluris & minoris.* Sunt & alia verba, de quibus ſumus loquuti, non admodum diſſimilia, ſum, facio, habeo, duco, æſtimo, pendo, quæ idem fere ſignificant: fio itidem. Iunguntur autem his fere genitiuis, multi, parui, magni, pluris, plurimi, minoris, minimi, maximi, tanti, quanti, flocci, pili, nihili nauci, huius, & ſi qua ſunt his ſimilia. *Ch.* Da exempla.

Æſtimandi Formula.

Au. Scis quanti te ſemper fecerim. Tanti fies apud homines, quanti virtutem facies. Præceptores meos ſemper feci plurimi. Aurum hac tempeſtate magni venditur, literæ nihili, ſiue pro nihilo ducuntur. Aurum minoris habeo, quam credas. Tuas minas flocci facio. Promiſſa tua duco minimi. Non pili te facio. Si tanti ſapientia penderetur, quanti pecunia, nemo auro egeret. Pluris apud nos fit aurum ſine ſapientia, quam ſapientia ſine auro. Hoc pluris te habeo, quod doctus ſis. Minoris hic fies, quod mentiri minime calleas. *Hi multi fiunt, qui*

145 Conie&a, diuinando experire.

qui nigrum in candida vertunt. Hoc mihi pluris es, quod literas amas. Tanti apud omnes eris, quantum possidebis. Tanti vbique haberis, quantum habebis. Non quanti habearis, sed quanti sis, interest. Tanti Christianum meum facio, quanti alium neminem. *Inueniuntur & alia verba cum his genitiuis & ablatiuis, quæ natura sua non significant emptionem, aut aliquid simile.* Petrus osculum puellæ scutato emit. Sit illi faustum; nolim ego basiare tanti. Quanti luditis? Quanti cœnastis? Quosdam * sexcentis sestertiis cœnasse legimus: at Galli sæpenumero lardo [146] cœnitant. Faustus quanti docet? Paruo: at pluris, quam Delius. Quanti igitur? Vndeuiginti aureis. Non discam mentiri tanti. Phædria apud Terentium & rem, & se ipsum perdidit. At nolim ego amare tanti. Quidam magno dormiunt. Demosthenes pluris siluit, quam alii loquebantur. Æqui bonique consulas oro. *Est & aliud verborum genus, quæ accusatiuum vna cum genitiuo aut ablatiuum casum exigunt:* quæ sunt, Accuso, id est obiicio crimen, aut culpo, etiam absentem. Incuso, culpo extra iudicium. Arguo, reprehendo. Insimulo, impingo suspicionem culpæ. Postulo, in ius voco. Accerso, defero, damno, condemno, pro-

* Antonius in vna cœna mille apros proposuit. Heliogabalus 600. struthionum capita proposuit. Vitellius in vno conuiuio 2000. piscium & 7000. auium apposuit. Cleopatra vnionem incredibilis precii: de qua Bapt. Fulg. lib. 9. 146 lardum vel laridum, Speck. Caro suilla pinguior. Macrob. lib. VII. c. 12.

pronuncio, illum esse in culpa. Admoneo, commonefacio. C. Exempli causa,

Accusandi Formulæ.

A. Scipio accusatus est ambitus, aut de ambitu. Arguis me impudentiæ, ipse impudentissimus. Lepidus postulatus est repetundarum [147]. Accersitus est capitis. Si hominem insimulabis auaritiæ, male audies. Admoneto eum pristinæ fortunæ. Mortales ipso vocabulo suæ conditionis admonentur. Commonefacito Lepidum promissi. *Sunt pleraque, quæ accusatiuum geminum admittant.* Doceo te literas. Exorat te veniam. Dedocebo te istos mores. Poposcit me mutuum. Hic eius rei [148] mihi admonendus es, *quod in his secundum accusatiuum etiam passiua obtinent, in aliis genitiuus manet.* A me doctus est literas. Postulant me furti. Postulor furti. Accusas me sacrilegii. Accusor sacrilegii. Scio te nondum expletum. Scio animo tuo nondum esse satisfactum. Quando enim tantus elegantiarum helluo [149] satietur? Sed conuiuis parcendum est, quos hæc non omnes perinde delectant. A cœna inter deambulandum, id quod rationi deerit, persoluemus, nisi quid aliud censes.

Ch. Fiat

---

147 i. e. quod alienas pecunias aut vi aut dolo expilauerit. Er soll wieder erstatten / wieder gut thun / gut machen / was er unrechtmäßig an sich gebracht hat. Accusatus est de repetundis seu repetendis pecuniis, repetendarum pecuniarum causa. Man hält sich an ihn / nimmt seinen Regress an ihn zurücke. 148 sc. causa, gratia, ergo, ἕνεκα. 149 Photius Patriarcha Constantinopolitanus, a quo Caue Photianum denominauit Seculum IX. incomparabilis librorum helluo dictus est. Ein unersättlicher Liebhaber / der alles fressen will.

Ch. Fiat ex tua ſententia. Agamus gratias benignitati diuinæ, deinde pauliſper deambulaturi. *Mi.* Pulchre dicis. Nihil enim hoc veſpertino cœlo[150] amœnius, nihil ſalubrius. *Ch.* Petre, adesdum. Tolle ſuo quæque ordine, ac vinum cyathis infunde. *Pe.* Iubesne agi gratias? *Ch.* Age. *Pe.* Græce mauis, an Latine? *Ch.* Vtroque modo. *Pe. Gratias agimus tibi, Pater cœleſtis, qui tua ineffabili potentia condidiſti omnia, tua inſcrutabili ſapientia gubernas vniuerſa, tua inexhauſta bonitate cuncta paſcis ac vegetas: largire filiis tuis, vt aliquando tecum bibant in regno tuo nectar illud immortalitatis, quod promiſiſti ac præparaſti vere diligentibus te, per Ieſum Chriſtum: Amen.* *Ch.* Dic eadem Græce, ne cæteri, quod dicas, intelligant[151]. *Pe.* Εὐχαριστοῦμέν σοι, πάτερ οὐράνιε, ὁ τῇ ἀῤῥήτῳ σου δυνάμει κτίσας τὰ πάντα, ὁ τῇ ἀνεξερευνήτῳ σου σοφίᾳ κυβερνῶν ἁπαξάπαντα, ὁ τῇ ἀνεξαντλήτῳ σου χρηστότητι ἕκαστα τ εφόμενός τε καὶ αὐξάνων χαρίζου τοῖς υἱοῖς σου τὸ μετά σου ποτὲ πιῶν τὸ τῆς ἀθανασίας νέκταρ, ὃ ὑπέχου καὶ ἡτοίμασας τοῖς ἀληθῶς ἀγαπῶσί σε, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ υἱοῦ σου, τοῦ κυρίου ἡμῶν, τοῦ μετά σου ζῶντος, καὶ βασιλεύοντος ἐν ἑνότητι τοῦ πνεύματος ἁγίου, εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν. *Ch.* Habeo vobis, hoſpites candidiſſimi, gratiam, qui ad hoc conuiuiolum venire dignati ſitis; oro æqui bonique conſulatis. *Co.* Nos viciſſim gratiam referre volumus, non tantum habere

---

150 veſpertina cœli temperie. 151 Perſtringit barbariem ac ruditatem ſeculi ſui; quo vſitatum erat πολυθρύλλητον· Græca ſunt, legi non poſſunt.

re.[152] Proinde ne multis agantur gratiæ. Quin potius surgamus, & exspatiemur. *A.* Ducamus nobiscum virgines, nam eo minus molesta erit deambulatio. *Ch.* Recte sentis. Ne desint nobis flosculi, si forte locus flores non habebit. Vtrum mauis nostris in hortis more poetico reptare*; an foris ad amnem exspatiari? *A.* Habent quidem horti tui amœnitatis permultum; verum eam voluptatem matutinis deambulationibus serua. At *sole inclinato amnium aspectus oculos mirum in modum iuuat.* *Ch.* Antecede igitur, Augustine, vt Poëta dignum est: latus tuum claudam. *A.* Bone Deus, quantum comitum, quantam pompam nobiscum ducimus! Dici non potest, Christiane, quantum mihi placeam. Satrapes[153] mihi videor. *C.* Age, nunc promissum præsta. Solue quod recepisti. *Au.* Quid me potissimum vis dicere? *Ch.* Ego quondam in *Pollionis oratione cum multa tum illud in primis solebam admirari, quod tam facile, tam crebro, tam venuste orationem verteret: quæ res non modo singularis ingenii, verum etiam multi vsus mihi videtur.* *Au.* Haud iniuria istud in Pollione admiratus es, Christiane. Ille enim tum hac in re diuinam quandam vim obtinet, quam quidem illi cum ingenii dexteritate quadam, tum plurimo & dicendi, & legendi, & scribendi vsu contigisse, opinor, potius quam ratione aliqua, aut præceptione. *Ch.* At

152 Differentiam innuit inter gratias habere, & referre; de qua supra dictum. * Alludit ad carmen *Horatii* in Epist. ad Tibul. *An tacitum syluas inter reptare salubres.* 153 Satrapes & Satrapa.

At ego rationem aliquam istius rei, si fieri potest, expecto. *A.* Ita, vt dixi, res habet. Verum quia te tantopere video velle, quantum potero, morem geram, easque ratiunculas, quas in Pollionis orationibus mihi visus sum animaduertere, vt potero, reddam. *Ch.* Age, percupio.

Breuis de Copia praeceptio.

Au. Accingor. *Principio res ipsa puris, electis ac Latinis verbis efferenda est:* quod ipsum posse, non medioeris artificis est. Sunt enim permulti, qui nescio quo modo copiam & varietatem orationis affectant, cum ne semel quidem rem possint apte explicare. Isti tanquam semel balbutisse sit parum[154], balbutiem suam aliis atque aliis modis reddunt balbiorem, tanquam ipsi secum certamen susceperint, vt, quam barbarissime dici possit, dicant. Itaque inepti synonyma quædam congerunt, adeo interdum inter se dissidentia, vt ipsa mirentur, quo pacto conuenerint. Quid enim absurdius, quam hominem pannosum[155], cui ne vna quidem, quam sine pudore possit induere, sit vestis, eum tamen subinde suos pannos mutare, ac mendicitatem suam pro opibus ostentare? At nihilo minus ridiculi videntur isti varietatis affectatores, qui cum barbare semel dixerint, repetunt idem multo barbarius; demum iterum atque iterum indoctius. Hoc est non oratione, sed solœcismis abundare. In primis igitur, vt dixi, res ipsa aptis atque electis verbis est explicanda. *Deinde*

154 Zu wenig / allzuwenig. Cic. Seruare dicit eam mediocritatem, quæ est inter nimium & parum. Offic. lib. I. 155 sordida vilique veste opertum.

de mutatoriis verbis vtendum, si qua, quæ idem efficiant, reperiantur: reperiuntur enim permulta. *Demum vbi propria deficient, translatitiis erit vtendum, si modo verecunda sit translatio.* Ea quoque vbi deerunt, si *per actiua* dixisti, ad *passiua* reuertendum erit, quæ nobis totidem orationes reddunt, quot ex actiuis constabant. *Postea* verba, si licebit, aut in nomina verbalia, aut in participia commutabimus. *Postremo*, vbi modo aduerbia in nomina, modo nomina in alias atque alias partes commutauerimus, per contrarium dicemus: aut affirmatiuam orationem in negatiuam commutabimus, aut retrorsum: aut certe, quod pronunciatiue dictum, per interrogationem efferemus. Nunc exempli causa hanc sententiam sumamus:

Literæ tuæ magnopere me delectarunt.

Literæ.

Epistola, epistolium, scripta, schedæ, literulæ.

Magnopere.

Mirum in modum, miris modis, maiorem in modum, mirandum in modum, supra modum, plurimum, non mediocriter, summopere, maximopere.

Me.

Animum meum, pectus meum, oculos meos, cor meum, Christianum.

Delectarunt.

Voluptate affecerunt, recreauerunt, exhilararunt, voluptati fuerunt, oblectarunt, voluptate perfuderunt, mellitissimæ fuerunt, iucundissimæ, &c. Habes materiam; tuum erit componere.

Ex-

Experiamur igitur. Faciamus periculum. *Ch.* Tuæ literæ magnopere me delectarunt. Tua epistola mirifice nos exhilarauit. *Au.* Verte actiuum in passiuum, alia erit facies: vt, Dici non possit, quam tuis sim scriptis exhilaratus.

Item per alia verba idem efficientia.

Tuis ex literis incredibilem cepi voluptatem. Ex epistola Celsitudinis tuæ plurimum voluptatis accepi. Non mediocrem lætitiam tua mihi scripta attulerunt. Gaudio tua me scripta, quantus eram [156], perfuderunt. Hic non ita liceret mutare in passiua, nisi in illo postremo, perfusus gaudio, quod vsitate dicitur: capiebatur a me voluptas; allatum est gaudium, non perinde vsitate dixeris.

Per Afficio.

Singulari voluptate literæ tuæ me affecerunt.

Muta in Passiuum.

Tuis scriptis incredibili sum affectus voluptate. Non parum gaudiorum tuum nobis epistolium peperit.

Per Sum, & Nomina Adiectiua.

Tuæ mihi literæ multis modis iucundissimæ fuerunt. Fuit tua illa epistola sane quam gratissima.

Per Nomina Substantiua.

Ineffabili voluptati tua nobis epistola fuit [157]. Incredibili iucunditati fuerunt tuæ literæ.

Com-

156 totum, omnem. 157 Pro Datiuo rei Germanus adhibet Nominatiuum: ineffabilis voluptas, ineffabile gaudium, incredibilis iucunditas.

Commuta in Negationem.

Tua ſcripta non mediocri lætitiæ fuere. Nihil in vita[158] tuis literis accidit iucundius.

Quanquam hac ratione aliquoties iam vſi ſumus, quæ non eſt negligenter prætereunda. Nam quoties multum, plurimum, ſingulariter, ſignificare volumus, per contrarium verbum idem efficiemus: vt, Vehementer te amat Henricus: haud vulgariter te amat. Multum me iuuat vinum: haud parum iuuat. Eſt vir ſingulari ingenio: eſt vir ingenio non vulgari. Eſt homo doctrina admiranda: eſt homo non contemnenda doctrina. Thomas eſt ſummo apud ſuos loco[159] natus: non infimo loco natus. Auguſtinus eloquentisſimus fuit: non ineloquens fuit. Carneades orator fuit nobilis, non ignobilis, non obſcurus[160]. Et id genus ſimilia, quæ nunquam non vſu veniunt[161]: ſed admonuiſſe rem clarisſimam ſatis eſt. Nec te lateat, bifariam nos huiusmodi orationum genere vti, *modeſtiæ cauſa*, præſertim ſi de nobis ipſis loquamur: tum etiam *amplificandi gratia*. Nam non ingratum, pro valde grato; non vulgariter, pro ſingulariter, recte & venuſte dicimus.

Modeſtiæ cauſa.

Ego literis meis nonnullam doctrinæ ſum opinio-

158 Per omnes vitæ dies. Mein Lebs-Tage/die Zeit meines Lebens/ ſo lange ich lebe. 159 genere. 160 Tanta pollebat dicendi facultate, vt Cato in Senatu dixerit, cum ab Athenienſibus Romam miſſus eſſet Carneades; Cauendum ab hoc viro eſſe, qui eloquentia facile, quod vellet, impetraret. 161 vtilitatem præſtant, vtilia ſunt, inſeruiunt.

nionem consecutus. Semper curaui, vt in literaria gloria non postremas partes tenerem.

De *amplificatione* superiora sunt exempla: nunc ad nostra reuertamur. Nihil tua epistola vnquam euenit gratius. Nulla res maiori vnquam voluptati fuit, quam tua scripta. Nulla vnquam ex re tantundem cepi voluptatis, quantum ex tuis literis amantissimis. *Hoc modo singulæ orationes superiores poterunt variari per interrogationem.* Quid tuis literis in vita iucundius esse potuit? Quid epistola illa tua nobis euenit dulcius? Quid ita oblectauit vnquam vt proximæ tuæ literæ?

Hoc modo rursum singulas fere orationes variare licebit. *Ch.* Quid deinde fiet? *Au.* Iam paulo liberius totam orationem vertemus, vt vnam dictionem pluribus verbis circumloquamur. *Ch.* Dic exempli causa. *Au. Quod modo per nomen*, incredibile, *modo per aduerbium*, incredibiliter, *dictum erat*, vnam dictionem aliquot verbis commutabimus. Literis consequi [162] nequeam, quantum tuis literis sim delectatus. Et mihi scriptu, & tibi creditu perdifficile fuerit, quantæ iucunditati tua mihi scripta fuerint. Explicare prorsum nequeo, quam sim tuis literis gauisus. Et item in infinitum. *Rursum alio pacto. Nam hactenus & per negationem, & per interrogationem, postremo per infinitas orationes variauimus. Nunc per subiunctiuas siue conditionales variabimus, hoc modo:* Moriar, si vnquam quicquam fuit tuis literis aut optatius, aut dulcius. Peream, si vlla res maiori voluptati fuit,

162 exprimere.

fuit, quam tuæ literæ. Ita me Deus amet, vt nihil in vita tuis literis accidit iucundius. Et item alia multa in hunc modum excogitare licebit. *Ch.* Quid deinde? *Au. Nunc ad translationes, ſimilitudines, & exempla fugiendum eſt.*

Translatio eſt in his.

Accepi literas tuas, quæ mellitæ fuerunt. Nihil niſi meræ deliciæ tua mihi ſcripta videntur. Mera voluptas ſunt tuæ literæ. Et huiusmodi plurima. *Sed cauendum, ne obſoletis, aut durioribus translationibus vtamur, quale eſt illud:* Iupiter hybernas cana niue conſpuit Alpes*. *Et quale eſt illud:* Cœna tuorum ſcriptorum me ſuauiſſimis epulis refecit.

Comparatio a ſimili.

Tua ſcripta omni vel ambroſia, vel nectare ſuauiora fuere[163]. Literæ tuæ quouis melle mihi fuere dulciores. Epiſtola humanitatis tuæ & ſiliquam* omnem, & mel Atticum, & ſaccharum omne, nectar ambroſiamque deorum, longe ſuperauit. *Hic quidquid dulcedine nobilitatum eſt, in medium adduci poteſt.*

Ab exemplo.

Nunquam adducar, vt credam, Hero[164] Leandri ſui literas aut maiore voluptate, aut pluribus oſculis

---

*Apud Furium, de quo Gel. l. 18. cap. 12. 163 cibo ac potu Deorum. *Siliqua fructus prædulcis: ſed malus ſtomacho. Arbor Græcis κόμαρος, Latinis arbutus vocatur; fructus non abſimilis quantitate meſpilo, ſed rubicundus eſt. Johannis Brod. 164 Hero puella formoſiſſima, Veneris Veſtalis, quæ cadauer amatoris Leandri tempeſtate ſubmerſi conſpiciens ſe præcipitem a ſpecula in vndas dedit. Extant apud Ouidium vtriusque Epiſtolæ.

osculis accepisse, quam tuas accepi. Vix crediderim, aut Scipionem euersa Carthagine, aut Paulum Æmilium capto Perseo, magnificentiorem egisse triumphum, quam ego, simulac suauissima tua scripta tuus mihi tabellarius reddidit. *Huiusmodi tum ex fabulis, tum ex historiis infinita possunt inueniri. E Physica vero sumuntur rerum similitudines, quarum quamplurimarum naturas memoriter tenere necesse est.* Nunc si libet, in alia sententia tentemus.

Nunquam dum viuam tui ero immemor.

Semper dum viuam, tui meminero. Quoad viuam, nunquam me tui capiet obliuio. Prius viuere desinam, quam tui meminisse.

Per comparationem.

Si vmbram corpus poterit effugere, & hic animus tui quibit obliuisci. Tui memoriam ne Lethæus quidem amnis* poterit abolere.

Præterea per ἀδύνατον, aut, more poëtico, per contraria.*

Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit. Ante leues ergo[165] &c. quæ non est multi negocii excogitare. Verum ne immodici[166] videamur, his in præsentia contenti simus. Alias, si voles, copiosius hac de re colloquemur.

---

* Quem Poëtæ interpretantur omnium obliuionum fontem.

* Ἀδύνατον, impossibile, quod fieri nequit. Horum copiam Ouidius solus sufficere potest. 165 Virg. Ecl. I.

Ante leues ergo pascentur in æquore cerui,
Et freta destituent nudos in littore pisces,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

166 intemperantes.

mur. *Ch.* Ego te, Auguſtine, iam plane exhauſtum[167] putabam: ſed tu præter expectationem nouum theſaurum indicaſti, quem ſi pergas explicare, nox ante occupauerit[167], quam tibi eadem de re deſint verba. *A.* Si ego hoc mediocri & doctrina & ingenio[168] præſto, quantum Ciceronem ipſum valuiſſe credis, qui cum Roſcio hiſtrione certaſſe legitur[169]. Sed Sol nos relinquit. Humeſcit[170] cœlum, præſtat imitari auiculas, tectoque ac lecto nos condere. Proinde vale, mi Chriſtiane ſuauiſſime, in craſtinum. *Ch.* Tu itidem bene valeas, Auguſtine omnium doctiſſime.

Conuiuium Religioſum.

EVSEBIVS*, TIMOTHEVS*, THEOPHILVS*, CHRYSOGLOTTVS*, VRANIVS*.

Eu. CVm omnia nunc vernent & rideant in agris, demiror eſſe, qui fumoſis vrbibus delectentur. *Ti.* Non omnes capiuntur aſpectu florum, aut pratorum vernantium, aut fontium amniumue: aut, ſi capiuntur, eſt aliud, quod magis iuuet. Ita voluptas voluptate, veluti clauus clauo, pellitur[1]. *Eu.* Tu mihi fortaſſe fœneratores narras[2], aut, his ſimillimos, negociatores auaros. *Ti.* Iſtos quidem, ſed non ſolos, o bone, imo cum his innu-

167 euacuatum. 167 ingruat, inuaſerit. 168 inſtructus. 168 vtrum ipſe ſæpius eandem ſententiam variis geſtibus efficeret, an ipſe per eloquentiæ copiam ſermone diuerſo pronunciaret. 170 Humore aſpergitur. Der Himmel wird feuchte; Es will ſich zur Näſſe ſchicken. * Id eſt, pius. * Id eſt, carus Deo, vel carum habens Deum. * Id eſt, amans Dei. * Id eſt, auream habens linguam. * Id eſt, cœleſtis.

1 Cuneus cuneum trudit. Ein Keil treibt den andern. 2 de fœneratoribus loqueris.

innumeros alios[3], vsque ad ipsos sacerdotes ac monachos, qui fere quæstus gratia malunt in vrbibus, iisque frequentissimis, versari, dogma secuti non Pythagoricum aut Platonicum, sed cæci cuiusdam mendici, cui dulce erat premi turbis hominum, quod diceret, illic esse quæstum, vbi esset populus. *Eu.* Valeant cæci cum suo quæstu: nos Philosophi sumus. *Ti.* Et Socrates Philosophus vrbes præferebat agris, quod esset discendi cupidus, & vrbes haberent vnde disceret. In agris esse quidem arbores & hortos, fontes & amnes, qui pascerent oculos, cæterum nihil loquerentur, ac proinde nihil docerent. *Eu.* Est nonnihil quod dixit Socrates, si solus obambules in agris. Quanquam *mea sententia non est muta rerum natura, sed vndiquaque loquax est multaque docet contemplantem, si nacta fuerit hominem attentum ac docilem.* Quid aliud clamitat[4] illa tam amœna naturæ vernantis facies, quam opificis Dei sapientiam bonitati parem? Sed Socrates in eo secessu[5], quam multa docet Phædrum suum, ac vicissim ab eo discit! *Ti.* Si tales adessent aliquot, nihil esse posset amœnius rusticatione[6]. *Eu.* Libet igitur huius rei periculum facere? Est mihi prædiolum suburbanum[7], non amplum, sed nitide cultum; eo vos in crastinum diem ad prandium voco. *Ti.* Plures[8] sumus; exedere-

3 narro, loquor, de innumeris aliis. 4 clangit, exclamat, profatur, proclamat. 5 ea solitudine, secessione. 6 vita rustica. 7 villa suburbana. 8 multi, numerosiores iusto sumus.

deremus[9] totum prædium tuum. *Eu.* Imo totum conuiuium apponetur herbaceum[10], ex dapibus, vt inquit Flaccus*, inemptis[11] apparatum. Vinum ipse locus suppeditat; pepones, melones[12]; ficos, pira, mala, nuces, ipsæ pene arbores porrigunt, quemadmodum fit, in insulis Fortunatis, si Luciano credimus. Accedet[13] fortassis e corte* gallina. *Ti.* Age, non recusamus. *Eu.* At suam quisque vmbram* secum adducat, quam volet. Ita cum sitis quatuor, æquabimus numerum Musarum. *Ti.* Fiet. *Eu.* Vnum illud vos præmonitos volo, sibi quisque condimentum suum adferet. Ego cibos duntaxat apponam. *Ti.* Quod condimentum narras? piper, an saccharum? *Eu.* Imo aliud vilius, sed suauius. *Ti.* Quodnam? *Eu.* Famem. Eam dabit hodie cœna tenuis; cras acuet stomachum ambulatiuncula. Et hoc quoque commodi rusculo meo debebitur. Verum ad quam horam libet prandere? *Ti.* Ad decimam, priusquam inualescat[14] æstus Solis. *Eu.* Curabitur. *Pu.* Here, adsunt conuiuæ pro foribus. *Eu.* Bonæ fidei est, quod venistis; sed bis gratum est, quod venistis mature vna cum vmbris vestris longe

9 absumeremus. 10 herbis constabit, perficietur, absoluetur. * In Epod. Dapes inemptas apparet. Et Virg. 4. Georg. Dapibus mensas onerabat inemptis. 11 non-emptis præparatum, instructum. **Speisen die man nicht kauffen darff; eigner Zuwachs.** 12 Aurea poma ferunt, tum melonas atque pepones. 13 aduolabit, superueniet. * Cor cortis, spacium circum villam septum, vnde cortis aues: & inde militum cohors, quod ex agris legi soleant. * Vmbra non ipse vocatus, sed quem adducit comitem, vocatur. 14 ingrauescat.

ge gratiſſimis. *Sunt enim quidam inciuiliter ciuiles, qui conuiuatorem* mora ſua torquent.* *Ti.* Eo maturius venimus, vt eſſet ocium luſtrandi viſendique[15] regiam iſtam tuam, quam audimus vndique miris deliciis variam[16], nusquam non teſtari domini ſui ingenium[17]. *Eu.* Regiam ſpectabitis tali dignam Rege. Mihi certe nidulus eſt, quauis regia gratior. Et, ſi regnat, qui libere viuit ex animi ſui ſententia, hic plane regno. Sed præſtat[18], opinor, interim, dum culinæ præfecta[19] parat holuſculum[20], & adhuc moderatus eſt Solis calor, viſere hortos noſtros. *Ti.* Eſt alius præter hunc? Nam hic ſane mire cultus, blandiſſimo aſpectu ſtatim ingredientes ſalutat, & comiter excipit. *Eu.* Hinc igitur decerpat ſibi quisque floſculos ac frondes aliquot, ne quid offendat domus pædor[21]. Non idem odor æque gratus omnibus. Quare ſibi quisque deligat. Ne parcite. Nam quicquid hic naſcitur, pene publicum[22] eſſe patior. Neque enim vnquam clauditur oſtium huius veſtibuli, niſi noctu. *Ti.* En tibi in oſtio Petrus. *Eu.* Hunc ego malo ianitorem, quam Mercurios, Centauros[23], aliaque por-

*Conuiuator, qui excipit; & conuiua, qui excipitur conuiuio. 15 ſedem. 16 multifariam, variantem, copioſam. 17 deheri ſui ingenio, mente. 18 commodum, ſuaue, conſultum erit. 19 coqua, ancilla. 20 oluſculum; iuxta illud:

Cum dat oluſcula menſa minuſcula pace quieta,
Ne pete grandia, lautaque prandia lite repleta.

21 fœtor, ſitus. Der dumpffichte/üble Geruch/ ſchimmlichte Dumpff. 22 commune omnibus. 23 Pluralis pro Singulari: Mercurium, Centaurum.

portenta, quæ quidam pingunt in foribus suis. *Ti.* Isthuc homine Christiano dignius est. *Eu.* Nec mutum habeo ianitorem; tribus linguis alloquitur ingredientem. *Ti.* Quid loquitur? *Eu.* Quin[24] ipse legis? *Ti.* Interuallum[25] aliquanto longius est, quam vt prospectus oculorum assequatur[26]. *Eu.* En tibi perspicillum[27], quod te vel lynceum[28] reddet. *Ti.* Latina video: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Matthæi c. 19. *Eu.* Nunc lege Græca. *Ti.* Græca video quidem, at illa non vident me*: quare lampadem* hanc trado Theophilo, qui nunquam non cantillat Græca. *Ti.* Μετανοήσατε*, καὶ ἐπιστρέψατε Πράξεων τῶ τρίτω. *Ch.* Hebræa mihi sumam; צַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה* *Eu.* An vobis videtur incomis ianitor, qui statim monet vt auertamur a vitiis, & conuertamus nos ad studium pietatis? Deinde vitam non contingere ex operibus Mosaicis, sed per fidem Euangelicam? Postremo[29], seruandis Euangelicis præceptis iter esse ad immortalem vitam? *Ti.* Et ecce mox ad dextram ingressus[30] ostendit sacellum perquam elegans. In altari Iesus Christus, suspi-

24 Cur non, quare non. 25 spatium intercedens. Es ist etwas zu weit/ entlegen/ entfernt. 26 attingat, pertingat. 27 Ein Fern-Glaß/ Perspectiv. 28 perspicacissimum, acutissime prospicientem. * Id est, non intelligo. Nolunt enim videre, quem non dignoscunt. * Lampadem tradere, est alteri tradere negocium. Vide Prou. * Id est, Resipiscite: quasi dicat, post factum sapite, & de errore admisso ita dolete, ne pergatis. Idque explicat verbum sequens, Conuertite vos. Actor. 3. * Id est, Iustus autem ex fide sua viuet. Abacuc. 2. & Galat. 3. 29 autem monet, quod per seruanda Euangelica præcepta via sit. 30 introitus.

ſuſpiciens in cœlum ad Patrem & Spiritum ſanctum illinc proſpicientes [31], atque eodem [32] dextram porrigens, læua velut inuitat & allectat prætereuntem. *Eu.* Nec is elinguis nos excipit [33]: vides Latina? Ego ſum via, veritas, & vita, Græca: Ἐγώ εἰμι τὸ ἄλφα, καὶ τὸ ω. Hebraice: לְכוּ בָנִים שִׁמְעוּ לִי יִרְאַת יְהוָה אֲלַמֶּדְכֶם* *Ti.* Læto nimirum omine nos ſalutauit Dominus Ieſus. *Eu.* Sed ne videamur inciuiles, fortaſſis par eſt, vt illum reſalutemus, precemurque, vt, quando [34] ex nobis ipſi nihil poſſumus, ille ſua inæſtimabili bonitate non ſinat nos vnquam aberrare a via ſalutis, ſed, abiectis vmbris Iudaicis, & huius mundi præſtigiis, per veritatem Euangelicam perducat nos ad vitam æternam; hoc eſt, ipſe per ſe trahat nos ad ſe. *Ti.* Æquiſſimum eſt, & ipſa loci ſpecies inuitat ad precandum. *Eu.* Multos hoſpites allicit huius horti amœnitas: ſed ita fere apud omnes inualuit conſuetudo, vt nemo prætereat Ieſum inſalutatum [35]. Hunc ego, vice fœdiſſimi Priapi*, cuſtodem poſui, non ſolum horti mei, ſed omnium quæ poſſideo, denique corporis pariter atque animi. Adeſt, vt videtis, fonticulus ſaluberrimis aquis non inamœne ſcatens, vtcunque repræſentans vnicum illum fontem, qui cœleſti latice refocillat omnes laborantes & oneratos

31 Suſpicere, in die Höhe / hinauf. Proſpicere, von der Höhe / herab / herunter / hernieder ſehen. 32 illorſum. 33 Auch der redet uns an / hat eine Zunge uns zu empfangen. * Id eſt, Venite filii, obedite mihi, timorem Domini docebo vos. Pſal. 34. 34 quia, 35 niſi ſalutauerit eum. * Gentilitas Priapum Deum nudum & membroſiorem æquo, in hortis tanquam tutelarem conſtituebat.

ratos, & ad quem anhelat anima lassata malis huius mundi, non aliter quam iuxta Psalmistam[36], ceruus æstuans siti, gustatis serpentium carnibus. Hunc gratis[37] haurire licet, quisquis sitit. Nonnulli & religionis gratia sese aspergunt. Quidam etiam bibunt, non sitis, sed religionis[38] causa. Video, vos inuitos auelli ab hoc loco. Sed interim hora monet, vt visamus hunc cultiorem, quem in quadrum cingunt muri regiæ meæ. Si quid erit visendum intus, a prandio spectabitis, quum Solis æstus nos, veluti cochleas, domi cohibebit horis aliquot. *Ti.* Papæ, Epicureos* hortos mihi videre videor. *Eu.* Totus hic locus voluptati dicatus est, sed honestæ, pascendis oculis, recreandis naribus, reficiendis animis. Nihil hic nascitur præter odoratas herbas, nec eas quaslibet, sed eximias duntaxat. Vnumquodque genus suas habet areas. *Ti.* Nec herbæ mutæ sunt apud te, quantum video. *Eu.* Probe dicis: alii domus habent opulentas, ego loquacissimam habeo, ne quando solus videri possim: id magis etiam dices, vbi totam videris. Vt herbæ sunt velut in turmas digestæ, ita singulæ turmæ singula habent vexilla cum inscriptione. Velut Amaracus hic: Abstine, inquit, sus*; non tibi spiro. Cum enim sit suauissimæ fragrantiæ, sues tamen hoc odore vehementer offen-

36 Ps. XXIV, 2. 37 Aduerbialiter & Nominaliter: nullo soluto pretio, iis qui grati sunt futuri. 38 deuotionis, ex deuota pietate. * Quicquid voluptuosum est, ad Epicurum vocant. * Suibus amaracinum vnguentum, ex amaraco factum, venenum est.

fenduntur. Itidem singula genera habent suos titulos, aliquid indicantes, quod ad peculiarem eius herbæ vim pertinet. *Ti.* Nihil adhuc vidi hoc fonticulo festiuius, qui medius velut arridet herbis omnibus, ac refrigerium illis pollicetur aduersus æstum. Sed alueolus hic, qui tanta gratia totam aquam ostendit oculis hominum, hinc atque hinc æquis spatiis hortum dirimens, in quo sese vtrinque herbæ velut in speculo contemplari gestiunt, num marmoreus est? *Eu.* Bona verba; vnde huc marmor? E contusis cæmentis factitium marmor est: coloris candor additus est incrustamento*. *Ti.* Quo tandem sese condit[39] tam amabilis riuus? *Eu.* Vide inciuilitatem humanam. Posteaquam hic satis exhilarauit oculos nostros, proluit culinam[40], eiusque sordes secum defert in cloacam. *Ti.* Crudele, ita me Deus bene amet. *Eu.* Crudele, ni & in hunc vsum parasset æterni numinis benignitas. Tum *crudeles sumus, cum fontem diuinæ scripturæ, longe hoc amœniorem, recreandis simul ac purgandis animis nostris datum, conspurcamus vitiis nostris, prauisque cupiditatibus, abutentes tam ineffabili dono Dei.* Nam hac aqua non abutimur, si partimur in varios vsus, in quos illam dedit is, qui nihil non affatim suppeditat vsibus humanis. *Ti.* Verissima sunt quæ narras: sed cur tibi virent etiam horti septa[41] manu facta? *Eu.* Ne quid[42] hic non vireat. Quidam rubra ma-

*Est supertegumentum, quod parietibus, aut calce aut gypso superinducitur. 39 abscondit. 40 currit, profluit, manat in culinam. 41 horti sepimenta. 42 sit, quod. Vt omne, quiduis, nihil non.

malunt, quod is color additus virentibus gratiam adiungat[43]. Hic[44] mihi magis arridet, vt est sua cuique sententia, etiam in hortis. *Ti.* Sed horti per se amœnissimi iucunditatem propemodum obscurant [45]ambulacra tria. *Eu.* In his vel studeo, vel obambulo, solus, aut cum amiculo[46] confabulans; vel cibum capio, si videtur. *Ti.* Columnæ paribus intervallis sustinentes ædificium innitens[47], miraque colorum varietate blandientes, suntne marmoreæ? *Eu.* Ex eodem marmore, quo factus est hic alueus. *Ti.* Lepida profecto impostura. Vel deierassem esse marmor. *Eu.* Quare caue, ne vel credas, vel deieres quicquam temere. Non raro fallit species. Quod opibus deest, arte sarcimus. *Ti.* Non tibi sat erat hortus tam nitidus, tam excultus, nisi pingeres insuper alios hortos? *Eu.* Non capiebat omnes herbarum species vnus hortus. Præterea *bis delectamur, cum pictum florem cum viuo decertantem videmus, & in altero miramur artificium naturæ, in altero pictoris ingenium, in vtroque benignitatem Dei, qui in vsum nostrum largiter hæc omnia, nulla in re non mirabilis pariter & amabilis.* Postremo non semper viret hortus, non semper viuunt flosculi. Hic hortus etiam media bruma viret, & adblanditur. *Ti.* At non spirat. *Eu.* Sed rursum non eget cultura. *Ti.* Tantum pascit oculos. *Eu.* Verum; sed hoc perpetuo facit. *Ti.* Habet suum & pictura senium. *Eu.* Ha-

43 pariat. 44 sc. color. 45 obfuscant. 46 mit einem lieben Freunde. 47 Die Seulen/ da immer eine so weit von der andern steht als die andere/ und worauf das Gebäude ruhet.

Habet; nobis tamen est viuacior, & illi fere gratiam addit ætas, quam nobis detrahit. *Ti.* Vtinam hic vanus esses. *Eu.* In hoc ambulacro, quod spectat occidentem, Sole fruor oriente: in hoc, quod spectat orientem, apricor[48] interdum: in hoc, quod spectat austrum, sed patet ad septentrionem, recreor ab æstu Solis[49]. Obambulabimus, si videtur, quo spectetis propius. En vernat ipsum etiam solum: habent enim & tessellæ[50] colorum gratiam, & flosculis pictis adblandiuntur. Hoc nemus, quod videtis hoc toto pariete depictum, exhibet mihi varium spectaculum. Primum quot videtis arbores, tot videtis arborum genera, singulis ad natiuam imaginem non pessime expressis. Quot cernitis aues, tot videtis auium species, præcipue si quæ sint rariores, & insigni re quapiam nobiles. Nam anseres, gallinas, & anates, quid attinet pingere? Inferne sunt quadrupedum species, aut earum auium, quæ viuunt humi, more quadrupedum. *Ti.* Mira varietas, nec quicquam est ociosum. Nihil est quod non aut agat, aut loquatur aliquid. Quid nobis narrat noctua, pene latitans sub frondibus? *Eu.* Attice loquitur Attica: *Σωφρόνει**, inquit; *ȣ̓ πᾶσιν ἵπτημι.* Iubet nos consulto agere, quod non omnibus feliciter cedat inconsulta temeritas. Hic aquila discerpit le-

48 calesco, aëris amœnitate vtor. 49 refrigesco. 50 lapides quadrati, laterculi, quibus pauimenta sternuntur. Die Holländischen Thönernen Täffelchen. * Id est, Prudens esto, non omnibus volo. Vide Prov. de noctua Atheniensium.

leporem frustra obtestante scarabeo *. Adstat scarabeo trochilus *, & ipse capitalis inimicus aquilæ. *Ti.* Hæc hirundo * quid gerit ore? *Eu.* Herbam chelidoniam [51]. Nam hac restituit pullis exoculatis visum. Agnoscitis herbæ figuram? *Ti.* Quodnam hoc nouum lacertæ [52] genus? *Eu.* Non est lacerta, sed chamæleon [53]. *Ti.* Est hic ille longo nomine celebratus chamæleon? Belluam esse credidi leone maiorem, quem vincit etiam vocabulo. *Eu.* Hic ille est semper hians, & semper ieiunus chamæleon. Hæc arbor est caprificus [54], apud quam solam sæuit, alias innoxius. Nam venenum habet, ne contemnas hiantem bestiolam. *Ti.* At non mutat colorem. *Eu.* Verum; quia non mutat locum: vbi mutarit locum, videbis & colorem alium. *Ti.* Quid hic sibi vult tibicen? *Eu.* Nonne vides in proximo camelum saltantem? *Ti.* Video nouum spectaculum, camelus cinædus est, & simius choraules [55]. *Eu.* Sed his

* Vide Prouerbium: Scarabeus aquilam. * Auicula, natura aquilis infesta. Lege Plin. lib. 10. cap. 74. * De hirundine idem lib. 25. cap. 8. 51 Schwalben-Kraut. Hirundinariam. Schel-Kraut / Blut-Kräutich. Es kömmt bey Ankunfft der Schwalben hervor / und verdorret bey der Abreise wieder. 52 Lacerta. Eine Heyder. 53 Chamæleon, Leunculus, paruus leo, animal Indicum figura & magnitudine lacertæ, coloris varietate & mutabilitate mirabile; mutat quippe eum ad visum quemcunque præter rubrum candidumque. Crura habet excelsiora, quam lacerta, rostrum simile suillo, caudam prælongam. 54 ficus syluestris, wilder Feigen-Baum. Caprificus penult. producta; arbor e ruptis saxis fere erumpere solita, nullo vnquam tempore maturescens. 55 Cinædus saltator est, Choraules tibia canenas ducenti choreas, seu saltanti.

his ſingulatim ac per ocium contemplandis alias dabitur vel totum triduum; nunc ſatis erit veluti per transſennam[56] vidiſſe. In hac regione depictum eſt ad natiuam effigiem, quicquid eſt inſignium herbarum: quodque iure miremini, hic venena quantumuis præſentanea, tuto non ſolum ſpectantur, verum etiam contrectantur. *Ti.* En ſcorpius, rarum in hiſce regionibus malum, ſed frequens Italiæ. Quanquam color mihi parum reſpondere videtur in pictura. *Eu.* Qui ſic? *Ti.* Quia magis nigrent apud Italos; iſte pallidior eſt. *Eu.* Annon agnoſcis herbam, in cuius folium incidit? *Ti.* Non ſatis. *Eu.* Nec mirum. Nec enim naſcitur in hortis noſtratibus. Aconitum[57] eſt. Ei veneno tanta vis eſt, vt ſcorpius ad huius contactum ſtupeſcat, palleſcatque, ſeſeque vinci patiatur. Sed offenſus veneno, a veneno petet remedium. Videtis in propinquo vtrumque genus hellebori. Si ſcorpius ſeſe potuerit explicare a folio aconiti, & album helleborum contingere, recipiet priſtinum vigorem, diuerſi veneni contactu ſoluente torporem. *Ti.* Actum eſt igitur de iſto ſcorpio; nam is ſe nunquam explicabit ab aconiti folio. Etiam loquuntur hic ſcorpii? *Eu.* Et quidem Græce. *Ti.* Quid ait? *Eu.* Εὗρε Θεὸς* τὸν ἀλιτρόν. Hic præter herbas videtis omne ſerpentium genus. En vobis baſiliſcus,

56 cancellos translucidos, transmittentes. 57 Aconitum eſt. Wolffs-Kraut / Herba venenoſa, dicta ab Acona oppido ad Bithyniæ portum, quod ibi magna eius copia proueniat; aut ex Græco, quod in cautibus, quos Græci ἀκόνας vocant, ſuccreſcat. * Id eſt, reperit Deus nocentem.

ſcus, oculis igneis, ipſis etiam nocentiſſimis venenis formidabilis. *Ti.* Et is loquitur aliquid. *Eu.* Oderint, inquit, dum metuant. *Ti.* Plane regia vox. *Eu.* Imo nihil minus regium, ſed tyrannica vox eſt. Hic pugnat lacerta cum vipera. Hic dipſas[58] inſidiatur, tecta putamine oui ſtruthiocameli[59]. Hic videtis politiam totam formicarum, ad quarum imitationem nos vocat Hebræus ille ſapiens[60], atque etiam Flaccus[61] noſter. Hic videtis formicas Indicas, quæ aurum egerunt, ac ſeruant. *Ti.* Deum immortalem, cui poſſit obrepere tædium in hoc theatro verſanti? *Eu.* Alias, inquam, licebit vel ad ſatietatem vſque ſpectare. Nunc procul tantum ſpectate tertium parietem. Is habet lacus, amnes, & maria, & in his quicquid eſt inſignium piſcium. Hic eſt Nilus, in quo delphinum[62] illum videtis, hominum amatorem

---

58 Vipera ſitim inferens, ſerpens ſiti inareſcere ad potumque efferueſcere faciens. Cæl. Rhodig. lib. 25. c. vlt. 23. 59 Strauß-Vogel. omnium auium maxima. 60 Prouerb. VI. v. 6. Abi ad formicam, o piger, aſpice vias eius & ſape &c. conf. XXX, 25. 61 Valerius Flaccus Poëta non ignobilis, ſub Veſpaſianis floruit pauperi ſorte vſus, Argonauticon lib. VIII. ſcripſit ad Flauium Veſpaſianum. Hic vero indigitatur Horatius Flaccus, Poëta Venuſinus, qui anno 33. imperii Auguſti mortuus Auguſtum reliquit hæredem. Ita vero de formica cecinit:

Paruula nam Exemplo eſt magni formica laboris,
Ore trahit, quodcunque poteſt, atque addit aceruo,
Quem ſtruit, haud ignara ac non incauta futuri.

62 Delphini viuunt annis 30. arte muſica delectantur, pro voce gemitum edunt humano ſimilem, roſtrum habent ſimum. Plinius affert varia exempla de eorum amore in pue-

torem, cum crocodilo depugnantem, quo non alius hoſtis homini capitalior. In ripis ac littoribus videtis ea, quæ ſunt ἀμφίβια [63], vt cancri, phocæ [64], fiber [65]. Hic eſt polypus [66] captator, captus * a concha. *Ti.* Quid loquitur? Αἱρῶν αἱρῦμαι *. Mire pictor fecit aquam pellucidam. *Eu.* Aut hoc erat illi faciendum, aut nobis opus erat aliis oculis. In proximo eſt alter polypus, ſumma æquoris aqua velificans, Liburnicarum * gaudens imagine. Videtis torpedinem proſtratam in arena concolori, quam hic tuto vel manu contigeris. Sed alio properandum eſt. Hæc paſcunt oculos, at ventrem non explent: properemus ad reliqua. *Ti.* Etiamne amplius? *Eu.* Mox vide-

---

ros lib. IX. Hiſt. nat. c. 8. Notiſſimum eſt de Arione Methymnæo, Citharædo, Tarento proficiſcente Corinthum, in altum deſiliente, ſed excepto abs Delphino & ab eo Tænarum in Laconicam deuecto: quod primus narrauit Herodotus lib. I. & ex eo A. Gellius lib. XVI. c. vlt. 63 animalia, tam in terris, quam aquis atque ſic *vtrinque viuentia.* 64 Vituli marini, a mugitu, quo bouem referunt quaſi Βῶκες, dum aſpirata abit in mediam; vt Voſſius tradit lib. IV. de Orig. & Progr. Idolatr. c. 32. p. 1409. 65 **Der Biber.** Caſtor, ŏris. 66 Polypus, a pedum multitudine, petris adhæret & plurimos piſces caſſibus furtiuæ artis includit, reddendo colorem petrarum, in quibus delitescit; rapaces ſunt eius pedes. Garabum piſcem expaueſcit. Inſidiantur Polypi conchis apertis. Plin. lib. IX. c. 30. * Extat hac de re lepidum Epigramma apud Græcos Antipatri Theſſali de Polypo aquilæ prædatricis interfectore, in Cüchleri Florilegio reperitur Cent. IV, c. 40. p. 263. * Id eſt, Captans capior. * Autor Plinius. Suntque Liburnicæ nauiculæ intextæ viminibus, prædatoriæ, incredibilis celeritatis.

videbitis quid nobis præbeat posticum *. Hic videtis hortum satis spaciosum, in duas diuisum partes: in altera est, quicquid est herbarum esculentarum, in qua regnant vxor & famula mea: in altera, quicquid est medicarum, præsertim insignium. Ad læuam est pratum liberum, præter virorem graminum nihil habens: septum est sepe perpetua, e spinis implexis, sed viuis, contexta: illic nonnunquam vel ambulo, vel lusito cum sodalibus. Ad dexteram est pomarium, in quo cum erit ocium, videbitis plurimas arbores peregrinas, quas paulatim doceo nostro cœlo assuescere [67]. *Ti.* Papæ [68] ! næ tu vincis vel ipsum Alcinoum*. *Eu.* Hic auiarium est in confinio adhærens ambulacro superiori [69], quod videbitis a prandio: videbitis formas varias, variasque linguas audietis. Nec minus varia sunt ingenia. Inter quasdam cognatio est & mutuus amor, inter nonnullas simultas irreconciliabilis. Sunt autem omnes adeo cicures & mansuetæ, vt si quando cœno illic aperta fenestra, deuolent in mensam, cibumque vel e manibus capiant. Si quando ingredior, in ponticulo [70] pensili, quem videtis, fabulans cum amico, assident, auscultant, insident humeris aut brachiis: adeo dedidicerunt

* Aedes, quibus est adiunctus hortus, duas habens ianuas, anticam, & posticam. Antica spectat ad publicam viam: postica ducit ad hortum. Posticum quoque locus proximus posticæ. 67 Ich lerne sie unsrer Lufft gewohnen. 68 Papæ! Interiect. admirantis. Ey! Je/Hy! * Alcinoi Regis horti apud Homerum commendantur. 69 contingens, attingens superius ambulacrum. 70 paruo ponte.

runt timere[71], quia ſentiunt neminem lædere. In extremo pomario apum regnum eſt[72]. Nec illud ſane ſpectaculum inamœnum. In præſentia non ſinam vos amplius contemplari, quo ſit, quod vos poſthac reuocet tanquam ad nouum ſpectaculum. A prandio cætera vobis oſtendam. *Pa.* Vxor & famula clamitant corrumpi prandium[73]. *Eu.* Iubeto illas eſſe æquanimes; nos iam accurremus. Lauemus, amici, vt puris manibus & animis ad menſam accedamus. Etenim ſi Ethnicis quoque religioſa erat menſa, quanto magis oportet eſſe ſacram Chriſtianis, quibus habet imaginem quandam illius ſacroſancti conuiuii, quod Dominus Ieſus poſtremum egit cum ſuis diſcipulis. Et ob id receptum eſt, abluere manus, vt ſi quid odii, liuoris, aut turpitudinis alicui forſitan reſideat in animo, id eiiciat ante, quam accedat ad cibum capiendum. Sic enim opinor & corpori ſalubriores eſſe cibos, ſi ſumantur animo defæcato[74]. *Ti.* Iſtud veriſſimum eſſe credimus. *Eu.* Quoniam hoc exemplum nobis

---

71 timorem. Sie sind aller Furcht entwohnt/ sie haben alle Furcht verlernt/ abgelegt. 72 De Apum πολιτεία prolixe & eruditiſſime, vt ſolet, Voſſius lib. IV. c. 72. de Orig. & Progr. Idololatr. Apis cellas facit ſexangulas, domos primum plebeiis exædificat, deinde regibus regias amplas, magnificas, tuberculo eminentes. Habet Monarchiam, vt Democratiam formica. Rex lenis aculeum aut non habet, aut certe non pungit. Exitus ſit pro Regis arbitrio. Singulis ciuibus ſua ſunt partita officia; aliæ victui inuigilant, aliæ fœtus educant, aliæ mella ſtipant. Sunt quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti. 73 Das Essen vergackere/ werde unscheinbar und unschmeckend. 74 depurato, purificato.

bis ab ipso Christo traditum est[75], vt ab hymno cibum auspicaremur, (nam id arbitror, quod frequenter in Euangelio legimus, illum benedixisse, aut gratias egisse Patri prius, quam cibum frangeret) & rursum hymno * finiremus: si videtur, recitabo vobis hymnum, quem diuus Chrysostomus miris laudibus prædicat in Homilia quadam, dignatus etiam interpretari. *Ti.* Imo, vt velis, rogamus. *Eu. Benedictus Deus, qui me pascis a iuuentute mea, qui cibum præbes omni carni: reple lætitia & gaudio corda nostra, vt affatim, quod satis est, habentes abundemus in omne opus bonum, in Christo Iesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor & imperium, cum Sancto Spiritu in omne æuum.* *Ti.* Amen. *Eu.* Nunc accumbite, ac suam quisque vmbram sibi adiungat. Caniciei tuæ debetur primus locus, Timothee. *Ti.* Verbo dignitatem vniuersam meam complexus es. Hoc solo nomine sum cæteris anteponendus. *Eu.* Cæterarum dotium æstimator est Deus; nos ea sequimur quæ videmus. Sophroni *, adhære corpori tuo[76]. Tu Theophile, & Eulali, dextrum mensæ latus occupate. Chrysoglottus & Theodidactus occupabunt læuum. Vranius & Nephalius, quod superest. Ego hunc angulum tuebor. *Ti.* Non patiemur: hospiti debetur primus locus. *Eu.* Tota domus hæc mea est, simulque vestra: quod si mihi per-

75 Matth. XV, 36. * Hymnus nihil aliud quam diuina laus est. * *Sophronius*, temperans. *Eulalius*, bene loquens. *Theodidactus*, diuinitus doctus. *Nephalius*, sobrius. 76 qui te secum adduxit, Timotheo.

permittitur ius in regno meo, is locus debetur hospiti, quemcunque sibi delegerit. *Nunc vtinam Christus ille exhilarator omnium, & sine quo nihil vere suaue est, dignetur huic nostro interesse conuiuio, suaque præsentia exhilarare animos nostros.* *Ti.* Spero dignabitur. Sed vbi sedebit, iam omnibus locis occupatis? *Eu. Vtinam ille se misceat omnibus & patinis, & poculis, vt nihil illum non sapiat, sed potissimum illabatur animis nostris.* Id quo magis dignetur, & nos tanti hospitis reddamur capaciores, si molestum non est, auscultabitis paululum e sacra lectione, sed ita, vt interim nihilo secius admoueatis manus ouis & lactucis, si libet. *Ti.* Id faciemus libenter, sed auscultabimus libentius. *Eu.* Is mos mihi multis nominibus videtur amplectendus, quod hac ratione vitentur inanes fabulæ, præbeaturque materia confabulationis frugiferæ. Multum enim ab illis dissentio, qui putant, non esse lætum conuiuium, nisi quod scateat ineptis ac lasciuis fabulis, quod perstrepat obscœnis cantiunculis. *Vera hilaritas nascitur e pura sinceraque conscientia: atque hi sermones vere læti sunt, quos semper & dixisse iuuet, aut audisse, & semper delectet meminisse: non quorum mox pudeat, quique conscientiam pœnitudine discrucient.* *Ti.* Vtinam ista tam perpenderemus omnes, quam sunt vera. *Eu.* Hæc præterquam quod certam & insignem habent vtilitatem, etiam iucunda fiunt, vbi vel mensem vnum assueueris[77]. *Ti.* Nihil igitur consultius, quam optimis assuescere. *Eu.* Recita,

[77] Es ist um einen Monat / vier Wochen zu thun / so ist man es gewohnt.

cita, puer, diſtinctè & clare. *Puer. Sicut* diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud. Omnis via viri recta ſibi videtur, appendit autem corda Dominus. Facere miſericordiam & iudicium, magis placet Domino, quam victima. Eu.* Sit hoc ſatis. *Præſtat enim pauca auide diſcere, quam multa cum tædio deuorare. Ti.* Præſtat ſane, ſed non hic tantum. Plinius ſcripſit, Officia Ciceronis nunquam de manibus deponenda: & ſunt ſane digna quæ cum ab omnibus tum præcipue ab his, qui deſtinati ſunt adminiſtrandæ Reipublicæ, ad verbum ediſcantur, mea quidem ſententia: ſed hunc Prouerbiorum libellum ſemper dignum arbitratus ſum, qui ſemper nobis circumferatur. *Eu.* Quoniam ſciebam, prandium fore dilutum & inſipidum, idcirco hanc procuraui nobis conditurarn. *Ti.* Nihil hic eſt non lautiſſimum; & tamen ſi nihil eſſet præter betas* abſque pipere, vino & aceto, talis lectio condiret omnia. *Eu.* Mihi tamen plus adderet gratiæ[78], ſi, quod audio, penitus intelligam. Atque vtinam adeſſet aliquis vere Theologus, qui iſta non intelligeret ſolum, verum etiam ſaperet. Nobis idiotis[79], neſcio an fas ſit hiſce de rebus con-

*Prouerb. XXI, 1. 2. *Alluſit ad illud *Martialis*: Vt ſapiant fatuæ, fabrorum prandia, betæ, O quam ſæpe petet vina piperque coquus. Mangolt; Römiſch Kohl-Salat. 78 voluptatis, ſuauitatis, iucunditatis, dulcedinis, ſaporis. 79 Laicis, de fece profanorum hominum. Ironice loquitur, qs. vero S. literæ doctis modo ſcripta ſint. Vide Deut. XXX. Præceptum hoc, quod præcipio tibi, non eſt occultum a te; & Paul. 2 Cor. IV. Euangelium non eſt tectum, niſi &c.

confabulari. *Ti.* Ego vero puto, vel nautis esse fas, modo absit definiendi temeritas. Fortasse & Christus, qui pollicitus est, sese adfuturum, vbicunque duo conuenirent de ipso tractantes, aspirabit[80] nobis tam multis. *Eu.* Quid si igitur partiamur inter nos nouem tres sententias? *Conuiuae.* Non displicet, modo a conuiuatore incipiat ordo. *Eu.* Non detrectarem prouinciam[81]; sed vereor ne hic vos peius accipiam[82], quam cibis accipio. Age, necubi videar difficilis[83] conuiuator, omissis variis coniecturis, quae in hunc locum congerunt interpretes, mihi videtur hic esse sensus moralis: alios mortales posse flecti monitis, increpationibus, legibus ac minis; regis animum, quoniam neminem metuit, si repugnes, magis irritari. Et idcirco quoties principes vehementer contendunt[84] aliquid, suo animo relinquendos, non quod semper velint optima, sed quod illorum stultitia malitiaue Deus nonnunquam abutatur ad emendandos eos qui deliquerunt. Quemadmodum vetuit resisti Nabuchodonosor[85], quod illius ministerio decreuisset castigare populum suum[86]. Fortassis illud est, quod ait Iob*: Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Atque huc for-

80 aderit, annuet, assistet, praesto erit. 81 officium, partes, negotium, rem, non recusarem, deprecarer, abnuerem, renuerem. 82 tractem. Bewirthen. 83 grauis, iniucundus. 84 vrgent, cupiunt, expetunt. 85 Ierm. 27. & 28. Nebuchodonosori. Est vox peregrina indeclinabilis, potest tamen inflecti in secunda & tertia Decl. quia terminatur in *r*. 86 Debebat esse flagellum Dei, vt Attila. *cap. 34.

fortasse pertinet quod ait Dauid *, deplorans peccatum suum: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Non quod Reges non peccent ingenti populi malo, sed quod non habeant hominem, cuius autoritate condemnentur, quum Dei iudicium nemo, quamlibet potens, possit effugere. *Ti.* Non displicet interpretatio. Sed quid sibi volunt diuisiones aquarum? *Eu.* Adhibita est similitudo *, quæ rem explanet. Violenta res & impotens est Regis animus concitatus, nec huc aut illuc duci potest, sed impetu suo fertur, velut œstro diuino percitus [87], quemadmodum mare sese spargit in terras, ac subinde cursum mutat, contemptis agris, ædificiis, & quicquid obstat; alicubi se condit sub terras [88]: cuius impetum si coneris inhibere, aut alio deflectere, nihil agas [89]. Idem accidit in magnis fluminibus, veluti fabulæ quoque narrant de Achelóo [90]. Minus autem mali capitur, si commode obsecundes, quam si violenter repugnes. *Ti.* Nihil igitur remedii aduersus malorum Regum impotentiam [91]? *Eu.* Fortasse primum fuerit, leonem in ciuitatem non reci-

* Psalm. 51. * Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira. Ita Prouerb. 19. 87 afflatu diuino perculsus, instinctu diuino agitatus, stimulatus. 88 Anas, Hispaniæ fluuius, modo se in stagna fundit, modo in angustias se resorbet, & in totum se condit, sæpiusque nasci gaudet. 89 efficias, peragas. 90 Achelóus Acarnaniæ in Epiro fluuius, cum impetu fluens rapidissime, celerrimeque; quem Hercules fingitur aggeribus & aquæ ductibus coërcuisse, atque in multos riuulos diduxisse; hinc vero fluuio taurinum cornu defregisse. 91 sc. mentis. Wenn sich die bösen/ schlimmen Könige und Fürsten nicht befohlen/ halten/ selbst regieren können.

recipere: proximum, ſic autoritate ſenatus, magiſtratuum, ac ciuium, moderari potentiam illius, vt non facile erumpat in tyrannidem. Sed omnium potiſſimum, dum adhuc puer eſt, & ſe Principem eſſe neſcit, ſanctis præceptis formare pectus illius. Proſunt & preces ac monita, ſed blanda ac tempeſtiua. Extrema ancora * eſt, votis fatigare Deum, vt Regis animum inclinet ad ea, quæ Chriſtiano Rege digna ſunt. *Ti.* Quid ais, idiota? Si Baccalaureus [92] eſſem Theologiæ minime puderet iſtius interpretationis. *Eu.* An vera ſit, neſcio; mihi ſatis eſt, quod ſenſus non ſit impius aut hæreticus. Morem geſſi voluntati veſtræ. Nunc, vt decet in conuiuiis, viciſſim audire cupio. *Ti.* Si quid defertis his quoque canis

---

* Poſtremum refugium. *92* Baccalaurei nomine inſignitur, qui in facultate academica primum gradum & publicæ doctrinæ teſtimonium eſt conſecutus; forte, quod illi olim corolla ex lauri baccis nexa imponeretur. Franciſcus autem Bonæ Spei, Monachorum recentiorum aliquis, ridiculus eſt, qui Baccalaureum a Baccho deriuat. Comment. in Vniuerſ. Ariſtotel. Philoſ. lib. I. p. 26. Goclenio etiam minus conuenienter dici videtur, Baccalaureum nuncupari, qs. qui ius habeat baculum gerendi in templo & ludo literario. Problem. Grammat. l. II. Probl. 73. p. 128. Conringius in Antiquitat. Academ. Diſſ. IV. p. 135. Batallarium a Gallorum Bataille deſcendere opinatur, quaſi militem academiæ Pariſienſis ex primo prælio poſt editum tyrocinii ſpecimen reuerſum, ex qua poſtmodum ad noſtras academias promanarit. Zincgref. P. IV. Apophth. p. 105. iucunde narrat: Ein Student wäre gerne Baccalaureus geweſen/ ward aber um ſeiner Unwiſſenheit willen abgewieſen; da ſagte er: Was frag ich auch darnach? Chriſtus hat zwölff Apoſtel gehabt/ und iſt keiner unter ihnen Baccalaureus worden.

canis, mihi videtur hoc dictum & ad abstrusiorem sententiam accommodari posse. *Eu.* Credo; & audire cupio. *Ti.* Rex intelligi potest vir perfectus, qui domitis carnis affectibus, solo diuini Spiritus impetu ducitur. Porro qui sit huiusmodi, hunc non conuenit fortassis humanis legibus in ordinem cogere, sed suo Domino, cuius Spiritu agitur, relinquendus est, nec iudicandus est ex hisce rebus, quibus imbecillitas imperfectorum vtcunque prouehitur ad veram pietatem; sed si quid secus facit, dicendum est cum Paulo*: Dominus assumpsit illum: Domino suo stat, aut cadit. Item illud*: Spiritualis homo omnia adiudicat, ipse vero a nemine iudicatur. Talibus igitur nemo præscribat, sed Dominus, qui præscripsit terminos mari & amnibus, habet cor sui Regis in manu sua, & quocunque voluerit, inflectit illud. Quid enim opus est præscribere illi, qui suapte sponte præstat meliora, quam exigunt humanæ leges? aut quæ temeritas sit, illum hominem constitutionibus astringere, quem certis argumentis constat diuini Spiritus afflatu gubernari? *Eu.* Tu vero, Timothee, non solum canos habes capillos, sed pectus etiam habes eruditionis canitie venerabile. Atque vtinam inter Christianos, quos omneis oportebat esse Reges huiusmodi, plures reperirentur hoc digni cognomine. Sed iam satis est ouatum, & holeribus prælusum: iubete hæc tolli, & apponi quod superest. *Ti.* Nobis affatim satisfactum est hac ouatione*, etiamsi

* Rom. XIV. * 1 Cor. II. * Supplicatio & Ouatio sunt infra triumphum: allusum est autem ad oua apposita.

etiamsi nihil præterea successerit vel supplicationis[93], vel triumphi. *Eu.* Verum quoniam, aspirante Christo, sicut opinor, successit res in prima sententia, velim vt vmbra tua nobis enarret alteram, quæ mihi videtur aliquanto obscurior. *Sophronius.* Si boni voletis consulere quicquid dixero, sedulo dicam quod mihi videtur. Alioqui qui fieri potest, vt rebus obscuris lucem adferat vmbra? *Eu.* Equidem recipio futurum omnium nomine; & tales vmbræ lucem suam habent aptiorem oculis nostris. *So.* Idem docere videtur quod Paulus. Diuersis vitæ rationibus contenditur ad pietatem. Alii placet sacerdotium, alii cœlibatus, alii coniugium, alii secessus*, alii res publica, pro varietate corporum & ingeniorum. Rursus alius vescitur quibuslibet, alius distinguit inter cibum & cibum; alius iudicat inter diem & diem; alius iudicat omnem diem. In his Paulus vult, vnumquemque suo frui affectu citra contumeliam alterius. Nec oportet quemquam ex huiusmodi iudicare, sed iudicium deferre Deo, qui expendit corda. Fit enim sæpenumero, vt vescens gratior sit Deo, quam non vescens, & diem festum violans acceptior sit Deo,

93 Supplicatio erat ritus solennis, quo populo certatim ad aperta Deorum templa confluente pro meritis grates agebantur. Oeffentl. Danckſagung/ Abkündigung/ Gratulatio votiua pro victoria, votiuus applausus. Differebat ab ouatione triumphali, quod hæc maiori pompa perageretur. Hic enim omnis sexus & ætas triumphanti obuiam procedebat, & captæ bello vrbes ac flumina præferebantur. * Vita priuata aut monachismus.

Deo, quam is qui videtur obseruare: & matrimonium huius gratius sit oculis Dei, quam multorum cœlibatus. Dixi[94] vmbra. *Eu.* Vtinam mihi sæpe contingat cum talibus vmbris colloqui. Rem, ni fallor, non acu, quod aiunt, sed lingua tetigisti[95]. Sed adest qui cœlebs vixit[96], non de numero beatorum[97], qui se castrauerunt propter regnum Dei; sed hic castratus est vi, quo magis placeret ventri, donec & hunc & escas destruxerit Deus. Capus est, ex corte nostra. Elixis magis delector. Ius[98] non inelegans: quod in eo natat, lactucæ sunt selectissimæ. Sumat sibi quisque, quod gratum est animo. Sed ne quid vos fallam, succedit huic assi nonnihil, mox bellaria *, deinde fabulæ catastrophe*. *Ti.* Sed interim excludimus vxorem e conuiuio[99]. *Eu.* Vbi vos venietis comitati vestris[100], accumbet & mea. Nunc quid aliud esset, quam muta persona*? & illa suauius garrit

---

94 qui sum. 95 Lusus est ex significatione propria Prouerbii seu Phrasiologiæ. Acu enim tangebatur olim in lusu quod alius notasset. Est autem acu tangere idem ac ipsissimam mentem, ipsissimum punctum attingere, rem ipsam diuinare, & ab ea nil quicquam aberrare. 96 Loquitur de Capo exsecto testiculos, vt pinguesceret. 97 Respicit verba Christi Matth. XIX, 12. Sunt Eunuchi, qui ex matris vtero &c. 98 Ius patinæ & morum sunt nomina iure sub vno. * Tragemata secundæ mensæ. * Prima pars comœdiæ dicitur Protasis; secunda Epitasis, in qua tumultus est vehementissimus; tertia Catastrophe, quæ componit tumultum. 99 Die Frau Wirthin vom Hause kömmt nicht zu uns/ wir verdringen sie vielleicht. 100 sc. vxoribus. Wenn ihr eure Weiber mitbringen werdet/ wird sich meine auch schon mit zu Tische setzen. * Muta persona in fabulis, quæ ostenditur quidem,

rit[101] mulier inter mulieres, & nos liberius philosophamur. Alioqui periculum sit, ne nobis accidat, quod accidit Socrati, cui quum essent conuiuæ Philosophi[102], quibus magis placent huiusmodi fabulæ, quam cibus, & in longum proferretur disputatio[103], Xanthippe commota[104] mensam subuertit. *Ti.* Nihil minus a tua metuendum arbitror[105]. Est enim mulier moribus placidissimis. *Eu.* Mihi certe[106] talis, vt commutare non cupiam, etiamsi liceat: atque hoc nomine mihi vel præcipue videor fortunatus. Nec enim mihi placet eorum sententia, qui fortunatum putant, vxorem habuisse nunquam: magis arridet quod ait sapiens Hebræus, ei bonam sortem obtigisse, cui obtigit vxor bona. *Ti.* Sæpe nostro vitio malæ sunt vxores, vel quia tales reddimus, vel quia non, vt oportet, formamus & instituimus. *Eu.* Vera prædicas: sed interim expecto tertiæ sententiæ enarrationem, & iam mihi dicturire[107] videtur θεόπνευστος* Theophilus. *Th.*

---

sed non loquitur. *Horat.* Nec muta loqui persona laborat. Vide Prouerb. Κωφὸν πρόσωπον. 101 Tangit garrulitatem mulierum, iuxta versic.

Quando conueniunt Margaretha, Catharina, Sibylla,
Garrire incipiunt, & { *de hoc, & de hac & de illa.* / *ab hoc & ab hac & ab illa.* }

102 Da er Philosophos zu Gästen hatte; da Philosophi seine Gäste waren/ bey ihm zu Gaste waren. 103 Da der Disputat etwas lange währete/ sich verzog. 104 commota est, succensuit, exarsit, &c. 105 quam hoc. 106 in oculis certe meis. 107 Est Desideratiuum a Dico, i. e. dicere velle libenter. *Id est, diuinitus afflatus.

Th. Imo[108] mihi animus erat in patinis: dicam tamen, quando licet impune[109]. *Eu.* Etiam cum gratia licebit errare; vel sic præbebis occasionem inueniendi. *Th.* Mihi videtur eadem sententia, quam protulit Dominus apud Osee Prophetam c. 6. Misericordiam volui, & non sacrificium, & scientiam Dei plus quam holocausta. Cuius viuus & efficax interpres est Dominus Iesus in Euangelio Matthæi cap. 9. Quum enim conuiuium agitaret[110] in domo Leui, qui erat publicanus, isque multos sui ordinis, suique quæstus homines inuitasset ad conuiuium, Pharisæi, qui tumebant religione Legis, cum ea præcepta negligerent vnde tota Lex pendebat & Prophetæ, quo discipulorum animos alienarent a Iesu, rogabant illos[111], cur Dominus admisceret se conuiuio peccatorum, a quorum consortio abstinebant Iudæi, qui volebant haberi sanctiores, & si quando contigisset cum eiusmodi congredi, reuersi domum abluebant[112] corpus. Quumque discipuli rudes adhuc non haberent quod responderent, Dominus & pro se & pro discipulis respondit: Non est opus, inquit, medico valentibus, sed male habentibus. Euntes autem discite, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim

108 Ja gerade! hat sich wohl! ach nein! Imo vero. 109 unbeschadet/ kühnlich; wenn es nichts auf sich hat/ wenn mirs keine Busse tragt/ wenn ich in keine Straffe deswegen verfalle. 110 zu Gaste war; conuiuam ageret, einen Gast abgab. 111 sc. discipulos Pharisæi. 112 Erant in lege plurimæ lotiones iniunctæ, quas vero insuper multiplicabant Pharisæi. Matth. VII.

enim veni vocare iustos, sed peccatores. *Eu.* Pulchre tu quidem collatione [113] locorum rem explicas, id quod in diuinis literis præcipuum est: sed discere velim, quid appellet sacrificium, quid misericordiam. Nam qui consistit [114], vt auersetur sacrificia Deus, quæ sibi tot præceptis iusserat exhiberi? *Th.* Quomodo Deus auersetur sacrificia, docet ipse nos apud Esaiam cap. I. Sunt enim quædam præscripta Iudæis in lege, quæ significant magis sanctimoniam, quam præstant [115]: quod genus [116] sunt, dies festi, sabbatismi, ieiunia, sacrificia. Et sunt quæ semper præstanda sint, quæ suapte natura bona sunt, non quia iussa. Iudæos autem auersatur Deus, non quod obseruarent legis ritus, sed quod his stulte tumidi, negligerent ea, quæ Deus maxime vult præstari a nobis: ac madentes [117] auaritia, superbia, rapinis, odio, liuore, cæterisque vitiis, existimabant, Deum ipsis multum debere, quod diebus festis versarentur in templo, quod immolarent victimas, quod abstinerent a cibis vetitis, quod illi nonnunquam ieiunarent: vmbras amplectebantur, rem [118] negligebant. Quod autem ait, Misericordiam volo, & non sacrificium: opinor ex idiomate sermonis Hebræi dictum, pro eo quod erat, mise-

113 Ad genuinum sacrarum literarum sensum percipiendum apprime vtilis est linguarum cognitio, scopi textus perspectio, diuini nominis inuocatio, vt & locorum obscuriorum cum clarioribus collatio. 114 consonat, consentit, concordat, conciliatur? 115 præbent, conferunt, largiuntur, reddunt. 116 cuius commatis, generis sunt. 117 Sie troffen und siegen von Geitze/ Hoffarth ꝛc. 118 Das rechtschaffene Wesen/ ἀλήθειαν, substantiam, corpus.

misericordiam volo potius quam sacrificium: quemadmodum illud interpretatur Salomon*, quum ait: Facere misericordiam & iudicium, magis placet Domino quam victimæ. Porro omne officium, quod impenditur subleuando proximo, scriptura misericordiam vocat, & eleemosynam[119], quæ & ipsa nomen duxit a miserendo. Victimas appellari puto, quicquid pertinet ad ceremonias corporales, & aliquid habet affine cum Iudaismo*, quod genus sunt delectus ciborum, vestitus præscriptus, ieiunium, sacrificium, preces veluti pensum[120] absolutæ, quies diei festi[121]. Hæc enim vt pro tempore non sunt omnino negligenda, ita Deo fiunt ingrata, si quis obseruationibus huiusmodi confisus, negligat misericordiam, quoties fratris necessitas exigit officium charitatis. Habet speciem sanctimoniæ etiam, colloquia vitare malorum. Sed hoc cessare debet, quoties aliud suadet charitas proximi. Obedientia est quiescere diebus festis; sed impium sit, ob religionem diei* sinere fratrem perire. Itaque seruare diem dominicum victima est, vt ita loquar; reconciliari fratri, misericordia est. Porro iudicium, quanquam potest ad potentes referri, qui frequenter vi opprimunt imbecilles, tamen mihi vide-

* Prou. XXI. conf. 1 Sam. XV, 22. Ier. VII, 22. 119 Ἐλεημοσύνη, ab ἐλεέω, misereor, miseret me. * Iudaismus, Iudaica professio. 120 ex opere operato. 121 quoad strictiorem cultum externum, sine Sabbatho mentis interno. * Religio proprie est eorum, quæ reueremur, veluti sepulcrorum: cui proxima est superstitio. Religio enim immodica superstitio est. Alludit ad locum Pauli Coloss. II.

videtur non abſurdum, ſi reſpondeat illi, quod eſt apud Oſee: Et ſcientiam Dei plus quam holocauſta[122]. *Non ſeruat legem, qui non ſeruat iuxta mentem Dei.* Iudæi ſubleuabant aſinum in foueam collapſum ſabbatis: & Chriſtum calumniabantur, qui ſeruaret totum hominem in ſabbato. Hic erat præpoſterum iudicium, & aberat ſcientia Dei[123]: neſciebant enim, quod iſta propter hominem eſſent inſtituta, non homo propter illa[124]. Sed hæc impudenter dicere viderer, niſi veſtro iuſſu dicerem. Malim ex aliis rectiora diſcere. *Eu.* Iſta mihi videntur adeo dicta impudenter[125], vt exiſtimem, Dominum Ieſum loqui per organum oris tui. Sed interim dum largiter paſcimus animos noſtros, ne negligantur collegæ[126]. *Th.* Quinam? *Eu.* Corpora noſtra, nonne collegæ ſunt animorum? Hoc enim malim, quam inſtrumenta, vel domicilia, vel ſepulchra. *Ti. Hoc nimirum eſt affatim refici, vbi totus homo reficitur.* *Eu.* Video, vos ſegniter[127] attingere: quare, ſi videtur, iubebo proferri aſſa, ne pro lauto conuiuio longum præbeam. Videtis huius prandioli ſummam[128]. Armus eſt ouillus, ſed exquiſitus, capus, & perdices quatuor. Has ſolas a mercatu ſum-

122 Ὁλόκαυστον ſacrificii genus, quo victima igne tota abſumitur ſeu comburitur. 123 **Das war ein verkehrtes und verdrehtes Urtheil und es fehlte an der Erkäntniß GOttes.** 124 Marci II, 27. 125 impudenter vel quaſi, i. e. adeo non impudenter, vt potius &c. tantum abeſt, vt impudenter dicta videantur, vt adeo ipſum Dominum Ieſum loqui credam. 126 corpora, collegæ animorum. 127 vix quidem. 128 **Da ſehet ihr die gantze Mittags-Mahlzeit? da habt ihr die Tractamenten gar mit einander/ alle zuſammen.**

ſumpſi[129], reliqua ſuppeditat hoc prædiolum. *Ti.* Epicureum prandium video, ne dicam * Sybariticum. *Eu.* Imo vix Carmeliticum. Sed qualequale eſt, boni conſuletis. Animus certe purus eſt, ſi parum lautum[130] eſt conuiuium. *Ti.* Adeo non eſt muta tua domus, vt non ſolum parietes, ſed & cyathus loquatur aliquid. *Eu.* Quid tibi loquitur? *Ti. Nemo, niſi a ſe ipſo, læditur*[131]. *Eu.* Cyathus patrocinatur[132] vino. Nam vulgus febrim, aut capitis grauedinem e potu contractam, imputare ſolet vino, quum ipſi ſibi malum accerſierint immodice bibendo. *Soph.* Meus Græce loquitur: Ἐν οἴνῳ ἀλήθεια*. *Eu.* Admonet, non eſſe tutum ſacerdotibus aut Regum famulis indulgere vino, quod vinum fere transferat in linguam, quicquid latebat in corde. *Soph.* Apud Ægyptios olim nefas erat[133] ſacerdotibus bibere vinum, cum nondum illis mortales ſua committerent arcana. *Eu.* Nunc licet quidem omnibus bibere vinum; an expediat, neſcio. Eulali, quid libelli[134] profers e crumena? perquam elegans videtur: nam foris etiam totus *aureus* eſt. *Eulalius.* Sed idem intus plus quam

129 mercatus ſum, coëmi. * Lege in Chiliadibus Prouerb. Sybaritica menſa. 130 opiparum. Nicht gar herrlich. 131 Præter Chryſoſtomum diuine de hoc differentem Tomo V. Opp. p. 637. vide Epictetum in Enchirid. c. III. XXII. XXVI. ſq. 132 Vini patrocinium ſuſcipit, vinum defendit. * Id eſt in vino veritas. Ebrietas pectora condita in apertum profert. Truncken-Mund redt von Hertzens-Grund. Kinder/ Narren und Trunckene reden frey heraus. 133 probrum erat, ſcelus, crimen. 134 quem libellum, quid opuſculi, opellæ.

quam *gemmeus* eſt [135]. Sunt epiſtolæ Paulinæ, quas vt vnicas delicias meas ſemper mecum circumfero: quas ideo profero, quod ex occaſione ſermonis tui venit in mentem locus quidam, qui me nuper diu torſit [136], nec adhuc ſatis ſibi facit animus. Is eſt in epiſtolæ prioris ad Corinth. cap. 6. Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent [137], ſed ego ſub nullius redigar poteſtatem. Primum, ſi Stoicis credimus, nihil eſt vtile, quod non idem honeſtum. Quomodo igitur Paulus diſtinguit id quod licet, ab eo quod expedit? Certe ſcortari aut inebriari non licet, quomodo igitur licent omnia? Quod ſi Paulus de certo genere rerum loquitur, quarum omnium vult eſſe licentiam, non poſſum ſatis ex ipſo loci tenore diuinare, quodnam ſit illud genus. Ex iis, quæ mox huic loco ſubiiciuntur, coniicere licet, eum loqui de ciborum delectu. Quidam enim abſtinebant ab idolothytis *, quidam a cibis per Moſen interdictis. Et de idolothytis agit c. 8. Rurſus c. 10. velut explicans huius loci ſententiam, ait: Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius. Omne quod in macello venit, manducate. Hoc quod hic ſubiicit

135 *Auro* quid melius? Iaſpis: quid *Iaſpide?* Virtus. Quid *Virtute?* DEVS: quid *Deitate?* nihil.
136 diu vexauit. 137 Intelligenda hæc ſunt, non de rebus a DEO mandatis vetitisue, ſed de indifferentibus & in libertate Chriſtiana poſitis, h. e. neque præceptis, neque prohibitis; de adiaphoris. * Id eſt, idolis ſacrificatis, oblatis.

iicit Paulus, congruere videtur cum eo, quod supra dixerat, Esca ventri, & venter escis, & hunc & has destruet Deus. Quod autem respexit hic etiam ad Iudaicum ciborum delectum, indicat clausula decimi cap. Sine offensione estote Iudæis & gentibus & ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Nam quod ait, *gentibus*, pertinere videtur ad idolothytum; quod ait, *Iudæis*, referre videtur ad delectum ciborum; quod ait, *ecclesiæ Dei*, pertinet ad infirmos ex vtraque gente collectos. Licebat igitur vesci quibuslibet[138] cibis, & omnia munda mundis. Verum incidit casus, vt non expediat. Quod omnia licebant, libertatis erat Euangelicæ: sed charitas vbique spectat quod conducat ad salutem proximi, eoque frequenter abstinet & a licitis, malens obsecundare commodo proximi, quam sua vti libertate. Sed hic mihi geminus obstrepit[139] scrupulus: primum, quod in sermonis contextu nihil præcedat aut sequatur, quod cum hoc sensu cohæreat. Nam obiurgarat Corinthios, quod essent seditiosi, quod scortationibus, adulteriis atque etiam incestis impuri, quod litigarent apud iudices impios. Cum his qui cohæret: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt? Et in his, quæ sequuntur, redit ad causam

138 Etiam Idolothytis, modo id fieret extra idolorum templa & sacrificia; modo id fieret absque scandalo infirmi fratris, vbi nimirum empta essent ad priuatum vsum; alias nequaquam vescendum, sed abstinendum erat. 139 obstat, obest.

ſam impudicitiæ, quam reperierat & ante, intermiſſo negocio litium [140]. Corpus autem, inquit, non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori. Verum hunc quoque ſcrupulum poſſum vtcunque diſcutere, quod paulo ſuperius in catalogo vitiorum meminiſſet & *idololatriæ:* Nolite errare, neque fornicarii, neque *idolis ſeruientes*, neque adulteri. Porro *eſus idolothytorum vergebat ad ſpeciem idololatriæ.* Et ideo mox ſubdit: Eſca ventri, & venter eſcis: ſignificans pro neceſſitate corporis, pro tempore licere veſci quibuslibet, niſi aliud ſuaſerit charitas proximi: ſed impudicitiam ſemper & vbique deteſtandam eſſe. Quod veſcimur, neceſſitatis eſt, quæ tolletur in reſurrectione mortuorum. Quod libidinamur [141], malitiæ eſt. Sed alterum ſcrupulum non queo diſſoluere, quomodo ad hæc quadret illud: *Sed ego ſub nullius redigar poteſtatem.* Ait enim, ſibi poteſtatem eſſe omnium, ſe tamen in nullius poteſtate fore. Si is dicitur eſſe in poteſtate aliena, qui ne offendat, abſtinet, idem capite nono de ſe prædicat: Quum liber eſſem ab omnibus, omnium me ſeruum feci, vt omnes lucrifacerem. Hoc, opinor, offenſus ſcrupulo ſanctus Ambroſius, putat, hunc eſſe germanum Apoſtoli ſenſum, vt viam præſtruat illi, quod ait c. 9. ſibi quoque poteſtatem eſſe faciendi, quod cæteri faciebant vel Apoſtoli, vel pſeudoapoſtoli, ſumendi victum ab his, quibus prædicabat

140 ſepoſito argumento, miſſa materia de litibus. 141 laſciuimus.

cabat Euangelium. Sed ab hoc, tametsi licebat, temperabat, quod [142] sic expediret Corinthiis, quos de tam multis & insignibus vitiis obiurgabat [143]. Porro *quisquis accipit, fit quodam modo obnoxius ei a quo accipit, & aliquid decedit de vigore autoritatis. Siquidem qui accipit, minus libere obiurgat: & qui dedit, non perinde fert obiurgari ab eo, cui benefecit.* In hoc igitur Paulus abstinuit ab iis quæ licebant, vt consuleret Apostolicæ libertati, quam in hoc volebat nulli esse obnoxiam, vt liberius ac maiore cum autoritate reprehenderet illorum vitia. Mihi sane non displicet Ambrosiana sententia. Attamen si quis mallet hunc locum ad cibos accommodare, mea sententia, quod ait Paulus: Sed ego sub nullius adigar potestatem, sic accipi posset: *Tametsi nonnunquam abstineam a cibis immolatitiis, aut lege Mosaica vetitis, vt consulam saluti proximi ac profectui Euangelico, tamen animus meus liber est, qui scit sibi licere vesci cibis quibuslibet pro necessitate corpusculi.* At pseudoapostoli conabantur hoc persuadere, quosdam cibos per se impuros esse, nec abstinendum per occasionem, sed *semper ab his temperandum, tanquam natura malis*, nec aliter quam abstinemus ab homicidio, & adulterio. *Hoc* quibus erat persuasum, *redacti erant sub alienam potestatem*, & exciderant ab Euangelica libertate. Solus, quod quidem meminerim, Theophylactus sen-

142 quia, vbi, expediebat; cum expediret. 143 Corripiebat, taxabat, reprehendebat.

tentiam inducit ab his omnibus diuersam. Licet vesci quibuslibet cibis, sed non expedit immodice. Nam ex luxu nascitur impudicitia. Hic sensus, quanquam impius non est, tamen mihi non videtur huius loci germanus esse. Ostendi, quæ me torqueant: vestræ charitatis erit, me ex his scrupulis eximere. *Eu.* Næ tu probe tuo respondes nomini [144]. Qui sic nouit proponere quæstiones, non opus habet alio, qui dissoluat. Sic enim proposuisti dubitationem tuam, vt ego dubitare desierim. Tametsi Paulus in ea epistola, quoniam multa simul decreuit agere, sæpe ab vno argumento in aliud deuoluitur, & rursum quod intermiserat repetit. *Ch.* Nisi vererer, ne vos mea loquacitate auocem a capiendo cibo, & si crederem, fas esse, tam sacris colloquiis admiscere quicquam ex profanis autoribus, proponerem & ipse quiddam, quod hodie legentem me non torsit, sed vnice delectauit. *Eu.* Imo *profanum dici non debet, quicquid pium est, & ad bonos mores conducens.* Sacris quidem literis vbique prima debetur autoritas, sed tamen ego nonnunquam offendo quædam vel dicta a veteribus, vel scripta ab Ethnicis, etiam Poëtis, tam caste, tam sancte, tam diuinitus, vt mihi non possim persuadere, quin pectus illorum, cum illa scriberent, numen aliquod bonum agitaue-

144 Eulalio; bene disertus, facundus. Accesserunt enim collocutoribus supra in limine consignatis Sophronius, Theodidactus & Eulalius, vt patet ex p. 176. annotat. 76.

tauerit[145]. Et fortasse latius se fundit spiritus Christi[146], quam nos interpretamur. Et multi sunt in consortio sanctorum, qui non sunt apud nos in catalogo. Fateor affectum meum apud amicos: non possum legere librum Ciceronis de Senectute, de Amicitia, de Officiis, de Tusculanis quæstionibus, quin aliquoties exosculer codicem, ac venerer sanctum illud pectus, afflatum cœlesti numine. Contra, cum hos quosdam recentiores lego de re publica, œconomica, aut ethica præcipientes, Deum immortalem! quam frigent præ illis, imo quam non videntur sentire quod scribunt, vt ego citius patiar perire totum Scotum cum aliquot sui similibus, quam libros vnius Ciceronis, aut Plutarchi: non quod illos in totum damnem, sed quod ex his sentiam me reddi meliorem, cum ex illorum lectione surgam, nescio quomodo, frigidius affectus erga veram virtutem, sed irritatior ad contentionem. Quare ne verere, quicquid istuc est, proponere. *Ch.* Cum plerique libri M. Tullii, quos scripsit de Philosophia, diuinitatis quiddam spirare videntur, tum ille, quem senex scripsit, de Senectute, plane mihi videtur κύκνειον ᾆσμα[147], quemadmodum Græ-

145 Profluxerunt illa aut ex lumine naturæ & naturali cognitione, aut ex concursu Dei generali, aut ex plagio. Specialem gratiæ Spiritus S. operationem nullo modo gentilibus tribuere possumus. 146 Hic Naturalismo fauet & fenestras aperit Erasmus. 147 Cygnea cantio, de qua Ouid. lib. 14. Metamorph.

Carmina iam moriens canit exequialia cygnus.

Et Martialis lib. 13. Epigramm. 77.

Græcis eſt in Prouerbio. Eum hodie relegi, atque hæc verba, quoniam præ cæteris arridebant, edidici: *Quod ſi quis Deus mihi largiatur, vt ex hac ætate repueraſcam, & in cunis vagiam, valde recuſem: nec vero velim quaſi decurſo ſpacio, a calce ad carceres* reuocari. Quid enim habet hæc vita commodi, quid non potius laboris? Sed non habeat ſane: habet certe tamen aut ſatietatem, aut moleſtiam. Non libet enim mihi deplorare vitam, quod multi, & hi*[148] *docti, ſæpe fecerunt. Nec me vixiſſe pœnitet; quoniam ita vixi, vt fruſtra me natum non exiſtimem, Et ex vita iſta diſcedo, tanquam ex hoſpitio, non tanquam e domo. Commorandi enim natura diuerſorium nobis, non habitandi, dedit. O præclarum illum diem, quum ad illud animorum concilium cœtumque proficiſcar, & cum ex hac turba & colluuione diſcedam!* Hactenus Cato. Quid ab homine Chriſtiano dici potuit ſanctius? Vtinam talia eſſent colloquia monachorum omnia, vel cum ſacris virginibus, quale fuit illud ethnici ſenis colloquium cum ethnicis adoleſcentibus. *Eu.* Iam aliquis cauſabitur[149], colloquium eſſe confictum a Cicerone. *Ch.* Iſthuc mea non magni refert, ſiue hoc

---

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris ipſe ſui.

Rationem reddunt Philoſophi dicentes, fieri id, propter ſpiritus per collum procérum & anguſtum erumpere laborantes. *Id eſt, ad initium. Carcer enim dicitur, vnde equi dimittuntur ad curſum. Wieder von vornen anfangen / von neuem zu lauffen anheben. 148 & quidem. 149 prætendet, obtendet.

hoc laudis tribuatur Catoni, qui talia senserit, dixeritque: siue Ciceroni, cuius animus sententias tam diuinas cogitatione complexus sit, cuius calamus res egregias pari facundia depinxerit. Quanquam equidem arbitror, & Catonem, etiamsi non dixit eadem tamen similia dicere solitum in colloquiis. Nec enim tam impudens erat M. Tullius, vt alium Catonem finxerit, quam fuerit: & in dialogo parum meminerit decori, quod inprimis spectandum est in hoc scripti genere, præsertim quum eius viri memoria recens adhuc hæreret animis eius ætatis hominum. *Th.* Vehementer probabile est quod narras: sed dicam quid mihi venerit in mentem te recitante. Sæpenumero mecum admiratus sum, quum omnes optent longæuitatem, & mortem exhorreant, tamen vix quenquam comperiri tam felicem, non dico senem, sed prouectioris ætatis hominem, qui rogatus, an, si detur, velit repuerascere, vsurus per omnia iisdem bonis ac malis, quæ illi iam contigissent in vita, responderit idem quod Cato dicit; præsertim si recolat animo, quicquid annis retroactis[150] seu triste, seu lætum obtigisset. Nam frequenter & suauium rerum recordatio, vel cum pudore vel cum conscientiæ molestia coniuncta est, vt animus ab his etiam recolendis non minus[151] abhorreat, quam a tristibus. Id opinor nobis indicarunt sapientissimi Poëtæ, qui scribunt, tum demum animas capi desiderio cor-

150 præterlapsis, transactis, sepositis. 151 æque, pariter, non secus.

corporum relictorum, posteaquam ex amne Lethæo longa biberint obliuia. *Vr.* Est isthuc profecto dignum admiratione, & mihi quoque compertum in nonnullis. Verum illud quam mihi blandiebatur: *Nec me vixisse pœnitet!* At quotusquisque Christianorum sic moderatur vitam suam, vt huius senis vocem sibi possit vsurpare? Vulgus hominum existimat, se non frustra vixisse, si per fas nefasque congestas diuitias relinquant morientes. At Cato ideo non putat se frustra natum, quod integrum & sanctum ciuem præstiterit Reipublicæ, quod incorruptum magistratum, quod posteritati quoque virtutis & industriæ suæ monumenta reliquerit. Iam illo quid dici potuit diuinius? *Discedo tanquam ex hospitio, non tanquam e domo.* Hospitio tantisper vti licet donec hospes iubeat exire. E domo sua nullus facile pellitur. Et tamen hinc quoque sæpenumero propellit vel ruina, vel incendium, vel alius casus quispiam. Vt horum nihil accidat, tamen senio collabens ædificium admonet esse demigrandum. *Nephalius.* Non minus elegans est, quod apud Platonem loquitur Socrates, *animam humanam in hoc corpore velut in præsidio positam esse, vnde fas non sit discedere iniussu imperatoris, nec diutius in eo immorari, quam visum sit ei, qui collocauit.* Illud significantius est in Platone, quod pro domo dixerit præsidium: siquidem in domo tantum commoramur; in præsidio destinati sumus functioni, quam nobis delegauit imperator noster: non abludens a nostris literis, quæ vitam hominis nunc militiam, nunc

certamen esse dicunt. *Fr.* At mihi quidem oratio Catonis pulchre congruere videtur cum oratione Pauli*, qui scribens Corinthiis, cœlestem mansionem, quam expectamus post hanc vitam, *οἰκίαν* vocat, & *σκηνήϊον*, hoc est, domum, siue domicilium. Cæterum hoc corpusculum appellat tabernaculum, Græce *σκῆνΘ-*. *Nam & qui sumus*, inquit, *in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati. Neph.* Nec abludit a sermone Petri*: Iustum autem, inquit, arbitror, *quamdiu sum in hoc tabernaculo*, suscitare vos in commonitione, certus, quod velox est depositio tabernaculi mei. Quid autem aliud clamat nobis Christus*, quam vt sic viuamus ac vigilemus, tanquam illico morituri? sic incumbamus honestis rebus, tanquam semper victuri? Iam illud quum audimus: *O præclarum diem!* nonne videmur audire Paulum* ipsum loquentem: *Cupio dissolui, & esse cum Christo? Ch.* Quam felices sunt, qui tali animo mortem expectant! Sed in oratione Catonis, quanquam præclara est, tamen fiduciam aliquis taxare posset, vt ab arrogantia profectam, quam multum oportet abesse ab homine Christiano. Proinde mihi nihil vnquam legisse videor apud Ethnicos, quod aptius quadret in hominem vere Christianum, quam quod Socrates, paulo post bibiturus cicutam[152], dixit Critoni: *An opera*, inquit, *nostra sit probaturus Deus, nescio: certe sedulo conati sumus, vt illi placeremus. Est mihi tamen*

* 2 Cor. V. * 2 Petr. I. * Matth. XXIV. Marc. XIII. Luc. XXI. * Phil. II. 152 Schierling / herbam venenosam.

tamen bona ſpes, quod ille conatus noſtros ſit boni conſulturus. Vir ille ſic diffidit factis ſuis, vt tamen ob animi propenſam voluntatem obtemperandi voluntati diuinæ, bonam ſpem conceperit, fore, vt Deus pro ſua bonitate boni conſulturus eſſet, quod ſtuduiſſet bene viuere. *Neph.* Profecto mirandus animus in eo, qui Chriſtum ac ſacras literas non nouerat. Proinde quum huiusmodi quædam lego de talibus viris, vix mihi tempero, quin dicam: Sancte Socrates, ora pro nobis. *Ch.* Et ipſe mihi ſæpenumero non tempero, quin bene ominer ſanctæ animæ Maronis & Flacci[153]. *Neph.* At ego quot vidi Chriſtianos, quam frigide morientes! Quidam fidunt in his rebus, quibus non eſt fidendum: quidam ob conſcientiam ſcelerum & ſcrupulos, quibus indocti quidam obſtrepunt morituro, pene deſperantes exhalant animam. *Ch.* Nec mirum, eos ſic mori, qui per omnem vitam tantum philoſophati ſunt in ceremoniis. *Neph.* Quid iſthuc verbi eſt? *Ch.* Dicam, ſed illud etiam atque etiam præfatus, me non damnare, imo vehementer probare ſacramenta & ritus Eccleſiæ; ſed quosdam vel improbos, vel ſuperſtitioſos, vel, vt molliſſime dicam, ſimplices & indoctos, qui docent populum hiſce rebus fidere, prætermiſſis his, quæ nos vere reddunt Chriſtianos. *Neph.* Nondum ſatis intelligo quorſum eas. *Ch.* Faxo[154] vt intelligas. Si vulgus Chriſtianorum ſpectes, nonne prora & pup-

153 Virgilii & Horatii. 154 Faciam, Efficiam.

puppis vitæ[155] illis in ceremoniis est? In Baptismo quanta religione repræsentantur prisci ritus Ecclesiæ? Commoratur infans extra fores templi, peragitur exorcismus, peragitur catechismus, suscipiuntur vota, abiuratur satanas cum pompis & voluptatibus suis: tandem vngitur, consignatur, salitur, tingitur: datur negocium susceptoribus, vt puerum curent instituendum. Illi dato nummo redimunt libertatem. Et iam puer Christianus dicitur, & est aliquo modo. Mox rursus vngitur, tandem discit confiteri, sumit Eucharistiam, consuescit quiescere diebus festis, audire sacrum, ieiunare nonnunquam, abstinere a carnibus. Et hæc si seruat, habetur absolute Christianus. Ducit vxorem, accedit aliud sacramentum: initiatur sacris, rursus vngitur & consecratur, mutatur vestis, dicuntur preces. Atque hæc quidem omnia quod fiunt, probo: sed quod hæc fiunt magis ex consuetudine, quam ex animo, non probo: quod nihil aliud adhibetur ad Christianismum vehementer improbo. Siquidem magna pars hominum dum his fidit, nihilo secius interim per fas nefas congerit opes, seruit iræ, seruit libidini, seruit liuori, seruit ambitioni: sic tandem venitur ad mortem. Hic rursus ceremoniæ paratæ. Adhibetur confessio semel atque iterum, additur vnctio, datur Eucharistia, adsunt cerei sacri, adest crux, adest aqua sacra, adhibentur indulgentiæ, expromitur, aut illic etiam emitur, morienti diploma Pontificis, ordinantur paren-

155 principium & finis, introitus & exitus.

rentalia* magnifice celebranda, fit rursus stipulatio solennis, adest qui clamet ad aurem morientis, imo nonnunquam occidit ante tempus, si contingat, vt sæpe fit, vocalior, aut bene potus. Hæc vt recte adhibentur, præsertim quæ nobis tradidit Ecclesiastica consuetudo, ita sunt alia quædam reconditiora[156], quæ nobis hæc præstant, vt cum alacritate spiritus, vt cum Christiana fiducia migremus hinc. *Eu.* Pie tu quidem ista vereque concionaris, sed interim nullus admouet manum cibis[157]. Caueat quisque ne se fallat. Ego prædixi, nihil expectandum præter secundas mensas[158], easque rusticanas, ne quis sibi promittat Phasides aues[159], aut attagenas[160], aut Attica bellaria*. Hæc amoueto, puer, & quod restat, apponito. Videtis non copiæ[161], sed inopiæ nostræ cornu. Hic est prouentus hortulorum, quos vidi-

---

* Insta sunt, & pro mortuis sacrificia vulgo exequiæ. 156 magis recondita, abstrusiora, remotiora. 157 Es langet niemand zu/ isset niemand. 158 Nach-Tisch/ Nach-Essen. 159 Phasianos, Alexander Seuerus mensis suis apponi non sinit, nisi maioribus festis, teste Lampridio. Capitolinus narrat, Pertinacem Imp. nunquam hanc auem priuato edisse conuiuio. Martialis in Xeniis Epigr. 42. itaque negat, Phasidos auem se mittere posse amico:

Si Libycæ nobis volucres, & Phasides essent,
Acciperes: at nunc accipe cortis aues.

160 Siolopaces, rusticulas, attagenes & attagenas Martialis eundem fere saporem habere dixit ac perdices. * Attica bellaria de lautitiis & cupediis dicuntur. Confect, Zucker-Gebäcke. 161 Ἀμαλθείας κέρας, rerum omnium abundantia. Hier seht ihr nicht reichen Vorrath und Uberfluß/ sondern unsere Nothdürfftigkeit und Armuth; Sie nehmen mit unserm Armuth und der schlechten Bewirthung vor lieb.

vidiſtis. Ne parcite, ſi quid arridet. *Ti.* Tanta varietas eſt, vt vel ipſo recreemur aſpectu. *Eu.* Atqui ne plane contemnatis frugalitatem meam, hæc patina exhilaraſſet Hilarionem monachum Euangelicum, comitatum vel centum monachis illius ſeculi. Paulo vero atque Antonio, vel menſtruus commeatus[162] eſſe potuiſſet. *Ti.* Imo nec Petrus ille Princeps Apoſtolorum faſtidiſſet, opinor, cum apud Simonem coriarium diuerſaretur. *Eu.* Imo nec Paulus, opinor, cum coactus egeſtate ſutoriam nocturnis horis exerceret. *Ti.* Debemus benignitati diuinæ. Sed ego malim eſurire cum Petro ac Paulo, modo quod deeſſet corporis alimoniæ, abundaret in delicias animi. *Eu.* Imo diſcamus a Paulo, & abundare, & penuriam pati. Cum deerit, gratias agamus Ieſu Chriſto, qui nobis ſuppeditet & frugalitatis & patientiæ materiam. Quum ſupererit, gratias agamus illius munificentiæ, qui nos ſua liberalitate inuitet ac prouocet ad amorem ſui: ac modice parceque fruentes iis, quæ largiter præbuit diuina benignitas, pauperum memores ſimus, quibus Deus deeſſe voluit quod nobis ſupereſt, vt vtrisque per alteros ſit occaſio virtutis. Siquidem nobis largitur, vnde ſubuenientes egeſtati fraternæ miſericordiam ipſius promereamur[163]: & illi noſtra liberalitate recreati, gratias agunt Deo pro bona mente noſtra, nosque precibus ſuis illi commen-

162 annona menſtrua. Auf einen Monath / einen Monath lang zu eſſen/ Proviant/ Vorrath/ zu zehren. 163 conſequamur, eliciamus.

mendant. Et recte venit in mentem. Heus, puer; dic vxori, vt ex assis, quæ superant, mittat Gudulæ nostræ. Est vicina quædam grauida, tenui fortuna, sed animo beatissima. Maritus nuper decessit, homo profusus & ignauus, qui nihil vxori reliquit præter liberorum gregem. *Ti.* Christus iussit dare omni petenti: id si facerem, intra mensem ipsi mihi mendicandum esset. *E.* Opinor, Christum sentire de his, qui petant necessaria. Nam qui petunt, imo qui flagitant, vel extorquent potius, magnas summas, quibus extruant cœnationes* Lucullianas*, aut, quod peius est, quibus alant luxum ac libidinem suam, iis negare quod petunt, eleemosyna est: imo rapina est largiri male vsuris[164], quod debebatur præsenti necessitati proximorum. Vnde *mihi videntur vix excusari posse a peccato capitali, qui sumptibus immodicis aut extruunt, aut ornant monasteria seu templa, quum interim tot viua Christi templa fame periclitentur, nuditate horreant, rerumque necessariarum inopia discrucientur.* Quum essem apud Britannos, vidi tumbam diui Thomæ, gemmis innumeris summique precii onustam, præter alia miracula diuitiarum. Ego malim ista quæ superflua sunt elargiri in vsus pauperum, quam seruare satrapis aliquando semel omnia direpturis, ac tumbam ornare frondibus ac flosculis: id opinor gratius esset illi sanctissimo viro. Cum essem apud Insubres*, vidi monaste-

*Locus est, vbi cœnatur. *Luculli Romani magnificentia multorum literis celebrata est. 164 qui male vsuri sunt, qui abusuri sint. *Italiæ populus, qui Mediolanum tenent.

nasterium quoddam ordinis Cartusiani non ita procul a Papia[165]: in eo templum est, intus ac foris, ab imo vsque ad summum, candido marmore constructum, & fere quicquid inest rerum, marmoreum est, velut altaria, columnæ, tumbæ. Quorsum autem attinebat tantum pecuniarum effundere, vt pauci monachi solitarii canerent in templo marmoreo? quibus ipsis templum hoc oneri est, non vsui, quod frequenter infestentur ab hospitibus, qui non ob aliud eo se conferunt, nisi vt spectent templum illud marmoreum. Atque illic cognoui, quod stultius est, illis legata in singulos annos tria millia ducatorum in structuram monasterii. Et sunt, qui putent, esse nefas, eam pecuniam in pios vsus auertere, præter mentem testatoris: maluntque demoliri, quod instaurent, quam non ædificare. Hæc quoniam insignia sunt, visum est commemorare: quanquam sunt passim in templis nostris exempla permulta similia. Hæc mihi videtur ambitio, non eleemosyna. *Diuites ambiunt sibi monumentum in templis, in quibus olim nec diuis locus erat.* Curant se sculpendos ac pingendos, additis etiam nominibus ac beneficii titulo: atque hisce rebus bonam templi partem occupant, olim opinor postulaturi, vt ipsorum cadauera in ipsis reponantur altaribus. Dicet aliquis: An horum munificentiam existimas reiiciendam? Nequaquam, si templo Dei dignum sit,

165 Pauia Italis, in cuius vrbis campis famoso prælio victus captusque Franciscus I. Galliæ Rex. Ticinum veteribus dicebatur, a flumine cognomine.

sit, quod offerunt. Sed ego, si sacerdos aut episcopus essem, hortarer crassos illos aulicos, aut negociatores, vt, si vellent sua peccata redimere apud Deum, ista clanculum effunderent[166] in subsidium eorum, qui vere pauperes sunt. Isti putant, perire pecuniam, quæ sic frustulatim, & clanculum in præsentem egestatem tenuium subleuandam dissipatur, cuius nullum extet apud posteros monumentum. Ego puto, nullam melius collocari ea, quam ipse Christus sibi vult imputari certissimus debitor. *Ti.* An non putas recte collocari, quod datur monasteriis? *Eu.* Et his darem nonnihil, si diues essem; sed darem ad necessitatem, non ad luxum: tum his, inter quos sentirem vigere studium veræ religionis. *Ti.* Multi iudicant, non admodum belle collocari, quod datur istis mendicis publicis. *Eu.* Et istis nonnihil dandum est aliquando, sed cum delectu. *At mihi consultum videatur, si singulæ ciuitates suos alerent*[167]*, nec ferrentur errones huc & illuc circumcursitantes, præsertim validi, quibus opus suppeditandum sentio potius, quam pecuniam.* *Ti.* Quibus igitur potissimum dandum censes, quantum, & quatenus? *Eu.* Hoc mihi ad vnguem describere difficillimum sit. Primum animum adesse oportet, qui cupiat omnibus subuenire. Deinde pro mea tenuitate, quod possum, impertio, quoties sese offert occasio: præsertim his, quorum & paupertas & integritas mihi nota est: hortor & alios ad beneficentiam, si me defecerint facultates. *Ti.* Sed permittisne nobis hic in tuo regno libere loqui?

166 largiter conferrent, elargirentur. 167 mendicos.

loqui? *Eu.* Imo liberius quam si domi vestræ sitis. *Ti.* Non probas in templis sumptus immodicos; & has ædes multo minoris ædificare poteras. *Eu.* Equidem arbitror, has intra mundiciem consistere, aut, si mauis, elegantiam: certe absunt a luxu, ni fallor. Ædificant magnificentius, qui mendicato viuunt. Et tamen hi ipsi horti mei, qualesquales sunt, vectigal pendunt egenis, & quotidie sumptibus aliquid detraho, in me meosque frugalior, quo possim esse in pauperes munificentior. *Ti.* Si istum animum obtinerent[168] omnes, permulti melius haberent, quos nunc egestas grauat indignos: & ex aduerso multi minus essent obesi[169], digni quos egestas doceat sobrietatem ac modestiam. *Eu.* Fortasse sic res habet. Sed vultisne vt hæc insipida bellaria re quapiam suaui condiamus? *Ti.* Plus satis est deliciarum. *Eu.* At ego hinc depromam, quod ne saturi quidem fastidiatis. *Ti.* Quid est? *Eu.* Codex est Euangeliorum, vt, quod laudissimum habeo, vobis depromam in fine conuiuii. Recita, puer, ab eo loco, vbi proxime destitisti. *Puer.* Nemo* potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire, & mammonæ. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori, quid induamini. Nonne anima plus est quam

168 tenerent, haberent, fouerent. Ausgefreßt / gemästet / feist / dicke / fett. 169 pingues, saginati.

* Locus Euangelii. Matth. VI.

quam esca, & corpus plus quam vestimentum? *Eu.* Redde codicem. In hoc loco mihi Iesus Christus videtur bis idem dixisse. Etenim pro eo quod prius dixit, odio habebit, mox ponit, contemnet: & pro eo quod prius posuerat, diliget, mox vertit, sustinebit: commutatis personis exiftit eadem sententia. *Ti.* Non satis assequor quid velis. *Eu.* Demonstremus igitur ratione mathematica, si videtur. In priore parte pro vno pone *A*, pro altero *B*: rursus in posteriore pro vno pone *B*, pro altero *A*, verso ordine. Aut enim *A* odio habebit, & *B* diliget: aut *B* sustinebit, & *A* contemnet. Nonne hic palam est, *A* bis odio haberi, & *B* bis diligi? *Ti.* Perspicuum est. *Eu.* Atqui hæc coniunctio, aut, præsertim repetita, habet emphasim sententiæ contrariæ, aut certe diuersæ. Alioqui nonne absurde diceretur, Aut Petrus me vincet, & ego cedam: aut ego cedam, & Petrus me vincet? *Ti.* Lepidum, ita me Deus amet, sophisma[170]. *Eu.* At tum demum mihi videbitur lepidum, si hoc ex vobis didicero. *Th.* Animus somniat ac parturit [171] mihi nescio quid: si iubetis, quicquid est, proferam in medium, vos eritis vel onitopoli * vel obstetrices. *Eu.* Quanquam vulgo mali ominis habetur somniorum meminisse in conuiuio, & parum sit verecundum, coram tot viris fœtum eniti [172], tamen nos istud so-

170 fallacia veri speciem, fucum præferens. 171 præsagit. * Diuinatores; quibus exacta somniorum diiudicandorum ratio est, coniectores; quia dixerat mentem somniare. Obstetrices, quia dixerat animum parturire. 172 parere.

ſomnium, ſiue mauis partum animi tui, libenter excipiemus. *Th.* Mihi videtur in hoc ſermone res commutari potius, quam perſona. Et hanc vocem, vnum & vnum, non referri ad *A* & *B*, ſed vtraque pars refertur ad vtrumlibet, vt vtrumcunque delegeris, ei iam opponatur, quod ſignificatur per alterum. Quaſi dicas: aut excludes *A*, & admittes *B*: aut *A* admittes, & excludes *B*. Hic videtis, manente perſona, rem eſſe tranſlatam. Atque hoc ita dictum eſt de *A*, vt nihil referat, ſi idem enuncies de *B*, hoc pacto: aut *B* excludes, & admittes *A*; aut admittes *B*, & excludes A. *Eu.* Sane argute tu quidem problema nobis explicuiſti, neque quisquam mathematicus melius depinxiſſet in puluere. *So.* Illud me magis mouet, quod prohibet eſſe ſolicitos de craſtino, quum Paulus ipſe laborarit manibus, victus parandi cauſa, atque idem acriter increpet ocioſos, & ex alieno viuere gaudentes, admonens vt laborent, ac manibus operentur, quod bonum eſt, vt ſit vnde tribuant aliquid neceſſitatem patienti. Annon pii ſanctique labores ſunt, quibus maritus tenuis[173] alit vxorem ſibi chariſſimam, dulcesque liberos? *Ti.* Iſta quæſtio, mea ſententia, variis modis diſſolui poteſt. Primum, vt ad illa tempora potiſſimum pertineat. Apoſtolis ob Euangelii prædicationem late vagantibus eximenda erat ſolicitudo victus vndecunque ſuppeditandi, quibus non vacabat opera manuaria cibum quærere, præſertim cum nullam artem ſcirent, præter

173 inops, der nicht viel zum besten hat.

ter piſcationem. Nunc alia ratio temporum eſt, & ocium amplectimur omnes[174], laborem fugimus. Altera diſſoluendi ratio eſt: Chriſtus non interdixit induſtriam, ſed ſolicitudinem. Et ſolicitudinem intelligit iuxta vulgarem hominum affectum, qui nulla de re magis anxii ſunt, quam de parando victu, vt omnibus rebus omiſſis, hoc ſolum agant, huic vni curæ ſint addicti. Id propemodum indicat ipſe Dominus, cum negat, eundem duobus dominis ſeruire poſſe. *Seruit enim, qui toto pectore addictus eſt. Præcipuam* igitur curam vult eſſe Euangelii propagandi, non *ſolam.* Ait enim: Primum quærite regnum Dei, & hæc adiicientur vobis. Non dicit, *Solum* quærite, ſed, *Primum* quærite. Cæterum in voce Craſtini puto Hyperbolen eſſe, quum ſignificet, in longinquum; qui mos eſt auaris huius mundi, vt poſteris etiam anxie parent & quærant. *Eu.* Accipimus tuam interpretationem: ſed quid ſibi vult, quod ait: Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid edatis? Corpus veſte tegitur, at non edit anima. *Ti* Animam, vt opinor, hic vitam appellat. Ea periclitatur[175], ſi cibum ſubduxeris: non item, ſi veſtem detraxeris, quæ magis datur pudori, quam neceſſitati. Et ſi quem affligit nuditas, non ſtatim occidit[176]: at inedia[177] certiſſima mors eſt. *Eu.* Non ſatis video, quo modo

174 Wir greiffen alle zum Müßiggange/ legen uns alle auf die faule Seite. 175 periculum incurrit, in diſcrimen venit. 176 Occidit ſc. is, quem affligit nuditas; vel: Occidit ſc. nuditas. 177 Wenn einer gar nichts iſſet.

do cohæreat cum hac sententia, quod adiecit: Nonne anima plus est quam esca? & corpus plus est quam vestimentum? Nam si vita magni precii est, tanto magis aduigilandum ne pereat. *Ti.* Hoc argumentum non adimit nobis solicitudinem, sed auget. *Eu.* At non hoc sentit Christus, quod interpretaris, sed hoc argumento nobis addit fiduciam de patre. Si pater benignus gratis, & de suo dedit id, quod carius est, etiam adiiciet id, quod vilius est. Qui dedit animam, non negabit alimoniam: qui dedit corpus, adiiciet aliunde vestem. Illius igitur benignitate freti non est quod discruciemur solicitudine curaque rerum infimarum. Quid igitur superest, nisi vt vtentes hoc mundo [178], tanquam non vtamur, totam [179] curam ac studium nostrum transferamus in amorem rerum cœlestium, atque reiecto mammona, imo toto Satana cum omnibus suis præstigiis*, vni Domino toto & alacri pectore seruiamus, qui non destituet filios suos. Sed interim nullus attingit bellaria. His certe cum gaudio vesci licet, quæ non magna cura nobis domi proueniunt. *Ti.* Abunde satisfactum est corpusculo. *Eu.* Vellem equidem & animo [180]. *Ti.* Atque vberius etiam animo. *Eu.* Hæc igitur tolle, puer, ac labrum [181] appone. Lauemus, amici, vt si quid forte commissum est in hoc conuiuio, purgati canamus hymnum Deo. Perficiam, si vide-

178 Vtere mundo, inquit Seneca, quemadmodum vtitur viator vrceo, mensa, calice, dimissurus non retenturus. 179 omnem, vniuersam. * Præstigiæ, vanæ & fallaces rerum species. 180 satisfactum esset. 181 eluacrum; guttum ac patinam. Vide supra Conuiuium profanum. annotat. 25.

videtur, quod cœperam ex Chrysostomo. *Ti.* Rogamus. *Eu. Gloria tibi, Domine; gloria tibi, Sancte; gloria tibi, Rex; quoniam dedisti nobis escas. imple nos gaudio & lætitia in Spiritu Sancto, vt inueniamur in conspectu tuo acceptabiles, nec pudefiamus, quando reddes vnicuique secundum opera sua, Puer.* Amen. *Ti.* Profecto pius & elegans est hymnus. *Eu.* Hunc diuus Chrysostomus non dedignatur etiam interpretari. *Ti.* Quonam loco? *Eu.* In Matthæum, homilia 56. *Ti.* Non omittam quin hodie legam. Sed illud vnum interim ex te cupio discere, cur ter optamus Christo gloriam, idque triplici cognomine, Domini, Sancti, & Regis? *Eu.* Quoniam illi debetur omnis gloria. Sed nobis triplici nomine potissimum est glorificandus: quod suo sacrosancto sanguine redemerit nos a tyrannide diaboli, sibique asseruerit; vnde & Dominum illum vocamus. Deinde, quod non contentus gratis condonasse nobis omnia peccata, per Spiritum suum contulit nobis & iustitiam suam, vt sectemur ea, quæ sunt sanctimoniæ. Atque ob id Sanctum eum vocamus, quod sit sanctificator omnium. Postremo, quod ab eodem speramus præmium regni cœlestis, vbi ille iam sedet ad dexteram Dei Patris; & hinc nobis Rex dicitur. Atque hanc totam felicitatem illius erga nos gratuitæ bonitati debemus, quod pro Domino, vel tyranno potius, diabolo, Dominum habemus Iesum Christum: pro immunditia & sordibus peccatorum, innocentiam ac sanctimoniam: pro gehenna, gaudia vitæ cœlestis[182]. *Ti.*

Pia

182 En antitheta!

Pia profecto ſententia. *Eu.* Quoniam nunc primum vos hic accepi conuiuio, non dimittam vos absque xeniis *, ſed talibus, qualis fuit apparatus. Heus, puer; profer apophoreta * noſtra. Siue ſortiri placet, ſiue ſibi quisque malit deligere, minimum refert; eiusdem fere precii ſunt omnia, hoc eſt, nullius. Non enim ſunt ſortes Heliogabali [183], vt huic obueniant equi centum, illi totidem muſcæ. Sunt libelli quatuor, horologia duo, lucernula, & theca cum calamis Memphiticis *. Hæc arbitror magis conuenire vobis, quam opobalſamum [184], aut dentifricium [185], aut ſpeculum, ſi vos noui ſatis. *Ti.* Adeo bella ſunt omnia, vt nobis difficilis ſit electio: ipſe magis pro tuo arbitratu diſtribuito; ſic gratius etiam erit quicquid obtigerit. *Eu.* Hic libellus in membranis habet Prouerbia Salomonis: ſapientiam docet, & auro pictus eſt, quod aurum habeat ſapientiæ ſymbolum. Hoc dabitur cano noſtro, vt, iuxta doctrinam euangelicam, habenti ſapientiam detur ſapientia, & exuberet. *Th.* Certe curabitur vt minus egeam [186]. *Eu.* Sophronio con-

* Xenia munuſcula, quæ dantur hoſpitibus aut amicis. * Quæ dantur in fine conuiuiorum auferenda, ſi cui videatur.
183 Ælius Lampridius ita: Sortes conuiuales ſcriptas in cochlearibus habuit tales, vt alius exhiberet decem camelos, alius decem muſcas; alius decem libras auri, alius decem plumbi; alius decem Struthiones, alius decem oua pullina.
* Qui chartis ſeruiant, ob id probatiſſimi. Pretioſiſſima enim ibi olim papyrus confecta. Memphis autem nobiliſſima Ægypti vrbs. 184 Succus Balſami; ex arbore Balſamo cultellis inciſa oſſeis deſtillans. 185 Zahn-Pulver. Puluiſculus poliendis dentibus præparatus. 186 carcam ſapientia.

congruet horologium, huc ex extrema Dalmatia profectum[187], vt vel sic commendem munusculum meum. Noui enim, quam ille sit parcus temporis, quam nullam omnino portionem rei preciosissimæ sinat abire sine fructu. *Soph.* Imo pigrum admones diligentiæ. *Eu.* Hic libellus habet in membranis Euangelium secundum Matthæum: gemma tegi merebatur, nisi nullum esset illi scrinium aut theca charior, quam pectus hominis. Illic igitur recondito, Theophile, quo magis hoc sis, quod diceris. *Th.* Efficiam ne prorsus male collocasse videaris tuum munus. *Eu.* Hic sunt Epistolæ Pauli, quas tu libenter tecum circumfers, Eulali; qui Paulum semper habere soleas in ore: nec haberes in ore, nisi esset in pectore: posthac commodius erit etiam in manibus oculisque. *Eul.* Isthuc non est dare munus, sed dare consilium. Porro *bono consilio nullum est munus preciosius.* *Eu.* Lucernula conueniet Chrysoglotto, anagnostæ* insatiabili, &, vt M. Tullius inquit, librorum heluoni maximo. *Ch.* Bis habeo gratiam: primum pro munere non vulgariter eleganti: deinde, quod somniculosum admones vigilantiæ. *Eu.* Theca calamaria debetur Theodidacto, felicissime πολυγράφῳ* atque hos ego calamos felicissimos esse iudico, quibus celebrabitur gloria Domini nostri Iesu Christi, tali præsertim artifice. *Theodidact.* Vtinam & pectus suppeditare possis, quemadmodum suppeditas instrumenta. *Eu.* Hic codex habet aliquot

Plu-

187 allatum. *Anagnostes, Lector. *Qui multa scribit, qualis fuit Chrysippus ac Didymus.

Plutarchi libellos de moribus, ſed ſelectos, & a quodam Græcæ literaturæ peritiſſimo non inſcite deſcriptos; in quibus tantum reperio ſanctimoniæ, vt mihi prodigii ſimile videatur, in pectus hominis ethnici tam euangelicas potuiſſe venire cogitationes. Hic dabitur Vranio iuueni, & Φιλέλληνι*. Supereſt horologium; id cedat noſtro Nephalio, parciſſimo temporis diſpenſatori. *Neph.* Habemus gratiam, non ſolum pro munuſculis, verum etiam pro teſtimoniis. Nam iſthuc non tam eſt diſtribuere xenia, quam elogia*. Imo ego vobis habeo gratiam duplici nomine. Primum, quod noſtram exilitatem[188] boni conſulitis. Deinde, quod eruditis iuxta ac piis ſermonibus refeciſtis animum meum. Ego vos quomodo acceptos *dimittam*, neſcio; certe vos *relinquam*[189] melior ac doctior. Scio, vobis non eſſe cordi fiſtulas, aut moriones, ac multo minus aleam. Quare, ſi videtur, fallemus horulam ſpectandis reliquis regiæ meæ miraculis. *Ti.* Iſthuc eramus abs te flagitaturi. *Eu. Apud bonæ fidei promiſſorem non eſt opus flagitatore*[190]. Hanc aulam

* Amatori Græcitatis. * Sunt rerum geſtarum propria teſtimonia. Plerumque in bonam partem ſumitur dictio. Lobes-Erhebungen. 188 tenuitatem, paruitatem. Valerius Max. in Prologo ad Tiberium Cæſarem; Mea *Paruitas*, inquit, eo iuſtius ad fauorem decurrerit. Daß ihr mit unſrer Wenigkeit vor lieb nehmet. 189 Vere proprium Relinquendi ſignificatum & differentiam huius Verbi a Verbo Dimitto ſubinnuit, inſimul vero conuiuas & ſemet ipſum perurbane contendendo illos laudat, ſe extenuat. 190 Was gute Schuld-Leute seyn mahnen ſich ſelber/ laſſen ſich nicht mahnen/ erinnern.

aulam æstiuam opinor vos iam satis contemplatos. Habet triplicem prospectum, &, quoquo versum deflectas oculos, occurrit viror hortorum gratissimus. Vitreis fenestris volubilibus, si videatur [191], licet excludere cœlum, si nebulis aut ventis sit incommodius [192]; licet & densis valuis [193] foris admotis, ac tenuibus intus, excludere Solem, si quid offendat æstus. Hic quum prandeo, videor in horto prandere, non in domo. Nam & parietes virentes suos habent inspersos flosculos, sunt & picturæ non inuenustæ. Hic Christus supremam compotationem [194] agitat cum electis discipulis. Hic natalitia celebrat Herodes [195] funesto [196] conuiuio. Hic euangelicus ille diues epulatur splendide [197], mox descensurus ad inferos, Lazarus repellitur a foribus, mox excipiendus [198] sinu Abrahæ. *Ti.* Hoc argumentum [199] non satis agnoscimus. *Eu.* Cleopatra * est cum Antonio luxu decer-

191 si placeat. 192 Wenn die Lufft rauh und unfreundlich ist/ wenn der Himmel nicht klar und freundlich ist. 193 ligneis aut ferreis. Die dichten Fenster-Laden / Fenster-Flügel/ Fenster-Lieder/ von aussen. 194 cœnam; conuictum, symposion supremum, vltimum. 195 Antipas, vulpes a Christo dictus, Percussor Iohannis. Matth. XIV. 196 diro, mortifero, cruento; bey einer Blut-Mahlzeit. 197 Der Reiche im Evangelio schmauset wacker drauff loß/ da er doch bald zur Hölle fahren wird. 198 qui mox excipiendus erit, erat; deportandus in sinum. 199 Diesen Inhalt; Was das seyn soll/ bedeuten soll. * Lege vitam illius apud Plutarchum, &[illegible]inium cap. 35. lib. 9. de margarita ingentis pretii, quam aceto spectante Antonio mersit, ac liquefactam absorbuit; manumque iniiciente alteri L. Planco, ne simili modo vnionem hunc absumeret. Duos enim per omne æuum maximos, per manus Orientis Regum sibi traditos, possederat.

decertans: iam vnionem ebibit, alteri manum admouit detractura. Hic pugnant Lapithæ[200]. Hic Alexander Magnus[201] hasta[202] transuerberat Clitum. Hæc exempla nos admonent sobrietatis in conuiuio & a crapula luxuque deterrent. Nunc adeamus bibliothecam, non illam quidem multis instructam libris[203], sed exquisitis[204]. *Ti.* Locus hic plane diuinitatem quandam præ se fert, adeo nitent omnia. *Eu.* Hic videtis præcipuam partem opum mearum. Nam in mensa nihil vidistis nisi vitreum ac stanneum; nec est in tota domo vas vllum argenteum, præter vnum poculum inauratum, quod ob amorem eius, qui dono dedit, religiose seruo. Hæc sphæra pensilis totum orbem ponit ob oculos. Hic in parietibus singulæ regiones fusiore spacio depictæ sunt. In reliquis parietibus videtis insignium autorum imagines. Nam omneis depingere, fuerat infinitum. Christus primum habet locum, porrecta manu sedens in monte. Capiti imminet Pater, dicens: Ipsum audite. Spiritus Sanctus expansis alis multa luce complectitur illum. *Ti.* Opus, ita me Deus bene amet[205], Apelle dignum. *Eu.* Adiunctum est bibliothecæ museion* quoddam angustum, sed elegans, quod sub-

200 Thessaliæ populi cum Centauris. 201 contumeliæ impatiens, qua a Clito affectus erat. 202 lancea stipatorum cuidam erepta. 203 quæ qu[illegible]m non instructa est. Illam per elegantem Pleonasmum abundat. 204 selectis. 205 Bey GOtt! so wahr mir GOtt helffe! hohl mich GOtt! Formula iurandi, omni nominis Dei abusu non vacans. Quid enim opus hic vocare nomen Dei? si rigorosius rem pensitemus.
* Locus in ædibus semotior, vbi Musarum sacra studia tra-

ſubmota tabula oſtendit foculum, ſi quid offenderit frigus. In æſtate videtur ſolidus paries. *Ti.* Hic mihi gemmea[206] videntur omnia. Eſt & mira odoris gratia. *Eu.* Hoc mihi præcipue ſtudio eſt, vt niteat domus, & bene oleat. Vtraque res minimo conſtat. Habet bibliotheca ſuum ambulacrum penſile[207], ſpectans[208] in hortum; & huic adhæret[209] ſacellum. *Ti.* Locus Numine dignus. *Eu.* Nunc adeamus illa tria ambulacra, quæ imminent iis, quæ vidiſtis ad hortum domeſticum ſpectantia. In his ſuperioribus vtroque[210] proſpectus eſt, ſed per feneſtras, quæ poſſunt occludi, præſertim in his parietibus, qui non ſpectant hortum interiorem, quo domus ſit tutior. Hic ad læuam, quia plus eſt lucis, & paries raris feneſtris interruptus[211], ordine depicta eſt tota vita Ieſu ex narratione quatuor Euangeliſtarum, vsque ad miſſum Spiritum ſanctum, & primam prædicationem Apoſtolorum ex Actis. Ad-

---

ctantur. Auguſtus Syracuſas & τεχνόφυον ſuum vocabat. Sueton. c. 72. in Auguſto. Sub tegulis habitabat Orbilius Pupillus iam perſenex. Id. c. 9. decl. Gramm. 206 aurea, pretioſa. 207 Hangende Allée, Sommer-Läube/Spatzier-Gang. 208 vergens. 209 adiacet. 210 ambobus. Vterque in Singulari adhibetur cum vtrinque ſermo fuit de rebus in Singulari; in Plurali vſurpatur, cum reſpicit vtrinque Numerum Pluralem. v. g. Ich habe den Vater und den Sohn beſuchet; beyde waren kranck. Et Patrem viſitaui & filium; vtrumque ægrotantem. Die Alliirten und Frantzoſen haben mit einander geſtritten; beyde haben viel Volck verlohren. Confœderati & Galli manus conſeruere; vtrique magnam ſtragem paſſi ſunt. 211 Die Wand hat nicht ſo viel Fenſter / tot feneſtris non eſt diſtinctus paries.

Additæ ſunt & locis notæ, vt agnoſcat ſpectator, iuxta quod ſtagnum, aut in quo monte res geſta ſit. Additi ſunt tituli, paucis verbis ſubnotantes totum argumentum: velut illud quod dicitur a Ieſu: Volo, mundare. Ex aduerſo [212] reſpondent figuræ, & vaticinia veteris teſtamenti, præſertim e Prophetis & Pſalmis, qui nihil aliud habent, quam Chriſti vitam, & Apoſtolorum, aliter narratam. Hic nonnunquam obambulo mecum fabulans, & animo contemplans illud ineffabile conſilium Dei, quo per filium ſuum reſtituere voluit genus humanum. Nonnunquam adeſt vxor comes, aut amicus quispiam, qui rebus piis delectetur. *Ti.* In hac domo cui poſſet obrepere tædium? *Eu.* Nulli qui didicerit ſecum viuere. In ſumma ora [213] picturæ, velut extra ordinem, addita ſunt capita Pontificum Romanorum cum ſuis titulis. Ex aduerſo capita Cæſarum, ob memoriam hiſtoriæ. In vtroque cornu [214] prominet penſile cubiculum, vbi liceat interquieſcere, & vnde ſpectare licet pomarium, & auiculas noſtras. Hic in extremo angulo prati videtis aliud ædificiolum, vbi cœnamus nonnunquam æſtiuis menſibus, & vbi curatur, ſi quem forte e familiaribus corripuerit morbus ob contagium formidabilis. *Ti.* Quidam negant, huiusmodi morbos eſſe vitandos. *Eu.* Cur ergo vitant foueam, aut venenum? An hoc minus timent, quia non vident? Nec baſiliſci venenum vide-

212 Ex oppoſito, e regione. 213 extremitate. 214 An beyden Ecken/ auf ieglicher Ecke/ Spitze.

videtur, quod afflat[215] oculis. Vbi res poſcat, non dubitem pro neceſſariis[216] venire in vitæ diſcrimen *Sine cauſa ſubire vitæ periculum, temeritas eſt: alios in vitæ periculum adducere, crudelitas.* Sunt & alia quædam non iniucunda ſpectatu: ea mandabo vxori, vt oſtendat. Manete hic vel totum triduum, & hanc domum putate eſſe veſtram. Paſcite oculos, paſcite animos. Nam me negocia quædam alio vocant. Eſt equitandum in pagos aliquot vicinos. *Ti.* Ob rem pecuniariam? *Eu.* Ego tales amicos non relinquerem pecuniæ gratia. *Ti.* Fortaſſis venatio parata eſt alicubi. *Eu.* Plane venatio eſt: ſed aliud venor quam apros aut ceruos. *Ti.* Quid igitur? *Eu.* Dicam. In vno pago decumbit amicus quidam non ſine periculo vitæ. Nam corpori metuit[217] medicus, ego magis metuo animæ illius. Siquidem mihi videtur parum recte compoſitus ad emigrandum, ſicut dignum eſt Chriſtiano: huic adero meis hortatibus, vt ſiue moriatur, ſiue reualeſcat, bono ipſius fiat. In altero diſſidium acre natum eſt inter duos, *non malos quidem illos, ſed* tamen *peruicacis ingenii viros.* Quod ſi exaſperetur[218], vereor ne plures ſecum trahat in conſortium ſimultatis. Adnitar totis viribus, vt hos redigam in gratiam. Nam vtrique ſum veteri neceſſitudine iunctus. Hæc ſunt quæ venor. Quod ſi venatio

---

215 ſc. baſiliſcus ex oculis. 216 cognatis, ſanguine iunctis. 217 corporis cauſa metuit. Er iſt ſeines Leibes wegen beſorgt/ in Furchten/ in Kummer. 218 ſc. diſſidium, diuortium, diſcordia.

natio successerit ex animi sententia, simul hic celebrabimus *ἐπινίκια* *. *Ti.* Pia venatio. Precamur, vt tibi pro Delia[219] Christus aspiret. *Eu.* Hanc prædam ego malim, quam obuenire mihi hæreditate bis mille ducatos. *Ti.* Mox rediturus? *Eu.* Non[220] nisi tentatis omnibus: quare certum tempus non possum præscribere. Vos interim meis perinde ac vestris fruamini, & valete. *Ti.* Dominus Iesus te feliciter deducat, ac reducat.

APOTHEOSIS CAPNIONIS.

De incomparabili Heroë Iohanne Reuchlino[1] *in diuorum numerum relato*[2].

POM-

* Id est, Festa siue epulum pro victoria parta. Das Te Deum laudamus anstimmen/ singen. 219 venationis Dea. 220 redibo scil. seu rediturus sum.

1 Capnio Græce a καπνὸς fumus, est fumusculus, ein Räuchlein/Reuchlin/ kleiner Rauch. Reuchlini vitam descripsit Henricus Maius an. 1687. in 8. Mutauit nomen Germanicum in Græcum consilio Hermolai Barbari secundum consuetudinem illorum temporum. Conf. Erotemata nostra secundum ductum Summarii Hist. Eccl. Rechenberg. c. IV. Sect. I. §. 2. 2 per ἀποθέωσιν Pontificiam, qui mos ab Ethnicis defluxit. Extant de Apotheosi tam exterarum gentium, quam Romanorum Deorum D. Georgii Pictorii Villingani libri tres, quibus Nomina, Imagines & imaginum allegoriæ comprehenduntur. Basil. 1558. in 8. Fictus Berosus Babylonius Antiquitat. lib. 3. scribit, Scythas Armenos Noam post mortem arbitratos esse animam cœlestium corporum, atque illi diuinos honores impendisse. Primus Pontificum Rom. canonizationem Sanctorum introduxit Leo III. teste Bellarm. lib. 1. de Sanctit. beat. c. 8. qui honorum diuinorum septem facit (1) vt Deificatus ab omnibus dicatur & habeatur sanctus. (2) vt inuocetur in publicis Ecclesiæ cœtibus (3) vt templa & aræ in honorem eius exstruantur (4) vt sacrificia offerantur (5) vt dies festi celebrentur

POMPILIVS. BRASSICANVS.

Po. VNde nobis petasatus*? *Br.* E Tubinga. *P.* Nihilne istic rei nouæ? *B.* Equidem demiror, vsque adeo mortales omnes teneri siti quadam rerum nouarum. At ego Louanii Camelum * quendam audiui concionantem, fugiendum quicquid esset nouum. *Po.* Vocem Camelo dignam. Dignus erat homo, si tamen homo fuit, qui nunquam mutet veteres calceos, aut putre subligar [3], semper vescatur putribus ouis, nec aliud bibat quam vappam. *Br.* At idem, ne sis inscius, non vsque adeo delectatur rebus veteribus, vt malit ius pridianum quam recens. *Po.* Sed omisso Camelo, dic si quid adfers noui. *Br.* Adfero quidem, sed, vt ille aiebat, malum. *Po.* Atqui isthuc ipsum olim erit vetus. Ita fieri necesse est, vt si omnia vetera sint bona, omnia noua mala; quæcunque nunc bona sunt, fuerint olim mala; & quæ nunc sunt mala, sint olim futura bona. *Br.* Ita videtur iuxta decretum Cameli. Immo consequitur, vt qui olim adolescens fuit malus fatuus, quia recens, idem nunc sit bonus fatuus, quia senuit. *Po.* Sed age, prome quidquid est. *Br. Egregius ille trilinguis eruditionis phœnix Ioannes Reuchlinus vita defunctus est* [4]. *Po.* Rem certam narras?

Br.

(6) vt pingatur imago eius addito lumine in signum gloriæ cœlestis (7) vt eius reliquiæ pretiosis thecis inclusæ publice honorentur. * Petasus genus calceamenti grandioris, conueniens itinerantibus. * Camelum dixit detracta litera, pro Carmelita, seu Carmelo. 3 subligaculum femorale. 4 anno ætat. 67. Chr. 1522. Stutgardiæ Sueuorum.

Br. Certiorem quam vellem. *Po.* Sed *quid istuc mali, relicta posteris honestissimi nominis immortali memoria, ab huius vitæ malis demigrare in consortium beatorum? Br.* Quis istuc tibi indicauit? *Po.* Res ipsa: nec enim potest aliter mori, qui sic vixit. *Br.* At magis etiam istuc diceres, si scias, quod ego. *Po.* Quidnam, obsecro. *Br.* Non est fas referre. *Po.* Quam ob rem? *Br.* Quia qui credidit[5], stipulatus est[6] arcani silentium. *Po.* Eadem lege committe & mihi: recipio tibi silentium optima fide. *Br.* Quanquam ista fides me iam sæpenumero fefellit, tamen age, committam: præsertim cum res sit eius generis, vt expediat[7] etiam, esse notam bonis omnibus. Est Tubingæ quidam instituti Franciscani, vir omnibus habitus eximiæ sanctimoniæ, præterquam ipsi[8]. *Po.* Magnum dicis argumentum veræ sanctimoniæ. *Br.* Agnosceres hominem, & fatereris verum, si nomen ederem. *Po* Quid si diuinem? *Br.* Licet. *Po.* Admoue aurem. *Br.* Quid opus, cum simus soli? *Po.* Ita mos est. *Br.* Is ipse est. *Po.* Est homo certissimæ fidei. Mihi Sibyllæ folium* erit, quidquid ille dixerit. *Br.* Audi igitur totum dialogum bona fide. Ægrotabat noster Reuchlinus,

5 manifestauit, concredidit. 6 requisiuit manu stipulata. **Ich habs ihm müssen mit Hand und Mund zusagen/ daß ich das Geheimniß verschweigen wolle.** 7 vtile, consultum sit. 8 sibi soli non visus est sanctus, ex vera nimirum humilitate, sine qua omnis pietas & sanctimonia est hypocrisis. * Sibylla Cumana scribebat oracula in foliis. Iuuenalis, *Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.* Id est, rem certissimam. Quod genus & illud: E tripode dictum puta.

nus, ſatis quidem periculoſe, ſed ita, vt bona ſpes eſſet fore vt reualeſceret; *vir dignus, qui nunquam ſeneſceret, ægrotaret aut moreretur.* Mane viſebam meum Franciſcanum, vt animi mei moleſtiam [9] oratione ſua [10] leniret: nam ægrotabam vna cum ægrotante amico, quem amabam vt Patrem. *Po.* Phy * ! quis illum vsquam non amauit niſi vir peſſimus? *Br.* Hic Franciſcanus meus, Braſſicane, inquit, emoue penitus ex animo mœrorem omnem: Reuchlinus noſter *deſiit ægrotare.* Quid? inquam, an ſubito reualuit? nam ante biduum non admodum læta promittebant Medici. Tum ille, *Reualuit*, inquit, ſed ita, vt poſthac non ſit illi formidanda valetudo aduerſa. Noli flere, (nam videbat erumpentes lacrymas) prius quam audias rem omnem. Sex dies ſunt, quod hominem non inuiſeram, ſed tamen quotidianis precibus illius ſalutem Domino commendabam. Hodierna nocte, cum me a matutinis hymnis in ſtrato [11] compoſuiſſem, blandus quidam minimeque grauis ſomnus obrepſit. *Po.* Neſcio, quid læti mihi præſagit animus. *Br.* Non eſt tibi læua [12] mens. Viſus ſum mihi, inquit, conſiſtere ad ponticulum quendam, per quem tranſitus erat in pratum quoddam longe amœniſſimum. Adeo blandiebatur oculis graminum & frondium plus quam ſmaragdinus viror; ſic arridebant incredibili colorum varietate flo-

9 ægritudinem. 10 durch ſeinen Zuſpruch. * Interiectio admirantis. 11 auf der Streu / vt cubare ſolent Franciſcani, a Franciſco Aſſiſienſi dicti, cui a Chriſto quinque vulnera impreſſa tradunt Legendæ. 12 vana. Du denckeſt nicht unrecht.

flosculorum stellulæ; sic spirabant omnia, vt quod erat pratorum citra riuum, quo dirimebatur felicissimus ille campus, nec viuere, nec virere videretur, sed mortua, inamœna, putidaque omnia. Atque interim dum totus sum in eo spectaculo, commodum[13] præterierat Reuchlinus; præteriens Hebraicè precatus est pacem. Iam medium pontis transierat priusquam sentirem: parantem[14] accurrere, respiciens vetuit. Nondum fas, inquit. Quinto abhinc anno nos sequeris. Interim eorum, quæ aguntur, testis ac spectator assistito. Heic ego: Nudus erat, inquam, Reuchlinus, an vestitus? solus, an comitatus? Vestium, inquit, nihil habebat, præter vnam candidissimam; Damascenam esse dixisses, candore mire lucido. Pone[15] sequebatur puer incredibili specie, alatus: suspicabar, illius esse genium bonum. *Po.* Sed nullusne comitabatur genius malus? *Br.* Imo aliquot, vt Franciscanus ille arbitrabatur. Procul, inquit, a tergo sequebantur aues aliquot pennis cætera nigris, nisi quod explicatu alarum giluas[16] verius, quam candidas plumas ostenderent. Picæ, inquit, videri poterant colore & voce, nisi quod singulæ sedecim picas æquarent magnitudine corporis, nihilo minores vulturibus, cristam gestantes vertice, rostris & vnguibus aduncis, ventre prominente. Harpyiæ videri poterant, si tres modo fuissent. *Po.* Quid moliebantur istæ furiæ? *Br.* Procul, inquit, obstrepebant heroi Reuchlino, & impetituræ videban-

13 opportune, non incommode. 14 cum pararem. 15 Iuxta. Neben bey. 16 Gelbe / melinas.

debantur, si licuisset. *Po.* Qui minus licuit? *Er.* Quia versus Reuchlinus, obiecta manu crucis imaginem exprimens: Abite, inquit, quo dignum est, malæ pestes. Satis sit vobis negotium facessere mortalibus: in me, iam immortalibus adscriptum, nihil habet iuris vestra dementia. Vix ea dixerat, inquit Franciscanus, mox abierant fœdissimæ volucres, sed relicto fœtore, ad quem collatum oletum* videri posset samsúcinum**, aut foliatum [17]. Deierabat, se citius vel ad inferos descensurum, quam sustineret iterum afflari tali thymiamate*. *Po.* Male sit illis pestibus. *Br.* Sed audi cætera quæ narrauit mihi Franciscanus. Dum hæc intentus contemplor, inquit, iam ponti vicinus erat diuus Hieronymus, qui Reuchlinum hisce verbis compellabat: Salue, collega sanctissime. Datum est hoc mihi negotium, vt te exceptum deducam in consortium cœlitum, quod tuis sanctissimis laboribus destinauit diuina benignitas, simulque vestem protulit, qua Reuchlinum induit. Tum ego: Dic, inquam, mihi, quo cultu, quaue specie videbatur Hieronymus? Eratne tam senilis, quam illum pingunt? aut cucullam habebat, aut galerum, ac pallium cardinalitium, aut leonem comitem? Ad hæc ille: Nihil, inquit, istiusmodi. Species erat amœna, quæ sic ætatem testabatur, vt nihil haberet squal-

*Est stercus humanum. **Vnguendum idem cum amaracino, ex samsucho seu maiorana paratum. 17 sc. thymiama, Räuchwerck aus Blättern/ das Blätter hat/ so aus wohlriechenden Blättern bestehet. Subintelligi etiam potest Vnguentum, dictum a foliis Malabathri. Martial. lib. II. Epigr. 48. & Plin. lib. XIII. c. 1. *Thymiama suffitus est.

ſqualloris, dignitatis plurimum. Quorſum autem illic opus erat comite leone, quem illi pictores adiunxerunt? Veſtem gerebat ad talos vsque demiſſam; cryſtallum diceres pellucidum. Eiusdem erat formæ, quam Reuchlino tradidit. Tota vndique picta erat linguis triplici colorum varietate. Quædam pyropon * præ ſe ferebant, nonnullæ ſmaragdum, tertiæ ſapphirum. Pellucebant omnia, nec mediocrem gratiam addebat ordo. *Po.* Coniicio, id fuiſſe inſigne trium linguarum, quas calluerunt. *Br.* Non eſt dubium. Nam & fimbriæ, vt aiebat, trium linguarum litteris triplici colore diſtinctis viſebantur inſcriptæ. *Po.* Num incomitatus aderat Hieronymus? *Br.* Incomitatus, inquis? Totus ille campus obſid. batur myriadibus Geniorum [18]; nec aliter oppleuerant aërem totum, quam videmus in Solis radiis volitare minuta corpuſcula, quæ vocant ἄτομα*, ſi tamen a re tam humili huc ducenda eſt comparatio. Neque cœlum videre licuiſſet, neque campum, niſi pellucerent omnia. *Po.* Euge, Reuchlino gratulor. Quid deinde factum eſt? *Br.* Hieronymus, inquit, honoris gratia complexus dextrum Reuchlinum [19], deduxit in medium pratum. Ibi collis erat in medio prominens. In huius vertice vterque alterum blando oſculo complexus eſt. Atque interea vaſto hiatu cœlum ſuperne diduxit ſeſe, maieſtatem quandam inenarrabilem exhibens, ſic

vt ad

* Pyropi, lapides ſunt lucidiſſimi. 18 Angelorum. * Id eſt, inſecabilia, ſc. σωμάτια, corpuſcula. 19 Er hat ihn oben an/ zur Rechten gehen laſſen.

vt ad eam speciem cætera plane sorderent, quæ tamen antea videbantur esse mirifica. *Po.* Non possis aliquam imaginem nobis depingere? *Br.* Quî possim ego, qui non vidi? Is qui vidit, negauit, se vllis vocibus vel somnium rei posse depingere: tantum hoc aiebat, se vel millies mori paratum, si liceat iterum eo spectaculo quamlibet exiguo momento frui. *Po.* Quî tandem? *Br.* Ex hiatu cœli demissa est ingens columna igne pellucido, sed amœno: per eam in complexu duæ sanctissimæ animæ subuectæ sunt in cœlum, choris angelicis tanta melodia delinientibus [20] omnia, vt Franciscanus neget, se vnquam eius voluptatis meminisse posse, quin erumpant lacrymæ. Secuta est mira fragrantia. Vbi somnus reliquit hominem, si tamen ille somnus dicendus est, erat dementi similis; non credebat, sese esse in cellula sua; requirebat pontem ac pratum suum; nec aliud loqui, nec aliud cogitare poterat. Seniores eius collegii, vbi senserunt, rem non esse fabulosam, (nam compertum est, eadem hora terris excessisse Reuchlinum, qua visio viro illi sanctissimo apparuit) concordibus animis egerunt gratias Deo, qui benefacta piorum præmiis amplissimis remuneratur. *Po.* Quid igitur superest, nisi vt sanctissimi viri nomen adscribamus calendario sanctorum? *Br.* Id ego facturus eram, etiamsi nihil tale vidisset Franciscanus: & quidem aureis literis, proxime diuum Hieronymum. *Po.* Emoriar, nisi idem facturus sum in codice meo. *Br.* Quin & in meo larario* sta-

20 demulcentibus, suauiter afficientibus. * Lararium locus vbi reponuntur dii penates, hoc est, domestici: sicuti se-

ſtabit aureus inter diuos* ſelectos. *Po.* Stabit & in meo vel gemmeus, ſi ſuppetat animo facultas. *Br.* Ponetur & in bibliotheca Hieronymo proximus. *Po.* Addetur & meæ. *Br.* Imo ſi grati volent eſſe, idem facient omnes, qui colunt & amant linguas ac bonas literas, præſertim ſacras. *Po.* Dignus eſt videlicet. Sed nihil te mouet ille ſcrupulus, quod nondum relatus eſt in numerum diuorum auctoritate Romani Pontificis? *Br.* Quis canonizauit** (ſic enim vocant) diuum Hieronymum? quis Paulum? quis Virginem Matrem? Vtrorum memoria ſanctior apud pios omnes? horum quos inſignis pietas, quos ingenii, vitæque monumenta commendant affectibus omnium; an Catharinæ Senenſis, quam in diuarum numerum retuliſſe fertur Pius eius nominis ſecundus, in gratiam ordinis & vrbis? *Po.* Vera prædicas. Ille demum verus cultus eſt, qui ſponte cœlo dignis meritis defunctorum exhibetur, quorum beneficia perpetuo ſentiuntur. *Br.* Quid igitur? Putas tu, huius viri mortem deplorandam? Diu vixit, ſi quid ea res facit ad felicitatem hominis. Reliquit nunquam intermoritura virtutis ſuæ monumenta. Benefactis conſecrauit nomen ſuum immortalitati. Nunc exemptus malis cœlo fruitur, & cum Hie-

runt Chriſtum poſitum fuiſſe in larario Alexandri Seueri inter Deos, quos matutinis horis adorabat. Lampridius c. 29. in Vita eius. * Apud veteres ſelecti dii dicebantur præcipui: ii fuerunt numero pauci. ** Canonizare barbare dicunt pro eo quod eſt, in numerum diuorum referre, quod in Canone vocato recenſeantur aliquot diuorum, diuarumque nomina.

Hieronymo confabulatur. *Po.* At multa passus est in vita. *Br.* Sed plura passus est diuus Hieronymus. Felicitas est, ob bona pati a malis. *Po.* Fateor certe: ob optima a pessimis multa perpessus est Hieronymus. *Br.* Quod olim fecit Satanas per Scribas & Pharisæos in Dominum Iesum, hoc & nunc facit per Pharisaicos quosdam in optimos quosque viros ac de genere mortalium suis vigiliis bene merentes. Nunc ille metit optimam messem pro semente, quam fecit. Interim nostræ partes erunt, illius memoriam habere sacrosanctam, illius nomen ferre laudibus, ac subinde illum salutare verbis huiusmodi: O sancta anima, sis felix linguis, sis felix linguarum cultoribus, faueto linguis sanctis, perdito malas linguas, infectas veneno gehennæ. *Po.* Ita faciam, ac sedulo prædicabo cæteris, vt idem faciant. At non dubito, multos futuros, qui precatiunculam aliquam desiderent, quandoquidem hoc receptum, qua sanctissimi herois memoriam celebrent. *Br.* Hoc dicis, quod isti Collectam appellant? *Po.* Scilicet. *Br.* Hanc paraueram & ante mortem. *Po.* Recita, quæso. *Br. Amator humani generis Deus, qui donum linguarum, quo quondam Apostolos tuos ad Euangelii prædicationem per Spiritum tuum sanctum cœlitus instruxeras, per electum famulum tuum Ioannem Reuchlinum mundo renouasti: da, vt omnibus linguis omnes vbique prædicent gloriam filii tui Iesu, vt confundas linguas pseudoapostolorum, qui coniurati substruunt impiam turrim Babel, tuam gloriam obscurare conantes, dum suam student attollere: cum vni tibi debeatur omnis glo-*

ria, cum Iesu Filio tuo, Domino nostro, & Spiritu sancto, in æterna sæcula, Amen. Po. Elegans profecto & pia precatio: dispeream nisi mihi quotidie dicetur. Et hunc occursum mihi felicem duco, qui rem tam lætam ex te didicerim. *Br.* Isto gaudio diu fruere, ac vale. *Po.* Vale tu quoque. *Br.* Valebo, sed non *coquus**.

PROCI ET PVELLÆ.

PAMPHILVS, MARIA.

Pa. SAlue crudelis, salue ferrea, salue adamantina. *Ma.* Salue tandem & tu Pamphile, quoties & quantum voles, & quocunque libet nomine. Sed interim mihi videris oblitus nominis mei; Maria vocor. *Pa.* At Martiam dici oportuit. *Ma.* Quid ita, quæso? Quid mihi cum Mar-

* Quum candidatus quidam, qui coci filius habebatur, coram Cicerone ab alio quopiam suffragium peteret, Cicero cauillans: Ego *quoque*, inquit, tibi faueo. Iocus autem est in dictione ambigua *quoque* & *coce*, quod ad pronunciationem attinet. Vnde liquet, olim alium fuisse sonum harum literarum *q* & *c*, quam nunc est. Quod si fuisset diuersus, non erat iocus ex voce plura significante. Nunc litera *c* aliud sonat, præcedens *a*, *o*, *u*, quam *e*, *i*, *y*. Quod idem fit in Græcis, quum eius varietatis nulli vetusti Grammatici meminerint, quod equidem sciam. Et Fabius in primo libro disputat, *q* & *k* redundare: non redundarent autem, si quid aliud sonarent quam *c*, nisi quod *c* apponitur respiratio, quam reiiciunt *q* & *k*. Cæterum *u* adiunctum *q*, euanescit; alioqui *cotidie* & *quotidie* non solum differrent scriptura, verum etiam sono, quod secus esse, licet ex Fabii verbis colligere cap. de Orthographia. Porro iocus Ciceronis, ad quem hic alluditur, refertur apud Quintilianum libro sexto, capite de risu.

Marte? *Pa.* Quia quemadmodum illi deo pro ludo eſt, homines interficere; ita & tibi: niſi quod tu Marte crudelior occidis etiam amantem. *Ma.* Bona verba. Vbinam ſtrages iſta mortalium, quos ego occidi? Vbi ſanguis interfectorum? *Pa.* Vnum cadauer vides exanime[1], ſi modo me vides. *M.* Quid ego audio? Mortuus loqueris, & obambulas? Vtinam mihi nunquam occurrant vmbræ [2] formidabiliores! *Pa.* Ludis tu quidem; tamen interim miſerum exanimas, & crudelius occidis, quam ſi confoderes telo. Nunc longo cruciatu excarnificor [3] miſer. *Ma.* Eho, dic, quot grauidæ ad tuum occurſum abortierunt? *Pa.* Atqui pallor arguit exſanguem magis quam vlla ſit vmbra. *Ma.* Atqui iſte pallor tinctus eſt viola [4]. Sic palles vt ceraſum matureſcens, aut vua purpuraſcens. *Pa.* Satis procaciter rides miſerum. *Ma.* Atqui ſi mihi non credis, admoue ſpeculum. *Pa.* Non optarim aliud ſpeculum, nec arbitror eſſe clarius vllum, quam in quo me nunc contemplor. *M.* Quod ſpeculum mihi narras? *Pa.* Oculos tuos. *Ma.* Argutator, vt ſemper tui ſimilis es! Sed vnde doces eſſe exanimem te? An cibum capiunt vmbræ? *Pa.* Capiunt, ſed inſipidum, qualem ego. *Ma.* Quibus igitur veſcuntur? *Pa.* Maluis, porris, & lupinis. *Ma.* Atqui tu non abſtines a capis & porcibus. *Pa.* Verum; ſed interim nihilo plus ſapiunt palato meo, quam ſi maluis veſcerer, aut betis absque pipere, vino & aceto. *Ma.* O te miſerum!

1 Exanimum, exanimatum. 2 laruæ, lemures. 3 gefoltert/ Hencker=mäßig tractiret. 4 purpurea ſcil.

ſerum! & tamen interim obeſulus[5] es. An & loquuntur exanimes? *Pa.* Sic vt ego, voce perquam exili. *Ma.* Atqui nuper cum audirem te conuiciantem riuali tuo, vox non erat admodum exilis. Sed obſecro te, num etiam ambulant vmbræ? num veſtiuntur? num dormiunt? *Pa.* Etiam coëunt, ſed ſuo more. *Ma.* Næ tu ſuauis nugator es. *Pa.* Sed quid dices, ſi argumentis Achillæis[6] euincam, & me eſſe mortuum, & te eſſe homicidam? *Ma.* Abſit omen, Pamphile[7]: ſed aggredere ſophiſma. *Pa.* Primum illud mihi donabis, opinor, mortem nihil aliud eſſe, quam abductionem animæ a corpore. *Ma.* Largior. *Pa.* Sed ita, ne vt repoſcas, quod dederis. *Ma.* Non fiet. *Pa.* Tum haud inficiaberis, eum qui alteri adimit animam[8], homicidam eſſe. *Ma.* Accedo. *Pa.* Concedes & illud, quod a grauiſſimis auctoribus dictum[9], tot ſeculorum ſuffragiis comprobatum eſt, animam hominis non illic eſſe vbi animat, ſed vbi amat. *Ma.* Iſthuc explana craſſius: non enim ſatis aſſequor quid velis. *Pa.* Et hoc[10] ſum infelicior, quod iſthuc non æque ſentis atque ego. *Ma.* Fac vt ſentiam. *Pa.* Eadem opera fac vt ſentiat adamas. *Ma.* Equidem puella ſum, non lapis. *Pa.* Verum, ſed adamante durior. *Ma.* Sed perge colligere. *Pa.* Qui corripiuntur afflatu diuino, nec audiunt, nec vident, nec olfaciunt, nec ſentiunt, etiamſi occidas.

---

5 gar fein feiſte/ nicht mager. 6 fortiſſimis, irrefragabilibus. 7 multum dilecte, omnium dilectiſſime, amantiſſime, plurimum flagrantiſſime. 8 vitam. 9 & 10 eo ipſo.

das. *Ma.* Audiui ſane. *Pa.* Quid coniectas eſſe in cauſa? *Ma.* Dic tu, Philoſophe. *Pa.* Nimirum quoniam animus eſt in cœlis, vbi habet quod vehementer amat, & abeſt a corpore. *Ma.* Quid tum poſtea[11]? *Pa.* Quid tum, dura? Illud conſequitur, & me eſſe mortuum, & te eſſe homicidam. *Ma.* Vbi eſt igitur anima tua? *Pa.* Illic vbi amat. *Ma.* Quis autem ademit tibi animam? Quid ſuſpiras? Dic libere, dices impune[12]. *P.* Crudeliſſima quædam puella, quam ego tamen ne mortuus quidem odiſſe poſſum. *Ma.* Humanum ingenium[13]. Sed cur illi viciſſim non adimis ſuam animam, par pari, quod aiunt referens? *Pa.* Nihil me felicius, ſi quidem liceat facere permutationem, ſic vt illius animus viciſſim demigret in pectus meum, quemadmodum meus animus totus demigrauit in corpus illius. *Ma.* At licetne mihi tecum viciſſim ſophiſtam agere? *Pa.* Sophiſtriam[14]. *Ma.* Num fieri poteſt, vt idem corpus ſit animatum, & exanime? *Pa.* Non eodem quidem tempore. *Ma.* Cum abeſt anima, tum mortuum eſt corpus? *Pa.* Eſt. *Ma.* Nec animat niſi cum adeſt? *Pa.* Eſto ſane. *Ma.* Qui ſit igitur, vt cum ibi ſit vbi amat, animet tamen corpus vnde demigrauit? Quod ſi animat, etiam cum amat alibi, quomodo vocatur exanime corpus, quod animatum eſt? *Pa.* Argutare[15] tu quidem

11 conſequitur. 12 pœnam non patieris, non lues, non mulctaberis. 13 Du leutſeliges Bißchen/ Stücke! 14 Elegantiſſime ſubinnuit Regulam Grammaticam, quod Subſtantiua mobilia debeant moueri, vt: gladius vltor: non: vltrix; Sic: fœmina Sophiſtria, non: Sophiſta. 15 Argutáris, ludis.

dem ſatis ſophiſtice; ſed me talibus pedicis[16] non capies. Anima quæ moderatur vtcunque corpus animantis, improprie dicitur anima, cum reuera ſint tenues quædam animæ reliquiæ, non aliter quam odor roſarum manet in manu, etiam roſa ſubmota. *Ma.* Difficile eſt, vt video, vulpem capere laqueo. Sed illud reſponde: Nonne agit, qui occidit? *Pa.* Maxime. *Ma.* Et patitur qui occiditur? *Pa.* Scilicet. *Ma.* Quî fit igitur, vt cum qui amat, agat, quæ amatur, patiatur; occidere dicatur, quæ amatur, cum amans potius occidat ſe ipſum? *Pa.* Imo contra, qui amat, patitur; quæ amatur, agit. *Ma.* Iſthuc nunquam euinces apud Areopagitas[17] Grammaticos. *Pa.* At euincam apud Amphictyones*Dialecticos[18]. *Ma.* Verum ne graueris & illud reſpondere. Volens amas, an nolens? *Pa.* Volens. *Ma.* Cum igitur liberum ſit non amare, videtur homicida ſui quisquis amat, præterque ius[19] accuſat puellam. *Pa.* Atqui puella non ideo occidit, quod amatur, ſed quod non amat mutuum. Occidit autem quisquis ſeruare poteſt, nec ſeruat. *Ma.* Quid ſi iuuenis amet incon-

16 laqueis, quibus conſtringuntur pedes. Schlingen/ Schleiffen/ Sprenckeln; Fuß-Eiſen. 17 Iudices, Cenſores. Athenis Areopagitæ iudicabant de capitalibus, vnde ridicule deflectit vocem ad Grammaticos. * Concilium erat, quod apud Thermopylas cogi ſolebat, ad quod duodecim populi conueniebant, ſub Amphictione Deucalionis filio, Iones, Dores, Perœbei, Bœoti, Magnetes, Achæi, Phthii, Molienſes, Dolopes, Ænianes, Delphii, Phocenſes. Sic & Dialecticorum variæ ſunt ſectæ. 18 i. e. quoscunque Dialecticos, apud commune Dialecticorum concilium. 19 iniuſte.

inconcessa, hoc est, vxorem alienam, aut virginem Vestalem? num illa amabit mutuum [20], vt seruet amantem? *Pa.* Sed hic iuuenis amat, quod amare fas piumque est, atque etiam æquum & bonum, & tamen occiditur. Quod si leue [21] est homicidii crimen, & veneficii ream peragam [22]. *Ma.* Isthuc prohibeant superi [23]. An Circen* quampiam ex me facies [24]? *Pa.* Aliquid & ista crudelius [25]. Nam porcus aut vrsus esse malim, quam, id quod nunc sum, exanimis [26]. *Ma.* Quo tandem veneficii genere perdo homines? *Pa.* Fascino*. *Ma.* An igitur vis, vt posthac abs te *deflectam* noxios oculos? *Pa.* Bona verba [27]. Imo magis *affllecte* [28]. *Ma.* Si mihi sunt oculi fascinatores, qui fit, vt non contabescant [29] & cæteri, quos obtueor [29]? Itaque suspicor, fascinum istud esse in tuis oculis, non in meis. *Pa.* Non sat tibi erat iugulare Pamphilum, ni insultes [30] insuper? *Ma.* O lepidum [31] mortuum! Sed quando para-

20 redamabit, vicissim amabit. 21 paruum est, exiguum, vile. 22 accusabo. 23 Deus auerruncet! Ey behütte GOtt! da sey GOtt vor! * Circe dicitur filia Solis, insignis venefica. 24 Est Germanismus falso suspectus. Wilst du eine Circen, eine Hexe aus mir machen? Wilst du mich zur Hexe machen. 25 faciam. 26 Eccles. IV, 9. Ein lebendiger Hund ist besser/weder ein todter Löwe. * Fascinum veneficii genus, quo homines oculorum maleficio ad extremos miseriarum terminos deiiciuntur; Bezauberung mit den Augen. 27 Est Charientismus. 28 Ludit Compositis per Paregmenon. 29 conficiantur, absumantur. 29 Obtueri minus est, quam intueri, aut contueri. Ob enim negligentiam quandam hic denotat. Oben hin ansehen/ ohngefehr. 30 irrideas, contumeliose dicas aut facias. 31 prodigiosum, portentosum, ridiculum. Du bist mir der rechte/ rechtschuldige/ liebe todte.

parabuntur exsequiæ? *Pa.* Opinione tua celerius, ni tu succurras. *Ma.* Egon'[32] rem tantam possum? *Pa.* Potes vel mortuum ad vitam reuocare, idque minimo negotio. *Ma.* Si quis mihi porrigat panacen*. *Pa.* Nihil opus herbis; tantum redama. Quid autem facilius? imo quid æquius? Non aliter absolueris ab homicidii crimine. *Ma.* Apud quod tribunal peragar rea? Areopagitarum? *P.* Non; sed apud tribunal Veneris. *Ma.* Aiunt, Deam esse placabilem. *Pa.* Imo nullius ira perinde formidabilis. *Ma.* Habet fulmen? *Pa.* Non. *Ma.* Habet tridentem? *Pa.* Nequaquam. *Ma.* Habet hastam? *Pa.* Minime; sed est Dea maris. *Ma.* Non nauigo. *Pa.* Sed habet puerum. *Ma.* Non est formidabilis ætas. *Pa.* Vindicem ac peruicacem. *Ma.* Quid is mihi faciet? *Pa.* Quid faciet? Prohibeant omnes superi. Nolim enim illi malum ominari, cui bene volo. *Ma.* Tamen effare[33]; nulla mihi superstitio est. *Pa.* Dicam ergo. Si hunc spreueris amantem, non omnino mutuo indignum amore, nisi fallor, ille fortasse iussu matris immittet tibi pessimo veneno tinctum iaculum, vt in sordidum aliquem depereas[34], qui te tamen non redamet. *Ma.* Supplicium narras abominandum. Ego sane vel mori præoptarim, quam *perdite amare* deformem, nec amore mutuo re-

32 Egone per Apostrophum, ob vehementiam affectûs dicentis; aut per Apocopen. *Panace herba, quæ medetur omnibus morbis, vnde & nomen habet. 33 proloquere, eloquere. 34 amore sæuias, furas; impetuosius agaris. Deperire aliquem enim est: perdite amare. Verliebt seyn biß in Tod/ unsterblich/ recht närrisch/ unsinnig/ thöricht verliebt seyn/ rasend seyn vor Liebe; vt ipse statim vocem explicat autor Erasmus.

respondentem[35]. *P.* Atqui nuper huius mali fuit exemplum insigniter editum in puellam quandam. *Ma.* Vbi locorum? *P.* Aureliæ[36]. *M.* Quot anni sunt? *Pa.* Vix sunt menses decem. *Ma.* Puellæ quod erat nomen? Quid hæres? *Pa.* Nihil; noui tanquam te. *Ma.* Quin igitur edis *nomen? Pa.* Quia non placet *omen* [37]. Vtinam alio quouis nomine dicta fuisset! Idem habebat nomen, quod tu[38]. *Ma.* Pater quis erat? *Pa.* Viuit adhuc inter Iureconsultos præcipui nominis, re splendida. *Ma.* Adde nomen. *Pa.* Mauricius. *Ma.* Cognomen. *Pa.* Aglaius. *Ma.* Viuitne mater? *Pa.* Nuper reliquit superos[39]. *Ma.* Quo morbo periit? *Pa.* Quo morbo rogas? mœrore. Et pater, tametsi vir cumprimis fortis, periclitabatur[40]. *Ma.* Licetne scire matris quoque nomen? *Pa.* Maxime. Sophronam nemo non nouit. Sed quid sibi vult ista percunctatio? An me putas apologum *comminisci[41]? *Ma.* Egon' de te suspicarer hoc? Hæc suspicio pronior est in sexum nostrum[42]. Sed narra, quid acciderit puellæ. *Pa.* Puella erat honesto loco nata, vt dixi, re lauta, forma perquam eleganti: quid multis? digna principe marito. Huius nuptias ambiebat procus quidam

illi

35 in amore; i. e. redamantem. 36 Orleans; vrbs nobilissima ad Ligerim. 37 Respondet per Paronomasiam & alludit ad dictum: Nomen & omen habet. 38 Sie hiesse wie du. Sie hatte deinen Nahmen. 39 excessit e viuis, discessit, decessit. 40 in periculo erat, versatus est. * Fabulam, rem vanam. 41 fingere. 42 Das ist eher von unserm Geschlechte/ von uns Weibern / vom Weibs Volck zu vermuthen/ zu besorgen. Damit hat man eher das weibliche Geschlechte zu verdencken.

illi non dissimilis. *Ma.* Quo nomine? *Pa.* Hei mihi, offendor omine; Pamphilus & ille dictus est. Illa nihil non tentantem pertinacissime spreuit. Iuuenis dolore contabuit. Nec ita multo post, illa deperire cœpit in [43] quendam, simium [44] verius quam hominem. *Ma.* Quid ais? *Pa.* Adeo perdite, vt satis dici non queat. *Ma.* Tam elegans puella tam deformem? *Pa.* Vertice acuminato, raro capillitio, eoque lacero & impexo, furfure ac lendibus oppleto [45]: pleramque cranii cutem nudauerat alopecia *; oculis refugis, naribus simis ac sursum hiantibus, ore sparso, dentibus putridis, balbutiente lingua, mento scabioso [46]; scapulas deformabat gibbus; venter prominulus, crura rara [47]. *Ma.* Thersiten quempiam mihi depingis. *Pa.* Imo aiunt, illi non fuisse nisi vnam auriculam. *Ma.* Altera perierat illi fortasse in bello. *Pa.* Imo in pace. *Ma.* Quis hoc ausus est? *Pa.* Dionysius carnifex. *Ma.* Fortasse formæ infelicitatem pensabat res ampla domi [48]. *Pa.* Imo decoxerat [49]. Cum hoc marito tam insignis puella nunc degit ætatem, ac subinde

43 Elegans Verbi est constructio cum Præpositione: *in*; pro: Deperire quendam. 44 Simius & Simia, est Heterocliton, aut potius Substantiuum mobile; qualia sedulo aduertenda & ex Grammaticorum Etymologia euoluenda sunt, cum cæteris minutiis & singularibus, in quibus inculcandis mirus artifex Erasmus est in hisce Colloquiis. 45 erat. * Defluuium capillorum, morbus fœdus. 46 erat. 47 erant. 48 res haud angusta domi, i. e. diuitiæ, opes, opulentia. 49 dissipauerat, abliguriuerat. Verdestiliret/ verprasset/ durch die Gurgel gejagt.

inde vapulat[50]. *Ma.* Rem miseram narras. *Pa.* Sed veram. Sic visum est Nemesi* iuuenis spreti contumeliam vlcisci. *Ma.* Ego citius optarem extingui fulmine, quam talem ferre maritum. *Pa.* Ergo ne prouoca[51] Nemesim, & amantem redama. *Ma.* Siquidem isthuc satis est, redamo. *Pa.* Sed optarim, istum amorem esse perpetuum ac proprium: coniugem ambio, non amicam[52]. *Ma.* Neque me id fugit; sed *diu deliberandum est in eo, quod semel captum rescindi non potest.* *Pa.* Apud me quidem nimium diu deliberatum est. *Ma.* Vide autem, ne tibi imponat[53] amor, non optimus consultor: nam cœcum esse ferunt. *Pa.* Sed oculatus est, qui ex iudicio nascitur. Non ideo mihi talis videris, quod amem te; sed ideo te amo, quod talem te conspexerim[54]. *Ma.* At vide ne non satis me perspectam habeas. Si calceum induisses, tum demum sentires, qua parte te vrgeret[55]. *Pa.* Iacienda* est alea

50 verberatur, verberibus male dedolatur, habetur. *Nemesis dea vindex insolentiæ. 51 irrita, lacesse, stimula, concita. 52 Amicæ significatum consuetudinarium iucunde innuit; idem enim est, quod amasia, Eine Buhlschafft/ Courtesie. 53 sc. fraudem, fabricam admoueat; te decipiat. 54 Loquitur per ἀντιμεταβολὴν Rhetoricam. 55 Paulus Æmilius repudiata vxore Papyria, ex qua Scipionem Æmilianum, pulcherrimam sobolem sustulisset, dissuadentibus amicis porrexit calceum dicens: Hic calceus, nonne nouus est? nonne pulcher est? at nemo vestrum nouit, qua pedem meum torqueat. Vid. Erasmi Apophthegm. lib. V. p. m. 438. Germ. dicit: Ein jeder weiß am besten/ wo ihn der Schuch hin drücket. *Iacere aleam, facere periculum significat.

alea, quanquam ego multis auguriis colligo, rem melius cessuram. *Ma.* Etiam augur es? *Pa.* Sum. *Ma.* Quibus igitur auguriis colligis? An volauit noctua? *Pa.* Illa volat stultis. *Ma.* An a dextris aduolauit iugum columbarum? *Pa.* Nihil istiusmodi. Sed mihi iam annis aliquot perspecta est probitas tuorum Parentum: *ea primum auis est non pessima, e bonis prognatam esse.* Neque me clam est[56], quam salubribus monitis, quam sanctis exemplis apud hos sis instituta. Et *plus est bene institui, quam bene nasci.* Habes alterum augurium. Ad hæc, meis maioribus non omnino malis, ni fallor, iam olim cum tuis amicitia non vulgaris intercedit: quin & nos inter nos a teneris, quod aiunt, vnguiculis noti sumus: nec male conuenit geniis nostris[57]. Iam ætas inter nos, res, dignitas, nobilitas, inter vtriusque parentes pene paria sunt. Demum, quod est in amicitia præcipuum, tui mores mihi videntur non pessime quadrare ad meum ingenium[58]. *Potest enim per se praeclarum esse, quod tamen non sit aptum.* Quam mei vicissim tuo congruant, nescio. Hæ videlicet aues, mea lux, mihi promittunt, fore inter nos felix, perpetuum, ac lætum iucundumque connubium, modo ne tuus animus mali ominis cantionem nobis occinat.

---

56 latet; neque mihi est obscurum, occultum; non ignoro. 57 Wir sind nicht ungleichen Humeurs; simili vtimur genio atque ingenio; wir sind gleich gesinnet. 58 Deine Sitten stehn mir nicht uneben/ nicht übel/ gar wohl an; placent mihi mores tui, non displicent; sie schicken sich vor mich. Du thust mir so/ wie ichs gerne hätte/ habe.

nat [59]. *Ma.* Quam cantilenam optas? *Pa.* Ego præcinam; Sum tuus: tu ſuccine; Sum tua. *Ma. Breuis quidem cantiuncula; ſed longum habet epiphonema* *. *Pa.* Quid refert, quam longum, modo lætum? *Ma.* Adeo mihi es inuiſus [60], vt nolim te committere, cuius in poſterum pœniteat. *Pa.* Deſine male ominari. *Ma.* Fortaſſis alia tibi videbor, vbi morbus aut ætas hanc formam immutarit. *Pa.* Nec hoc corpus, o bona, ſemper erit æque ſucculentum. Sed ego non contemplor tantum iſtud vndique florens & elegans domicilium; hoſpitem magis adamo. *Ma.* Quem hoſpitem? *Pa.* Animum iſtum tuum, cuius decor ſemper cum ætate creſcet. *Ma.* Næ tu plus quam lynceus [61] es, ſi iſtum perſpicis per tot tectoria [62]. *Pa.* Animum animo perſpicio. Adhæc, in communibus liberis ſubinde repubeſcemus. *Ma.* Sed interim perit *virginitas*. *Pa.* Verum. Sed eho, dic mihi, ſi tibi eſſet *elegans pomarium*, *optares illic nihil vnquam gigni præter flores:* an *malles*, *delapſis floribus*, *videre arbores*

59 nempe ſi recuſet ſuccinere: ſum tua. * Quod in fine acclamatur. Facile eſt dicere, Sum tua: ſed duobus verbis contrahitur indiſſolubile vinculum. 60 tibi ſum inſenſus, tibi inuideo. Jch bin dir ſo gram / ſcilicet, vel quaſi, hinter ſich. 61 plus quam lynceis es oculis, du ſiehſt ſchärffer als ein Luchs.

Nos Aper auditu, nos vincit Aranea tactu,
Vultur odoratu, Lynx viſu, Simia guſtu.

Lynceus etiam vnus fuiſſe fertur ex Argonautis acutiſſima oculorum præditus acie, vt centum triginta millia paſſuum, teſte Varrone, proſpexerit. 62 incruſtamenta, tegumenta.

bores maturis pomis grauidas? *Ma.* Vt argutatur! *Pa.* Saltem illud responde, vtrum est elegantius spectaculum; *vitis humi iacens, & computrescens; an amplexa palum aut vlmum, eamque purpureis vuis degrauans?* *Ma.* Responde tu mihi vicissim, vtrum spectaculum amœnius; rosa nitens & lactea in suo frutice; an decerpta digitis, ac paullatim marcescens? *Pa.* Ego *rosam existimo feliciorem, quæ marcescit in hominis manu, delectans interim & oculos & nares, quam quæ senescit in frutice:* nam & illic futurum erat, vt marcesceret: quemadmodum *felicius est vinum, quod bibitur ante, quam acescat.* Quanquam non statim marcescit flos puellæ, si nupserit: imo video multas, quæ ante nuptias pallebant, languebant, ac velut extabescebant, ex congressu viri sic enituisse, vt tum demum florere cœperint. *Ma.* Attamen fauorabilis ac plausibilis apud omneis est virginitas. *Pa.* Elegans quidem res puella virgo; sed quid iuxta naturam prodigiosius anu virgine? Nisi matri tuæ defluxisset [63] flos ille, nos istum flosculum [64] non haberemus. Quod si, vt spero, non sterile fuerit nostrum coniugium, pro vna virgine multas dabimus [65]. *Ma.* Attamen aiunt, rem Deo gratissimam esse castitatem. *Pa.* Et ideo castam puellam mihi cupio nubere, vt cum illa caste viuam. *Magis erit animorum quam corporum coniugium. Gignemus Reipublica, gignemus Christo. Quantulum*

63 decidisset, decessisset, delapsus fuisset, i. e. nisi mater amisisset florem illum virginitatis. 64 te. 65 reddemus. Wir wollen ihrer viele an die Stelle schaffen/ liefern/ præstabimus.

lum aberit hoc matrimonium a virginitate? Et fortasse olim sic coniuiemus, quemadmodum vixit cum Maria Ioseph. Sed interim discemus virginitatem. Non enim statim peruenitur ad summum. *Ma.* Quid ego audio? Violanda virginitas, vt discatur? *Pa.* Quidni? Quemadmodum paullatim bibendo vinum parcius, discimus esse abstemii*. Vter tibi videtur temperantior, qui in mediis deliciis accumbens abstinet, an qui semotus ab his, quæ prouocant intemperantiam? *Ma.* Arbitror, eum fortius temperantem, quem parata copia non potest corrumpere. *Pa.* Vtri verius debetur laus castitatis, eine qui semet exsecat, an qui membris integris, tamen abstinet a Venere? *Ma.* Equidem posteriori meo calculo tribuerim laudem castitatis, priori dementiam. *Pa.* An qui voto adstricti abiurant matrimonium, nonne quodam modo exsecant sese? *Ma.* Videtur. *Pa.* Iam non est virtus non coire. *Ma.* At non est? *P.* Sic accipe. Si per se virtus esset non coire, vitium esset coire. Nunc incidit[66], vt vitium sit non coire, coire virtus. *Ma* Quando hoc incidit? *Pa* Quoties ab vxore ius suum[67] petit maritus, præsertim si prolis amore querit complexum. *Ma.* Quid si lasciuiat? non est fas negari? *Pa.* Fas est monere, vel rogare potius blandius, vt temperet: pernegare instanti, fas non est. Quanquam hac quidem in parte raras audio querelas maritorum de suis vxoribus. *Ma.* At dulcis

* Qui non bibunt vinum, quasi dicatur, absque temeto. 66 accidit casus. 67 debitum coniugale, officium matrimoniale.

cis eſt libertas. *Pa.* Imo grauis eſt ſarcina virginitas. Ego tibi Rex ero, tu mihi Regina: imperabimus familiæ noſtro arbitratu: an tibi videtur iſta eſſe ſeruitus? *Ma.* Vulgus coniugium capiſtrum vocat. *Pa.* Sed ipſi vero capiſtro digni ſunt, qui ſic vocant. Dic mihi, quæſo, an non animus tuus eſt alligatus corpori? *Ma.* Videtur. *Pa.* Non aliter quam auicula caueæ. Attamen conſule illum, an cupiat eſſe liber. Negabit, opinor. Quam ob rem? Quia libenter eſt alligatus. *Ma.* Res eſt vtrinque modica[68]. *Pa.* Tanto tutior[69]. Eam tu domi augebis *parſimonia*, quæ non ſine cauſa dicta eſt *magnum vectigal*; ego foris induſtria. *Ma.* Innumeras curas ſecum adferunt liberi. *Pa.* Sed iidem innumeras voluptates ac ſæpenumero multo cum fœnore reponunt parentibus officium. *Ma.* Miſera quædam res eſt orbitas. *Pa.* An nunc orba non es? Quid autem opus in re dubia male ominari[70]? Dic mihi, vtrum malles nunquam naſci, an naſci moritura[71]? *Ma.* Equidem malim naſci moritura[72]. *Pa.* Sic miſerior eſt orbitas, quæ prolem nec habuit, nec habitura eſt: quemadmodum feliciores ſunt, qui vixerunt, quam qui nec nati ſunt, nec naſcentur vnquam. *Ma.* Qui ſunt iſti*, qui non ſunt

68 nec mihi, nec tibi auguſta domi res eſt, **wir haben beyde nicht viel zum beſten.** 69 ſc. res eſt. **Wenn wir nicht viel haben/ können wir nicht viel verliehren / verzehren.** 70 bene ſperandum, meliora ſperemus in re dubia, in dubio, in re incerta. 71 cum ſis moritura, quod ſis. 72 licet, quamuis moritura ſim. * Iocatur in hæc, quæ ridicule dixerat iuuenis, cum qui non ſunt, nec futuri ſunt, plus aut minus felices dici non poſſint.

ſunt, nec erunt? *Pa.* Quanquam qui recuſat ferre caſus humanos, quibus omnes ex æquo ſumus obnoxii, ſiue plebeii ſumus, ſiue Reges, is e vita migret oportet [73]; & tamen quicquid acciderit, tu non feres niſi dimidium, ego maiorem portionem in me transferam. Ita ſi quid acciderit læti, gemina fiet voluptas: ſi quid mali, ſocietas adimet dimidium ægritudinis. Mihi vero, ſi fata vocent, dulce fuerit vel immori tuis complexibus. *Ma.* Facilius ferunt homines, quod iuxta communes naturæ leges accidit: ſed video, quanto plus moleſtiarum adferunt nonnullis parentibus liberorum *mores*, quam *mortes* [74]. *Pa.* Iſtius rei ne quid accidat, maxima ex parte in nobis ſitum eſt. *Ma.* Qui ſic? *Pa.* Quoniam fere boni naſcuntur ex bonis, quod ad indolem attinet [75]. Neque enim e columbis naſcuntur miluii. Dabimus igitur operam, vt ipſi boni ſimus. Deinde curabimus liberos noſtros ab ipſo ſtatim lacte ſanctis præceptis & opinionibus imbuendos. *Plurimum refert*

73 eum e vita migrare oportet, emigrandum ſit. Der müſſe die Welt meiden/nicht leben in der Welt. 74 Viel beſſer/ohne Kinder ſterben / als ungerathne Leibes-Erben. Tranquillus in Auguſto c. 65. Aliquanto patientius mortem, quam dedecora ſuorum tulit; & maluiſſe ſe ſuſpenſæ Phœbes Patrem, quam Iuliæ, fuiſſe, palam profeſſus eſt; prout ad omnem liberorum ſuorum mentionem ingemiſcens proclamare etiam ſolebat:

Vtinam celebs manſiſſem & mortuus fuiſſem abſque liberis.
Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμεναι, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι.

75 Horat. lib. 4. Carmin. Od. 4. Fortes creantur fortibus & bonis; eſt in iuuencis, eſt & in equis patrum virtus, nec imbellem progenerant aquilæ columbam.

fert, quid infundas rudi testulæ [76]. Ad hæc curabimus, vt domi habeant exemplum vitæ quod imitentur. *Ma.* Difficile est, quod narras. *Pa.* Nec mirum, quia pulchrum est: atque ob hoc ipsum tu quoque difficilis es. At tanto studiis acrioribus huc enitemur. *Ma.* Habebis sequacem materiam; tu vide, vt me formes, fingasque. *Pa.* Sed interim pronuncia tria verba. *Ma.* Nihil facilius; sed verba simul atque semel euolarint, non reuolant. Dabo consilium vtrique commodius. Ages cum tuis ac meis Parentibus, vt vtrorumque voluntate res transigatur. *Pa.* Ambire me iubes; tu potes tribus verbis rem certam reddere. *Ma.* An possim, nescio: mei iuris non sum. Nec sine maiorum auctoritate olim coibant coniugia. Verum, vtcunque est, arbitror auspicatius fore nostrum coniugium, si Parentum auctoritate coëat. Et vestrum est ambire; nobis decorum non est. *Gaudet enim rapi virginitas* [77], *etiamsi nonnunquam vehementius amemus.* *Pa.* Non pigebit ambire, modo ne me frustretur tuum vnius suffragium. *Ma.* Non frustrabitur; bono animo esto, mi Pamphile. *Pa.* Tu mihi heic religiosior es, quam vellem. *Ma.* Imo tu tuum ipsius suffragium apud te prius expende. Nec affectum istum tuum adhibe in consilium, sed rationem. *Quod affectus decernit, temporarium est: quod autem dictat ratio,* per-

76 Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu. Horat. I. Epist. 2, 64. 77 Olim apud Romanos virgo sponsa e sinu matris quasi per vim a sponso rapi debebat.

perpetuo solet placere. *Pa.* Næ tu pulcre philosopharis; itaque parere certum est tuis consiliis. *Ma.* Non pœnituerit obsequii. Sed heus tu, incidit interim scrupulus, qui meum animum male habet. *Pa.* Valeant scrupuli. *Ma.* Vin'[78] me nubere mortuo? *Pa.* Nequaquam; sed reuixero. *Ma.* Amouisti scrupulum, Bene vale, mi Pamphile. *Pa.* Istuc tu cura. *Ma.* Precor tibi lætam noctem. Quid suspiras? *Pa.* Lætam noctem ais? Vtinam largiare quod precaris. *Ma.* Ne quid præpropere; adhuc tua messis in herba * est. *Pa.* Nihilne tui ** mecum auferam? *Ma.* Hunc pastillum ***, qui tibi cor exhilaret. *Pa.* Adde saltem osculum. *Ma.* Cupio tibi virginitatem integram & illibatam tradere. *Pa.* An osculum aliquid decerpit virginitati? *Ma.* Vis igitur vt aliis quoque largiar oscula? *Pa.* Nequaquam: mihi seruari volo mea oscula. *Ma.* Tibi seruo. Quanquam est aliud, cur in præsentia non ausim dare osculum. *Pa.* Quid istuc? *Ma.* Ais, tuum animum pene totum demigrasse in corpus meum; in tuo quam minimum superesse: vereor itaque, ne in osculo hoc ipsum, quod in te superest, transiliat in me, tuque iam totus fias examinis.

---

78 Visne? vt mortuo nubam. * Ait *Ouidius*. A segete ductum, quæ primum herbescit, deinde fert aristas, tandem flauescit ad messem. Es ist noch zu frühe/ nicht an der Zeit. ** Ambigue dictum. Nam si sit Genitiuus a *tu*, petit osculum: si a *tuum*, petit aliud. At illa secus interpretatur quam ille senserat. *Ouid.* Vlterius nil habet ille mei; id est, e re mea, de meo, vel: de me. *** Pastillus, est sphærula ex odoribus confecta, quam manibus circumferunt. *Horat* Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum. Biesem Knopff.

nimis. Accipe igitur dextram, mutui amoris ſymbolum, ac bene vale. Tu gnauiter [79] rem gere. Ego interim Chriſtum comprecabor [80], vt, quod agitur, vtrique noſtrum velit eſſe felix ac fauſtum.

VIRGO ΜΙΣΟΓΑΜΟΣ*.

EVBVLVS**. CATHARINA***.

Eu. GAudeo, tandem finitam eſſe cœnam, vt liceat hac frui deambulatione, qua nihil amœnius. *Ca.* Et me iam tædebat ſeſſionis. *Eu.* Quam vernat, quam arridet vndique mundus! Hæc nimirum eſt illius adoleſcentia. *Ca.* Sic eſt. *Eu.* At cur tuum ver non æque arridet? *Ca.* Quam ob rem? *Eu.* Quia ſubtriſtis es. *Ca.* An videor alio vultu quam ſoleo? *Eu.* Vis oſtendam te tibi? *Ca.* Maxime. *Eu.* Vides hanc roſam ſub imminentem noctem foliis contractioribus? *Ca.* Video, Quid tum poſtea? *Eu.* Talis eſt vultus tuus. *Ca.* Bella collatio. *Eu.* Si mihi parum credis, in hoc fonticulo contemplare te ipſam. Quid ſibi tandem volebant, & inter cœnandum, tam crebra ſuſpiria? *Ca.* *Deſine percunctari, quod tua non refert ſcire.* *Eu.* Imo mea refert maxime, qui non poſſum eſſe hilaris, niſi te quoque videam hilarem.

Ecce

79 ſedulo, haud ſegniter. 80 vna tecum precabor, exorabo, flagitabo.

* Abhorrens a nuptiis. ** Bonus conſultor. Qui bene conſulit, εὖ bene, βουλὴ, conſilium. *** Accommodata rebus autor affingit nomina; bene Catharina a καθαρὸς purus nuncupatur, quæ virginitatem perpetuam pro vna & vera puritate habebat; procus tamen bono conſilio impuritatis clauſtra diſſuadet.

Ecce autem iterum ſuſpirium, hui quam ex imo pectore ductum! *Ca.* Eſt quod angat animum, ſed effari non eſt tutum. *Eu.* Mihi non dices, qui te cariorem habeo ſorore propria? Mea Catharina, ne verere: quidquid eſt rei, tuto depones* his auribus. *Ca.* Vt tuto dicam, vereor ne fruſtra dicam non auxiliaturo. *Eu.* Qui ſcis? Si non re ipſa, fortaſſis conſilio conſolandoque iuuero. *Ca.* Non poſſum eloqui. *Eu.* Quid iſtuc eſt rei? odiſti me? *Ca.* Sic odi, vt mihi minus carus[1] ſit meus germanus: & tamen animus non fert vt eloquar. *Eu.* Fateberis igitur, ſi diuinâro? Quid tergiuerſaris? *Promitte*, alioqui non *omittam*[2] vrgere. *Ca.* Age, promitto. *Eu.* Prorſus ego non video, quid tibi deſit ad ſummam felicitatem. *Ca.* Vtinam vera prædicares! *Eu.* Primum adeſt ipſe *flos ætatis*. Nam, niſi fallor, agis annum iam decimum ſeptimum. *Ca.* Sic eſt. *Eu.* Nondum igitur, vt opinor, diſcruciat te metus ſenectæ. *Ca.* Nihil minus. *Eu.* Adeſt *forma* nulla parte non felix[3]; eſt & iſtud præcipuum Dei donum. *Ca.* De forma, qualiſqualis eſt, nec glorior, nec queror. *Eu.* Tum color & habitudo corporis indicat, te eſſe *proſpera valetudine*, niſi quid eſt morbi occultioris[4]. *Ca.* Nihil iſtiuſmodi, gratia Deo. *Eu.* *Fama* eſt integra. *Ca.* Ita

---

*Deponit magiſtratum, qui ſe abdicat magiſtratu: deponit pignus, qui certat: & deponit pignus, qui rem ſuam ſeruandam tradit alienæ fidei. Sic *Horatius*, Quicquid habes, age, Depone tutis auribus. 1 tam charus non ſit. 2 Luſus eſt ex deriuatione verborum. 3 omni ex parte; nullus non valet omnis. 4 niſi quis morbus te vexat occultior, clandeſtinus.

Ita confido. *Eu.* Adest *ingenium* isto dignum corpore, felicissimum, & quale mihi optem ad liberales disciplinas. *Ca.* Si quod est, Dei munus est. *Eu.* Nec deest *morum* amabilis *gratia*, quam in felicissimis etiam formis non raro desideramus. *Ca.* Optarim equidem mores me dignos. *Eu.* Multorum animos deiecit generis infelicitas; tibi *parentes* sunt & bene nati, & probi, & re lauta, & tui amantissimi. *Ca.* Hinc nihil queror. *Eu.* Quid multis? Ego mihi ex omnibus puellis, quas habet hæc regio, non delegerim aliam sponsam, quam te, si quod sidus mihi prosperum affulgeret. *Ca.* Nec ego deligerem alium sponsum, si placeret vllum coniugium. *Eu.* Et tamen magnum quiddam esse debet [5], quod sic discruciat animum tuum. *Ca.* Est omnino non leue. *Eu.* Non ægre feres, si diuinem? *Ca.* Iam pollicita sum. *Eu.* Expertus noui, quanta crux sit amor. Age, fatere; nunc promisisti. *Ca.* Amor est in causa, sed non eius generis, cuius [6] tu suspicare. *Eu.* Quod genus tu mihi narras? *Ca.* Diuina [7]. *Eu.* Equidem consumsi omnem diuinationem meam. Et tamen non omittam hanc manum [8], donec extorsero quid sit. *Ca.* Vt violentus es! *Eu.* Depone in sinum meum*, quidquid istuc est curæ. *Ca.* Quando sic vrges, dicam. Iam inde a teneris annis me mirus quidam affectus habebat [9]. *Eu.* Quis, obsecro? *Ca.* Vt adiungerer collegio sacrarum virginum. *Eu.* Vt fieres monacha?

Ca.

5 oportet. 6 sc. generis. 7 Coniecta. 8 tuam, quam teneo. * Id est, secreta committe tacituro. 9 ego miram habebam propensionem, mirum affectum.

Ca. Sic habet. *Eu.* Hem! pro thesauro* carbones. *Ca.* Quid ais, Eubule? *Eu.* Nihil, mea lux; tussiebam: sed perge dicere. *Ca.* Huic animo meo[10] semper pertinacissime restitere Parentes. *Eu.* Audio. *Ca.* Ego contra precibus, blanditiis, lacrymis, oppugnabam Parentum pietatem[11]. *Eu.* Res mira. *Ca.* Tandem cum ego nullum facerem finem orandi, obsecrandi, obtestandi, lacrymandi, polliciti sunt, vbi peruenissem ad annum decimum septimum, sese obtemperaturos voluntati meæ, si modo tum idem perstaret[12] animus. Venit is annus, manet idem animus; parentes tamen contra promissum pernegant: hoc est quod discruciat animum meum. Aperui morbum meum: tu nunc medicum age, si quid potes. *Eu. Primum illud dabo consilium,* suauissima virgo, *vt modereris affectibus tuis, & si id non continget quod vis, id velis quod possis*[13]. *Ca.* Emoriar, nisi quod volo assequar. *Eu.* Et vnde cepisti istum fatalem[14] affectum? *Ca.* Olim admodum puella ducta sum in quoddam virginum collegium; circumducebamur, ostendebantur omnia: placebant virgines vultibus nitentibus, videbantur angelæ[15]: in templo nitebant omnia, atque etiam fragrabant, nitebant horti cultissimi. Quid multis? nihil non arridebat,

quo-

* Prouerbium, quum aliud inuenitur, quam expectabatur. **Da wirst du es recht treffen; da wirst du recht ankommen.** 10 sententiæ meæ, proposito meo. 11 pios Parentes. 12 perseueraret, maneret, esset. 13 Ὀυ δυνάμενος, ὃ θέλεις, θέλης ἃ δύνασαι. 14 violentum. 15 ostendit vocem ἄγγελος esse Generis communis, vt Θεὸς καὶ Θεά; & sic Nomen Substantiuum mobile ex Masc. in Fœminin.

quocunque vertebam oculos. Accedebant ad hæc blandiſſima virginum colloquia. Vnam atque alteram illic reperi, quicum [16] olim infantula luſitare conſueui. Ex eo tempore cœpit animus ardere eius vitæ deſiderio. *Eu.* Non ſum improbaturus ſacrarum virginum inſtitutum: quanquam non omnia conducunt omnibus: ſed habita tui genii ratione, quam mihi videor ex vultu, moribusque tuis collegiſſe, ſuaſerim, vt nubas marito tui ſimili [17], tuæque domi nouum inſtituas collegium, cuius maritus agat Patrem, tu Matrem. *Ca.* Emoriar citius, quam virginitatis propoſitum deſeram. *Eu.* Res eſt egregia virginitas, ſi pura ſit: ſed nihil neceſſe eſt, vt hac gratia [18] dedas te in collegium, vnde non poſſis poſtea eximi. Licet apud parentes virginitatem tueri tuam. *Ca.* Licet, at non perinde tuto. *Eu.* Imo, vt ego arbitror, aliquanto tutius quam apud illos craſſos, ſemper cibo diſtentos, monachos [19]. Nec enim caſtra-

16 cum quâ. Hinc verſus Leoninus:

Non de ponte cadit, quicum Sapientia vadit.

Pronomina enim: Qui & Quis, habent in Ablatiuo antique: a Qui, in omni Genere & Numero. Conf. Plaut. Capt. V, 4. 17 Similis & Diſſimilis Genitiuo iuncta ad animum referuntur; Datiuo appoſita ad externam figuram, aut faciem; iuxta Verſum:

Ille ſui *ſimilis* mores *qui ſeruat eosdem*;
Ille ſibi *ſimilis* faciem *qui ſeruat eandem.*

Si tamen ſermo ſit, non de Perſonis, ſed rebus, promiſcue hi Caſus vſurpantur. 18 hac de cauſa. 19 Quos bene perſtringit vetus illud Epigramma:

Vos Monachi, veſtri ſtomachi ſunt amphora Bacchi;
Vos eſtis, Deus eſt teſtis, deterrima peſtis.

castrati sunt, ne tu sis insciens. Patres vocantur, ac frequenter efficiunt, vt hoc nomen vere competat in ipsos[20]. Olim nusquam virgines honestius viuebant, quam apud Parentes; nec alium habebant Patrem, quam Episcopum. Sed obsecro, dic mihi, quod tibi collegium ex omnibus delegisti, cui te addicas [21] in seruitutem? *Ca.* Chrysercium*. *Eu.* Agnosco, aedibus paternis vicinum. *Ca.* Recte. *Eu.* Atqui pulchre noui totum hoc sodalitium, dignum vero, ob quod Patrem, ac Matrem, & cognatam tibi honestamque familiam repudies [22]! Nam ille patriarcha iam pridem & aetate & vino, & natura delirus est, nec illi quidquam iam sapit praeter vinum. Habet duos sodales se dignos, Ioannem & Iodocum. Quorum Ioannes, vt fortasse vir malus non est, ita nihil habet viri, praeter barbam; eruditionis ne pilum quidem, prudentiae non multo plus. Iodocus adeo stupidus[23] est, vt nisi veste sacra commendaretur, obambularet publicitus in cuculla fatui cum auriculis ac tintinnabulis. *Ca.* Mihi videntur viri boni. *Eu.* Melius istos noui, quam tu, mea Catharina. Isti fortasse sunt tibi patro-

20 iuxta illud Poëtae:

Non male sunt Monachis grata indita nomina Patrum,
Cum numerent natos hic & vbique suos.

21 adscribas, dedas, spondeas. * Fictitium nomen est: Videtur innuere collegium, quod est Gaudae, iuxta claustrum, quo naues excluduntur aut admittuntur. Fortasse componitur ex χρυσὸς καὶ ἕρκιον, Septum auri, quod aurum intra eius septa arcetur, χρυσέρκιον. 22 Ironice loquitur. 23 bardus, stultus, stolidus.

Patroni apud Parentes, vt efficiant te proselytam* suam. *Ca.* Iodocus maxime fauet. *Eu.* O fautorem! sed fac, istic nunc esse viros doctos ac bonos, cras erunt indocti ac mali; & quicunque obtigerint, tibi erunt ferendi. *Ca.* Offendunt me in ædibus paternis crebra conuiuia; nec semper virginea sunt quæ illic dicuntur inter conuiugatos. Et aliquoties fit, vt osculum negare non possim. *Eu. Qui vitare studet quidquid offendit, is e vita migret oportet. Ita sunt aures assuefaciendæ, vt audiant omnia, nec tamen nisi bona transmittant in animum.* Parentes, opinor, permittunt tibi cubiculum peculiare. *Ca.* Maxime. *Eu.* Eo te subducas licebit[24], si quod conuiuium acciderit turbulentius: & dum illi potant ac nugantur, tu confabula cum sponso tuo Christo; ora, psalle, gratias age. Non te inquinabit domus paterna, sed tu reddes eam puriorem. *Ca.* Attamen tutius est, esse in sodalitio virginum. *Eu.* Non improbo castum sodalitium; nolim tamen te falli falsa imaginatione. Vbi illic versata fueris aliquandiu, vbi propius inspexeris, fortassis non perinde nitebunt omnia, vt tibi quondam nitere videbantur. *Nec omnes virgines sunt*, mihi credo, *quæ velum habent*[25]. *Ca.*

Bo-

---

* Aduenam, quæ ex Christi verbis in professionem & sectam monachorum, inque illorum verba iurauit. Allusum simul ad locum Matth. XXIII. 24 **Dahin kanst du dich** retiriren/ **begeben/ machen**; Eo te conferas, facias, recipias licebit. 25 Tegmen siue flammeum, genus vestimenti lutei aut flaui coloris, seu flammei, quo amiciebantur nouæ nuptæ boni ominis causa; itemque Virgines Vestales aut Flamines. Peplum, Catapetasma. **Ein Flor/Gesicht-Decke/Hülle von Flor.**

Bona verba. *Eu.* Imo bona verba sunt, quæ vera sunt: nisi fortasse elogium [26], quod nos hactenus iudicauimus esse Virgini Matri proprium, ad plures transiit, vt dicantur & a partu virgines. *Ca.* Abominor. *Eu.* Quin insuper, nec alioqui inter illas virgines sunt omnia virginea. *Ca.* Non? Quam ob rem, obsecro? *Eu.* Quia plures inueniuntur, quæ mores æmulentur Sapphus *, quam quæ referant ingenium. *Ca.* Istuc quid sit, non satis intelligo. *Eu.* Atque ideo hæc verba facio, ne quando intelligas, mea Catharina [27]. *Ca.* Attamen animus eo fertur [28], atque hinc colligo, hunc spiritum a Deo proficisci, quod tot iam annis perseuerat, & indies fit acrior. *Eu.* Imo mihi hoc nomine suspectus est iste tuus spiritus, quod sic repugnant optimi Parentes. Afflasset & illorum animos Deus, si pium esset, quod moliris [29]. Sed istum spiritum hausisti ex illis nitoribus [30], quos admodum puella vidisti, ex blandis virginum alloquiis, ex affectu erga veteres sodales, ex cultu sacro, ex cæremoniis sane quam speciosis, ex improbis hortatibus stultorum monachorum, & qui in hoc [31] te venantur [32], vt largius potent. Sciunt,

---

26 laudem, encomium virginitatis post partum pluribus tribuere velimus. * Genitiuus est Græcus, sicut *Didus.* Huius ingenium mire prædicatur, sed mores infamantur, quod fuerit τριβὰς, Tribas, fricatrix mulier, quæ in sexum suum exercet libidinem. Id enim recte significatum est. 27 Multo plus in Scythis, incultæ barbariæ populo, vitiorum profuit ignoratio, quam in Græcis cognitio virtutis. Iustinus lib. II. c. 2. Histor. Philipp. 28 inclinat. 29 was du vorhast/ dein Vorhaben/ dein Anschlag/ Unternehmen; quod machinaris, conaris; quod propositum tibi est. 30 ornamentis, ex eo cultu, ornatu. 31 propterea, ideo, ad hoc. 32 aucupantur.

Sciunt, Patrem esse liberalem, ac benignum: aut illum habebunt conuiuam, sed hac lege, vt secum adferat vinum, quod decem strenuis potoribus * sat sit: aut ipsi potabunt apud illum. Quare tibi fuerim auctor, ne quid noui tentes inuitis Parentibus, in quorum potestate nos Deus esse voluit. *Ca.* In hoc negotio pium est contemnere Patrem, & Matrem. *Eu.* Christi causa pium est alicubi negligere Patrem, & Matrem: neque enim pie faciat, qui Christianus Patrem ethnicum, cuius omne vitæ præsidium pendeat a filio, deserat, sinatque perire fame. Si nondum esses professa Christum in Baptismo, & Parentes vetarent te baptisari, pie faceres, si Christum præferres impiis Parentibus. Aut si nunc Parentes adigerent ad impietatem aut turpitudinem, contemnenda esset illorum auctoritas. Sed quid hoc ad collegium? Et domi Christum habes. Natura dictat, Deus approbat, Paulus hortatur, leges humanæ sanciunt 33, vt filii obediant Parentibus: & tu te subduces ab auctoritate Parentum optimorum, vt pro vero Patre, te dedas factitio; & pro vera Matre, tibi adsciscas alienam: aut potius, vt pro Parentibus tibi

* Spectant huc Laurentii Agricolæ versus:

Qui velit immundum in mundo cognoscere mundum,
Exploret rasos, vestales atque cucullos.
Bis tres immensis abigunt clamoribus horas;
Quod superest ventri temporis omne datur.
Si quæris, quid agant? stertunt, potantque vacantque,
Ventris in his munus vertitur omne tribus.

33 est Exergasia cum Distributione.

tibi dominos ac dominas adsciscas [34]? Nam Parentibus ita es obnoxia, vt tamen te liberam esse velint. Vnde & *liberi vocantur filii familias, quod absint a conditione seruorum* [35]. Nunc te pro libera tendis vltro seruam reddere. Christiana clementia maxima ex parte submouit omnem illam veterum seruitutem, nisi quod in paucis regionibus adhuc resident vestigia. At inuentum est sub prætextu religionis nouum seruitutis genus, vt nunc sane in plerisque monasteriis viuitur. Nihil ibi licebit, nisi ex præscripto: quidquid obuenerit tibi, illis accrescet: si quo pedem móueris, retraheris [36] e fuga, perinde quasi Parentem veneno necaueris [37]. Quoque sit euidentior seruitus, commutant vestem, quam dedere Parentes, & ad exemplum priscum eorum, qui olim seruos essent mercati, commutant nomen [38] in baptismo inditum,

34 i. e. vt ex filia, seruam te & ancillam reddas; per variationem Logicam ex loco relatiue oppositorum, seu Prædicamento Relationis. Relata enim sunt simul, & de se inuicem prædicantur. Filia est Patris & Matris filia, Dominus & Domina est serui, seruæ & ancillæ Dominus & Domina. 35 Imperator Iustinianus Institut. lib. 1. tit. 3. de iure Personarum: Serui ex eo appellati sunt, quod Imperatores captiuos vendere, ac per hoc *seruare*, nec occidere solent. 36 En, quam solerter ostendat Prosodiam Præteriti atque Futuri discrepantem a Præsente Pass. 37 Nota Præteritum Verbi simplicis: Neco; quod est necaui pro antiquo: necui, in Compositis adhuc vsitato. 38 Pontificum primus nomen suum mutasse fertur Sergius II. Os porci s. Bucca dictus. Nominis a. in baptismo inditi mutationem improbat Dannhauerus in Mysteriosoph. Sect. II. Artic. I. p. 251. sqq. Elias Veielius, Vlmensis Theol. in Consi-

tum, ac pro Petro siue Ioanne, vocant Franciscum aut Dominicum, aut Thomam. Petrus dedit nomen Christo, & Dominico initiandus vocatur Thomas. Si militaris seruus abiiciat vestem a Domino datam, videtur abdicasse Dominum; & nos applaudimus illi, qui vestem accipit, quam Christus omnium Dominus non dedit: & ob hanc mutatam grauius punitur, quam si centies abiiciat vestem Imperatoris ac Domini sui, quae est mentis innocentia. *Ca.* Atqui hoc ipsum aiunt eximii meriti, si quis se sponte dedit in hanc seruitutem. *Eu.* Ista vero doctrina Pharisaica est. Paulus contra docet, vt qui liber vocatus sit, ne velit fieri seruus, sed potius operam det, vt fiat liber. Atque hoc infelicior est seruitus, quod pluribus Dominis tibi seruiendum sit, quod plerumque stultis & improbis, quod incertis, ac subinde nouis. Illud mihi responde: Emancipant * te leges a iure Parentum? *Ca.* Nequaqam. *Eu.* Licetne igitur tibi emere aut vendere fundum inuitis Parentibus? *Ca.* Minime. *Eu.* Vnde igitur tibi ius, vt te ipsam dedas nescio quibus, inuitis Parentibus? An non tu illis carissima, maximeque propria es possessio? *Ca.* In negotio pietatis cessant naturæ leges.

deratione Anabaptismi Monachalis §. 30. & 34. & ex ipsis Pontificiis Michaël Marollius, ab Adriano Baileto P. I. c. 5. p. 51. citatus; vt obseruat doctiss. Iohannes Mollerus in Homonymoscop. Sect. III. cap. II. §. 2. Dannhauerus autem Apostaticam esse dicit & signum defectionis a Christo ad Anti-Christum. Seruus cum nomen a Domino impositum deponit, hoc ipso Domino renunciat. Impium in Parentes esse dicit, quorum ius hoc ipso declinant iuuenculi Monachi. * Hoc est, manumittunt, libere viuere sinunt.

leges. *Eu.* Negotium pietatis potissimum agitur in baptismo: heic tantum agitur de veste mutanda, deque genere vitæ, quod per se neque bonum est, neque malum. Iam illud mihi considera, quantum commoditatum simul amittas cum libertate. Nunc tibi liberum est in tuo cubiculo legere, orare, psallere [39], quantum & quando gratum est animo tuo. Quod si tædet cubiculi, licet audire cantiones ecclesiasticas, adesse sacris, audire sacras conciones: &, si quam videris matronam, aut virginem egregie probam, ex eius colloquio fieri meliorem: si quem virum insigni probitate præditum, ex eo discere [40], quod te reddat meliorem: licebit & concionatorem deligere, qui purissime Christum doceat. Has res omneis, ex quibus præcipuus est profectus ad veram pietatem, amittis semel addicta [41] collegio. *Ca.* Sed interim non ero monacha. *Eu.* Adhuc te mouent nomina? Rem ipsam perpendito. Illi iactant obedientiam. Num ea laus tibi deerit, si obedias Parentibus tuis, quibus Deus iubet obediri? si Episcopo tuo & pastori tuo? Num paupertatis, cum in Parentum manibus sint omnia? Quanquam olim in sacris virginibus præcipue laudabatur a sanctis viris liberalitas in pauperes: eam præstare non poterant, si nihil possidebant. Porro castitati tuæ nihil decedet, etiam si viuas apud Parentes. Quid igitur superest? Velum, linea vestis ex intima versa in ex-

39 Hymnos in honorem & laudem Dei siue ore, siue Musico instrumento læte canere. 40 licet. 41 si fueris.

extimam [42], cæremoniæ quædam, quæ per se nihil faciunt ad pietatem, neque quenquam commendant oculis Christi, qui spectat animi puritatem. *Ca.* Noua prædicas. *Eu.* Sed verissima. Cum non sis emancipata [43] a iure Parentum, cum tibi ius non sit vendendi vestem aut agrum, quo modo tibi ius facis dedendi te in seruitutem alienam? *Ca.* Ius Parentum, vt aiunt, non impedit ingressum religionis. *Eu.* In baptismo nonne professa es religionem? *Ca.* Sum. *Eu.* Nonne religiosi sunt, quicunque sequuntur præcepta Christi? *Ca.* Maxime. *Eu.* Quæ est igitur ista noua religio, quæ facit irritum, quod & naturæ lex sanxit, & vetus lex docuit, & Euangelica lex comprobauit, & Apostolica doctrina confirmauit? Isthuc decretum non est a Deo proditum, sed in monachorum senatu repertum. Sic definiunt quidam, & matrimonium esse ratum, quod insciis, aut etiam inuitis, Parentibus inter puerum & puellam per verba de præsenti (sic enim illi loquuntur) contractum est. Atqui istud dogma nec naturæ sensus approbat, nec veterum leges, nec Moyses ipse, nec Euangelica, aut Apostolica doctrina. *Ca.* An igitur putas, mihi non esse fas nubere Christo, nisi comprobantibus Parentibus? *Eu.* Iam, inquam, nupsisti Christo, & illi nupsimus omnes. Quæ bis nubit eidem viro? Tantum agitur de loco, de veste, de cæremoniis. Ob has res non arbitror esse contemnendum ius Parentum. Et videndum est, ne, dum paras nubere Christo, nu-

42 ein umgewendetes / verdrehetes Kleid / da das inwendige auswendig gekehret worden. 43 manumissa, libera, extra potestatem patriam.

nubas aliis *. *Ca.* At isti prædicant, nihil esse sanctius, quam heic contemnere Parentes. *Eu.* Ab istis igitur doctoribus exige, vt proferant aliquem e sacris libris locum, qui hoc doceat: quod si non poterunt, iubeto eos ebibere calicem vini Belnensis *; hoc poterunt. *Ab impiis Parentibus ad Christum confugere, pietatis est.* Sed a piis ad monachismum, hoc est, (quod non raro vsu venit) a probis ad improbos, quæ, rogo, pietas est? Quanquam & olim ad Christum a paganismo conuersus, idololatris Parentibus debebat obsequium, quatenus citra pietatis iacturam fieri poterat. *Ca.* Damnas igitur hoc totum vitæ institutum? *Eu.* Nequaquam. Verum quemadmodum nemini suadere velim, vt, quæ se in hoc vitæ genus coniecit, luctetur emergere: ita non dubitem hortari puellas omneis, præsertim indolis generosæ, ne se temere eo præcipitent, vnde post sese non possint explicare, præsertim cum in ipsis collegiis sæpe grauius periclitetur virginitas 44, ac domi præsta-

* Hoc dicit propter collegia virginum, quæ non viuunt iuxta regulam, in quibus nonnunquam, proh dolor! vna nubit multis; quod de Gilbertinis in Anglia Monachabus scripsit Nigellus:

Harum sunt quædam steriles, quædam parientes,
Virgineoque tamen nomine cuncta tegunt.
Quæ pastoralis baculi dotatur honore,
Illa quidem melius fertiliusque parit.
Vix etiam quæuis sterilis reperitur in illis,
Donec eius ætas talia posse negat.

* Belna oppidum in ducatu Burgundiæ, vbi vina laudatissima. 44 Namque vt est in tritis illis versiculis:

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis Monachus plenaque fraudis anus.

ſtare valeas, quicquid ibi præſtatur. *Ca.* Vrges [45] tu quidem multis ac magnis argumentis; tamen hic affectus meus eximi non poteſt. *Eu.* Si non perſuadeo, quod tamen optatim, ſaltem illud fac memineris, Eubulum * monuiſſe. Interim pro meo in te amore precor, vt tuus iſte affectus felicior ſit meo conſilio.

VIRGO POENITENS.

EUBULUS, CATHARINA.

Eu. TAles ianitrices mihi ſemper optarim. *Ca.* Et ego ſemper tales pulſatores. *Eu.* Sed vale, Catharina. *Ca.* Quid ego audio? Valebo prius quam ſaluẽam [1]? *Eu.* Non huc veni, vt te viderem lacrymantem. Quid ſibi vult, quod protinus me conſpecto [2] lacrymis ſuffuſi ſunt oculi? *Ca.* Quo fugis? mane, mane inquam [3]; ſumam alium vultum, & ridebimus affatim. *Eu.* Quas aues heic video? *Ca.* Eſt illius collegii patriarcha. Ne ſubducito te, iam perpotarunt [4]; accumbe paullisper; illo digreſſo [5] confabulabimur noſtro more. *Eu.* Age obtemperabo tibi, quæ mihi noluiſti. [6] Nunc ſoli ſumus, narra totam

45 du bringeſt mirs wohl ſehr nah: / du ſetzeſt mir zu/ du dringeſt auf mich. Oppugnas, euincis. * Qui bene conſulit.

1. Salue & Aue ſalutationes ſunt venientis: Vale recedentis. Valla lib. VI, c. 20. Germ. GOtt grüſſe dich! GOtt behütte dich. 2 ex quo me conſpexiſti, ego tibi conſpectus ſum. 3 ſiſte gradum, expecta, perſiſte, conſiſte. 4 Sie ſind durch aus bezecht/beſoffen/ berauſcht. Per enim auget ſignificationem Simplicis. Sie haben ſtarck getruncken/ ſtattlich geſoffen. 5 cum fuerit digreſſus; wenn er fort ſeyn wird. 6 ſcil. obtemperare.

tam fabulam; malim enim ex te cognoscere. *Ca.* Ex tot amicis, quos putabam sapere plurimum, nunc sentio nullum fuisse, qui mihi prudentius ac *sanilius* consilium dederit, quam tu omnium *natu minimus* [7]. *Eu.* Dic, quo modo expugnasti Parentum affectum? *Ca.* Primum improbis [8] hortatibus monachorum, ac monacharum [9]: deinde etiam meis precibus ac blandimentis labefactus [10] est matris animus: pater nullo pacto quibat perpelli. Tandem omnibus admotis machinis [11] & hic victus & oppressus est potius, quam assensit. Id factum est inter pocula: minitabantur homini malum exitium, si Christo suam sponsam pernegaret. *Eu.* O improbitatem stolidorum! Quid fit deinde? *Ca.* Seruor triduo domi clam: interim semper aderant mulieres aliquot eius collegii, quas illi Conuersas vocant, hortatibus suis addentes animum, vt persisterem in sancto proposito, ac solicite cauentes, ne qua cognatarum, aut sodalium adiret me [11], quæ mentem videretur mutatura. Interim adornabantur vestes, aliaque quæ ad conuiuium attinebant [12]. *Eu.* Tibi quid interim erat

7 Virtutis, quam ætatis cursus quandoque est celerior vt inquit Cic. 5, Philipp. c. 17, nec semper, sed vt plurimum temeritas est florentis ætatis, prudentia senescentis; quod idem Cic. de Senectute cap. VI. habet. Plerique senium ne in senectute quidem adipiscuntur, qui etiam senes vitia retinent puerorum, vt loquitur Crucius lib. IV. ep. XI. p. 336. Mercurii Bataui. 8 malignis, sæuis, asperis. 9 ὁ καὶ ἡ μόναχος. 10 inflexus, fractus. 11 technis. Sie haben alle Künste/ Schrauben/ Machinen versucht/ aus allen Gewehren gefochten. 11 veniret, accederet ad me. 12 pertinebant, requirebantur, necessaria erant.

erat animi [13]? Num vacillabas [14]? *Ca.* Non, ſed paſſa ſum quiddam tam horrendum, vt malim emori [15] decies, quam iterum perpeti [16]. *Eu.* Quæſo, quid iſtuc erat? *Ca.* Non poſſum, effari. *Eu.* Quod mihi dixeris, amico tuo dixeris. *Ca.* Promittis ſilentium? *Eu.* Id præſtaturus eram, etiamſi nulla fuiſſes ſtipulata. Quaſi vero me nondum noris? *Ca.* Apparuit mihi ſpectrum horribili ſpecie. *Eu.* Is nimirum erat genius tuus malus, qui te eo inſtigabat. *Ca.* Prorſus opinor fuiſſe cacodæmonem. *Eu.* Dic mihi, quæ ſpecies erat? Eſtne talis, qualis pingitur? roſtro adunco, longis cornibus, harpyiarum vnguibus, prælonga cauda? *Ca.* Tu ludis. At ego malim mihi [16] terram dehiſcere, quam denuo tale videre ſpectrum. *Eu.* Interim aderant illæ mulieres hortatrices? *Ca.* Non; nec unquam illis indicaui, tametſi valde ſciſcitantibus [17] quid eſſet mali, cum me totam exanimatam offenderent. *Eu.* Vis tibi dicam quid fuerit? *Ca.* Si quidem potes. *Eu.* Illæ mulieres incantauerant te, vel potius excantauerant tibi cerebrum. Sed interim tu perſiſtebas in ſententia? *Ca.* Maxime: nam aiebant, id multis accidere, qui ſe conſecrant Chriſto: verum ſi primo illo congreſſu ſuperetur tentator, poſt tranquilla fore omnia. *Eu.* Qua pompa producta es [18]? *Ca.* Ador-

13 Wie war dir zu Muthe? quis tibi erat animus? quomodo interim animata, affecta eras. 14 nutabas, mobilis eras, mutabilis. 15 pro moriri, quod rarius eſt. 16 ſuſtinere, perferre. 16 Datiuus incommodi, i. e. meo damno, mihi in damnum, in terriculamentum, hiare incipere. 17 ſciſcitabantur, percontabantur. 18 Qua ſolennitate in ſcenam te eduxerunt, produxerunt?

Adornant me toto mundo [19] meo: demittunt capillos: itaque non aliter quam nuptura sponso [20]. *Eu.* Crasso * monacho: hem! male sit huic tussi [21]. *Ca.* Ex ædibus paternis clara luce [22] deducor ad collegium, multis ad spectaculum concurrentibus. *Eu.* O scitos histriones, vt norunt agere suas fabulas simplici popello [23]! Quot dies egisti in illo sancto virginum collegio? *Ca.* Ferme duodecim. *Eu.* Sed quæ res verterat animum tuum tam pertinacem? *Ca.* Non dicam quid sit, sed aliquid magni fuit. Post sex ab [24] ingressu dies accerso Matrem, obtestans, obsecrans [25], si me viuam vellet, vt me eximeret ab eo collegio. Illa reluctatur animo meo, & hortatur ad constantiam. Post accerso Patrem. Ille etiam obiurgat, addens, se ægre vicisse suos affectus; vt [26] vicissim nunc vincerem animum meum, nec hoc dedecus conciliarem sibi, quod resiliissem ab instituto. Tandem vbi video, me nihil proficere, respondeo Pa-

19 ornatu, cultu muliebri. 20 eram, videbar. * Hoc dicit auersus, & fingit tussim. 21 Ey / mit dem schelmischen Husten! mit Husten / mit all! 22 bey hellem Tage-Liecht. 23 Deminutiuum a populus das Völcklein / kleine Volck / arme Volck / gute Völcklein / der gemeine Mann; vt Ocellus ab Oculus, das Aeuglein; in quibus formandis vsus respiciendus est; non enim statim, quod regulariter fit, etiam in vsu est. Sic ab Asinus recte dicitur Asellus, non item a Dominus, Dominellus. Adhibetur autem hic Deminutiuum Popellus, non adeo ad significandam rei paruitatem, quam potius contemtus indicandi causa, in quo versantur Laici apud Pontificium Clerum. 24 notat terminum a quo; a tempore ingressus. 25 est Synonymia. 26 Vt hic vel abundat; vel Volendi verbum præsupponendum; Velle, vt.

Parentibus, me, si ita iubeant, in gratiam illorum morituram. Nam hoc mihi certum esse, nisi mature [27] eximerer. Hoc audito, reduxerunt domum. *Eu.* Bene habet, quod mature resilieris, prius quam seruitutem æternam esses professa [28]. Sed nondum audio, quæ res mutarit animum tuum tam subito. *Ca.* Hoc nemo mortalium ex me scit [29] hactenus, nec tu scies. *Eu.* Quid si diuinem? *Ca.* Nec diuinabis, sat scio: &, si diuines, non dicam. *Eu.* Tametsi coniecto? Verum interim periit sumptus [30]. *Ca.* Plus quam quadraginta coronati [31]. *Eu.* O comessatores * nuptiales! Gaudeo tamen periisse pecuniam, te nobis incolumi [32]: posthac ausculta melioribus consiliis [33]. *Ca.* Ita faciam, & cum piscatore, icta sapiam.*

Vxor

27 tempestiue, quantocyus, ocyssime, opportune, quam primum, proximo quoque tempore, proxima quaque occasione. 28 seruituti æternæ te obstrinxisses, mancipasses, addixisses, ehe du dich zu einer ewigen Knechtschafft verstanden/ erkläret hast. Plusquamperf. Coniunct. pro Indicat. ponitur per Enallagen Modorum & ob harmoniam Constructionis, quod proxime præcessisset Coniunctiuus: resilieris. 29 resciuit, audiuit. 30 Singularis pro Plurali per Enallagen Numeri: periere sumptus, impensæ. 31 scil. perierunt, perditi sunt, amissi sunt. * Comus, Deus est luxus: inde κωμάζειν, & latine, comessari, quod est genialiter & cum luxu viuere. Non enim dicitur a comedendo. 32 existente; ita, vt tu nobis incolumis existas. 33 Auscultandi verbum est inter ea, quæ pro diuersa significatione diuersos casus adsciscunt. Ausculto tibi, id est, obtempero, obedio; Ausculto te, id est, audio, attendo. Ich höre auff dich; höre dir zu/ dich an/ vernehme dich über etwas. Sic æmulor tibi, i. e. inuideo, Ich bin dir mißgünstig; æmulor te, i. e. imitor. Ich thue dir gleich/ nach/ richte mich nach deinem Exempel / will dir nichts zu voraus lassen. * Vide prouerbium, Piscator ictus sapit, vbi quis suo malo doctus sapit.

VXOR ΜΕΜΨΙΓΑΜΟΣ[1], SIVE CONIVGIVM.

EVLALIA *, XANTIPPE **.

Eu. SAlue multum, exoptatissima mihi Xantippe. *Xa.* Salue tantundem, mihi carissima Eulalia. Videre mihi solito formosior. *Eu.* Itane statim me scommate[2] excipis? *Xa.* Non profecto, sed ita mihi videris. *Eu.* Fortasse noua vestis commendat formam. *Xa.* Recte coniectas. Nihil iam diu vidi elegantius. Suspicor pannum esse Britannicum. *Eu.* Lana Britannica est, tinctura Veneta. *Xa.* Mollities byssum[3] superat. Quam vero blandus purpuræ color! Vnde tibi tam egregium munus? *Eu.* Vnde decet honestas matronas accipere, nisi a maritis suis? *Xa.* O te felicem, cui talis contigit sponsus! At ego vellem me nupsisse fungo *, cum meo nuberem Nicolao[4]. *Eu.* Quid ita, quæso te? tam cito male conuenit[5] inter vos? *Xa.* Nec vnquam conuenit cum tali. Vides quam

1 Μέμψις Questus, a μέμφομαι conqueror; γάμος Nuptiæ, a γαμέω vxorem duco. Hinc Μεμψίγαμος est conquerens de coniugio, aut nuptiis celebratis. * Probe ac suauiter loquens. ** Rixosa, quod Socratis vxor Xantippe hoc vitio sit nobilitata. 2 morsu figurato, tecto, clandestino. 3 Purpur/Scharlach/ Sammet und Seyde. * Fungos appellamus homines stultos ac nihili. 4 pro meo Nicolao, vice mei Nicolai. 5 Conuénit. Perf. producta penult. vt commonefaciat de differentia Præsentis in huiuscemodi Verbis ratione Quantitatis Prosaicæ. Mox enim subiungit Xantippe in Præsenti Conuĕnit, penultima correpta. Adde quod disparitatem Constructionis Syntacticæ simul prodat: Conuenit inter; Conuenit cum. Seyd ihr so bald unter euch uneins worden / zu hauffe kommen? Ich stimme niemals mit einem solchen.

quara sim pannosa [6]; sic patitur vxorem suam incedere: disperc am, nisi sæpe pudet me prodire in publicum, cum video quam cultæ sint aliæ, quæ multo pauperioribus nupsere maritis. *Eu.* Matronarum ornatus non est in vestibus, aut reliquo corporis cultu, quemadmodum docet diuus Petrus Apostolus *, (nam id audiui nuper in concione) sed in cast s ac pudicis moribus, & in ornamentis animi. Meretrices coluntur oculis multorum. Nos satis cultæ sumus, si placeamus vni marito. *Xa.* Sed interim ille bonus vir, tam in vxorem parcus, strenue prodigit dotem, quam ex me non mediocrem accepit [7]. *Eu.* Quibus rebus? *Xa.* Quibus ipsi visum fuerit, vino, scortis, alea. *Eu.* Bona verba. *Xa.* Atqui sic res habet. Deinde cum mihi temulentus ad multam noctem redit domum diu expectatus, destertit noctem totam, nonnunquam & lectum cōnuŏmens [8], vt ne quid addam [9]. *Eu.* St*. te ipsam dehonestas, cum dehonestas maritum. *Xa.* Emoriar, nisi mallem dormire cum scropha [10], quam cum tali ma-

6 sordido crassoque panno vestita, tecta. * 1. Pet. III, 3.
7 mein eingebrachtes Gut/ was ich zur Mit-Gifft / Mitgabe bekommen und zu ihm bracht habe/ so gewiß ein ehrliches/ nicht was weniges / geringes austräget/ gewesen ist. 8 Cónuŏmo, cónuŏmis, connuŏmit; penult. breui. Sic ex vomo, ui, itum, ere, Composita reliqua: Euŏmo, intéruomo, réuomo. Inseparabilis Partic. Con, idem hic est, quod Germanorum Syllaba, Be/ ich bespeye/ er bespeyet. 9 das andere mag ich nicht sagen/ vt cætera taceam. * Interiectio est innuens silentium: sic enim docti legendum censent illud in Phormione *Terentii*, Act. 5. scen. 1 Non es obsecro, quem semper te esse dictitasti *Co.* St. *So.* Quid has metuis fores? Quo loco pro St, deprauate legitur, Est. 10 porca, sue, quæ multos porcos peperit, eine alte Sau.

marito. *Eu.* Non tu tum illum excipis iurgio [11]? *Xa.* Ita vt dignus est: sentit, me non esse mutam. *Eu.* Quid ille contra? *Xa.* Initio reclamabat sæuissime, credens fore vt me sæuis verbis protelaret [12]. *Eu.* Nunquamne rixa incruduit [13] vsque ad verbera? *Xa.* Semel duntaxat eo incaluerat vtrinque contentio, vt minimum res abfuerit a pugna [14]. *Eu.* Quid ego audio? *Xa.* Librabat fustem, sæuis interim clamoribus intonans, ac dira minitans. *Eu.* Non ibi metuebas tu? *Xa.* Imo vicissim ego corripiebam [15] tripodem: si contigisset [16] me digito, sensisset, mihi non deesse manus. *Eu.* Nouum clypei genus. Deerat colus [17] lanceæ vice. *Xa.* Sensisset, sibi cum viragine rem esse. *Eu.* Mea Xantippe, non ita decet. *Xa.* Quid decet? Si ille me non habet pro vxore, nec illum habitura sum pro marito. *Eu.* At Paulus docet, vxores oportere subditas esse viris cum omni reuerentia. Et Petrus nobis exemplum proponit Saræ, quæ maritum suum Abraham Dominum appellabat. *Xa.* Audiui ista. Sed idem Paulus docet, vt viri diligant vxores suas, sicut Christus dilexit sponsam suam Ecclesiam. Memine-

11 An non tunc tu conuitiis ipsum inclamas, proscindis, inuadis, castigas? 12 abigeret, deterreret, propelleret longe. 13 Incrudesco est Inchoatiuum Nominale ex crudus, Roh/ grob s. ex obsoleto: Crudeo; incruduit, i. e. inualuit, aucta est, excreuit. 14 daß es bey nahe zum Hand-Gemenge / zum Streite / zum Kampffe kommen wäre; daß es nicht viel gefehlt / es wäre zum Hand-Gemenge / zu Schlägen kommen. 15 arripiebam subito. 16 attigisset, tetigisset. 17 Rocken. colus molli lana amictus. Ein Spinn-Rocken mit welcher Wolle angelegt.

nerit ille officii sui, ego meminero mei. *Eu.* Sed tamen vbi res in eum statum deuenit, vt alteri cedendum sit, æquum est vxorem marito cedere. *Xa.* Si modo ille maritus est appellandus, qui me habet pro ancilla. *Eu.* Sed dic, mea Xantippe, post desiit minitari verbera? *Xa.* Desiit, & sapuit, alioqui vapulasset. [18] *Eu.* Sed tu non desiisti rixari cum illo? *Xa.* Nec desinam. *Eu.* Quid ille interea? *Xa.* Quid? nonnunquam dormit, somnium hominis [19]; interdum nihil aliud quam ridet; aliquoties arripit testudinem [20], in qua vix tres habet fides [21]: eam quantum potest pulsans, mihi vociferanti obstrepit. *Eu.* Ea res male vrit te [22]. *Xa.* Sic vt dici vix possit. Aliquando vix tempero a manibus. *Eu.* Mea Xantippe, permittis mihi vt liberius loquar apud te? *Xa.* Permitto. *Eu.* Idem ius erit tibi apud me. Hoc certe postulat nostra necessitudo, ab ipsis pæne incunabulis [23] inter nos inita. *Xa.* Vera narras, nec vlla sodalium vnquam carior fuit animo meo. *Eu.* Qualisqualis est tuus maritus [24], illud cogita, non esse ius permutandi [24]. Olim immedicabilibus dissidiis [25] remedium extremum erat diuortium: nunc hoc in totum ademtum est: vsque ad extremum vitæ diem ille tuus sit maritus oportet, & tu illius vxor.

Xa.

18 percussus fuisset, verbera passurus fuisset. 19 Der Träumer/ i. e. homo somnolentus per τὸ διὰ δυοῖν. 20 Die Laute Chalyn, citharam. 21 chordas. Fides, fidis, eine Säyte/ Fides fidei der Glaube. 22 discruciat, dolore afficit. 23 incunabula, orum, Plurale tantum 2. Declin. die Wiege. 24 dein Mann sey auch wie er will/ mag so schlimm seyn/ als er will. 24 Du must dir ihn behalten/ darffst ihn nicht vertauschen/ verhan- 25 in insanabilibus discordiis.

Xa. Superi male faxint [26], qui ius hoc nobis ademerunt. *Eu.* Bona verba, sic visum est Christo [27]. *Xa.* Vix credo. *Eu.* Sic habet. Nunc nihil superest, nisi vt vterque ad alterius mores & ingenium accommodando sese [28], concordiæ studeatis. *Xa.* An ego possum illum refingere [29]. *Eu. Non minimum momenti est in vxoribus, quales sint mariti. Xa.* Pulcre conuenit tibi cum tuo? *Eu.* Nunc tranquilla omnia. *Xa.* Ergo turbarum nonnihil erat initio. *Eu.* Nihil vnquam tempestatis; sed tamen, vt fit inter homines, nonnunquam nubeculæ quædam [30] oboriebantur, quæ poterant gignere tempestatem, nisi commoditate morum fuisset occursum [31]. *Habet suos quisque mores, & est sua cuique sententia: &, si verum fateri volumus, sunt suo cuique vitia, quæ si vsquam, certe in matrimonio nouisse* oportet, non odisse. Xa.* Recte mones. *Eu.* Fit autem frequenter, vt dissiliat beneuolentia mutua inter maritum & vxorem, antequam alter alteri satis notus sit**. Id est in primis cauendum. *Semel enim orta simultate, ægre sarcitur gratia, præsertim si res ad atrocia conuicia processerit.* Quæ glutino committuntur, si statim concutias, facile distrahuntur: cæ-

26 fecerint. Perf. Subiunct. pro Indicat. fecerunt. 27 Matth. XIX, 8. 28 vos accommodetis. 29 alium formare, effingere. Umgiessen/ anders machen. 30 cito transituræ; vt de Iuliani persecutione loquebatur Athanasius. 31 wenn man sich nicht drein zu schicken / zu finden gewust hätte. * Allusit ad versiculum prouerbialem *Mores amici noueris, non oderis.* ** Hoc Plutarchus in præceptis connubialibus.

cæterum vbi ſiccato glutino ſemel cohæſerint, nihil firmius. Proinde in initio nihil non faciendum, vt inter vxorem & maritum coaleſcat confirmeturque beneuolentia. Id maxime fit obſequio, morumque commoditate. Nam *beneuolentia quæ ſola formæ gratia conciliatur, ferme temporaria eſt.* *Xa.* Sed narra nobis, obſecro, quibus artibus pertraxeris maritum ad tuos mores [32]. *Eu.* Dicam in hoc, vt imiteris. *Xa.* Si queam. *Eu.* Facillimum erit, ſi velis; nec adhuc ſerum eſt. Nam & ille iuuenis eſt, & tu puella, ac nondum annus, opinor, expletus eſt a nuptiis. *Xa.* Vera prædicas. *Eu.* Dicam igitur, ſed taciturae. *Xa.* Maxime. *Eu.* Illa prima mihi cura fuit, vt in omnibus eſſem iucunda marito, ne quid eſſet, quod illius animum offenderet: obſeruabam affectum ac ſenſum illius: obſeruabam & tempora, & quibus rebus deliniretur, quibus irritaretur, quemadmodum facere ſolent ii, qui elephantos ac leones cicurant [33], aut ſimilia animantia, quæ vi cogi non poſſunt. *Xa.* Tale animal mihi domi eſt. *Eu.* Qui adeunt elephantos, non geſtant veſtem candidam; nec puniceam [34], qui tauros [35]: quod his coloribus compertum ſit ea animantia efferari. Quemadmodum & tigres tympanorum ſonitu ſic aguntur in rabiem, vt ſe ipſas dilanient. Et qui tractant equos, habent voces*, habent poppyſmata** & pal-

32 ad tuas partes, auf deine Seite gebracht. 33 Cicuro a cicur cicŭris. Ich mache zahm/ schmeidig/ zähme. 34 ſcil. geſtant. 35 ſcilic. adeunt. * Ad vocem hominis equi redduntur mitiores. ** Poppyſma ſonitus eſt, propemodum imitans ventris crepitum, qui fit ore, aut manibus apte com-

palpum *, aliaque quibus ferocientes mitigent. Quanto magis decet nos his artibus vti erga maritos, quibuscum nobis, velimus nolimus[36], per omnem vitam est tectum ac lectus communis? *Xa.* Perge quod cœpisti [37]. *Eu.* His animaduersis, attemperabam [38] me illi; cauens ne quid offensæ [39] nasceretur. *Xa.* Qui nam id poteras? *Eu.* Primum in cura rerum domesticarum, quæ peculiaris est prouincia [40] matronarum, aduigilabam [41], non solum cauens, ne quid esset prætermissum, verum etiam vt omnia congruerent ad illius sensum in rebus etiam minutissimis. *Xa.* Quibus? *Eu.* Puta, si maritus hoc aut illo cibo peculiariter delectetur, si cibus placeat hoc aut illo modo coctus, si lectus hoc aut illo modo stratus. *Xa.* At quo pacto attemperares te ei qui domi non esset, aut esset ebrius? *Eu.* Mane isthuc [42] ibam. Si quando maritus videbatur admodum tristis, nec esset appellandi [43] tempus, nequaquam ridebam ac nugabar, quemadmodum nonnullæ mulieres

plosis, non sine humore. Autore Plinio, fulgetras adorare poppysmate, gentium olim consensus erat: vnde est illud *Aristophanis*, Πρὸς τὰς βροντὰς ἀποπερδεῖν. * De Palpo *Horatius*: Cui male si palpere, recalcitrat. Palpari autem, est vola leuiter percutere tergum equi ferocientis. 36 volentibus nolentibus; siue nolimus, siue velimus. 37 sc. continuare; vel: in eo perge, quod cœpisti. 38 accommodabam. 39 simultatis, inimicitiæ, odii. 40 quod peculiare est officium, negotium. 41 sedulo vigilabam. 42 ad eum accedebam. 43 colloquendi, confabulandi occasio, opportunitas.

res ſolent: ſed ſumebam & ipſa vultum ſubmœſtum [44] ac ſolicitum. *Quemadmodum enim ſpeculum, ſi probum eſt, ſemper reddit imaginem intuentis: ita decet matrem familias ad affectum mariti congruere, ne ſit alacris illo mœrente, aut hilaris illo commoto.* Quod ſi quando commotior erat, aut blando ſermone leniebam [45], aut ſilentio concedebam [46] iracundiæ, donec ea refrigerata* tempus ſe daret [47] vel purgandi, vel admonendi. Idem faciebam, ſi quando plus æquo [48] potus redibat domum, nec id temporis niſi iucunda loquebar illi: tantum [49] blanditiis pertrahebam [50] ad lectum. *Xa.* Infelix vero vxorum conditio, ſi iratis, ebriis, & quicquid libet patrantibus maritis tantum [51] obſequentur. *Eu.* Quaſi vero hoc non ſit mutuum [52] obſequium. Coguntur & illi multa ferre in moribus noſtris. Eſt tamen tempus, cum in re ſeria fas eſt vxori monere virum, ſi quid eſt alicuius momenti: nam ad leuia [53] præſtat [54] conniuere *. *Xa.* Quod tandem? *Eu.* Cum erit ani-

44 aliqua ex parte mœſtum, non valde mœſtum. Sub enim in Compoſitione minuit ſignificationem, vt ſubtriſtis, ſubrideo, ſubfuſcus, ſubobſcure. Germ. dicit: Ein wenig/ etwas/ einiger maſſen. 45 ſedabam, placabam, mitigabam. 46 cedebam. Compoſitum pro Simplici. * Id eſt, vbi refrixit, ſiue deferbuit. Ita *Fabius*: Refrigerato inuentionis amore. Sic & recanduiſſe dicitur ira. 47 offerret, præberet, manifeſtaret, exhiberet. 48 plus quam æquum eſt, iuſto largius. 49 ſaltem, ad minimum. 50 pelliciebam in. 51 ſolummodo, vnice, non niſi. 52 reciprocum, eines vmb andre/ keines umſonſt; Wechſel / Gehorſam. 53. res nauci, nihili, flocci, parui. 54 ſatius, melius eſt. * Id eſt, quaſi clauſis oculis diſſimulare & non videre quæ vides.

animo vacuo [55], nec commotus, nec ſolicitus, nec potus, tum abſque teſtibus [56] blande monendus vel rogandus potius, vt in hoc aut illo melius conſulat rei, aut famæ, aut valetudini ſuæ. Atque hæc ipſa admonitio leporibus ac facetiis erit condienda. Nonnunquam præfatione ab illo ſtipulari ſoleo, ne mihi ſuccenſeret, ſi quid ſtulta mulier admonerem, quod ad illius honorem, aut valetudinem, aut ſalutem facere videretur. Vbi monuiſſem quæ volebam, amputaui [57] ſermonem illum, & ad alia iucundiora deflectebam [58]. Eſt enim fere hoc noſtrum vitium, mea Xantippe, vt ſemel exorſæ loqui, finem facere nequeamus. *Xa.* Aiunt. *Eu.* Illud inprimis cauebam, ne præſentibus aliis maritum obiurgarem, aut ne quid querelarum domo efferrem. Facilius ſarcitur, ſi quid inter duos commiſſum eſt. Quod ſi quid extiterit eius generis, vt nec ferri poſſit, nec vxoris admonitione ſanari, ciuilius eſt, vt vxor querelam deferat ad parentes & cognatos mariti, quam ad ſuos, & ita querelam temperet, ne videatur odiſſe maritum, ſed vitium potius mariti. Nec tamen effutiat [59] omnia, vt hic quoque tacitus agnoſcat & amet vxoris ciuilitatem. *Xa.* Philoſopham eſſe

55 libero, rite diſpoſito, *recht aufgeräumt.* 56 in nullius præſentia, nemine præſente, in ſolitudine, ſolus cum ſola. 57 concidi, abrupi, contraxi. 58. me conuertebam, deflectebar, conuertebar. De Ellipſi Reciproci aut Pronominis in Conſtructione Verborum: exerceo, augeo, præcipito, accingo, inclino, deflecto, remitto &c. vide fuſius cap. II. Sect. VI. M. Maioris de Var. Orat. p. m. 314. ſqq. 328. 59 temere & inconſiderate proloquatur.

esse oportet, quæ ista præstet. *Eu.* Imo talibus factis maritos ad similem ciuilitatem inuitabimus. *Xa.* Sunt quos nulla ciuilitate corrigas. *Eu.* Equidem non arbitror; sed fac [60] esse. Primum illud cogita; maritus ferendus est, qualisqualis est. Præstabilius igitur est ferre vel sui similem, vel paullo commodiorem factum [61] nostra ciuilitate, quam nostra sæuitia peiorem in dies [62]. Quid si proferam maritos, qui simili ciuilitate correxerunt sponsas suas? Quanto magis decet nos idem præstare aduersus maritos? *Xa.* Narrabis igitur exemplum meo marito dissimillimum [63]. *Eu.* Est mihi familiaritas cum homine quodam nobili, docto, singularique morum dexteritate. Is duxerat puellam virginem, annos natam decem & Septem, ruri in Parentum ædibus perpetuo educatam, vt nobiles fere gaudent habitare ruri, ob venatum & aucupium. Rudē [64] volebat ille, quo facilius illam ad suos mores fingeret: cœpit eam instituere literis ac musica, paullatimque assuefacere, vt redderet * ea, quæ audisset in concione, cæterisque rebus formare [65] quæ post essent usui futura. Hæc quoniam erant noua puellæ, quæ domi suæ fuerat in summo otio, & inter famulorum colloquia lususque educata, cœperunt esse tædio. Detrectabat obsequium, & cum maritus vrgeret, illa sine fine flebat, nonnunquam & in terram abiiciebat sese, occipitium

60 finge, pone. Laß es seyn/ setze den Fall/ daß rc. 61 cum paulo tolerabilior factus fuerit. 62 sc. factum. 63 quod est. 64 Simplicem, teneram, indoctam, parum exasciatam, exactam. * Recitaret audita. Nam qui docet aut dictat, quasi credit mutuum. 65 scil. cœpit.

tium illidens solo, quasi mortem optans. Earum rerum cum nullus esset finis, maritus dissimulato stomacho*, inuitabat vxorem, vt animi relaxandi gratia vna proficiscerentur rus ad ædes soceri. Ibi lubens obtemperabat vxor. Eo cum ventum esset, maritus reliquit vxorem apud Matrem & sorores; ipse cum socero prodibat venatum [66]. Ibi submotis testibus denarrat socero, se sperasse iucundam vitæ sociam: nunc habere perpetuo lacrymantem, ac sese discruciantem, nec vllis monitis sanabilem: orat, vt sibi adsit in medendo filiæ morbo. Socer respondet, se semel * illi tradidisse filiam: quod si illa non obtemperaret verbis, vteretur suo iure, & verberibus eam emendaret. Tum gener, Novi, inquit, ius meum; sed malim eam tua vel arte, vel auctoritate sanari, quam ad hoc extremum remedium venire. Socer pollicitus est se curaturum. Post vnum atque alterum diem captat tempus ac locum, vt solus esset cum filia*: ibi vultu ad seueritatem composito, incipit commemorare, quam illa esset infelici forma, quam non amabilibus moribus, quam sæpe metuisset, ne nullum illi posset inuenire maritum. At ego meo maximo labore, inquit, talem inueni tibi, qualem nulla non optaret sibi, quantumuis felix. Et tamen tu, non agnoscens, quid pro te [67] fecerim,

nec

* Stomachus pro ira frequentissime apud latine loquentes. 66 in enationem, venandi causa, venationis gratia. * Semel non refertur ad bis, sed declarat, totum filiæ ius traditum sponso; i. e, iam tum. 67 tui causa, gratia, sua gratia.

nec intelligens, te talem habere maritum, qui, nisi esset humanissimus, vix te dignaretur habere in ancillarum numero, rebellas illi. Ne longum faciam [68], sic incanduit Patris oratio, vt vix videretur manibus temperare [69]. Est enim vir ingenio mire vafro [70], qui citra personam * omnem posset quamuis agere comœdiam. Ibi puella partim metu, partim veritate commota, accidit ad Patris genua, rogans vt præteritorum vellet obliuisci, se in posterum memorem fore officii sui. Ignouit [71] Pater, pollicitus, se quoque fore Patrem amantissimum, si quod polliceretur præstaret. *Xa.* Quid deinde [72]? *Eu.* Puella digressa a colloquio Parentis, rediit in cubiculum, offendit maritum solum, accidit illi ad genua, & ait: Marite, hactenus non noui [73] neque te, neque me ipsam; posthac videbis me aliam factam: tantum obliuiscere superiorum [74]. Hanc vocem maritus excepit osculo, & omnia pollicitus est, si illa persisteret eo animo. *Xa.* Quid [75]? perstitit? *Eu.* Vsque ad mortem: neque quidquam erat tam humile, quod illa non alacris ac volens obiret volente marito. Tantus amor inter eos natus est & confirmatus. Post annos aliquot puella crebro sibi gratulata est, quod contigisset tali marito nubere, qui nisi contigisset, eram in-

68 prolixus sim. 69 abstinere, ne feriret. 70 callido, astuto. * Personati histriones agebant fabulas: persona autem est facies apposititia. 71 condonauit, remisit, veniam dedit. 72 scil. fiebat. 73 noueram, sciui, sciueram. 74 præteritorum, ante actorum. 75 factum est?

inquit, omnium mulierum perditissima [76]. *Xa.* Talium maritorum non minus rara est copia quam alborum coruorum. *Eu.* Iam si molestum non est, referam tibi quiddam de marito commoditate [77] vxoris correcto: quod nuper accidit in hac ipsa ciuitate. *Xa.* Nihil est quod agam [78], & perquam grata mihi est tua confabulatio. *Eu.* Est vir quidam non postremæ nobilitatis [79]: is, vt solet hoc hominum genus, plerumque venabatur. Ruri incidit in puellam quandam pauperrimæ mulierculæ filiam: in eam cœpit deperire*, homo iam prouectioris ætatis. Atque huius gratia frequenter pernoctabat foris. Prætextus erat venatio. Vxor huius, mulier insigni probitate, nescio quid suspicans, peruestigauit furta mariti sui [80]: & eo profecto, nescio quo, adiit casam illam rusticanam; expiscata est te toto negotio, vbi dormiret, vnde biberet, quis esset apparatus conuiuii. Nihil erat ibi supellectilis [81], sed mera paupertas. Abiit matrona domum, ac mox rediit, secum adducens lectum commodum & apparatum, vasa aliquot argentea: addidit pecuniam, admonens, vt, si quando rediret ille, tractarent eum ciuilius, dissimulans interim sese vxorem esse, ac sororem esse

76 infelicissima, miserrima. 77 aptitudine, moribus, facilitate. 78 Ich habe nichts zu thun/ zu versäumen. 79 Ein vornehmer von Adel. * Deperit aliquam, qui ardenter amat: Deperit in aliquam, qui ardentissime. 80 indagauit furtiuos amores. Sie ist hinter die Diebereyen/ Schelm-Stücke/ Mausereyen kommen/ hinter die verstohlne Liebe. 81 apparatus.

esse simulans. Post dies aliquot redit eo furtim maritus: videt auctam supellectilem, & apparatum lautiorem. Rogat vnde is nitor [82] insolitus: aiunt, matronam quandam honestam illi cognatam hæc aduexisse, ac mandasse vt honestius posthac acciperetur *. Illico tetigit animum illius suspicio [83], vxoris hoc esse factum [84]. Reuersus domum, rogat num illic fuisset: illa non negat. Rogauit, & quo tandem consilio [85] misisset eo supellectilem. Mi vir, inquit, assuetus es vitæ commodiori. Videbam illic te durius accipi; putabam, esse officii mei, vt, quando ita tibi cordi est, lautius illic habereris. *Xa.* O matronam nimium bonam! Ego citius pro lecto substrauissem illi fasciculum vrticarum, ac tribulorum. *Eu.* Sed audi finem. Vir, perspecta tanta probitate, tantaque mansuetudine coniugis suæ, nunquam deinde vsus est furtiuo concubitu; sed domi semet oblectauit cum sua. Scio, tibi notum esse Gilbertum Batauum. *Xa.* Noui. *Eu.* Is, vt scis, florenti ætate duxit vxorem iam prouectiorem ac vergenti * ætate. *Xa.* Dotem fortasse duxit, non vxorem. *Eu.* Sic est. Is fastidiens vxoris [86], adamabat mulierculam, cum qua se subinde oblectabat foris.

82 splendor, decor. * Pro tractaretur, quemadmodum bene habiti dicuntur. Ita *Ter.* Accipit hominem nemo melius. 83 Es hat ihm bald geschwanet / geahnet; Er hat bald die Vermuthung gehabt. 84 opus. 85 quibus de caussis. * Inclinata ad senium. Sic ea voce absolute vsus est Suetonius. 86 Participium cum Genitiuo consuetudinem notat atque habitum. Er hatte das Weib überdrüßig/ des Weibes satt.

ris. Raro domi prandebat, aut cœnabat. Quid tu heic eras factura? *Xa.* Quid? Ego illi adamatæ inuolassem [87] in capillos, & maritum exeuntem ad illam perfudissem lotio *, vt sic vnctus iret ad conuiuium. *Eu.* At quanto hæc prudentius [88]? Inuitabat mulierculam domum suam, comiter accipiebat. Ita maritum quoque sine veneficiis domum pertraxit. Et si quando foris cœnabat cum illa, misit eo missum aliquem elegantiorem [89], iubens vt suauiter viuerent. *Xa.* Ego malim mori, quam esse lena [90] mei mariti. *Eu.* Verum interim rem ipsam expende. Nonne hoc multo satius erat, quam si sæuitia sua prorsus alienasset maritum, ac totam ætatem in iurgiis exegisset? *Xa.* Fateor, minus esse mali; sed ego non possem. *Eu.* Vnum adiiciam, atque ita discedam ab exemplis. Hic vicinus noster, vir probus & integer, sed paulo iracundior, quodam die pulsauerat vxorem suam [91], fœminam laudatissimam. Ea se recepit in intimum conclaue, atque illic lacrymans, atque singultiens, decoquebat animi ægritudinem. Aliquanto post per occasionem [92] eodem ingressus est maritus; reperit vxorem flentem. Quid, inquit, heic lacrymas, ac singultis, puerorum more? Tum illa prudenter; Quid, inquit, an non hoc satius,

87 irruissem magna celeritate. * Id accidit Socrati. Quocirca hæc dicuntur in persona Xantippæ, quæ vxor erat Socratis. Et olim loti vnctique ibant ad conuiuium. 88 egit. 89 ferculum aliquod. 90 stupri conciliatrix. Eine Kupplerin. 91 Brovvnius, a quo Brovvnistæ dicti, pulsare se dixit vxorem, non vt vxorem, sed vt nefariam vetulam. Hornii Hist. Eccles. Period. III. artic. 2. p. 531. 92 forte ohngefehr/ nach Gelegenheit.

ſatius, vt heic deplorem malum meum, quam ſi in via vociferer, quemadmodum ſolent aliæ mulieres? Hoc dicto tam vxorio fractus ac victus hominis animus, data dextra pollicitus eſt vxori, ſe poſthac nunquam in illam conjecturum manus: nec fecit. *Xa.* Ego idem impetraui a meo diuerſa ratione. *Eu.* Sed interim eſt inter vos bellum perpetuum. *Xa.* Quid igitur velles me facere? *Eu.* Primum muſſanda* eſt tibi omnis iniuria mariti, & animus illius officiis, comitate, manſuetudine paullatim eſt conciliandus: aut vinces tandem, aut certe multo commodiore vtéris quam nunc vtēris[93]. *Xa.* Ille ferocior eſt, quam vt vllis officiis manſueſcat. *Eu.* Eia, ne dixeris. Nulla eſt fera tam immanis quin officiis cicuretur, ne deſperes in homine. Fac periculum menſes aliquot; me accuſa, niſi ſenſeris conſilium hoc tibi fuiſſe bono. Sunt etiam quædam vitia, ad quæ tibi conniuendum eſt. Illud ante omnia tibi cauendum cenſeo, ne quid rixæ moueas in cubiculo, aut in lecto: ſed curandum eſt, vt illic omnia ſint feſtiua ac iucunda. Etenim ſi is locus, qui diluendis offenſis, ſarciendæque gratiæ conſecratus eſt, lite aut ægritudine quapiam profanetur*, iam ſublatum eſt omne remedium beneuolentiæ reconciliandæ. Sunt enim fœminæ quædam tam moroſæ, vt in ipſo etiam

* Diſſimulanda vel tacite ferenda. Verſchmertzen / verbeiſſen / verdrucken. 93 Futurum a Præſenti differt penultima longa. *Vtéris* autem pro *habebis*; *vtĕris* pro *habes* eleganter poſitum eſt. * Sacra profanari dicuntur. Lectulus autem locus eſt dicatus reconciliandæ beneuolentiæ, hæc eſt ſententia Plutarchi in præceptis coniugalibus.

etiam coitu querantur ac rixentur, eamque voluptatem, quæ diluere solet ex animis virorum, si quid inerat molestiæ, morum fastidio reddant insuauem, pharmacum ipsum vitiantes, cum licuisset mederi offensis. *Xa.* Istud mihi frequenter accidit. *Eu.* Atqui tametsi semper est cauendum vxori, ne qua re molesta sit viro, tamen id maxime studere debet, vt in eo congressu se viro præbeat modis omnibus commodam & iucundam. *Xa.* Viro: mihi cum bellua res est. *Eu.* Mitte[94] male loqui: fere nostra culpa viri mali sunt. Sed vt ad rem redeam: qui versantur in priscis[95] fabulis poëtarum, narrant, Venerem (eam faciunt deam connubii præsidem) habere cestum[96] arte Vulcani confectum: in eo intextum esse quidquid est amatorii medicamenti *: eo se cingit, quoties congressura est cum marito. *Xa.* Fabulam audio. *Eu.* Verùm: sed audi, quid sibi velit fabula. *Xa.* Dic. *Eu.* Illud docet, vxorem omnem curam adhibere oportere, vt in congressu connubiali iucunda sit marito, quo recalescat ac redintegretur amor ille maritalis, & discutiatur ex animo, si quid erat offensionis aut tædii. *Xa.* Sed vnde nobis cestus ille? *Eu.* Nihil opus veneficiis aut incantamentis. *Nullum incantamentum efficacius, quam morum probitas cum suauitate coniuncta.* *Xa.* Ego *tali* marito

94 Intermitte, omitte, cessa. 95 antiquis, vetustis. 96 Zona virginea, cingulum virgineum, quod maritus prima nocte dissoluebat: specialiter autem, quo Venus Martem, Iuno Iouem conciliabat; efficax enim ad illectamenta gratiæ & amorum erat. * Medicamentum, vt pharmacon, μέσον est, in vtramque bonam & malam partem accipi solitum.

rito blandiri non possum. *Eu.* At hoc tua refert, vt desinat esse *talis*. Si Circes artibus posses maritum vertere in suem aut vrsum, faceres? *Xa.* Nescio. *Eu.* Nescis? An malles habere suem maritum, quam hominem? *Xa.* Equidem malim hominem. *Eu.* Age, quid si Circes artibus posses ex temulento reddere sobrium, ex prodigo frugalem, ex cessatore diligentem, nonne faceres? *Xa.* Plane facerem: sed vnde mihi istæ artes? *Eu.* Atqui istas artes habes in te, si modo velis adhibere. Tuus, velis nolis, sit oportet. Quo meliorem eum reddideris, hoc magis consulueris tibi. Tu tantum oculos habes defixos in illius vitia, eaque tibi exaggerant odium; & hac ansa* tantum arripis illum, qua teneri non potest. Illa potius contemplare, quæ bona sunt in illo, & hac ansa prehende illum, qua teneri potest. Antequam illi nuberes, tempus erat expendendi, quid haberet malorum. Oportebat enim non oculis solum, verum etiam auribus maritum deligere: nunc medendi tempus est, non accusandi. *Xa.* Quæ mulier vnquam auribus cepit maritum? *Eu.* Oculis capit, quæ nihil aliud spectat, quam corporis formam: auribus, quæ diligenter obseruat, quid fama de illo prædicet. *Xa.* Pulchre mones, sed sero.

* Epictetus scripsit, vnicuique rei duas esse ansas, alteram, qua teneri possit; alteram, qua non possit: significans, in vnaquaque re esse aliquid commodi, rursum aliquid incommodi. Stultus arripit ansam malam, sapiens alteram. Huic itaque nihil non tolerabile. Germ. Dicit: Du greiffest die Sache nicht am rechten Orte an; du siehest nicht/ daß du ihn auf eine gute Seite kriegest.

ro. *Eu.* At non ſerum eſt ſtudere corrigendo marito. Ad eam rem conducet, ſi quid pignoris ex te natum fuerit viro. *Xa.* Iam natum eſt. *Eu.* Quando? *Xa.* Iam pridem. *Eu.* Quot menſes ſunt? *Xa.* Ferme ſeptem. *Eu.* Quid ego audio? Tu nobis trimeſtris fœtus * iocum renouas[97]? *Xa.* Nequaquam. *Eu.* Ita neceſſe eſt, ſi tempus a nuptiarum die ſupputas. *Xa.* Imo ante nuptias fuerat mihi cum eo colloquium. *Eu.* An ex colloquio naſcuntur pueri? *Xa.* Forte ſolam nactus cœpit alludere[98], titillans axillas, ac latera, quo me prouocaret ad riſum. Ego non ferens titillationem, me reſupinabam[99] in lectum; ille incumbens figebat oſcula, nec ſatis ſcio quid egerit præterea: certe paucis poſt diebus vterus cœpit intumeſcere. *Eu.* I nunc, & maritum contemne; qui ſi luſitans[100] gignit liberos, quid faciet cum ſerio rem aget? *Xa.* Suſpicor, & nunc me grauidam eſſe. *Eu.* Euge contigit felici fundo[101] bonus cultor[102]. *Xa.* Hac in parte plus præſtat, quam vel-

* Alludit ad prouerbialem verſum, qui eſt apud *Suetonium: τοῖς ἐυτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.* Felicibus etiam trimeſtres filii ſc. naſcuntur. 97 in mentem reuocas. Du denckſt uns wieder an den Schertz des Kindes von drey Monathen. Sueton. in Claudio Druſo c.1. Liuia cum Auguſto grauida nupſiſſet, intra menſem tertium peperit. Factus ſuſpicio ex vitrico per adulterium procreatum eſſe Druſum. 98 ad me i. e. iocari. Er fieng an mit mir zu ſchertzen. 99 deuoluebam reſupina, ventre in altum conuerſo, facie in cœlum verſa. Ich legte mich rücklings/ oder auf den Rücken. 100 Eſt Frequentat. ex Supino luſum a ludo, aut potius ex luſo, aui atum; vt dictito ex dicto, aui, atum; quod eſt ex dico, dixi dictum. Spielende/ ſchertzende/ im Schertze. 101 ſolo, agro 102 agricola.

vellem. *Eu.* Ista querela tibi cum paucis vxoribus est communis. Sed inter vos intercesserat pactum connubiale [103]? *Xa.* Intercesserat. *Eu.* Leuius igitur peccatum est. Estne proles mascula? *Xa.* Est. *Eu.* Illa vos rediget in gratiam, si tu vel paullulum temet accommodes. Quid alii prædicant de tuo marito, sodales, & quibuscum habet commercium foris? *Xa.* Prædicant, eum esse moribus commodissimis, comem, liberalem, amicum amico. *Eu.* Et ista mihi bonam spem faciunt, illum fore qualem volumus. *Xa.* At mihi vni talis non est. *Eu.* Sed tu te illi præbeto, qualem dixi [104], meque pro Eulalia* voca Pseudolaliam [105], nisi tibi quoque talis esse cœperit. Quin & illud cogita, illum adhuc iuuenem esse, nondum opinor egressum annos viginti quatuor: nondum nouit, quid sit, esse patremfamilias. Iam non est tibi cogitandum de diuortio. *Xa.* At frequenter cogitaui. *Eu.* Verum ea cogitatio, si quando tibi inciderit in mentem, primum reputa tecum, quam nihili res sit fœmina diuulsa a viro. Summum decus matronæ est, morigeram esse suo coniugi. Ita natura comparatum est, ita voluit Deus, vt mulier tota pendeat a viro. Tantum cogita, id quod res est: maritus est, alius non potest obtingere. Deinde veniat in mentem puellus ille duobus communis. Quid de illo statues? Auferes tecum? frau-

103 hattet ihr einander die Ehe versprochen? hattet ihr Verlöbniß gehabt? 104 Ephes. V, 22. 23. 24. * Eulalia a bene loquendo nomen habet. Pseudolalia, a mendaci loquacitate. 105 Mendaci loquam. Vor eine Wohl-Rednerin eine Lügnerin/ Lügen-Rednerin.

fraudabis maritum sua possessione. Relinques apud illum? spoliabis te ipsam eo, quo nihil habes carius. Postremo dic mihi, habesne quæ tibi male velint? *Xa.* Habeo nouercam germanam *; præterea socrum huic simillimam. *Eu.* Adeo tibi male volunt? *Xa.* Cuperent extinctam [105]. *Eu.* Et istæ tibi fac vt in mentem veniant. Quid enim illis possis facere gratius, quam si videant te diuulsam a marito, viduam, imo plus quam viduam, viuere? Nam viduis licet alteri nubere. *Xa.* Equidem probo tuum consilium, sed tædet diutini [106] laboris. *Eu.* At reputa, quantum laborum sumseris prius, quam hunc psittacum doceris quædam humana verba sonare. *Xa.* Plurimum profecto. *Eu.* Et piget operam sumere in fingendo marito, quicum [107] perpetuo suauiter degas ætatem? Quantum laboris sumunt homines, vt equum sibi commodum reddant? & nos pigebit adlaborare, vt maritis vtamur commodioribus? *Xa.* Quid faciam? *Eu.* Iam dixi. Cura vt domi niteant omnia, ne quid sit molestiæ, quod illum exigat [108] ex ædibus. Tu te illi comem præbe, semper interim memor reuerentiæ cuiusdam, quam vxor debet marito. Absit tristitia; sed absit & petulantia: nec putida [109] sis, nec lasciua. Si apparatus domi lautus. Nosti palatum mariti: quod illi suauissimum est, id coquito. Quin etiam

* Non de gente aut sorore sentit, sed germanam dixit, veram. Nouercarum autem est, odisse priuignos. 105 interfectam, iugulatam. 106 diuturni, longinqui, multi. 107 quocum, cum quo. 108 abigat, expellat. 109 ingrata & insuauis auribus. Verdrießlich.

am iis, quos ille amat, comem & affabilem te præbeto. Hos frequenter ad conuiuium voca. In conuiuio facito, vt læta plenaque hilaritatis sint omnia. Denique si quando ille vino lætior pulsabit suam testudinem [110], tu voce accinito [111]. Sic assuefacies maritum manere domi, & minues impensas. Sic enim ille cogitabit tandem; Næ ego insigniter insanio, qui, foris magna rei famæque iactura victitem cum scorto, cum domi habeam vxorem multo lepidiorem, meique amantiorem, apud quam nitidius ac lautius accipi liceat. *Xa.* An credis successurum [112], si tentem? *Eu.* Me vide. Ad me recipio [113]. Interim & maritum tuum aggrediar: admonebo & illum sui officii. *Xa.* Laudo consilium: at vide ne quid huius rei suboleat [114] ipsi, misceret cœlum terræ *. *Eu.* Ne metue. Ita per ambages temperabo sermonem [115], vt ipse mihi narret, quid inter vos sit turbarum. Hoc iocto, meo more tractabo illum blandissime, & vt spero, tradam eum tibi commodiorem. De te per occasionem mentiar, quam amanter de illo sis locuta. *Xa.* Christus bene fortunet quod agimus. *Eu.* Aderit, modo ne desis tibi [116].

MILI-

110 chelyn, citharam. 111 intercinito. Sing darzu/ drein darzwischen. 112 esse. 113 Siehe auf mich/ ich bin gut dafür/ ich nehm es auf mich. 114 daß er den Braten nicht reucht/ daß er die Possen nicht merckt. * De vehementi perturbatione dictum est prouerbium. *Iuuenalis*, Licet & mare cœlo Confundas, homo sum. Er drehete das Hauß um/ führe aus der Haut/ es gienge alles drüber und drunter. 115 Ich will so von weitem kommen. 116 Laß es nur an dir nicht fehlen; stehe dir nur nicht selbst im Liechten; entstehe dir nicht selbst.

MILITIS & CARTHVSIANI.

Mi. SAlue, mi frater. *Ca.* Salue & tu, germane[1] cariſſime. *Mi.* Vix te agnoſco[2]. *Ca.* Adeone conſenui intra biennium? *Mi.* Non: ſed caput raſum[3], noua veſtis, faciunt, vt mihi videaris aliud quoddam animal. *Ca.* Itane non agnoſceres vxorem tuam, ſi tibi occurreret induta noua veſte? *Mi.* Non, ſi tali. *Ca.* At ego te probe agnoſco, cui non ſolum veſtis mutata eſt, verum etiam facies totusque corporis habitus. Quot coloribus pictus es? Nulla auis æque variat plumas ſuas. Tum, quam omnia ſecta[4], quam nihil iuxta naturam aut morem communem! Adde tonſum verticem, barbam ſemiraſam, ſiluam, quæ ſupra labrum ſuperius eſt[5], perplexam, nec aliter hinc & hinc prominentem, quam ſolent in felibus pili longiores. Nec vna cicatrix fœdauit vultum, vt Samius quiſpiam litteratus[6] videri poſſis, de quo locus

1 frater. 2 recognoſco. Agnoſcere plus eſt, quam cognoſcere. Auſon. Popma de Different. Verbor. Addictam. Hekelian. illuſtr. p. 36. 3 Raſura differt a Tonſura; hæc forfice, illa fit nouacula. Voſſius Epiſt. 468 ad Salmaſium obſeruat vix occurrere ex Patribus quenquam, qui quingenteſimum ante annum meminerit raſuræ, quæ multo ſit recentior, quam tonſura. Vid. Epiſt. Voſſianæ in Nuce, h. e. Exempla noſtra literaria extantiora, P. II. in voce: Raſura. 4 diſſecta ſunt. 5 myſtacem. den Knebel-Barth. 6 Samius ſtigmaticus; ſtigmatibus, inuſtis literis notatus, cauteriatus: cum enim Samii captiuis Athenienſium inuſſiſſent noctuam, auem Athenienſibus ſacram, & Athenis perquam frequentem, adeo vt noctuas portare Athenas idem ſit ac Germanis: Holtz in Puſch/ Waſſer in den

cus eſt prouerbii. *Mi.* Sic decet redire e bello. Sed dic mihi, erat heic tanta bonorum medicorum inopia? *Ca.* Quam ob rem? *Mi.* Quia nulli commiſeris [7] ſanandum cerebrum tuum prius, quam in hanc ſeruitutem te præcipitem dares. *Ca.* Itane videor inſaniſſe [8]? *Mi.* Maxime. Quid erat neceſſe heic te ſepeliri ante tempus, cum eſſet vnde commode viueres in mundo? *Ca.* At nunc non videor tibi in mundo viuere? *Mi.* Non, per Iouem. *Ca.* Dic quam ob rem? *Mi.* Quia non licet ambulare quo velis. Huic loco velut caueæ includeris: adde raſuram, veſtem prodigioſam, ſolitudinem, piſcium perpetuum eſum, vt mirer, te ipſum non verti in piſcem. *Ca.* Si verterentur homines in omnia quibus veſcuntur, tu iam pridem porcus eſſes. Nam ſuilla ſoles delectari. *Mi.* Non dubito quin iam dudum pœniteat te inſtituti: paucos enim comperio, quos non capiat pœnitudo. *Ca.* Hoc illis vſu venit [9], qui ſe in hoc vitæ genus velut in puteum præcipitant: ego deſcendi ſenſim & conſulto, prius explorato me ipſo [10], perſpectaque tota huius vitæ ratione, iam annos natus viginti octo, qua ætate ſibi quiſque notus eſſe poteſt. Quod ad locum attinet, tu quoque loco anguſto concluderis, ſi totius mundi conſideres amplitudinem. Nec refert quam ſpatioſus ſit locus, mo-

Brum tragm; Athenienſes viciſſim Samiis Samænam, nauem, cuius autor extiterat Polycrates Samiorum tyrannus, lato ventre, a prora veluti ſuillum roſtrum præferentem inurebant. Cœlius Rhodigin. Lect. Antiquar. lib. VII. c. 31. 7 facile; credideris, concredideris ſanandum ſyncipur. 8 inſanum ſyncipur habuiſſe? 9 accidit, euenit. 10 poſtquam prius me ipſum explorauexam.

modo nihil desit ad vitæ commoditatem. Multi raro aut nunquam exeunt ciuitatem, in qua nati sunt: qui si vetarentur [11] exire, magnopere sibi displicerent, & incesseret illis mira libido relinquendæ ciuitatis: hic affectus vulgaris est, quo ego careo. Imaginor, heic totum esse mundum, & hæc tabula [12] mihi totum terrarum orbem repræsentat, quem ego cogitatione iucundius simul & tutius perambulo, quam is qui nauigauit ad nouas insulas. *Mi.* Heic tu propemodum dicis verum. *Ca.* Rasuram damnare non potes, qui volens tondearis, vtique commoditatis gratia. Mihi rasura, si nihil aliud, certe reddit caput purius, ac fortasse salubrius. Venetiæ quam multi patricii totum etiam caput radunt? Quid autem habet prodigiosum vestis? Nonne tegit corpus? *Ad duplicem vsum adhibetur vestis, vt depellatur iniuria cœli, eaque velet, quæ pudor iubet tegi.* An non hos vsus præbet hæc vestis? Sed offendit color: quis color magis decet omnes Christianos, quam is, qui datus est omnibus in baptismo? Dictum est tibi quoque; Accipe vestem candidam. Hæc itaque vestis admonet me, quid promiserim in baptismo, nimirum innocentiæ perpetuum studium [13]. Porro solitudinem si vocas turbæ fugam, hoc exemplum est non nostrum, sed veterum Prophetarum atque etiam Philosophorum *Ethnicorum

11 Nitimur in vetitum semper cupimusque negata. 12 Geographica, mappa. 13 Alba vestis Symbolum est, non tantum gloriæ, dignitatis & lætitiæ, sed & puritatis. Apoc. VII, 14. * Hinc Seneca de se ipso: In hoc me recondidi,

rum, & quibuscunque bonæ mentis cura fuit, imo poëtæ, astrologi, ac similibus artibus dediti, quoties aliquid magni ac supra vulgus hominum moliuntur, secessum[14] quærere solent. Cur autem voces hanc solitudinem? Vnius amiculi confabulatio pellit solitudinis tædium. Heic habeo sodales omnium rerum plus quam sedecim. Ad hæc interuisunt [15] amici crebrius quam vellem, aut expedit; & tibi videor in solitudine viuere? *Mi.* At non semper licet cum his confabulari. *Ca.* Nec semper expedit. Atque hoc iucundior est confabulatio, quod voluptatis gratiam augeat interrupta copia*. *Mi.* Non pessime coniectas. Nam mihi quoque suauiores sunt carnes reuoluto [16] Pascha post quadragesimam. *Ca.* Nec interim tamen, cum maxime videor solus, desunt mihi confabulones, longe festiuiores ac suauiores istis vulgaribus congerronibus. *Mi.* Vbi sunt? *Ca.* Vides heic codicem Euangelicum? in hoc mecum fabulatur ille, qui, olim additus facundus comes in via duobus discipulis proficiscentibus in Emauntem, effecit, vt non sentirent itineris laborem, sed sentirent dulcissimum cordis ardorem, inhiantes mellitis illius sermonibus. In hoc mihi loquitur Paulus, in

---

& fores clausi, vt prodesse pluribus possim. Plin. lib. I. Epist. 6. Solitudinem ipsumque silentium magna cogitationis incitamenta appellat. 14 De Secessibus Veterum ad mentem C. Plinii Cæcilii Secundi Disputat. non inelegantem habuit M. Christophorus Gothofredus Barthius anno 1701. Halæ Sax. 15 Inuisunt, visitant. * *Iuuenalis*; Voluptates commendat rarior vsus. 16 Annus enim quasi circulus in se recurrit & redit, vnde Græcis *ἐνιαυτὸς ἀπὸ τῶ ἐν ἑαυτῷ ἰέναι* dicitur.

in hoc Esaias, cæterique Prophetæ. Heic mecum confabulatur dulcissimus ille Chrysostomus, heic Basilius, heic Augustinus, heic Hieronymus, heic Cyprianus, cæterique non minus eruditi quam facundi doctores. An nosti vllos tam amœnos confabulones, quos cum his conferas? An in tali sodalitio, quod mihi nunquam non adest, reputas obrepere posse solitudinis tædium? *Mi.* Mihi frustra loquerentur non intellecturo [17]. *Ca.* Iam quid refert, quibus rebus hoc corpusculum alatur? cui minimo satis fit, si iuxta naturam viuamus. Vter nostrum habitior? tu, qui vesceris perdicibus, phasianis, & capis; an ego, qui viuo piscibus? *Mi.* Si tibi esset vxor, vt mihi est, minus haberes succi. *Ca.* Et ideo sufficit quilibet cibus, & quantumuis exiguus. *Mi.* Sed interim agitas vitam Iudaicam. *Ca.* Bona verba: Christianam, si non assequimur, certe sequimur. *Mi.* In veste, cibo, preculis [18], cæterisque ceremoniis, ponitis fiduciam, neglecto studio pietatis Euangelicæ. *Ca.* Quid alii faciant, non est meum iudicare: ego his rebus nequaquam confido, minimumque tribuo; sed in animi puritate [19] in Christo colloco fiduciam. *Mi.* Cur igitur obseruas? *Ca.* Vt mihi pax sit cum fratribus meis, & ne cui quoquo modo sim offendiculo. Nolim autem offendere quenquam ob huius-

17 cum non essem intellecturus, dum non intelligerem.
18 *Es* quintæ & tertiæ Parisyllabum in Deminutiuis mutatur in: *ecula*; vt dies, diecula, preces, precula; das Gebettein. 19 Prov. XX, 9. Solo, Christe, tuo sanguine mundus ero.

iusmodi res leuiculas, quas nihil est negotii seruare. Vt sumus homines quacunque veste tecti, minutissimarum etiam rerum similitudo aut dissimilitudo conciliat aut dirimit concordiam. Rasum caput, aut vestis color, per se quidem non commendat me Deo. Sed quid diceret populus, si comam [20] alerem, aut tuam istam vestem sumerem? Reddidi tibi rationem mei consilii: nunc quæso vt mihi vicissim tui consilii rationem reddas, dicasque, vbi cessarint omnes boni medici [21], cum relicta domi vxore iuuencula & liberis, proficiscereris in militiam, vili salario conductus ad iugulandos homines, idque tui quoque capitis periculo. Neque enim tibi res erat cum fungis* aut papaueribus, sed cum armatis viris. Vtrum vero putas infelicius, iugulare Christianum hominem ob mercedulam a quo nunquam sis læsus; an te ipsum simul, & corpus, & animam, in æternum exitium mittere? *Mi.* Fas est occidere hostem. *Ca.* Fortassis est, si impetat [22] patriam tuam. Tum pium videri potest, pugnare pro liberis & vxore, pro Parentibus & amicis, pro aris & focis*, pro tranquillitate publica. Quid istuc ad tuam militiam mercenariam? Ego, si perisses in hoc bello

20 De Cæsarie virorum, & mulierum Coma Commentarium scripsit Salmasius, quem laudat Vossius Epist. 497.
21 Respicit verba superius notata no. 7. wo denn die guten Medici da alle blieben seyn/ ob keiner mehr in der Welt gewesen.
* Fungi fragiles sunt: & papauera solent decollari baculo.
22 irruat, irruptionem, impetum faciat in. * Verba sunt historicis peculiaria. Per aram significant religionem deorum: per focum, rem domesticam. Nam & focus sacer erat laribus.

bello, non redemissem animam tuam vitiosa [23] nuce. *Mi.* Non? *Ca.* Non, ita me Christus bene amet [24]. Iam vtrum existimas durius, obedire bono viro, quem nos Priorem vocamus, qui vocet ad preces, ad sacram lectionem, ad doctrinam salutarem, ad psallendum Deo; an obedire barbaro cuipiam Centurioni, qui sæpe magnis ac nocturnis itineribus vocet quo lubet, ac reuocet? qui bombardarum ictibus obiiciat [25], qui iubeat te stare loco aut occisurum, aut occidendum [26]? *Mi.* Minus narras, quam res habeat, malorum. *Ca.* Si quid ego deflexero a disciplina huius instituti, pœna est admonitio, aut aliud leue quiddam: tibi, si quid committas aduersus leges imperatorias, aut pendendum est, aut nudo inter intentatas in te lancearum cuspides eundum [27]. Nam plecti capite, beneficium est. *Mi.* Non possum refragari veris. *Ca.* Iam cultus [28] iste satis indicat, te non multum nummorum referre domum. *Mi.* Nummorum mihi iam pridem ne pilus quidem fuit, imo multum æris alieni conflaui. Proinde huc deflexi, vt me instruas viatico. *Ca.* Vtinam huc deflexisses, cum properares in sceleratam istam militiam! sed vnde tanta nuditas? *Mi.* Rogas, vnde? Quid-

23 cassa. Ich hätte nicht eine taube Nuß davor gegeben. 24. Form. iurandi Christiana. So wahr mir der HErr JEsus helffe. 25 Der dich denen Büchsen-Kugeln in die Rapouse gebe / blanckstelle. Bombarda instrumentum bellicum 1354 inuentum. 26 vbi aut occisurus, aut occidendus es; aut occides aut occidéris; aut occidendum, aut occidendus es. 27 Du must durch die Spiß-Ruthen / Spitz-Ruthen / Gerten lauffen. 28 vestitus, habitus.

Quidquid ex salario, quidquid ex prædationibus, sacrilegiis, rapinis, furtis parare licuit, id totum absumebatur in vina, scorta, & aleam. *Ca.* O te miserum! Et interim vxorcula, cuius gratia Deus iussit relinqui Patrem & Matrem, domi mœrebat [29] deserta cum paruis liberis. Et interea tibi videbaris viuere in tantis miseriis, in tantis sceleribus? *Mi.* Hoc fallebat sensum malorum, quod innumeros haberem malorum socios [30]. *Ca.* Quin illud vereor, ne vxor te non agnoscat [31]. *Mi.* Qui sic? *Ca.* Quia sic cicatrices pinxerunt tibi nouam faciem. In fronte quam fossam habes? Videtur tibi exsectum fuisse cornu. *Mi.* Imo si rem nosses, gratulareris mihi hanc cicatricem [32]. *Ca.* Quam ob rem? *Mi.* Minimo minus aberat, quin perierim. *Ca.* Quid erat mali? *Mi.* Cuidam tendenti rupta est balista chalybea; eius fragmentum insiliit in frontem. *Ca.* Et in bucca cicatricem habes palmo longiorem. *Mi.* Hoc vulnus accepi in pugna. *Ca.* Bellica? *Mi.* Non: inter aleam ortum est dissidium.

29 flebat, lamentabatur, eiulabat. 30 Solamen miseris socios habuisse malorum; sed & miserum. 31 pro suo & ad se adsciscat, accipiat. 32 Curt. lib. IV. c. 14, 6. Quot cicatrices, totidem corporis decora. Spurio Caruilio grauiter claudicanti ex vulnere ob rem publ. accepto & ob eam causam verecundanti in publicum prodire, mater dixit: Quin prodis, mi Spuri? quotiescunque gradum facies, toties tibi tuarum virtutum veniat in mentem. Cic. de Orat. II, p. 249. & edit. Schrev. Opp. p. 112. Ludouicus Bauariæ Princeps, cuius mentionem facit Zinckgref. P. III. p. 93. sq. & P. I. p. 112. conspectis aliquando & commendatis sibi militibus quatuor, cicatricibus mirum quantum notatis: Mallem, inquit, eos intueri, qui tot vobis vulnera inflixére.

dium. *Ca.* Iam & in mento video nescio quid gemmarum, *Mi.* Nihil est. *Ca.* Suspicor, tibi contractam scabiem, quam vocant Hispanicam. *Mi.* Recte diuinas, mi frater. Tertium ea laboraui vsque ad vitæ periculum. *Ca.* Vnde hoc mali accidit tibi, vt sic incuruus incedas, quasi esses nonagenarius, aut quasi messor quispiam, aut quasi delumbatus * esses fuste? *Mi.* Morbus ita contraxit neruos. *Ca.* Næ heic magnificam [33] passus es metamorphosin. Antehac eras eques, nunc ex centauro factus es animal semireptile. *Mi.* Hæc nimirum est alea Martis [34]. *Ca.* Imo hæc est insania tuæ mentis. Quas vero manubias * vxori tuæ, liberisque tuis referes domum? lepram? Nam ista scabies nihil aliud est, quam lepræ species, nisi quod ideo non vitatur, quia multorum est communis, præcipue nobilium: at ob hoc ipsum magis debebat vitari. Nunc istud malum adfricabis iis [35], qui tibi debuerant esse carissimi: & ipse per omnem vitam putre cadauer circumferes [36]. *Mi.* Quæso te, frater, vt desinas: satis malorum est, etiamsi non accedat obiurgationis molestia [37]. *Ca.* Quo-

* Qui lumbos habet fractos, aut casu, aut alio quouis infortunio. 33 Est Sarcasmus. 34 Im Kriege gehets so her; auf solchen Kirchmessen bäckt man solche Kuchen; das ist des Krieges Spiel. * Manubiæ, pecunia ex spoliis reducta. 35 Isto malo inficies. 36 Du wirst dich schleppen mit einem verfaulten/ anbrüchtigen Aase/ Leibe. 37 Afflictis non est addenda afflictio, nec insultandum miseris; vt Crassus antea ditissimus, postea maxime egenus, amara sugillatione non caruit; quia cum egenus ambularet, diues ab occurrentibus salutabatur. Val. Max. lib. VI. c. 9.

Quotam autem malorum partem commemoraui? Ista corporis duntaxat sunt. Iam animam vero qualem reportas, quanta scabie putrem, quot vulneribus sauciam? *Mi.* Tam puram refero, quam est cloaca Parisiis in via, quæ dicitur vulgo Maberti, aut latrina publica. *Ca.* Vereor ne multo peius oleat apud Deum & angelos eius. *Mi.* Sed iam rixa satis est; dic aliquid de sarciendo viatico. *Ca.* Mihi nihil est quod dem, experiar quid velit Prior. *Mi.* Atqui si quid daretur, essent tibi paratæ manus [38]; nunc multæ obstant difficultates, quando numerandum est aliquid. *Ca.* Quid alii faciant, ipsi viderint: mihi nec ad accipiendum, nec ad dandum sunt manus [39]. Verum de his a prandio; nunc tempus monet, vt accumbamus [40].

PSEUDOCHEI*, & PHILETYMI.

Ph. Vnde tibi scatet tanta mendaciorum vis [1]? *Ps.* Vnde supetunt [2] araneæ fila? *Ph.* Non est igitur artis, sed naturæ. *Ps.* ***A natura profecta sunt semina; ars & vsus auxere facultatem*** [3]. *Ph.* Non te pudet? *Ps.* Non magis quam coccycem [4] suæ cantionis. *Ph.* At tibi in manu est [5] mutare can-

38 paratus fores. 39 Carthusianis enim & multis aliis monachis tractare pecuniam prorsus non licet. Pertinet huc Fratrum Minorum paupertatem Christ. & Apostolorum affirmantium Sec. XIV. & Prædicatorum illam negantium magna contentio, quam tangit Rechenbergius in Summario Hist. Eccles. p.450. 40 ad mensam.

* Fusor mendaciorum. Philetymus, amans veritatis. 1 vbertas, copia affluentia. 2 sunt, oriuntur, proficiscuntur. 3 Natura incipit, ars dirigit, vsus perficit; φύσις, μάθησις, καὶ ἄσκησις. 4 Cuculum eundem sonum subinde repetentem. C ante a, o, u legitur vt k, ante e, i & æ legitur vt z. 5 in tua manu, potestate est.

cantionem tuam; & in hoc[6] est homini data lingua, vt vera prædicet. *Ps.* Imo vt conducibilia. At non semper expedit vera dicere. *Ph.* Ita nonnunquam conducit habere manus furaces. Et hoc vitium esse tuo[7] cognatum, testatur etiam populare prouerbium*. *Ps.* Vtrumque vitium honestis nititur auctoribus: illud habet Vlyssem tantopere laudatum ab Homero; hoc Mercurium etiam Deum, si poëtis credimus. *Ph.* Cur igitur vulgus execratur mendaces, fures etiam subiguntur in crucem? *Ps.* Non ideo quod mentiantur, aut furentur, sed quod inscite mentiantur aut furentur: vel quia præter naturam, vel quia non satis callentes artem[8]. *Ph.* Estne scriptor quispiam, qui tradit artem mentiendi? *Ps.* Bonam artis partem monstrauere tui rhetores. *Ph.* Hi quidem tradunt artem bene dicendi. *Ps.* Verum; sed *bona pars bene dicendi est, scite mentiri.* *Ph.* Quid est scite mentiri? *Ps.* Vis definiam? *Ph.* Volo. *Ps.* Est ita mentiri, vt lucro sit, nec deprehendi possis. *Ph.* At quotidie deprehenduntur multi. *Ps.* Isti non sunt artifices absoluti. *Ph.* Es igitur tu absolutus artifex? *Ps.* Propemodum. *Ph.* Experire an me possis mentiendo fallere. *Ps.* Et te quoque possim, *vir optime*, si libeat. *Ph.* Dic igitur aliquod menda-

6 eum finem, ea fini. 7 mendaciorum studio, futilitati, in loquendo, mentiendo vanitati. * Qui mendax, idem & furax. Wer lügt/der stiehlt. 8 Furari Lacedæmoniis licitum erat, non quod furta approbarent, sed vt cauti euaderent & prouidi, quibus opes essent; fur autem callidus in arte furandi & vafer eo pacto euaderet; atque ita per negligentiam illi quidem rem perderent; hic vero, quod furatus esset reddere compelleretur. Gueuarra Epist. p. 7,8.

dacium. *Ps.* At iam dixi. Non deprehendisti? *Ph.* Non. *Ps.* Age, fac sis attentus. *Nunc incipiam mentiri.* *Ph.* Sum attentus, dic aliquid. *Ps.* At iam iterum mentitus sum, te non deprehendente. *Ph.* Equidem nihil adhuc audio mendacii. *Ps.* Audisses, si calleres artem. *Ph.* Proinde commonstra tu. *Ps.* Primum appellaui te *virum optimum*. An non isthuc est insigne mendacium, cum ne bonus quidem sis, &, si bonus esses, *optimus* dici non possis, cum sint innumeri te meliores. *Ph.* Heic plane fefelleras. *Ps.* Iam fac periculum, an possis alterum mendacium ex te deprehendere. *Ph.* Non possum. *Ps.* Heic desidero ingenium, quod alibi præstas[9]. *Ph.* Fateor; ostende tu. *Ps.* Cum dicerem, nunc *incipiam* mentiri, nonne magnifice mentiebar, cum tot annos assueuerim mentiri, & paullo antequam hoc dicerem, essem mentitus? *Ph.* Mirum præstigium. *Ps.* Sed nunc saltem monitus *arrige* aureis, vt deprehendas mentientem. *Ph.* *Arrexi*; dic. *Ps.* Imo iam dictum est, & tu meum mendacium es imitatus. *Ph.* Tu mihi persuadebis, quod nec aures habeam, nec oculos? *Ps.* Cum homini sint *aures immobiles*, vt nec *arrigi* possint, nec demitti, mentiebar te arrecturum aures. *Ph.* Talibus mendaciis plena est omnis hominum vita. *Ps.* Non talibus tantum, ô bone! Nam hæc ludicra sunt, sunt quæ rem adferant[10]. *Ph.* Turpius est lucrum ex mendacio, quam ex lotio[11]. *Ps.* Ve-

9 monstras prodis. 10 Die noch etwas heissen/ die doch noch eine Sache bey sich haben/ darinne doch noch was reales ist/ von realität ist. 11 vrina. Alludit ad Vespasiani dictum, Lucri bonus est odor ex re qualibet. Nam is vectigal collegit ex lotio, re male olente: at non male olebat pecunia.

Verum est, inquam; sed iis, qui mentiendi nesciunt artem? *Ph.* Quam igitur tu calles artem? *Ps.* Non æquum est, vt te gratis doceam: numera [12], & audies. *Ph.* Non emo malas artes. *Ps.* Donas igitur gratis fundum [13] tuum? *Ph.* Non sic insanio. *Ps.* At ego ex hac arte mea certiores capio fructus, quam tu ex tuo fundo. *Ph.* Manebit tibi ars tua, tantum profer specimen*, vt intelligam, non omnino vanum esse quod dicis. *Ps.* Accipe igitur specimen. Multis multorum negotiis memet admisceo: emo, vendo, recipio, sumo mutuo, accipio depositum. *Ph.* Quid tum postea? *Ps.* Atque heic potissimum capto eos, a quibus non facile deprehendar. *Ph.* Quos? *Ps.* Stupidos, obliuiosos, incogitantes, longe semotos, & mortuos. *Ph.* Certum est, mortuos neminem redarguere. *Ph.* Si quid tui vendo in diem [14], diligenter annoto in libellis rationum [15]. *Ph.* Quid deinde? *Ps.* Vbi reddenda est pecunia, plus imputo mercium emptori [16], quam acceperit. Is si incogitans est, aut obliuiosus, mihi certum est lucrum. *Ph.* Quid si deprehendat? *Ps.* Profero librum rationalem [17]. *Ph.* Quid si is doceat & euincat, se non accepisse quod imputas? *Ps.* Reclamo [18] quantum possum. Nam in hac arte prorsus inutilis est pudor. Denique Extrema ancora* est, vt ali-

12 prænumera pecuniam. 13 agrum, solum, campum, rus. * Id est, gestum siue exemplum. 14 auf Termin, a Conto, auf Rechnung. 15 Register, Schuld-Bücher. 16 Ich verrechne ihm mehr/ setze ihm mehr an. 17 Handlungs-Buch. 18 Contradico, contendo, vociferor. * Id est, supremum refugium. Vide prov. de sacra ancora, quæ non mittitur a nautis, nisi extremo periculo laborantibus.

aliquid comminiscar. *Ph.* Quid palam deprehensus[19]? *Ps.* Nihil est facilius, errauit famulus; aut, ipse lapsus sum memoria. Scitum est multas simul miscere rationes: heic facilius est imponere[20]. Exempli caussa: sunt quædam dispuncta[21], quod soluta sit pecunia: sunt alia pro quibus nihil numeratum est. Hæc in posterioribus codicillis misceo, sic vt nihil dispungam. Vbi supputatur, contendimus, & vinco plerumque, vel periurio. Est & hoc artis: fere[22] rationem ineo cum accincto[23] ad iter, & imparato. Nam mea mihi semper parata sunt. Deponitur aliquid apud me: seruo clam apud me, nec reddo. Longum est prius, quam resciscat ille, ad quem res missa est. Tandem si non licebit inficiari, dico, mihi perisse: aut contendo, me misisse, quod non misi: incuso aurigas. Postremo, si vitare non possum, quin reddam, reddo accisum[24]. *Ph.* Bella vero ars! *Ps.* Nonnunquam eodem nomine * bis accipio pecuniam, si liceat: primum domi, deinde illic quo proficiscor: & nusquam non[25] sum. Interim tempus inducit obliuionem, confunduntur[26] rationes, aliquis moritur, aut suscipit longinquam peregrinationem: vt omnia pessime cadant, saltem interim vsus sum aliena pecunia. Nonnullos etiam capto specie benignitatis, vt faueant men-

19 manifeste conuictus? si fueris sc. 20 fallere, decipere, imposturam facere. 21 deléta, notata, signata. 22 plerumque, vt plurimum. 23. parato ad iter. 24 imminutum. * Nomen hic titulus est debiti, vnde & pro debitoribus accipiuntur nomina. In einerley Angelegenheit. 25 vbique, vbiuis locorum. 26 vermenget.

mentienti, ſed ſemper de alieno; de meo nec mari darem teruncium [27]. Quanquam autem in ſingulis videatur lucrum exiguum, ex multis tamen (multis enim memet, vt dixi, miſceo) naſcitur aceruus haudquaquam pœnitendus [28]. Porro non deprehendar, cum multæ ſint technæ, tum illa præcipua: omneis omnium [29] epiſtolas, quas poſſum, intercipio, reſigno [30] ac lego. Si quid obfuturum [31] ſuſpicor [32], premo: aut ſi reddo [33], reddo meo tempore. Ad hæc inter longo ſemotos intervallo mendaciis meis ſero [34] ſimultatem. *Ph.* Quis iſtinc vſus? *Pſ.* Geminus. Primum, ſi non præſtatur quod alterius nomine promiſi, & quo nomine munus etiam accepi, (nam fumos [35] huiusmodi magno vendo) fingo, per illum aut illum ſtetiſſe [36], quo minus perfectum ſit. *Ph.* Quid ſi negetille? *Pſ.* Is procul abeſt, puta Baſileæ: ego polliceor in Anglia. Deinde fit, vt orta ſimultate neuter alteri credat, ſi quid incuſet. Habes ſpecimen artis. *Ph.* At iſtam artem nos craſſiores

27 obulum, nummulum perexiguum.

28 *Adde parum modico, modicum ſuperadde puſillo:*
Sæpius hoc faciens magnum cumulabis aceruum.

29 Venuſte inter Adiectiuum: omnes, & Subſtantiuum Epiſtolas inſeritur idem nomen Adiect. diuerſo caſu: omnium; pro omnes epiſtolas omnium, vel: Epiſtolas omnes omnium. Vide Cap. II. de Interpoſit. Arnold. Ornat. Reg. X.

30 ſignatas aperio, recludo, aperio dempto, fracto ſigillo.

31 noxium, nociuum fore, futurum eſſe. 32 ſubuereor.

33 Anadiploſis. 34 ſemino, diſſemino, ſpargo. 35 præſtigioſam ſpem, ſpes fallaces. Solche Vertröſtungen. 36 es habe bey dem und jenem geſtanden/ penes eum.

res[37] ſolemus vocare furtum, qui ficus vocamus ficus, & ſcapham* ſcapham. *Pſ.* O hominem iuris Cæſarei rudem[38] ! An licet intendere actionem[39] furti ei, qui ſuppreſſit depoſitum, aut qui abiurat mutuum, aut ſimili techna impoſuit? *Ph.* Oportuit. *Pſ.* Proinde vide prudentiam artificum. Ex his plus eſt lucri, aut certe tantundem; & minus eſt periculi. *Ph.* Male ſit tibi cum tuis technis ac mendaciis. Non enim libet dicere, Vale[40]. *Pſ.* Tu ringere[41] cum tua pannoſa[42] veritate; ego interim ſuauiter agam cum meis furtis ac mendaciis, dextro Vlyſſe* ac Mercurio.

NAVFRAGIVM.

ANTONIVS, ADOLPHVS.

An. HOrrenda narras*. Eſt iſtuc[1] nauigare? Prohibeat[2] Deus, ne mihi quidquam vnquam tale veniat in mentem. *Ad.* Imo, quod hactenus memoraui, luſus merus eſt præ his[3], quæ nunc audies. *An.* Plus ſatis malorum audiui: inhorreſco te memorante, quaſi ipſe periculo interſim.

37 rudiores, plebeii, de fece vulgi homines. * Græca vox ambigua eſt: ſed opinor, melius verti per ligonem, a σκάπτω, quod eſt Fodio. 38 inſcium, imperitum, ignarum, neſcium! 39 accuſare, reum peragere. Betügen/ beſchuldigen/ inſimulare. 40 Daß dich der Hencker mit deinen Practiquen/ Finten und Quinten hohle! Lebe wohl! mag ich nicht ſprechen. Es iſt zu gut vor dich. Eſt Paradiaſtole. 41 blacke und blecke dich. 42 ſordida, miſera, zerlumpeten/ armſeligen.
* Vlyſſes ab Homero fingitur vafer, ac mendax. Mercurius adfert lucrum, vafer & ipſe, ac furax.

* Ex abrupto incipit colloquium more comœdiarum. 1 iſtud. 2 Auertat, auerruncet. 3 ad hæc, gegen dem.

ſim. *Ad.* Imo mihi *iucundi ſunt acti labores* [4]. Ea nocte quiddam accidit, quod magna ex parte ſpem ſalutis [5] ademit nauclero. *An.* Quid, obſecro? *Ad.* Nox erat ſubluſtris [6], & in ſummo malo ſtabat quidam e nautis in galea; ſic enim vocant, opinor; circumſpectans, ſi [7] quam terram videret: huic cœpit adſiſtere ſphæra [8] quædam ignea: id nautis triſtiſſimum oſtentum [9] eſt, ſi quando ſolitarius ignis eſt [10]; felix, cum gemini. Hos vetuſtas credidit Caſtorem & Pollucem *. *An.* Quid illis cum nautis, quorum alter fuit eques, alter pugil. *Ad.* Sic viſum eſt Poëtis. Nauclerus, qui clauo aſſidebat, Socie [11], inquit, (nam eo nomine ſe mutuo compellant nautæ) videſne, quod ſodalitium tibi claudat latus [12]? Video, reſpondit ille; & precor vt ſit felix. Mox globus igneus delapſus per funes deuoluit ſeſe vſque ad nauclerum. *An.* Num ille exanimatus eſt metu? *Ad.* Nautæ aſſueuere monſtris. Ibi paulliſper commoratus, voluit ſe per margines totius nauis: inde per medios foros * dilapſus euanuit. Sub meridiem cœpit

4 Eſt ſententiæ per Noëma ad perſonam primam accommodatio. 5 incolumitatis, euaſionis e periculo. 6 paululum lucida; non nihil, aliquantum lucis habebat. 7 num, an. 8 globus. 9 portentum. Auſonius Popma de Different. Verborum. lib. III. in voce: Oſtentum, Portentum, Monſtrum & Prodigium diſtinguit, ex Cornelio Frontone, Nonio Marcello & Sexto Pompeio Feſto, quorum libellos collegit Georgius Fabricius Chemnicenſis vna cum aliis & Lipſiæ publicauit 1569. 10 Helena vocatur. * Vide Plin. lib. 2. c. 37. 11 Camerad. 12 adſtet lateri, ad latus ſit. * Fori ſunt tabulata nauis, ac veluti tectum.

pit magis ac magis incrudescere tempestas. Vidistine vnquam Alpes? *An.* Vidi. *Ad.* Illi montes verrucæ* sunt si conferantur ad vndas maris. Quoties tollebamur in altum, licuisset Lunam digito contingere: quoties demittebamur, videbamur dehiscente terra recta[13] ire in Tartara. *An.* O insanos qui se credunt mari! *Ad.* Nautis frustra luctantibus cum tempestate, tandem nauclerus totus pallens nos adiit[14]. *An.* Is pallor præsagit aliquod magnum malum. *Ad.* Amici, inquit, desii esse dominus nauis meæ; vicere venti: reliquum est, vt spem nostram collocemus in Deo, & quisque se paret ad extrema. *An.* O vere Scythicam concionem[15]! *Ad.* In primis autem, inquit, exoneranda est nauis; sic iubet necessitas*, durum telum: præstat consulere vitæ, dispendio rerum, quam simul cum rebus interire. Persuasit veritas: proiecta, sunt in mare plurima vasa plena preciosis mercibus**. *An.* Hoc erat vere iacturam facere***.

Ad.

---

* Id est, tubercula. Sic Cato, ni fallor, collem verrucam appellauit. 13 sc. via. Gerades Weges. 14 Ouid. lib. 2 de fine tit.

Nauita sollicitus quoque ventos horret iniquos
Et prope tam lethum, quam prope cernit aquam.
Quod si concussas Trithon exasperat vndas,
Qui tibi nunc toto est, nullus in ore color.

15 barbaram, sæuam, duram, immanem, crudelem. * Alludit ad illud *Plinii*: Maximum telum necessitas. Rursum ad illud: Τῇ ἀνάγκῃ οὐδὲ οἱ θεοὶ μάχονται.** Vt Catullus fecisse legitur in Iuuen. Sat. 12.

Fundite quæ mea sunt, dicebat, cuncta Catullus
Præcipitare volens etiam pulcherrima; vestem
Purpuream teneris quoque Mecænatibus aptam.

*** Iactura damnum est: & iacturam facere dicitur, quisquis damno afficitur: hic erat vere iactura, a iaciendo dict a

Ad. Aderat Italus quidam, qui legatum egerat apud regem Scotiæ: huic erat ſcrinium plenum vaſis argenteis, annulis, panno, ac veſtimentis ſericis. *An.* Is nolebat decidere * cum mari? *Ad.* Non; ſed cupiebat aut perire cum amicis opibus ** ſuis, aut ſimul cum illis ſeruari. Itaque refragabatur. *An.* Quid nauclerus? *Ad.* Per nos, inquit, liceret tibi cum tuis perire ſolum ***: ſed æquum non eſt, vt nos omnes tui ſcrinii cauſſa periclitemur; alioqui te vna cum ſcrinio dabimus in mare præcipitem. *An.* Orationem vere nauticam *. *Ad.* Sic Italus quoque iacturam fecit, multa mala precans & ſuperis & inferis, quod ſuam vitam elemento tam barbaro credidiſſet. *An.* Agnoſco vocem Italicam **. *Ad.* Paulo poſt venti, nihilo mitiores factis noſtris muneribus, rupére funes, disiecére vela. *An.* O calamitatem [16]! *Ad.* Ibi rurſus nos adit nauta. *An.* Concionaturus? *Ad.* Salutat: Amici, inquit, tempus hortatur, vt vnusquisque Deo ſe commendet, ac morti ſe præparet. Rogatus a quibusdam nauticæ rei non imperitis, ad quot horas ſe crederet poſſe tueri nauem; negaui ſe poſſe polliceri quidquam, ſed vltra tres horas non poſſe. *An.* Hæc concio durior etiam erat priore. *Ad.* Hæc vbi locutus eſt, iubet incidi funes [17] omnes,

---

* Decidere, eſt paciſci portione rerum, vt reliqua maneant ſalua. ** Pro, adamatis. *** ſoli. * Semper nautæ finguntur immanes. Quale eſt elementum, tales ſunt & illi. ** Nam Itali magno ſtomacho barbarum vocant, quicquid eſt peregrinum. 16 miſeriam, miſeram ſortem! 17 ſcindi, ſecari reſtes.

omnes, ac malum [18] vsque ad thecam *, cui inseritur, incidi serra, ac simul cum antennis [19] deuolui in mare. *An.* Cur hoc? *Ad.* Quoniam sublato aut lacero velo erat oneri, non vsui: tota spes erat in clauo [20]. *An.* Quid interea vectóres? *Ad.* Ibi vidisses miseram rerum faciem: nautæ canentes; Salue regina, implorabant Matrem Virginem, appellantes eam stellam maris, Reginam cœli, Dominam mundi, portum salutis, aliisque multis titulis illi blandientes, quos nusquam illi tribuunt sacræ litteræ. *An.* Quid illi cum mari, quæ nunquam, opinor, nauigauit? *Ad.* Olim Venus agebat curam nautarum, quia nata credebatur ex mari: ea quoniam desiit curare, suffecta est huic matri non virgini Virgo Mater. *An.* Ludis. *Ad.* Nonnulli procumbentes in tabulas adorabant mare, quidquid erat olei * effundentes in vndas, non aliter illi blandientes, quam solemus irato Principi. *An.* Quid aiebant? *Ad.* O clementissimum mare, ó generosissimum mare, ô ditissimum mare, ó formosissimum mare; mitesce, serua [21]. Huiusmodi multa occinebant surdo mari. *An.* Ridicula superstitio! Quid alii? *Ad.* Quidam nihil aliud quam vomebant: plerique vota nuncupabant. Aderat Anglus quidam, qui promittebat montes au-

18 Den Mast/ Mast-Baum. * Theca quodvis repositorium. 19 Segel-Stangen/ daran die Segel hangen. 20 Das Ruder. Claua ferit, Clauus firmat, Clauisque recludit. * Ea natura est olei, vt lucem adferat, ac tranquillet omnia, etiam mare, quo non aliud elementum implacabilius. 21 scil. nos, salua, parce nobis.

aureos Virgini Walsamgamicæ [22], si viuus attigisset terram [23]. Alii multa promittebant ligno crucis, quod esset in tali loca, alii rursum quod esset in alia loco. Idem factum est de Maria Virgine, quæ regnat in multis locis; & putant votum irritum, nisi locum exprimas. *An.* Ridiculum: quasi diui non habitent in cœlis. *Ad.* Erant qui se promitterent fore Carthusianos. Erat vnus qui polliceretur, se aditurum diuum Iacobum, qui habitat Compostellæ, nudis pedibus & capite, corpore tantum lorica ferrea tecto, ad hæc cibo emendicato. *An.* Nemo meminit [24] Christophori? *Ad.* Vnum audiui non sine risu, qui clara voce, ne non [25] exaudiretur, polliceretur Christophoro, qui est Lutetiæ in summo templo, mons verius quam statua, cereum [26] tantum quantus esset ipse. Hæc cum vociferans quantum poterat identidem inculcaret, qui forte proximus assistebat illi notus, cubito tetigit eum [27], ac submonuit: Vide quid pollicearis: etiamsi rerum omnium tuarum auctionem * facias, non fueris soluendo. Tum ille voce iam pressiore, ne videlicet exaudiret Christophorus: Tace: inquit, fatue; an credis, me ex animi

22 Walsingham eine Stadt in Norfolck / vbi Virginis Mariæ simulacrum commentitiis miraculis inclytum. 23 appulisset. 24 mentionem iniecit, fecit. 25 Daß er ja gewiß. Duæ negat. fortius affirmant apud Latinos. 26 Sc. lychnum. Ein Wachs-Licht / eine Wachs-Kertze. Multa enim Adiectiua per frequentissimam Substantiui sui omissionem substantiuascere videntur. 27 Er stieß ihn mit dem Ellbogen / Ermel. * Auctio, venditionis genus, in quo a licitantibus intenditur pretium.

animi ſententia [28] loqui? Si ſemel contigero terram, non daturus ſum illi candelam ſebaceam [29]. *An.* O craſſum ingenium! ſuſpicor, fuiſſe Batauum*. *Ad.* Non; ſed erat Zelandus. *An.* Miror, nulli in mentem veniſſe Paulum Apoſtolum, qui ipſe olim nauigarit, & fracta naui deſilierit in terram. Is enim haud ignarus mali didicit miſeris ſuccurrere [30]. *Ad.* Pauli nulla erat mentio. *An.* Precabantur interim? *Ad.* Certatim [31]. Alius canebat, Salue Regina; alius, Credo in Deum. Erant qui peculiares quaſdam preculas habebant, non diſſimiles magicis, aduerſus pericula. *An.* Vt afflictio [32] facit religioſos! rebus ſecundis nec Deus, nec diuus quiſquam nobis venit in mentem. Quid tu interea? Nulli diuorum nuncupabas vota? *Ad.* Nequaquam. *An.* Cur ita? *Ad.* Quia non paciſcor cum diuis. Quid eſt enim aliud quam contractus iuxta formulam, Do, ſi facias*: aut, Faciam, ſi facias: Dabo cereum, ſi enatem: Ibo Romam, ſi ſerues. *An.* At implorabas alicuius diui præſidium? *Ad.* Ne id quidem. *An.* Quam ob rem autem? *Ad.* Quia ſpacioſum eſt cœlum. Si cui

---

28 ſerio, von Grund des Hertzens / im Ernſte. 29 Unſchlicht-Licht. * Vulgari ioco Batani dicuntur craſſi, vt quondam Phryges atque Bœotii. Hinc Martialis aurem Batauam pro agreſti, tetrica vſurpauit, canens: Cuius nequitias iocosque nouit, aurem qui modo non habet Batauam. 30 iuxta illud de Pontifice N. Teſt. vnico, Ieſu Chriſto, effatum Ebr. II, v. 18, aut Virgilii Poëtæ:

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

31 Germ. dicit: Um die Wette. 32 Eſ. XXVI, 16. Qui neſcit orare, diſcat nauigare. * Formulæ ſunt contractuum, quos iureconſulti vocant innominatos.

cui diuo commendaro meam salutem, puta sancto Petro, qui fortasse primus audiet, quod adest ostio[33], prius quam ille conueniat Deum, prius quam exponat causam, ego iam periero. *An.* Quid igitur faciebas? *Ad.* Recta adibam ipsum Patrem, dicens, Pater noster, qui es in cœlis. Nemo diuorum illo citius audit, aut libentius donat quod petitur. *An.* Sed interea non reclamabat tibi conscientia? Non verebaris appellare Patrem, quem tot sceleribus offenderas? *Ad.* Vt ingenue dicam, deterrebat nonnihil conscientia; sed mox recipiebam animum, ita mecum cogitans: Nullus est Pater tam iratus filio, quin, si videat eum periclitantem in torrente aut lacu, capillis arreptum eiiciat in ripam. Inter omneis nullus se tranquillius agebat[34], quam mulier quædam, cui erat infantulus in sinu, quem lactabat[35]. *An.* Quid illa? *Ad.* Sola nec vociferabatur, nec flebat, nec pollicitabatur: tantum complexa puellum, precabatur tacite. Interea dum nauis subinde illideretur vado[36], nauclerus

---

33 Fingitur enim adstare clauibus cœli instructus, vt & Pontifices Maximi. Hinc Sannazarius:

Magne Parens, custosque hominum, cuius datur vni
Claudere cœlestes & reserare fores.

Sed claues Petri eiusque Co-Apostolorum mortuis ipsis manui Ecclesiæ sunt resignatæ, cui per Petrum & Apostolos cæteros datæ fuerant; vt loquitur Dannhauerus in Hodosoph. Phænom. II. p. 153. Iulius quoque II. Papa Rom. Petri clauem in Tiberim proiecit, immani voce clamans: Quia clauis Petri amplius non valet, valeat Pauli gladius. 34 gerebat. 35 Infans dum *lactet*, nutrix hunc sedula *lactat*. 36 fundo.

clerus metuens ne tota solueretur, rudentibus [37] eam cinxit a prora & a puppi [38]. *An.* O misera præsidia [39]! *Ad.* Interim exoritur [40] quidam sacrificus senex, annos natus sexaginta; nomen erat Adamus [41]: is abiectis vestibus vsque ad indusium, abiectis etiam ocreis, & calceis, iussit vt omnes itidem pararemus nos ad natandum. Atque ita stans in medio nauis, concionatus est nobis ex Gersone [42] quinque veritates de vtilitate confitendi, hortatus omneis vt se quisque præpararet & vitæ & morti. Aderat & Dominicanus quidam. His confessi sunt qui volebant. *An.* Quid tu? *Ad.* Ego videns omnia plena tumultus, tacite confessus sum Deo, damnans apud illum meam iniustitiam, & implorans illius misericordiam. *An.* Quo migraturus, si sic perisses? *Ad.* Hoc committebam iudici Deo. Neque enim volebam esse mei ipsius iudex: tamen bona quædam spes interim habebat animum meum. Dum hæc aguntur, redit ad nos nauta lacrymabundus. Paret, inquit, se quisque; nam nauis non erit nobis vsui ad quartam horæ partem [43]. Iam enim locis aliquot conuulsa [44] hau-

37 funibus nauticis crassioribus. 38 *Prora* prior: *Puppis* pars vltima: at ima *carina*. 39 adiutoria, adiumenta, subsidia. 40 surgit, prodit. 41 Adami, Adamo. 42 Vniuersitatis Parisiensis Cancellario, Doctore Christianissimo, qui ob Commentarium de Aufferibilitate Papæ Lugdunum concedere coactus anno 1429 inter paruulorum preces, quos congregauerat: Deus meus, Creator meus, miserere pauperrimi famuli tui Iohannis Gersonis, pie placideque obiit. Ponitur autem per Metonymiam Causæ pro Effectu, Gerson pro scripto Gersonis de Vtilitate confitendi, quod inter alia composuit. 43 horæ quadrantem. 44 rupta, fissa.

hauriebat mare. Paulo poſt nauta renunciat nobis, ſe videre procul turrim ſacram, adhortans, vt diui, quisquis eſſet eius templi præſes, auxilium imploraremus. Procumbunt omnes, & orant ignotum diuum [45]. *An.* Si nomine compellaſſetis eum, fortaſſis audiſſet. *Ad.* Erat ignotum. Interim nauclerus quantum poteſt eo nauim dirigit iam laceram, iam vndique combibentem vndas, ac plane dilapſuram, ni rudentibus fuiſſet ſuccincta [46]. *An.* Dura rerum conditio [47]! *Ad.* Eo prouecti ſumus [48], vt eius loci incolæ proſpicerent nos periclitantes; ac procurrentes cateruatim in extremum litus, ſublatis togis, & galeris [49] in lanceas impoſitis, inuitabant ad ſeſe; ac iactatis in cœlum brachiis, ſignificabant ſe deplorare noſtram fortunam. *An.* Exſpecto quid euenerit. *Ad.* Iam mare totam nauim occuparat, vt nihilo tutiores eſſemus futuri in naui, quam in mari. *An.* Heic ad ſacram ancoram confugiendum erat. *Ad.* Imo ad miſeram. Nautæ ſcapham exonerant [50] aqua, ac demittunt in mare. In hanc omnes ſeſe conantur conijcere, nautis magno tumultu reclamantibus, ſcapham non eſſe capacem tantæ multitudinis [51], arriperet ſibi quisque quod poſſet, ac nataret. Res non patiebantur lenta conſilia [52]: alius arripit remum,

---

45 vt Athenienſes Deum ignotum. Act. XVII, 23. 46 conſtricta, colligata. 47 Es hat übel ausgeſehen / mißlich geſtanden. 48 adducti ſumus. 49 pileis rotundis in morem galeæ. 50 euacuant, vacuam reddunt. 51 Es hätten ihrer ſo viele / eine ſolche groſſe Menge / nicht Raum / auf dem Nachen oder Kahne; der Nachen trage und faſſe ihrer ſo viel nicht. 52 Es galt da nicht lange Berathſchlagens / Zauderns der Zuſtand der Sa-

mum, alius contum [53], alius alueum [54], alius ſitulam [55], alius tabulam: ac ſuo quisque præſidio [56] nitentes, committunt ſe fluctibus. *An.* Quid interim accidit illi mulierculæ, quæ ſola [57] non eiulabat? *Ad.* Illa omnium prima peruenit ad litus [58]. *An.* Qui potuit? *Ad.* Impoſueramus eam repandæ [59] tabulæ, & ſic alligaueramus, vt non facile poſſet decidere: dedimus illi tabellam [60] in manum, qua vice remi vteretur: ac bene precantes expoſuimus in fluctus, conto protrudentes [61], vt abeſſet a naui, vnde erat periculum: illa læua tenens infantulum, dextra remigabat [62]. *An.* O viraginem! *Ad.* Cum iam nihil ſupereſſet, quidam auulſit ligneam ſtatuam Virginis Matris, iam putrem atque excauatam a ſoricibus *, eamque complexus

chen erfoderte eine geſchwinde/ unverzügliche/ plötzliche / augenblickliche Reſolution. 53 perticam oblongam in capite ferrum habens, qua nautæ vtuntur ad exploranda loca nauibus opportuna. Boßhacken. 54 höltzerne Mulde/ Gelte/ alueus, i. Maſc. & aluus, i. Fœm. non ſunt confundenda. De aluo eſt verſiculus: Conſumunt ventres; vterus parit: egerit aluus. 55 Vas aquarium, quo hauritur aqua. Waſſer-Eymer. 56 fulcro, inſtrumento, adminiculo. 57 vna atque vnica. 58 Ad flumen ripas, ad mare litus habes. 59 recuruæ, reflexæ & ſinuoſæ. 60 Deminutiuum a tabula. Ein Täffelchen/ kleine Taffel/ Stückchen Bret / Bretchen/ Brettein. 61 abigentes, propellentes, amouentes, arcentes. 62 Ferme vt canit Ouidius de Canace Epiſt. XI.

Dextra tenet calamum, ſtrictum tenet altera ferrum.

* Sorex animal, quod vulgo glirem vocant. *Colu.* Vites, quæ ſecundum ædificia ſunt, a ſoricibus aut muribus infeſtantur. *Theodoretus* in hiſtoria eccleſiaſtica refert, cum Chriſtiani Serapidis idolum, quod grande habebatur Ale-

plexus cœpit natare. *An.* Scapha [63] peruenit incolumis? *Ad.* Nulli prius periere. Porro [64] triginta sese in eam coniecerant. *An.* Quo malo fato id factum est? *Ad.* Prius quam posset se liberare a magna naui. Illius vacillatione subuersa est. *An.* O factum male! Quid tum [65]? *Ad.* Ego, dum aliis consulo, pæne perieram. *An.* Quo pacto? *Ad.* Quia nihil supererat aptum natationi. *An.* Illic subera [66] fuissent vsui. *Ad.* In eo rerum articulo maluissem vile suber, quam candelabrum aureum [67]. Circumspicienti tandem venit in mentem de ima mali [68] parte: eam quoniam solus eximere non poteram, adscisco socium: huic ambo innixi, committimus nos mari, sic vt ego dextrum cornu tenerem, ille læuum. Dum sic iactamur, sacrificus ille concionator nauticus medium iniecit se in humeros nostros [69]. Erat autem ingenti corpore. Exclamamus: Quis ille tertius? Is perdet nos omnes. Ille contra placide, Sitis, inquit, bono animo, sat spacii est. Deus aderit nobis. *An.* Cur ille tam sero cœpit esse natator? *Ad.* Imo

xandriæ, securibus frangerent, & caput eius abstulissent, greges soricum inde procurrisse. Spitz-Mauß. 63 Scaphane incolumis peruenit? Ist der Kahn glücklich durchkommen? an Scapha peruenit? sc. ad littus, in continentem. 64 Postmodum, Deinceps, Posthac. 65 Was geschach weiter? 66 Suber vile lignum, quod non mergitur, aliisque alligatum, ne sidant, sustinet, Pantoffel-Holtz/ Gorck-Baum. 67 Succurrit hic per accommodationem, quod legitur Zephan. I, 18. 68 arboris naualis. Segel- oder Mast-Baum. Malus, i. Mascul. Ouid. Rigido pendentia lintea malo. 69 iniecit se medios in humeros nostros. Er hat sich zwischen uns mitten ein uns auf die Schultern/ auf den Rücken geleget/ geworffen.

Imo futurus erat in scapha, vna cum Dominicano: nam omnes hoc honoris illi deferebant; sed quanquam erant inuicem confessi in naui, tamen obliti nescio quid circumstantiarum, rursus ibi in ora nauis confitentur, & alter alteri manum imponit; interim scapha perit: nam hæc mihi narrauit Adamus. *An.* Quid actum est de Dominicano? *Ad.* Is, vt idem narrabat, implorata diuorum ope, abiectis vestibus, nudum se commisit natationi. *An.* Quos diuos inuocabat? *Ad.* Dominicum, Thomam, Vincentium, & nescio quem Petrum, sed in primis fidebat Catharinæ Senensi. *An.* Christus illi non veniebat in mentem? *Ad.* Ita narrabat sacrificus. *An.* Melius enatasset, si non abiecisset sacram cucullam: ea deposita, qui potuit illum agnoscere Catharina Senensis[70]? Sed perge narrare de te. *Ad.* Dum adhuc volueremur iuxta nauim, arbitrio fluctuum hoc & illuc se voluentem, clauus illisus[71] fregit femur eius, qui tenebat læuum cornu. Sic ille reuulsus est; sacrificus precatus illi requiem æternam, successit in locum illius, adhortans me, vt magno animo tuerer cornu[72] meum, ac strenue mouerem pedes. Interim potabamus multum aquæ salsæ. Adeo Neptunus nobis non balneum tantum salsum, sed potionem etiam salsam temperârat[73], quanquam sacrificus ei rei monstraret remedium. *An.* Quod, obse-

70 Fœmina Itala 1461. canonisata Pio II. Pontif. immaculatam Mariæ conceptionem, quam Brigitta, 1391. a Bonifacio in canonem assumpta defenderat, negauit. 71 clauus illisus est, illisit. Das Ruder schlug auf ihn / und traff ihn. 72 latus dextrum. 73 parauerat, miscuerat.

ſecro? *Ad.* Quoties vnda nobis occurreret, ille oppoſuit occipitium, ore clauſo. *An.* Strenuum ſenem mihi narras. *Ad.* Vbi iam aliquandiu ſic natantes nonnihil promouiſſemus[74], ſacrificus, quoniam erat miræ proceritatis, Bono, inquit, es animo; ſentio vadum[75]. Ego non auſus tantum ſperare felicitatis, Longius, inquam, abſumus a litore, quam vt vadum ſperandum ſit. Imo, inquit, ſentio pedibus terram. Eſt, inquam, fortaſſis è ſcriniis aliquod, quod huc deuoluit mare. Imo, inquit, ſcalptu digitorum[76] plane ſentio terram. Cum adhuc aliquandiu nataſſemus, ac rurſus ſentiret vadum. Tu fac, inquit, quod tibi videtur factu optimum, ego tibi cedo malum totum, & vado me credo; ſimulque exſpectato fluctuum deceſſu, pedibus ſequutus eſt quanto potuit curſu. Rurſus accedentibus vndis, vtraque manu complexus vtrumque genu, obnitebatur fluctui, occultans ſeſe ſub vndis, quemadmodum ſolent mergi & ănătes[77]: rurſus abeunte fluctu, promicabat[78] & currebat. Ego videns hoc illi ſuccedere, ſum imita-

74 vecti eſſemus, pronataſſemus. 75 fundum, ſolum. Der Grund/ Boden. Vadum, locus in mari vel flumine, quo & per quem vadere liceat, cum ſit minus profundus. Wo es ſeichte/ nicht tieff iſt/ daß man gehen/ wathen und das Waſſer gründen/ ergründen kan/ den Grund fühlen/ erlangen/ erreichen kan. 76 ſc. pedis. Die Zähen an den Füſſen. 77 Anas, atis. Penult. Genit. correpta. Ein End-Vogel/ Ende; qualibus cum anſeribus anno Chr. 1587. pluiſſe in Croatia ex Cluuero annotauit Lindnerus in Lexico trilingui ſub voce: Pluit. 78 ſupra aquas emicabat, emergebat, conſpiciebatur.

imitatus. Stabant in arena, qui porrectis inter se prælongis hastilibus fulciebant sese aduersus impetum vndarum, viri robusti, & fluctibus assueti, sic vt vltimus hastam porrigeret adnatanti. Ea contacta[79], omnibus in litus se recipientibus, tuto pertrahebatur in siccum. Hac ope seruati sunt aliquot. *An.* Quot? *Ad.* Septem: verum ex his duo soluti sunt tepore[80], admoti igni. *An.* Quot eratis in naui? *Ad.* Quinquaginta octo. *An.* O sæuum mare! saltem decimis fuisset contentum, quæ sufficiunt sacerdotibus. Ex tanto numero tam paucos reddidit? *Ad.* Ibi experti sumus incredibilem gentis humanitatem, omnia nobis mira alacritate suppeditantis, hospitium, ignem, cibum, vestes, viaticum. *An.* Quæ gens erat? *Ad.* Hollandica. *An.* Ista nihil humanius, cum tamen feris nationibus cincta sit. Non repetes, opinor, posthac Neptunum[81]. *Ad.* Non, nisi mihi Deus ademerit sanam mentem. *An.* Et ego malim audire tales fabulas, quam experiri.

DI-

---

79 si quis eam contigisset, apprehendisset; vel: ea sc. hasta contingebatur & sic &c. 80 deliquium passi aut prorsus defuncti sunt. Sie sind/ da man sie zum Feuer gebracht hätt unter den Händen vergangen/ darnieder gesuncken/ in Ohnmacht gefallen. 81 mare, pelagus. Nicht mehr/ nicht wieder/ noch einmahl zu Schiffe gehen / sich auf die See begeben. Iuuenal. 12. Satyra.

I nunc, & ventis animam committe dolato
Confisus ligno; digitis a morte remotus
Quattuor aut septem.

DIVERSORIA.

BERTVLPHVS, GVLIELMVS.

CVr ita visum est plerisque biduum aut triduum commorari Lugduni? Ego semel iter ingressus non conquiesco, donec peruenero quo constitui. *Gu.* Imo ego admiror, quenquam illinc auelli posse. *Be.* Quam ob rem tandem? *Gu.* Quia illic locus est, vnde non poterant auelli socii Vlyssis, illic Sirenes [1]. Nemo domi suæ tractatur melius, quam illic in pandocheo *. *Be.* Quid fit? *Gu.* Ad mensam semper adstabat aliqua mulier, quæ conuiuium exhilararet facetiis ac leporibus. Et est illic mira formarum felicitas. Primum adibat materfamilias, quæ salutabat, iubens nos hilares esse, &, quod apponeretur, boni consulere. Huic succedebat filia, mulier elegans, moribus ac lingua adeo festiuis, vt possit vel ipsum Catonem exhilarare **. Nec confabulantur vt cum hospitibus ignotis, sed veluti cum olim notis ac familiaribus.

1 Sirenes, numero tres, nautas cantu alliciebant & deuorabant, vt & in Horatii fabula. Vlysses vero littus Siculum præternauigans cera sociorum naualium aures oblurauit, seque ipsum malo alligari iussit, ne suauitate cantus delinitus & ipse ad easdem cum omnium pernitie proram verteret. De Forma & Figura Sirenum doctissimam Dissertationem scripsit Nicasius in Gallia Abbas, quam recensent Collector. Act. Erudit. Lips. Sect. VII. Tom. II. Supplement. p. 341. * Pandocheum, Hospitium publicum, ita dictum, quod in eo omnes promiscue accipiantur, ex πᾶν & δέχομαι. ** Cato tetricus & moribus asperis ab autoribus prædicatur.

bus. *Be.* Agnosco Gallicæ gentis humanitatem [2]. *Gu.* Quoniam autem illæ non poterant adesse perpetuo, quod essent obeunda munia domestica, reliquique conuiuæ consalutandi, continenter adstabat puellula quædam ad omneis iocos instructa [3]: vna satis erat omnium iaculis [4] excipiendis: hæc sustinebat fabulam, donec rediret filia. Nam mater erat natu grandior. *Be.* Sed qualis erat tandem apparatus? Nam fabulis non expletur venter. *Gu.* Profecto lautus, vt ego mirer, illos tam vili posse accipere hospites. Rursus peracto conuiuio, lepidis fabulis alunt hominem, ne quid obrepat tædii. Mihi videbar domi esse, non peregre. *Be.* Quid in cubiculis? *Gu.* Illic nusquam non aderant aliquot puellæ, ridentes, lasciuientes, lusitantes: vltro rogabant, si quid haberemus vestium sordidarum: eas lauabant, ac lotas reddebant. Quid multis? Nihil illic vidimus præter puellas ac mulieres, nisi in stabulo: quanquam & huc frequenter irrumpebant puellæ. Abeuntes complectuntur, tantoque affectu dimittunt, ac si fratres essent omnes, aut propinquæ cognationis. *Be.* Fortassis isti mores decent Gallos; mihi magis arrident Germaniæ mores, vtpote masculi. *Gu.* Mihi nunquam contigit videre Germaniam: quare te quæso, ne grauere commemorare, quibus modis

2 Indigitauit itaque Lugdunum Gallorum, non Batauorum. 3 abgerichtet. 4 iocis dicteriis, scommatibus; Germanis in Prouerbio est; ein Wort sey kein Pfeil; sunt tamen qui verbis vtuntur pro iaculis Ps. LXIV, 4. Eccl. XII, 11.

dis accipiant hospitem [5]. *Be.* An vbique sit eadem tractandi ratio, nescio: quod ego vidi, narrabo. Aduenientem nemo salutat, ne videantur ambire hospitem [6]. Id enim sordidum & abiectum existimant, & indignum Germanica seueritate. Vbi diu inclamaueris, tandem aliquis per fenestellam æstuarii * (nam in his degunt fere vsque ad solstitium æstiuum) profert caput, non aliter quam e testa prospicit testudo. Is rogandus est, an liceat illic diuersari. Si non renuit, intelligis dari locum. Rogantibus vbi sit stabulum, mota manu commonstrat. Illic licet tibi tuum equum tractare tuo more. Nullus enim famulus manum admouet. Si celebrius est diuersorium, ibi famulus commonstrat stabulum, atque etiam locum equo minime commodum. Nam commodiora seruant [7] venturis, præsertim nobilibus. Si quid causseris [8], statim audis; Si non placet, quære aliud diuersorium. Fœnum in vrbibus ægre ac perparce præbent, nec multo minoris [9] vendunt, quam ipsam auenam. Vbi consultum est equo [10], totus commigras in hypocaustum, cum ocreis, sarcinis, luto; id est vnum omnibus commune. *Gu.* Apud Gallos designant cubicula, vbi sese exuant, extergant,

5 Laudauit Galliæ hospitia, nunc perstringit Pandochea Germanorum. 6 als wenn sie viel nach Gästen fragten/ als wenn sie des Gastes was achteten. Singul. pro Plurali, Indiuiduum pro Specie. * Id est, hypocausti: hoc Græcum est, illud Latinum. 7 Germ. referuant, sie heben sie auf/ behalten sie vor. 8 desideres, accuses, vituperes. 9 nicht viel wohlfeiler/ fast eben so thewer. 10 prospectum est.

gant, calfaciant, aut quiescant etiam, si libeat. *Be.* Heic nihil tale. In hypocausto exuis ocreas; induis calceos; mutas, si voles, indusium; vestes pluuia madidas suspendis iuxta hypocaustum; ipse te admoues, vt sicceris. Est & aqua parata, si libeat lauare manus, sed ita munda plerumque [11], vt tibi post alia quærenda sit aqua, qua lotionem eam abluas. *Gu.* Laudo viros nullis deliciis effœminatos. *Be.* Quod si tu appuleris [12] ad horam a meridie quartam, non cœnabis tamen ante nonam, nonnunquam & decimam. *Gu.* Quam ob rem? *Be.* Nihil apparant, nisi videant omnes, vt eadem opera ministretur omnibus. *Gu.* Quærunt compendium. *Be.* Tenes [13]. Itaque frequenter in idem hypocaustnm conueniunt octoginta aut nonaginta, pedites, equites, negociatores, nautæ, aurigæ, agricolæ, pueri, fœminæ, sani, ægroti. *Gu.* Isthuc vere cœnobium est [14]. *Be.* Alius ibi pectit caput, alius abstergit sudorem, alius repurgat perones [15] aut ocreas [16], alius eructat allium [17]. Quid multis? Ibi linguarum ac personarum non minor est confusio, quam olim in turri Babel. Quod si quem conspexerint peregrinæ gen-

11 so sauber / reinlich wie Mist-Pfütze / Leim-Jauche. 12 aduentaueris, aduéneris. 13 du trifft es / du hast recht. 14 non monasterium; a κοινός communis & βίος vita, vitæ communio. Ein gemeinschafftliches Leben / gemeinsames / ein einsames Leben. Subinnuit differentiam inter monasterium atque cœnobium, quod vtrumque Germanus exprimit per vocabulum: Kloster-Leben / Mönchs-Leben / Mönchs-Stand / Kloster. 15 Halb-Stiefel / Bauer Stiefel. 16 Beinschienen / Reit-Stiefel. 17 dem rültzet der Knoblauch auf / der rültzet Knoblauch aus.

gentis, qui cultu dignitatis nonnihil præ se ferat, in hunc intenti sunt omnes defixis oculis, contemplantes [18], quasi nouum aliquod animantis genus adductum sit ex Africa *; adeo vt postea quam accubuerint, reflexo in tergum vultu, continenter aspiciant, nec dimoueant oculos, cibi immemores. *Gu.* Romæ, Lutetiæ ac Venetiæ nemo quidquam miratur. *Be.* Nefas est interim tibi quidquam petere. Vbi iam multa est vespera, nec sperantur plures aduenturi, prodit famulus senex, barba cana, tonso capite, vultu toruo, sordido vestitu [19]. *Gu.* Tales oportebat Cardinalibus Romanis esse a [20] poculis. *Be.* Is circumactis oculis tacitus dinumerat, quot sint in hypocausto: quo plures adesse videt, hoc vehementius accenditur hypocaustum, etiamsi alioqui sol æstu sit molestus. Hæc apud illos præcipua pars est bonæ tractationis, si sudore diffluant [21] omnes. Si quis non assuetus vapori, aperiat rimam fenestræ, ne præfocetur, protinus audit, Claude. Si respondeas. Non fero [22]: audis, Quære igitur aliud diuersorium.

18 Sie sperren Maul und Nasen auf. vel: Maul/ Augen/ Nasen und Ohren auf. * vnde Prouerb. Africa semper aliquid affert noui. 19 Est Hypotypica Prosopographia. 20 Præpositio a, vel ab, officium vel munus notat cum Verbo est: vt esse a pedibus, consiliis, secretis, concionibus, epistolis, manu, thesauris, rationibus, confessione. Er ist mein Läuffer/ Rathgeber/ Secretair, Prediger/ Copist/ Brieff-Steller/ Amanuensis, Schatz-Meister/ Rechen- oder Rent-Meister/ Beicht-Vater. a poculis, mein Mundschencke/ Auffwärter bey der Taffel. 21 über den gantzen Leib schwitzen/ daß man trieffet. 22 Ich kans nicht vertragen/ nicht ausstehen/ die Hitze ist zu groß/ unerträglich.

rium. *Gu.* Atqui mihi nihil videtur esse periculosius, quam tam multos haurire eundem vaporem, maxime resoluto corpore, atque heic capere cibum, & horas complures commorari. Iam enim omitto ructus alliatos, & ventris flatum, halitus putres: multi sunt qui morbis occultis laborant, nec vllus morbus non habet suum contagium. Certe plerique scabiem habent Hispanicam, siue, vt quidam vocant, Gallicam, cum sit omnium nationum communis. Ab his, opinor, non multo minus esse periculi, quam a leprosis. Iam tu diuina, quantum discriminis sit in pestilentia. *Be.* Sunt viri fortes, ista rident ac negligunt. *Gu.* Sed interim multorum periculo fortes sunt. *Be.* Quid facias? Sic assueuerunt: & constantis est animi, non discedere ab instituto. *Gu.* Atqui ante annos viginti quinque nihil receptius erat apud Brabantos, quam thermæ * publicæ: eæ nunc frigent vbique. Scabies enim noua docuit nos abstinere. *Be.* Sed audi cætera. Post redit ille barbatus Ganymedes ** ac linteis insternit mensas [23], quot putat esse satis illi numero. Sed ô Deum immortalem, quam non Milesiis * ! cannabea diceres ex antennis detracta. Destinauit enim vnicuique mensæ conuiuas, vt minimum octo. Iam quibus est notus mos patrius, accumbunt, vbi cuique libitum fuerit. Nullum enim discrimen inter pauperem & diuitem, inter herum ac famulum. *Gu.* Hæc est illa

* Balnea proprie, quæ sua natura calida sunt. Vocantur autem Thermæ, quæ arte calescunt. ** Ironice dixit Ganymedem, quod hic puer delicatus Ioui sit a poculis. 23 Er deckt die Tische. * Milesia texta, mollia.

illa vetus æqualitas, quam nunc e vita ſubmouit tyrannis. Sic opinor vixiſſe Chriſtum cum ſuis diſcipulis. *Be.* Poſtquam accubuerunt omnes, rurſum prodit toruus ille Ganymedes [24], ac denuo dinumerat ſua ſodalitia: mox reuerſus apponit ſingulis pinacium * ligneum, & cochleare ex eodem argento factum, deinde cyathum vitreum: aliquanto poſt, panem: eum ſibi quisque per otium repurgat, dum coquuntur pultes. Ita nonnunquam ſedetur ferme horæ ſpacio. *Gu.* Nullus hoſpitum interim efflagitat cibum? *Be.* Nullus, cui notum ſit regionis ingenium. Tandem apponitur vinum, Deus bone, quam non fumoſum! Non aliud oportebat bibere Sophiſtas; tanta eſt ſubtilitas & acrimonia. Quod ſi quis hoſpes, etiam oblata priuatim pecunia, roget vt aliunde paretur aliud vini genus, primum diſſimulant, ſed eo vultu, quaſi interfecturi: ſi vrgeas, reſpondent; Heic diuerſati ſunt tot Comites & Marchiones, neque quisquam queſtus eſt de vino meo: ſi non placet, quære tibi aliud diuerſorium. Solos enim nobiles ſuæ gentis habent pro hominibus, & horum inſignia nusquam non oſtentant. Iam igitur habent offam, quam obiiciant latranti ſtomacho: mox magna pompa veniunt diſci. Primus ferme habet offas panis madefactas iure carnium, aut, ſi dies eſt

24 Der ſauerſichtige Haußknecht / Auffwärter. * Πίναξ tabulam ſignificat proprie latam & tenuem: vnde diminutiuum pinacium, quod nunc pro tabella, nunc pro ſcutella ponitur. Schüßelchen von Holtze.

est pisculentus, iure leguminum. Deinde aliud ius, post aliquid carnium recoctarum, aut salsamentorum [25]. Rursus pultis aliquid, mox aliquid solidioris cibi, donec probe domito stomacho apponant carnes assas aut pisces elixos, quos non possis omnino contemnere: sed heic parci sunt, & subito tollunt. Hoc pacto totum conuiuium temperant, quemadmodum solent actores fabularum, qui scenis admiscent choros; ita isti alternis miscent offas ac pultes. Curant autem, vt extremus actus sit optimus *. *Gu.* Et hoc est boni Poetæ. *Be.* Porro piaculum sit, si quis interim dicat: Tolle hunc discum; nemo vescitur. Desidendum est vsque ad præscriptum spacium, quod illi clepsydris, vt opinor, metiuntur. Tandem prodit ille barbatus, aut pandocheus ** ipse, vestitu minimum a famulis differens: rogat, ecquid animi nobis sit. Mox adfertur vinum aliquod generosius. Amant autem eos qui bibunt largius, cum nihilo plus soluat ille, qui plurimum hauserit vini, quam qui minimum. *Gu.* Mirum gentis ingenium. *Be.* Cum nonnunquam sint qui duplo plus absumant in vino quam soluant pro conuiuio [26]. Sed antequam finiam hoc conuiuium, dictu mirum, quis sit ibi strepitus ac vocum tumultus, postquam omnes cœperunt incalescere potu. Quid multis? Surda omnia

[25] aufgewärmt Böckel-Fleisch / eingesaltzen Fleisch oder Fische.
* Sententia Ciceronis est. Alluditur ad actus fabulæ, quorum vltimus est quintus. Vide prouerb. Supremum fabulæ actum. ** Ipse hospes, qui accipit omnes. 26 continuat sermonem a collocutore per admirationem interruptum.

mnia [27]. Admiſcent ſe frequenter ficti moriones, quo genere hominum cum nullum ſit magis deteſtandum, tamen vix credas, quantopere delectentur Germani: illi cantu, garritu, clamore, ſaltatione, pulſu faciunt, vt hypocauſtum videatur corruiturum, neque quisquam alterum audiat loquentem. At interea videntur ſibi ſuauiter viuere: atque illic deſidendum eſt volenti nolenti vsque ad multam noctem. *Gu.* Nunc tandem abſolue conuiuium, Nam me quoque tædet tam prolixi. *Be.* Faciam, Tandem ſublato caſeo, qui vix illis placet niſi putris ac vermibus ſcatens, prodit ille barbatus, adferens ſecum pinacium eſcarium, in quo creta pinxit aliquot circulos ac ſemicirculos: id deponit in menſa, tacitus interim ac triſtis; Charontem [28] quempiam diceres. Qui agnoſcunt picturam, deponunt pecuniam, deinde alius, atque alius, donec expleatur pinacium. Deinde notatis qui depoſuerunt, ſupputat tacitus: ſi nihil deſit, annuit capite. *Gu.* Quid ſi quid ſuperſit? *Be.* Fortaſſe redderet, & faciunt hoc nonnunquam. *Gu.* Nemo reclamat iniquæ rationi? *Be.* Nemo qui ſapit. Nam protinus audiret, Quid tu es hominis [29]? Nihilo plus ſolues quam alii. *Gu.* Liberum hominum genus narras. *Be.* Quod ſi quis ex itinere laſſus, cupiat mox a cœna petere lectum, iubetur

27 Es hört niemand/ es iſt alles taub. Es plaudert alles durcheinander. 28 Charon notus Poëtis nauta, transuehens animas per Styga & Acherontem. Er ſieht aus wie der Geyer/ sauer/ wie der Hencker/ wie der Tod. 29 Was biſt du vor ein Kerl? was bildeſt du dir ein/ was denckſt du wohl?

betur exspectare, donec cæteri quoque eant cubitum. *Gu.* Videor mihi videre ciuitatem Platonicam*. *Be.* Tum suus cuique nidus ostenditur, & vere nihil aliud quam cubiculum: tantum enim ibi lecti sunt, & præterea nihil quo vtaris, aut quod fureris [30]. *Gu.* Illic mundities est? *Be.* Eadem quæ in conuiuio: lintea [31] forte lota ante menses sex. *Gu.* Quid interim fit de equis [32]? *Be.* Ad eandem disciplinam tractantur, ad quam homines. *Gu.* Sed est eadem vbique tractatio? *Be.* Alicubi ciuilior est, alicubi durior quam narraui: verum in genere talis est. *Gu.* Quid si ego tibi nunc narrem, quibus modis hospites tractentur in ea parte Italiæ quam Longobardiam vocant; rursus in Hispania; deinde in Anglia, & in Walia? Nam Angli partim Gallicos, partim Germanicos mores obtinent, vt ex his duabus gentibus mixti. Wali se prædicant αὐτόχθονας* Anglos. *Be.* Quæso te, vt narres. Nam mihi nunquam contigit eas adire. *Gu.* In præsentia non est otium. Nam nauta iussit, adessem ad horam tertiam, nisi vellem relinqui; & habet sarcinulam: alias dabitur opportunitas ad satietatem vsque garriendi.

ADO-

---

* Vbi æqualia sunt omnium omnia. 30 clam subducas, furripias. 31 Leilachen/ Bett-Tücher/ Zichen. 32 Wie stehets um die Pferde? Potest etiam Præpositio De eleganter omitti: Quid interim fit equis? vt: Quid Tulliolâ meâ vel: Tulliolæ meæ fiet? pro: de Tulliola mea. Cic. ad Terent. l. 14. Wie wirds meiner Tulliolæ gehen/ wie wirds um meine Tulliolam stehen. * Id est, indigenas: aiunt enim, Anglos cæteros ex Gallis & Saxonibus esse mixtos.

ADOLESCENTIS ET SCORTI.

LVCRETIA, SOPHRONIVS *.

EVge mi lepidiſſime Sophroni, tandem nobis redditus es? Nam mihi videris abſuiſſe ſæculum. Prima fronte vix te agnoſcebam. *So.* Quam ob rem, mea Lucretia? *Lu.* Quia pro imberbi nobis rediſti barbatulus. Quid rei eſt, meum corculum? Nam videre [1] ſolito toruior. *So.* Cupio tecum ſeorſim colloqui familiarius. *Lu.* Au, au, non ſolæ ſumus, mea mentula [2]? *So.* Secedamus in locum ſecretiorem. *Lu.* Age concedamus in cubiculum interius, ſi quid libet. *So.* Nondum hic locus mihi videtur ſatis ſecretus. *Lu.* Vnde iſte nouus pudor? Eſt mihi muſeion *, vbi repono mundum meum, locus adeo obſcurus, vt vix ego te viſura ſim, aut tu me. *So.* Circumſpice rimas omnes. *Lu.* Rima nulla eſt. *So.* Nullus eſt in propinquo, qui nos exaudiat? *Lu.* Ne muſca quidem, mea lux. Quid cunctaris? *So.* Fallemus heic oculos Dei? *Lu.* Nequaquam: ille perſpicit omnia. *So.* Et angelorum? *Lu.* Illorum oculos non licet effugere. *So.* Qui fit igitur, vt non pudeat

* Sobrius factus, continentis ſanæque mentis; qui reſipuit, ex σῶς ſanus & φρὴν mens, vnde σωφρονέω Reſipiſco, ſum ſanioris mentis. Totus enim mutatus fuerat Sophronius ab illo, qui fuerat antea. 1 Videris, Perſona namque ſecunda Vocis Paſſiuæ vſitatius in *re*, quam in *ris* terminatur obſeruante Chriſtoph. Arnoldo in Ornatu Lat. Ling. cap. IV. de Permutat. Verbi. Reg. 90. 2 Deminutiuum a mens, mein Gretchen; ſed æquiuocum, cum membrum quoque ſignet virile; & quidem vel maxime ac potiſſimum. * Muſeion pro ſecretiore cubiculo dictum eſt,

deat homines id facere coram oculis Dei ac testibus sanctis angelis, quod puderet facere in conspectu hominum [3]? *Lu.* Quid hoc nouæ rei est? venisti huc concionaturus? indue cucullam Franciscanam, conscende suggestum & audiamus te, barbatule [4]. *So.* Nec istud grauarer facere, si te queam ab isto vitæ genere reuocare, non solum turpissimo, verum etiam miserrimo. *Lu.* Quam ob rem, ó bone? victus alicunde parandus est: sua quemque alit ars; hoc est nostrum opificium, hic fundus* noster. *So.* Optarim, mea Lucretia, vt excussa paulisper ista animi temulentia, rem ipsam mecum consideres. *Lu.* Serua concionem tuam in aliud tempus; nunc viuamus**, mi Sophroni. *So.* Tu quæstus gratia facis quidquid facis. *Lu.* Non multum aberrasti a scopo. *So.* Nihil decedet tuo lucro; dabo quadruplum, vt auscultes tantum. *Lu.* Dic quæ voles. *So.* Primum illud mihi responde: Habesne [5] quæ tibi male volunt? *Lu.* Non vnam. *So.* Et quas tu vicissim odisti? *Lu.* Vt merentur. *So.* Proinde si possis illis facere rem gratam, faceresne? *Tu.* Citius miscerem illis toxicum [6]. *So.* Atqui cogita nunc, an illis quidquam potueris facere gratius, quam quod vident, te viuere hanc vitam dedecorosam ac miserrimam. Quid autem poteras facere molestius his, qui tibi bene volunt? *Eu.* Sic erat fatum meum. *So.* Iam quod

---

3 Desumpta hæc sunt ex Sirac. XXIII. v. 23. sqq. 21. 28. 29.
4 Du Groß-Barth per Ironiam; minime barbate, du alter Vater scil. * Id est, reditus. Nam fructus annuos reddit fundus. ** Pro Gaudeamus, siue lætè agamus. 5 quasdam mulieres, fœminas. 6 venenum.

quod esse solet omnium difficillimum iis, qui deportantur in insulas, aut relegantur ad extremos orbis barbaros, hoc tu tibi tuapte sponte sumsisti[7]. *Lu.* Quidnam est istud? *So.* An non sponte renuntiasti omnibus affectibus, Patri, Matri, fratribus, sororibus, Amitæ, Materteræ, cæterisque quoscunque tibi natura coniunxit? Nam & illos tui pudet, nec tu sustines[8] in illorum venire conspectum. *Lu.* Imo feliciter commutaui affectus meos: pro paucis enim nunc habeo plurimos, quorum tu es vnus, mihi fratris loco semper habitus. *So.* Mitte iocos, ac rem ipsam, vt habet, expende serio. Quæ tam multos habet amicos, ea nullum habet amicum, mihi crede, Lucretia. Nam qui ad te commeant, non habent te pro amica, sed pro matula[9] potius. Vide quo te ipsam deieceris, misera. Christus te tam caram habuit, vt suo sanguine redemerit, vt te cœlestis hæreditatis consortem esse voluerit; & tu te facis cloacam publicam, ad quam commeant quilibet sordidi, impuri, scabiosi, suamque spurcitiam in te repurgant. Quod si nondum eius lepræ contagium[10], quam vocant scabiem Hispanicam, attigit te, non diu poteris effugere. Quod si fiat, quid te infelicius, etiamsi cætera essent secunda, puta[11] res & fama? quid aliud eris, quam viuum cadauer? Matri grauabaris[12] esse morigera; nunc seruis

7 Est Hyperbaton, Hysteron proteron aut Synchysis; vbi id, quod primum esse debebat, secundo loco ponitur. 8 audes. 9 vas est in quod vrina redditur. Ein Nacht-Scherben/ Kammer-Topff/ Nacht-Topff. 10 ansteckende Seuche/ Unfältigkeit. 11 nempe, als nehmlich. 12 detrectabas, recusabas.

uis lenæ turpissimæ. Parentis audire monita tædebat; heic sæpe tibi vapulandum est [13] ab ebriis & insanis scortatoribus. Pigebat aliquid operis facere domi, quo victum quæreres; heic quos tumultus [14], quæ peruigilia sustines! *Eu.* Vnde nobis hic concionator nouus? *So.* Iam mihi [15] & illud fac cogites. Iste formæ flos, qui tibi conciliat amatores, breui defluxerit. Quid tum facies, misera? Quod sterquilinium te fuerit abiectius? Fies ex meretrice lena [16]. Non omnibus contingit ista dignitas: & si contingat, quid sceleratius, aut quid diabolicæ malitiæ vicinius? *Eu.* Vera sunt, mi Sophroni, propemodum, quæ dicis, omnia. Sed vnde tibi ista noua sanctimonia, qui soleas esse nugator omnium nugacissimus? Nemo te vno frequentius aut intempestiuius huc commeabat. Audio, te fuisse Romæ. *So.* Fui. *Eu.* Atqui inde solent redire deteriores [17]. Quo pacto tibi diuersum accidit? *So.* Dicam: quia non eodem animo modoque Romam adii. Cæteri fere ideo eunt Romam, vt redeant deteriores: & ad eam rem ibi supetunt affatim occasiones. Ego cum probo viro profectus sum, cuius hortatu pro lage-na

13 sæpe verberanda es. Du must dich schlagen lassen/ du must es leyden/ daß du geschlagen wirst. 14 quas perturbationes, turbas, inquietudines. 15 Dat. Personæ eleganter abundat; mir zu Gefallen. Bedencke mir nur dieses. Fac cogites i. e. cogita, per Periphrasin Verbi. 16 Huren-Wirthin/ alte Kupplerin. 17 Hinc Baptista Mantuanus:

Roma vale, vidi: satis est vidisse; reuertar
Cum leno aut meretrix, scurra, cynædus ero.

Et apud Belgas in prouerbium abiit: Quo quis propior Romæ, eo peior Christianus.

na libellum mecum attuli, *Nouum Testamentum ab Erasmo versum. Lu.* Ab *Erasmo? Aiunt, illum esse sesquihæreticum*[18]. *So.* Num & huc peruenit illius viri nomen? *Lu.* Nullum celebrius apud nos. *So.* Vidistin' hominem? *Lu.* Nunquam; sed optarim vidisse, de quo tam multa audiui mala. *So.* Fortassis a malis. *Lu.* Imo a viris reuerendis. *So.* A quibus? *Lu.* Non expedit dicere. *So.* Quam ob rem? *Lu.* Quia si tu effutires[19], & res permanaret ad illos, meo quæstui non minima portio decederet. *So.* Ne metue; lapidi dixeris[20]. *Lu.* Admoue aurem *. *So.* Inepta, quid opus est admota aure, cum simus soli? an[21], ne Deus exaudiat? Pro Deum immortalem[22]! video te piam meretricem, quæ mendicos subleues eleemosyna. *Lu.* At ego ex istis mendicis plus capio lucri, quam ex vobis diuitibus. *So.* Spoliant matronas bonas, vt effundant in meretrices malas. *Lu.* Sed perge de libro. *So.* Faciam, & præstat[23]. Ibi me docuit Paulus, qui nescit mentiri, quod nec scorta, nec scortatores regni cœlestis hæreditatem consequen-

18 semi & totum. Anderthalb/ ein gantzer und halber/ Ketzer. 19 propalares, wenn du es auswüschest/ austrügest. 20 Du solst es einem Steine/ der Ofen-Banck/ dem Schemmel/ der Streu-Sand-Büchse/ dem Glase/ der Schachtel & quicquid est rei inanimatæ & loquela carentis, gesagt haben. i. e. Ich will so wenig wieder davon reden/ als diese oder jene leblose und sprachlose Sachen. * Est hoc vsu receptum, vt res silendas etiamsi duo soli sint in agro, tamen qui loquitur dicat voce submissiore, quum nihil sit opus. 21 sc. admouebo. 22 Iam post admotam aurem respondet ad ea, quæ in aurem acceperat de Monachis mendicitatem professis. Subleuare autem est iuuare, adiuuare. Erleichtern/ erträglich machen/ helffen/ beyspringen. 23 satius est.

quentur [24]. Hoc vbi legissem, sic cœpi cogitare apud me: modica res est, quam exspecto ex hæreditate paterna; & tamen malim renuntiare scortis omnibus, quam a Patre exhæredari: quanto magis cauendum est, ne me exhæredet Pater cœlestis [25]? Et aduersus exhæredantem aut abdicantem Patrem aliquod præsidium porrigunt humanæ leges: aduersus exhæredantem Deum nihil est suffragii. Itaque mihi protinus interdixi omnem scortorum vsum [26]. *Lu.* Si quidem possis continere. *So. Bona continentiæ pars est, ex animo continentem esse velle.* Postremo superest extremum mali remedium, vxor. Romæ in pœnitentiarii sinum totum Augiæ stabulum [27] effudi: is multis prudenter hortatus ad puritatem animi & corporis, ad sacram lectionem, ad crebras preces, ad vitæ sobrie-

24 Ephes. V. v. 5. 25 Docet hic efficaciam verbi diuini intrinsecam conuertendi hominum corda; quam expertus est Augustinus, Hilarius, Iudæus Gerson, qui Noui Test. codicem sibi oppignoratum curiositatis gratia legens conuersus est. Vide Hist. Eccles. & Epitomen Gersonis Talmudicam in Epist. Dedicatoria p. 26. sqq. it. Dauroultium Iesuitam in Catechef. Hist. c. I. tit. II. cap. III. tit. 77. 26 interdixi mihi omni scortorum vsu. Multa enim dantur Verba cum Datiuo, quæ in eodem sensu diuersos Casus adsciscunt, vt est in Grammat. Rhenii sub Reg. 62. notatum. p. m. 325. sqq. Sic: Aspergo tibi labem; & aspergo te labe. Ich sprenge dir an/ was? ich sprenge dich an/ womit? Habitare syluas die Wälder bewohnen; was? Habitare in syluis, wohnen in denen Wäldern/ wo? 27 omnem malorum, sordium lernam, paludem. Augiæ stabulum tantum habuit congesti fimi; quantum ter mille boues triginta annis reddere potuerunt; quod cum Augias Herculi purgandum locauisset, Hercules Alpheum fluuium immisit, eiusque aquis bubile eluit. Sic est in fabulis Poëtarum.

brietatem, pro pœna nihil aliud indixit, quam vt flexis genibus ad summum altare dicerem psalmum, Miserere mei Deus: &, si mihi suppeteret pecunia, darem egenti cuipiam Carolinum vnum [28]. Admiranti mihi quod pro tot scortationibus tantillum pœnæ infligeret, satis facete respondit; Fili, inquit, si vere pœnitet, si vitam commutas, nihil moror pœnam [29]: sin perges, ipsa libido tandem abs te plus satis pœnarum exiget [30], etiamsi sacerdos non indicat. Me vide lippum, tremulum, incuruum: at olim talis eram, qualem te hactenus fuisse prædicas. Sic ego *resipui* [31]. *Lu.* Ergo, vt video, perdidi meum Sophronium. *So.* Imo lucrifecisti. Nam ante perierat, nec sibi amicus, nec tibi. Is nunc te vere amat, ac tuam sitit salutem. *Lu.* Quid igitur suades, mi Sophroni? *So.* Vt quamprimum te subducas ab ista vita. Adhuc puella es, quod contractum est labis, potest elui. Aut nube marito; nos aliquid ad dotem conferemus [32]: aut confer te in collegium ali-

28 Ein Caroliner; genus monetæ Caroli V. effigie insignitum atque excusum, subintelligitur aut imperialis aut florenus. 29 nihil curo mulctam, Ich frage nach der Straffe nichts. 30 Nolite putare, Cicero inquit pro Roscio Amerino, quemadmodum in fabulis sæpe videtis, eos, qui aliquid impie scelerateque commiserint agitari & perterreri Furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus & suus terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat amentiaque afficit, suæ malæ cogitationes conscientiæque terrent; hæ sunt impiis assiduæ domesticæque animi furiæ. 31 Sophronius factus sum, ad saniorem mentem redii. 32 Obseruat monitum Christi Luc. XXII. v. 32. & memor est promissi Dauidis pœnitentiis Psal. LI. v. 15.

aliquod sacrum, quod lapsas recipit: aut commutato loco dedas te in familiam alicuius honestæ matronæ. Ad horum quodlibet offero tibi operam meam. *Lu.* Amabo te, mi Sophroni, circumspicito; sequar tuum consilium. *So.* Sed interim hinc te submoueto. *Lu.* Hui tam cito? *So.* Cur non potius hodie quam cras, si dilatio damnum habet, mora periculum? *Lu.* Quo me vertam? *So.* Colliges omnem mundum [33] tuum; eum trades mihi vesperi: famulus clam deferet ad fidelem matronam: aliquanto post ego te producam [34], veluti deambulandi gratia: apud eam matronam latitabis meo sumtu, donec tibi prospexero, id fiet breui. *Lu.* Age mi Sophroni, trado me totam in tuam fidem. *So.* Gaudebis olim facto.

*CONVIVIUM POETICUM**.

HILARIUS, LEONARDUS, CRATO, CONVIVÆ, MARGARETA, CARINUS, EUBULUS, SERULIUS, PARTHENIUS, MUS Seruus Hilarii.

Hi.** *Leuis apparatus, animus est lautissimus.*
Le. *Cœnam sinistro es auspicatus omine.*
Hi. *Imo absit omen triste. Sed cur hoc putas?*
Le. *Cruenti Iambi haud congruunt conuiuio* [1].

Cr.

33 ornatum, vestitum muliebrem. 34 addúcam, edúcam, proferam.

* Criticum, Logicum & Philologicum. ** Iambici trimetri sunt. 1 Ἴαμβος sic appellatur ἀπὸ τοῦ ἰάπτειν, conuitiari maledicere.

Cr. Euge, certum est adesse Musas, effluunt carmina imprudentibus [2].

Hi. * *Si rotatiles Trochæos maueli, en accipe:*
Vilis apparatus heic est, animus est lautissimus.

Quanquam & Iambi olim ad rixas ac pugnas nati, post didicerunt omni seruire [3] materiæ. O pepônes! habetis pepônes [4] in horto nostro natos. En lactucas sessiles *, succo tenerrimo, suo nomini respondentes. Has delicias quis sanus non præferat apris, murænis, & attagênis [5]? *Cr.* Si licet in conuiuio poëtico vera loqui, quas tu lactucas vocas, betæ sunt. *Hi.* Hoc omen auertant superi. *Cr.* Sic res habet, vide figuram. Tum vbi succus lacteus? vbi molles aculei? *Hi.* Facis vt addubitem. Heus accerse huc famulam. Margareta, Tisiphone [6], quid tibi venit in mentem, vt pro lactucis nobis apponeres betas? *Ma.* Data opera [7] feci. *Hi.* Quid ais, venefica? *Ma.* Volebam ex-

2 inopinatis, præter opinionem, intentionem, non opinantibus; quales fortuito effusos versus ex N. Test. Græcos allegaui in Grammat. mea maiori Græca, quam Anthologiam seu Florilegium, Blumen-Lese der Griechischen Grammatic, inscripsi; p. 1258, v. g. Iac. I. v. 17. ex Iac. IV, 4. Tit. I. v. 12. & aliunde. * Trochaici sunt tetrametri. 3 Alludit ad Nicandri Scholiastæ etymologiam Iambum sic vocari censentis a Iambe serua, quæ Cererem huiusmodi carmine oblectauerit, cum Proserpinam quærens saxo mœsta insideret; vt est in fabulis. 4 Pepon, ŏnis, penult. Genit. correpta. Eine Melone / Pfebe. * Quod non erigant sese, sed humi se spargant, lateque diffundant. 5 Attagêna æ, idem quod Attagen, ênis. Hasel-Hun. 6 Furia irata, Du Here/Furie. 7 studio, studiose, cum proposito.

experiri, an inter tot poetas esset, qui lactucam dignosceret a beta: nam scio, te non posse dignoscere. Dic ite mihi bona fide [8], quis animaduertit esse betas? *Co.* Crato. *Ma.* Facile diuinabam, non fuisse poëtam. *Hi.* Si quid tale posthac designabis [9], ego te pro Margareta vocabo Bliteam [10]. *Co.* Ha ha hæ. *Ma.* Istæ nomenclaturæ nec obesiorem me reddunt, nec macilentiorem: sæpe vicies in die mihi commutat nomen. Vbi quid cupit eblandiri, vocat me Galateam *, Euterpen, Calliopen, Callirrhoën, Melissam, Venerem, Mineruam. Quid non? Vbi quid stomachatur, repente fio Tisiphone, Megæra, Alecto, Medusa, Baucis, aut aliud, quidquid illi suggesserit splendida bilis **. *Hi.* Abi hinc cum tuis betis, Blitea. *Ma.* Quorsum attinebat huc euocare? *Hi.* Vt redires vnde veneras. *Ma.* Vetus dictum est, Procliuius est euocare cacodæmonem, quam abigere. *Co.* Ha ha hæ [10], apposite. Vt tibi res habet, Hilari, opus est

---

8 auf rechte Treue/ Trau / ohne Schertz. 9 per signa demonstrabis, anzeigen/ andeuten/ zu verstehen geben wirst. 10 inutilem, insulsam & vecordem, unnütz/ ungeschlieffen. Allusit vero voce Margaretæ ad gemmam margaritam: Du solst keine Margareta keine Perle/ sondern eine Närrin/ eine dumme Tasche heissen. Dum autem Græcis βλίτον est, quod Latinis Beta; vt vnio Latinis, quod μαργαρίτης Margarita Græcis; satis apposita est allusio ex parte nominis vtriusque. * Galatea, a colore lacteo. Euterpe, a delectando; Musæ nomen est. Calliope, a pulchritudine vocis, Callirrhoë, Nympha, quod pulchre fluat. Melissa, apis, opinor fuisse ancillam Chrysippi. Baucis, anus & paupercula, apud *Ouidium*. ** Allusit ad illud *Horat.* Siue aliud nomen, iussit quod splendida bilis, id est insania. 10 Vocula ridentis. Dem Biere war recht gegeben! So recht! Wohlverantwortet! Das war recht!

eſt aliquo carmine magico, quo illam hinc abigas. *Hi.* Habeo in promptu:

*Φεύγετε κανθαρίδες,' λύκος ἄγριος ὔμμε[11] διώκει.

Ma. Quid ais, Æſope? *Cr.* Caue tibi, Hilari: impinget colaphum; ſic abegiſti tuo Græco carmine. O magum egregium! *Hi.* Quid tu credis, Crato, eſſe hanc? Ego tali carmine abegiſſem decem magnos cacodæmones. *Ma.* Pili non facio tuos verſus Græcanicos. *Hi.* Adhibendus eſt igitur, vt video, bombus magicus[12], aut, ſi nec hic ſufficiet, Mercurii caduceum *. *Cr.* Mea Margareta, ſcis Poëtarum genus eſſe afflatum [13], non auſim dicere furioſum: rogo te, vt iſtam rixam in aliud tempus proroges[14], noſque hac cœna vel mea cauſſa ſuauiter tractes. *Ma.* Quid mihi cum iſtius verſiculis? Sæpenumero cum eſt eundum ad macellum, non habet quod numeret, & interim cantillat verſiculos. *Cr.* Sic ſunt Poëtæ. Sed age fac ſodes, quod dico. *Ma.* Equidem faciam in tuam gra-

---

* Hoc carmen Plin. indicat vſurpari ſolere in magicis remediis; id eſt, Fugite cantharides, lupus crudelis vos perſequitur. Cantharis, inſecti genus, venenum habens lethale. 11 ὔμμε. Eſt Accuſat. Poët. pro ὑμᾶς. 12 ſonus quem edunt Magi & incantatores. Ein Getöſe / Summen und Brummen / Gemurmele derer Zauberer und Beſchwörer. * Hac virga dat & adimit ſomnos: hac animas euocat orco, & rurſum quas velit in tartara mittit. Mercurius-Stab. Erat a circumdatum duobus anguibus, dictum a cadendo, quod contentiones & bella eodem cadere faciat Mercurius. 13 ſideratum. Geſchoſſen mit Haſen-Schrot / habe einen Sparren zuviel. 14 differas.

gratiam, quoniam noui te probum, qui nunquam contriueris cerebrum [15] tuum in eiusmodi deliramentis: ac demiror, quo fato in hunc incideris chorum. *Cr.* Vnde id coniectas? *Ma.* Quia nasus obesior, & oculi nitentes, & corpus succulentum. Nunc mihi huius nasum contemplare, & risum Sardonium [16]. *Cr.* Sed obsecro, meum suauium, vt istam iram mihi condones. *Ma.* Abeo: nec postulo, vt quisquam cæterorum hoc nomine mihi gratias agat. *Hi.* Abiitne iam? *Ma.* Non tam procul, quin audiat te. *Ma.* Iam est in culina, secum, nescio quid [17], murmurans. *Cr.* Famulam habes minime mutam. *Hi. Aiunt bonam famulam oportere tribus dotibus esse præditam, vt sit fidelis, vt sit deformis, vt sit ferox, quam vulgo malam vocant. Fidelis non diminuit rem: deformem non ambiunt proci: ferox facile tuetur ius heri sui.* Nam aliquoties opus est non solum lingua, verum etiam manibus. Hæc mea e tribus duas habet virtutes, deformis iuxta ac mala; de fide dubito. *Cr.* Linguam audiuimus, sed ego metuebam tibi a ma-

15 vim feceris ingenio tuo. Der du dir mit solchen/ in solchen Dingen niemahls den Kopff zerbrochen. 16 hämisches Lachen und Zahnblecken. Sardi enim Saturno immolati, vt suam fortitudinem indicarent, amarulente risisse dicuntur. Sunt, qui dicunt in insula Sardorum herbam nasci sapore dulcem, verum gustatam ora hominum in rictus contrahere tantisper, dum veluti ridentes emoriantur. Atque hoc sensu Germanus dicit: zu seinem Unglück lachen. 17 Verba: Opinor, Puto, Arbitror, Credo, Fateor, Nescio, in medio orationis eleganter collocantur, raro in principio, obseruante Arnoldo in Ornatu Lat. Ling. Reg. 25. c. II.

a manibus [18]. *Hi.* Admouete manus [19] peponibus, de lactucis actum est. Etenim si nunc iuberem apponi lactucas, sat scio carduos apponeret. Sunt & melones [20], si quis hoc genere magis capitur. En fici recentes: modo decerptos a matre [21], testatur lac in pedunculo [22]. A ficis [23] solet aqua sumi, ne quid obliment [24] stomachum: en habetis e limpidissimo fonticulo viuam ac frigidissimam, vtilem & vino diluendo. *Cr.* At ego nescio, vtrum vtro diluam, vinum aqua, an aquam vino, adeo mihi hoc vinum videtur haustum ex eodem fonticulo Musarum [25]. *Hi.* Tale vinum conducit acuendis ingeniis Poëtarum, vos crassi crassis delectamini [26]. *Cr.* Vtinam Crassus essem ille beatus! *Hi.* Ego

18 Metuo tibi, i.e. sollicitus sum de te vt amico. Ich trage deinetwegen Sorge / Kummer/ a manibus i. e. a verberibus per Metonym. causæ effic. pro effectu; Du werdest Schläge kriegen/ bekommen / sie werde Hand an dich legen. 19 Langet zu den Melonen/ greiffet zu. 20 Videntur differre pepŏnes atque melŏnes, iuxta Anonymi Versum:

Aurea poma ferunt tum melonas atque pepónes,

vbi penultima in voce: Pepones, producitur, cum Græcis & maxime Homero fuerit correpta. Vocat autem Matthiolus maiores Pepones, minores Melopepones s. Melones: Jenes Pfeben/ dieses Melonen. 21 Vom Stocke/ Baume/ von der Mutter. 22. Stiel. q. s, paruus pes. Das Füßchen / Pfötchen. 23 Auf die Feigen / nach den Feigen. 24 Oblímo i. e. límo s. luto repleo, obduco fæce. Ich verschleime / verkleistere. 25 eadam cella, eodem amne aut fonte, eodem vasculo aquario. 26 Ludit voce Crassi, quæ vel est Adiectiuum, vel Nomen Proprium Romanorum ditissimi; dicitque: Reiche Leute trincken starcken/ ungemischten Wein / arme/ leichten und mit Wasser gemischten; aut: Grobe Leute vergnügen sich an groben Sachen.

Ego malim esse Codrus [27] aut Ennius [28]. Quandoquidem mihi contigit habere conuiuas tam multos, tamque insigniter eruditos, non committam, vt nihilo doctior eos dimittam. Est locus in Prologo Eunuchi, qui multos torquet. Nam plerique codices sic habent:

Si existimet, sciat,
Responsum, non dictum esse, quia læsit prior,
Qui bene [29] *vertendo, & eas describendo male*, &c.

In his verbis desidero sensum argutum, ac Terentio dignum. Nec enim ideo læsit prior, quia male vertit Græcas fabulas: sed quia Terentianas carpserat. *Eu.* Iuxta vulgo iactatum prouerbium: Qui pessime canit, primus incipit [30]. Cum essem Londini apud Thomam Linacrum, virum sic in omni genere Philosophiæ doctissimum, vt nihilo secius has Gramaticorum minutias ad vnguem calleat [31], ostendit mihi codicem mira vetustate, in quo sic habebatur scriptum:

Sic

27 Codrus pauperrimus Poëta, cuius egestas in prouerbium abiit, vt dicatur: Codro est pauperior. Hinc Iuuenalis: Tota domus Codri rheda componitur vna. 28 Poëta itidem, tenui victu parcisque sumptibus victitans. Scipionem Africanum maxime coluit & ita vicissim ab eo est adamatus, vt alter ab altero ne sepultura quidem diuelli voluerit in Via Appia. Virgilius dicere solebat, se aurum ex Ennii sterquilinio colligere, cum quædam ex Macrobio Enniana, cuius scripta integra non extant, fragmenta, mutuaretur. Ouidius de eo scripsit in Tristibus v. 424. Ennius ingenio maximus arte rudis. 29 Benè, pro: Valde. 30 Wer am schlimmsten singt fängt am ersten an. Quo quis est imperitior, eo est audacior. 31 Comprobat id tractatus eius de Emendata Structura Latini sermonis sex libris comprehen-

Sic existimet, sciat,
Responsum, non dictum esse, quale sit, prius
Qui bene vertendo, & eas describendo male,
Ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.
Idem Menandri phasma nunc nuper dedit.

Sic autem ordinandus est sermo, vt *quale sit*, indicet subiiciendum exemplum prioris dicti. Minitabatur, se vicissim reprehensurum aliquid in fabulis eius, a quo fuerat reprehensus. Atque hic negat videri debere conuicium, sed responsum. Qui lacessit, iacit dictum; qui regerit lacessitus, respondet. Huius rei promittit exemplum. Quale sit; quod Græcis dicitur, *οἷον*; Latinis, *quod genus*, aut *veluti*, siue *videlicet*, aut *puta*. Deinde subiicit reprehensionem, in qua, *Prius*, aduerbium, respondet ad alterum aduerbium veluti diuersum, quod sequitur, *Nuper*: quemadmodum Pronomen, *Qui*, respondet ad dictionem, *Idem*. Veteres enim Lauinii fabulas in totum damnat, quoniam iam exciderant ex hominum memoria: in his, quas nuper dedisset, certa notat loca. Mihi videtur hæc germana lectio, verusque Comici sensus, nisi quid dissentit senatus populusque poëticus. *Co.* Imo pedibus omnes in tuam discedimus sententiam. *Eu.* At ego vicissim a vobis quiddam leue ac facillimum discere cupiam; quo pacto metiendus sit hic versiculus;

Ex

sus atque recognitus a Ioachimo Camerario & Caspare Landfidelio Lipf. Medicinam alioquin sub Henrico VIII. Angliæ Rege felicissime professus est Linacer. Commendat eum vberius in Epistolis Noster passim v. g. p. 60, 22.

Ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.

Micate digitis [32]. *Hi.* Opinor, more veterum elidi, s,[33] vt secundo loco sit Anapæstus [34]. *Eu.* Accederem, nisi casus auferendi [35] desineret in, is, natura longam [36]. Itaque submota consonante, nihilo minus manet longa vocalis. *Hi.* Vera prædicas. *Cr.* Si quis illiteratus & ignotus ingrederetur, plane crederet nos inter nos micatione digitorum [36] rusticorum ludum renouare. *Le.* Nos, quantum video, frustra micamus digitis: tu, si potes, expedi. *Eu.* Vide quantula res nonnunquam torquet homines etiam eruditos! præpositio, *Ex*, pertinet ad finem carminis Præcedentis [37]:

Qui bene vertendo, & eas describendo [38] *male, ex*
Græcis bonis Latinas fecit non bonas [39].

Ita

32 Rathet mit einander zu/rechnet es an den Fingern aus. Scandiret an Fingern. 33 in vocibus: Græci^s bonis, per Ecthlipsin ab ἐκθλίβω Extero, elido; vt in Versu Ennii: Spernitur Orator bonus, horridu^s miles amatur. Conf. Cic. ad Brutum p. m. 177. lit. a. edit. Opp. Schreuel. 34 Anapæstus est Pes metricus, qui constat tribus Syllabis prioribus duabus breuibus & vltima longa ⏑ ⏑ – | vt Ănĭmāns. 35 Casus Ablatiuus Pluralis. 36 sc. Syllabam in voce: Græcis. 36 Micare digitis enim est ludere par impar. Einrathen / ob man gerade oder ungerade halte oder habe. 37 Vsus enim Elisionum est non tantum in diuersis dictionibus, sed etiam in diuersis versibus. Quando enim in Versu Hypermetro Syllaba redundat, absorbetur a Versu sequente, qui a Vocali incipit. 38 ordinando. Describere enim Latini vocant interdum, quod Græci διατάσσεσθαι Ordinare. 39 Phasma qui imitatione Menandri scripsit, fuit Plautus; scripsit vero item Lauinius, malus imitator & Poëta ineptus Phasma, vt Andriam Terentius & Cæcilius; Phormionem Terentius & Valerius.

Ita nihil eſt ſcrupuli. *Le.* Sic eſt, per Muſas [40]. *Ca.* Quandoquidem cœpimus micare digitis, velim vt aliquis mihi verſum hunc ex Andria digerat in ſuos pedes:

Sine invidia laudem invenias, & amicos pares.

Nam mihi ſæpe tentanti non ſucceſſit. *Le. Sine in*, Iambus eſt; *vidia*, Anapæſtus: *laudem in*, Spondeus: *venias*, Anapæſtus: *& ami*, rurſus Anapæſtus. *Ca.* Habes iam pedes quinque, & ſuperſunt tres ſyllabæ, quarum prima eſt longa: vt nec Iambum facere poſſis, aut Tribrachyn. *Le.* Profecto vera prædicas. Hæremus in vado [41]: quis nos expediet? *Eu.* Nemo melius, quam qui induxit in hoc vadum. Age, Carine, ne cela, ſi quid habes inter candidos amiculos. *Ca.* Niſi me fallit memoria, videor mihi quiddam tale legiſſe apud Priſcianum, qui docet, apud Latinos Comicos, v, conſonantem, perinde elidi vt vocalem, quemadmodum frequenter in hac dictione, enimvero, ſic vt pars *enie*, faciat Anapæſtum. *Le.* Itaque metire nobis. *Ca.* Faciam. *Sine invidi*, Proceleuſmaticus eſt: niſi mauis elidi, i, per Synæreſin: vt cum Virgilius, *aureo*, ponit in fine Carminis Heroici, pro, *auro*, quod ſi placet, erit primo loco Tribrachys, *dia lau*, Spondeus eſt; *d' inveni*, Dactylus: *as & a*, dactylus: *micos*, Spondæus: *pares*, Iambus. *Sb.* Carinus nos explicuit ex hoc ſane vado [42]. Sed

eſt

40 Iurat per Muſas, more Ethnicorum, qui in aliis atque aliis occaſionibus alios atque alios Deos religioſe inuocabant. 41 in ſalebris, ſyrtibus. Da ſitzen wir; da ſtecken wir im Peche. Mus hæret in pice. 42 ex hoc periculo, ſcrupulo, aus dem Kummer/aus der Noth/ Gefahr geholffen / heraus gewickelt.

eſt in eadem ſcena[43] locus, quem haud ſcio an quisquam animaduerterit. *Hi.* Obſecro profer. *Sb.* Illic hunc in modum loquitur Simo;

Sine vt eueniat, quod volo,
In Pamphilo, vt nihil ſit mora, reſtat Chremes.

Hi. Quid heic te offendit? *Sb.* Cum, *Sine*, ſit minitantis, nihil hoic ſequitur, quod faciat ad minas, Proinde ſuſpicor a Poëta ſcriptum fuiſſe,

Sin eueniat quod volo[44];

vt *Sin* reſpondeat ad *Si*, quod præceſſit,

Si propter amorem vxorem nolit ducere.

Proponit enim ſenex duas partes inter ſe diuerſas; Si Pamphilus ob amorem Glycerii recuſat nuptias, erit quod cum illo expoſtulem: ſin ille non recuſarit, tum mihi reſtat[45] exorandus Chremes. Porro Hyperbaton longius[46] fecit interpellatio Soſiæ, & ſtomachus[47] Simonis in Dauum. *Hi.* Mus, porrige mihi codicem. *Cr.* Committis tu muri codicem? *Hi.* Tutius, quam vinum. Diſpeream niſi verum dixit Sbrulius. *Pa.* Trade mihi codicem, vt oſtendam alium ſcrupulum. In Prologo Eunuchi verſus hic non conſtat[48]:

Habeo alia multa, quæ nunc condonabuntur.

Quanquam enim Comici, Latini præcipue, ſumunt ſibi multam libertatem in hoc genere carminis, tamen nusquam memini illos Senarium claudere Spon-

43 Terentiana, Actus primi. 44 Legunt Plantiniana, Hachiana, Waasbergiana aliæque editiones annotante Arnoldo Montano in ſuis Annotationibus ad h. l. Eraſmi: *Sin euenit.* 45 reſtat, vt exorem Chremetem. Iſt noch übrig/ daß ich dem Chremeti gute Worte gebe. 46 digreſſionem longiorem fecit. 47 ira, excandeſcentia, indignatio. 48 Er iſt nicht richtig/ beſteht nicht.

Spondeo: nisi forte legendum est, Condonabitur, ἀπροσώπως*, aut, Condonabimus, mutato numero personæ. *Ma.* O mores vere poëticos [49]! In ipso limine conuiuii micant digitis *, & librum adhibent. Lusus & litteras præstat seruare in mensas secundas [50]. *Cr.* Non omnino pessimum consilium dat Margareta; obtemperabitur: placato stomacho reuocabimus lusum, interim digitis micabimus in disco [51]. *Hi.* Videte luxum poëticum: Habetis triplex ouorum genus, elixa, assa, frixa: omnia recentissima sunt, intra biduum nata. *Pa.* Ego butyri esum non fero [52]: si frixa [53] sunt oleo, perplacebunt. *Hi.* Abi, puer, disce ex Margareta, in vtro [54] frixa sint. *Mu.* In neutro, inquit. *Hi.* Nec in butyro, nec in oleo? In quo igitur? *Mu.* In lixiuio, vt ait. *Cr.* *Qualis percunctatio, talis responsio.* Quid negotii est dignoscere butyrum ab oleo? *Ca.* Præsertim his, qui tam facile discernunt lactucam a beta. *Hi.* Habetis ouationem [55], sequetur aliquando triumphus. Heus, puer, circum-

* Sine persona. 49 ridiculos, phantasticos! * Rusticorum lusus est, vulgaris etiamnum Italiæ. Vide prouerbium: Dignus quicum in tenebris mices. Metiebantur versus sublatis ac repressis digitis: id mulier putat esse micare digitis. 50 Nach-Tisch. 51 mit den Fingern auf dem Teller unmüßig seyn/ spielen/ i.e. essen. 52 Ich esse keine Butter/kan keine Butter vertragen/ essen. 53 tosta. Frigo, frixi, frixum; vel frigui, frictum, frigĕre, est torrére, Rösten/ im Fett braten/ dörren. Coincidit ratione Præteriti & Supini cum Frigeo. Ich bin kalt/ leyde Frost/ mich friert. 54 worinne? butyro an oleo. In Butter oder in Oel. 55 Lusus est in ouationis vocabulo, quod deriuari potest ab ouis, cum alias sit minor triumphus. Sie werden so mit den Eyern vorlieb nehmen/ einmahl wollen wirs bessern/ besser machen; künfftig/ mit der Zeit soll es besser werden.

cumſer oculos. Nihilne vides heic deeſſe? *Mu.* Permulta. *Hi.* Hæc oua deſiderant condimentum, quo temperetur calor. *Mu.* Quod vis? *Hi.* Dic vt ex contuſis vitis clauiculis [56] mittat nobis ſuccum. *Mu.* Dicam. *Hi.* Quid huc redis inanis? *Mu.* Negat e clauis * ſuccum exprimi ſolere. *Le.* O famulam! *Sb.* Certe fabulis condiemus [57] oua noſtra. In Epodis Horatianis [58] offendi locum quendam, non deprauatum, quod ad ſcripturam attinet, ſed deprauate interpretatum [59], nec a Mancinello [60] ſolum, cæteriſque recentioribus, verum etiam ab ipſo Porphyrione [61]. Locus eſt in car-

56 capreolis, die Gäbelein an den Weintrauben und Reben/damit ſie anklammern. Additi ſunt palmitibus laquei quidam, quibus repit & alligat ſeſe vitis. Hos Plinius vocat clauiculas lib. 23. in Prologo. * Peruerſe reſpondet, quaſi paruos clauos iuſſerit contundi. Nägelchen/ Nagel. 57 conſpergemus, perfricabimus. 58 Epoda eſt genus carminis, cum ſingulis verſibus ſingulæ clauſulæ ſubiiciuntur & quaſi accinuntur, cuiusmodi ſunt apud Horatium, ab ἐπὶ & ᾠδὴ Oda, eine Bey-Ode/ Neben-Geſang. 59 Interpretatus eſt inter illa Participia Præterita Deponentialia, quæ Paſſiuè ſignificant, qualia etiam ſunt: dimenſus von dimetior; adeptus von adipiſcor, commentatus von commentor, deprecatus von deprecor, &c. quæ magno numero collegerunt paſſim Grammatici in Doctr. de Particip. v. g. Geyboldus p. 195. & Rhenius p. 217. Melanchth. recognita ex Scaligero, Ramo, Friſchlino, Wanckelio, aliiſque p. 207. 60 Antonii Mancinelli Veliterni lucubrationes & commentaria in plures Hiſtoricos & Poëtas notat, in quibus quandoque deprehenduntur errores, propter quos tamen laude ſua non eſt defraudandus, quod aliis glaciem fregerit. 61 Prophyrion vetus in Horatium commentator, non confundendus cum Porphyrio Philoſopho, qui floruit Aureliani æuo & a pietate Chriſtiana flagitioſè deſciuit, magnaque rabie conditis voluminibus quindecim in eam inuectus eſt.

carmine, quo canit palinodiam[62] Canidiæ venefica[63]:

Tuusque venter Partum eius[64], & tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lauit,
Vtcunque[65] fortis exilis puerpera.

Existimant enim omnes heic, *Exilis*, nomen esse, cum sit verbum. Adscribam verba Porphyrionis, si tamen illius esse credendum est; *Exilem autem*, inquit, *sub illa specie, quasi puerperio facta sit deformis; per exilitatem corporis maciem naturalem dicit.* Pudendus lapsus, si vir tantus non sensit, metri legem reclamare huic sensui. Neque enim quartus locus admittit Spondeum. Verum Poeta iocatur, illam vere peperisse, quanquam non diu languisset, ac decubuisset a partu, sed statim exilisset e lecto, quemadmodum solent quædam fortes puerperæ. *Hi.* Habemus tibi gratiam, Sbruli, qui tam laute condieris oua nostra. *Le.* Isti non dissimile est, quod legitur in primo Odarum libro. Odæ initium est: *Tu ne quæsieris.* Sic autem habet constans lectio: *Neu Babylonios tentaris numeros[66], vt melius, quidquid erit, pati.* Hunc locum ita transiliunt veteres interpretes, quasi nihil habeat scrupuli: solus Mancinellus, sentiens orationem imperfectam, iubet addi, *possit.* *Sb.* Habes aliquid de hac re compertius? *Le.* Nescio, sed mi-

62 recantat, contrarium dicit, in contrarium verti: sententiam. 63 Vnguentaria fuit Neapolitana, in quam sæpe inuehitur Horatius. 64 quem alii dicunt filium tuum esse suppositium, tuus partus, tuusque filius est. 65 etsi. 66 calculos, quibus ad horoscopi dimensionem & planetarum aspectus determinandos vtuntur.

mihi videtur Horatius Græci sermonis idioma reddidisse, quod nullus poëtarum facit libentius aut frequentius: nam Græcis est familiare, aparemphaton [67] adiungere huic dictioni ὡς & ὥςε. Sic Horatius, *vt pati*, pro, *vt patiaris*. Quanquam quod diuinat Mancinellus, non est prorsus absurdum. *Hi.* Mihi vehementer arridet quod dicis. Curre, Mus, & adfer si quid est reliquum. *Cr.* Quid istuc est nouarum deliciarum? *Hi.* Hic est cucumis sectus in laminulas [68]: hoc, est ius ex coctis intestinis cucurbitæ; conducit lubricandis intestinis. *Sb.* O cœnam vere medicam! *Hi.* Boni consulite. Mox aderit gallina ex corte nostra. *Sb.* Commutabimus tibi nomen, & pro Hilario vocabimus Apicium [69]. *Hi.* Age nunc, ridete quantum voletis [70], cras fortasse serio laudabitis hanc cœnam. *Sb.* Qui sic? *Hi.* Cum senseris tibi probe conditum [71] esse prandium. *Sb.* Fame*? *Hi.* Scilicet [72]. *Cr.* Scis, Hilari, quid prouinciæ te vellem suscipere? *Hi.* Sciam, si dixeris [73]. *Cr.* Chorus canit hymnos quosdam non indoctos, sed per indoctos multis locis deprauatos: eos cuperem tua

---

67 Infinitiuum Modum loco Coniunctiui. 68 breite Schnittlein/ segmentula in latitudinem ducta. Deminut. a lamina, æ, ein Blech/ Blatte/ Blättlein/ Blätchen/ kleine Blätter/ Blätterchen. 69 Romanum heluonem, einen reichen Schlucker/ Schlemmer/ Prasser. 70 Mögt ihr mich doch itzund immer vexiren/ auslachen/ durchziehen/ schrauben. 71 a condio, iui, itum, penult. producta. * Allusit ad dictum Socratis, qui dixit, famem esse condimentum omnium & iucundissimum, & minimo parabile. 72 affirmat particula: Scilicet, nimirum, vtique. 73 Sage mirs nur/ so weiß ichs; vel: wie will ichs wissen/ wenn du mirs nicht sagest?

tua opera nobis restitui: vt autem exemplum proferam, ita canimus:

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?

Ordo dictionis vnius inuersus, geminum vitium inuexit carmini. Nam *hostis*, cum Trochæum efficiat, nullum habet locum in carmine iambico: & *Hero*, Spondeus, non recipitur in sede secunda. Nec dubium est, quin versus ita primum scriptus sit: *Herodes hostis impie.* Iam epithetum, *impie*, mollius cohæret cum hostis, quam cum *Herodes*. Porro quoniam *Herodes* dictio Græca est, η vertitur in ε, in causa vocandi, vt Σωκράτης, ὦ Σώκρατες: quemadmodum & in Ἀγάμεμνον, ω mega recti casus vertitur in o micron [74]. Rursum ita canimus hymnum:

Iesu corona virginum,
Quem mater illa concepit,
Quæ sola virgo parturit.

Dubium non est, quin, *concipit*, sit pronuntiandum. Nam temporis hypallage [75] gratiam etiam addit sermoni. Ridiculum autem est, nos offendi in *concipit*, cum sequatur, *parturit. Hi.* Istius generis & ipse permulta offendi, nec pigebit olim huic rei aliquot dierum opellam dare. Nam mihi videtur Ambrosius in hoc carmine non parum habe-

74. Vide de Vocatiuo Nominum 3. Declinat. Gramm. nostram p. 259. §. 78. Cap. V. Sect. III. Except. I. Singularia in ης per εος declinata, desinunt in Vocat. in ες retracto Accentu. Conf. p. 261. Except. 4. de Barytonis in ων. per ονος quorum Vocat. terminatur in ον. 75 Enallage.

bere gratiæ: adeo fere finit *dimetrum* [76] dictione *trisyllaba*, & cæsuram fere collocat in fine dictionis. Id crebrius apud eum fit, quam vt casus [77] videri possit. Si quæritis exemplum: *Deus creator*, heic est penthemimeris [78], accinitur, *omnium: Polique rector*, accinitur, *vestiens: Diem decoro*, accinitur, *lumine: Noctem soporis*, accinitur, *gratia*. Sed adest gallina satis obesa, quæ mihi totis decem annis peperit oua, & exclusit pullos. *Cr.* Indigna erat quæ necaretur. *Ca.* Si licet aliquid admiscere de studiis seneriorihus, habeo, quod proponam. *Hi.* Modo ne nimium sit tetricum [79]. *Ca.* Non est. Cœpi nuper legere Senecæ epistolas, & in ipso statim portu, quod aiunt, impegi [80]. Locus est in prima epistola: *Et si volueris*, inquit, *attendere, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* In hac sententia affectat nescio quid argutiæ, quod ego non satis assequor. *Le.* Diuinabo, si voles. *Ca.* Maxime. *Le.* Nemo perpetuo peccat. Et tamen luxu, libidine, ambitione, cæterisque vitiis, magna vitæ pars perit, sed multo maior vitæ portio perit nihil agentibus,

---

76 in Genere hoc Iambico quaternario; Dimetrum a. est, quod habet duas mensuras, sed quatuor pedes; vt:

| Iēsū | cŏrō | nă vīr | gĭnūm |

77 fortuitus. 78 Cæsura, qua post duos primos pedes Syllaba remanet dictionem terminans, nempe Syllaba: *tor*, in voce: creator; & vt dictionem finit, ita est principium pedis sequentis. Species enim Cæsuræ sunt quatuor: Trithemimeri, Hephthemimeris, Enhemimeris & Penthemimeris: sunt, qui addant quintam & sextam sc. Monoemimerida & Hendechemimerida. Rhenii Grammat. p. m. 505. sq. 79 austerum, iniucundum, seuerum. 80 allisi.

bus. Porro nihil agere dicuntur, non qui viuunt in otio, sed qui rebus friuolis & nihil ad felicitatem conducentibus occupantur. Inde prouerbium, *Satius est cessare, quam nihil agere.* Sed tota vita perit aliud agentibus. Aliud agere dicitur, qui non est attentus ad id, quod agit. Perit igitur tota vita, quoniam cum vacamus vitiis, aliud agimus: dum vacamus friuolis, aliud agimus: dum studemus Philosophiæ, quoniam id facimus supine & oscitanter, aliud agimus, parum attenti, velut ad rem minime seriam. Hæc interpretatio si parum arridet, numeretur hæc sententia Senecæ inter eas quas in hoc scriptore damnat A. Gellius [81], vt friuolé argutas. *Hi.* Mihi sane satis arridet: (Sed interim strenue ad gallinam. Nolim vos falli, nihil præterea parati est.) [82] quadrat enim ad id quod præcessit: *Turpissima est iactura, quæ per negligentiam fit.* Id autem declarat hæc trimembri sententia. At paullo post videor mihi videre mendum: Mortem *non* prospicimus. Magna pars eius iam præteriit. Nam legendum arbitror, *Mortem prospicimus* *. Prospicimus enim quæ procul absunt, cum mors magna ex parte præterierit nobis. *Le.* Si sibi permittunt [83] Philosophi, vt aliquan-

81 Noct. Atticar. lib. XII. c. 2. 82 Quæ hic in Parenthesi aut ὡς ἐν παρόδῳ monet de capiendo cibo vere docent quid sit Parenthesis a Græcis Præpositionibus παρὰ, ἐν & θέσις. Ein neben eingeschobner Satz / ad rem præsentem atque principalem, dicti nimirum explicationem, nil attinens. * Prospicimus quæ a fronte sunt, sed procul. Respicimus, a tergo relicta. 83 Wenn sich die Philosophi die Freyheit/die Gun

quando diuertant in prata Musarum [84], fortasse non videbitur absurdum, si nos aliquando vel animi gratia diuertamus [85] in illorum regionem. *Hi.* Quid ni? *Le.* Cum nuper relegerem librum Aristotelis, quem inscripsit περὶ τῶν ἐλέγχων [86], quorum argumentum est Rhetoribus cum Philosophis magna ex parte commune, comperi insignes errores interpretum. Neque dubitandum est, quin heic, qui Græce nesciunt, in multis locis egregie delirarint. Aristoteles enim proponit huiusmodi genus ambigui, quod nascitur ex voce, quæ eadem declarat diuersa: ὅτι μανθάνουσιν οἱ ἐπιστάμενοι. τὰ γὰρ ἀποστοματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί. τὸ γὰρ μανθάνειν ὁμώνυμον, τό, τε ξυνιέναι χρώμενον τῇ ἐπιστήμῃ, καὶ τὸ λαμβάνειν τὴν ἐπιστήμην. Id verterunt in hunc modum: *Quoniam discunt scientes: Nam secundum os Grammatici discunt. Discere* * *enim æquiuocum, ad intelligere eum, qui vtitur disciplina, & accipere disciplinam.* *Hi.* Visus es mihi nunc Hebraice loqui, non Latine. *Le.* Estne quisquam vestrum qui audiuit heic vllam vocem æquiuocam? *Hi.* Nullam, *Le.* Quid igitur stultius, quam, id velle vertere, quod verti non poterat? Neque enim quemadmodum Græcis μανθάνειν sonat, μαθεῖν, & μαθητεύειν: ita Latinis Discere, doctrinam accipere, aut

---

ere heraus nehmen/ es nicht vor übel halten verargen/ sondern zu gute halten. 84 id est, in studia humaniora, politiores literas, Poësin atque Oratoriam, Poëtas atque Oratores. 85 deflectamus. 86 de Elenchis, confutationibus, redargutionibus, Sophismatibus, Fallaciis. v. g. Æquiuocatione, Amphibolia, Fallacia Accentus s, Prosodiæ. * τὸ μανθάνειν Vox Græca.

aut tradere, quanquam an hoc ſit verum, neſcio magis arbitror ſic, *μανθάνειν* eſſe anceps apud Græcos, quemadmodum Cognoſcere apud Latinos. Cognoſcit enim qui nouit, & cognoſcit iudex qui diſcit cauſam. Sic, opinor, Græcis *μανθάνειν* dicitur præceptor, qui exigit prælecta pueris, & pueri quibus prælegitur[87]. Quam vero venuſte [88] reddidit, *τὰ γὰρ ἀποστοματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί*, *Nam ſecundum os Grammatici diſcunt?* cum vertere debuerit, *Nam Grammatici quæ dictant*[89], *docent*. Hic interpretis erat aliud exemplum ſupponere, quod non eadem verba, ſed eandem rei ſpeciem exhiberet. Quanquam hoc loco ſuſpicor, etiam in Græca ſcriptura nonnihil eſſe mendæ; ſcribendum autem: *ὁμώνυμον τῷ* [90] *τε ξυνιέναι καὶ τῷ λαμβάνειν*. Paulo poſt ſubiicit aliud exemplum ambigui, quod naſcitur non ex vario vocis eiusdem ſignificatu, ſed ex diuerſa connexione: *τὸ βούλεσθαι λαβεῖν με τοὺς πολεμίους*· *Velle me accipere pugnantes*. Sic enim vertit, pro eo quod erat, *Velle me capere hoſtes*. Et ſi legas *βούλεσθε*, ſermo fit dilucidior: *Vultis me capere hoſtes?* Nam Pronomen poteſt præcedere Verbum: ca-

---

87 Vt Græcis *τὸ μανθάνειν*, ita Germanis *τὸ* lernen æquiuocum eſt. v. g. communiter dicitur: Ich will dich Lateiniſch/ Schreiben/Rechnen/Frantzöſch lernen/ quod Latinis eſt Præceptoris, pro: Lehren; Docebo; non autem Diſcipuli, cuius eſt Diſcere, quod a Præceptore docetur, der Schüler muß lernen/ diſcere, was ihm der Præceptor lernet i. e. lehret. 88 ſcilicet vel quaſi. 89 quæ ab ore fluunt, was ihnen vom Munde flieſſet *μανθάνουσι* lernen, i. e. lehren ſie andre. 90 Darius Artic. pro: *τὸ*.

capere, & poteſt ſequi. Si præcedat, hic erit ſenſus: *Vultis vt ego capiam hoſtes?* Si ſequatur, erit hic: *Vultis vt hoſtes me capiant*[91]? Subiicit eiuſdem generis aliud exemplum, ἆρα ὅ τις γινώσκει, τοῦτο γινώσκει; id eſt, *An quod quis nouit, hoc nouit?* Ambiguitas eſt in τοῦτο. Id ſi ſumatur accuſandi caſu, ſenſus erit: *Quidquid alicui cognitum eſt, id illi cognitum eſſe.* Sin nominandi caſu, ſenſus hic erit: *Quam rem quis intelligit, ea intelligit?* quaſi cognoſci non poſſit, niſi quod viciſſim cognoſcat. Rurſus aliud ſubiicit, ἆρα ὅ τις ὁρᾷ, τοῦτο ὁρᾷ; ὁρᾷ δὲ τὸν κίονα. ὥστε ὁρᾷ ὁ κίων. *an quod quis videt, id videt? ſed videt columnam; columna igitur videt.* Rurſus in τοῦτο eſt ambiguitas, quam prius indicauimus. Verum hæc vtcunque reddi poterant Latinis auribus: quod ſequitur, nullo modo reddi poterat: ἆρα ὃ σὺ φὴς εἶναι, τοῦτο σὺ φὴς εἶναι; φὴς δὲ λίθον εἶναι. σὺ ἄρα φὴς λίθος εἶναι. Quod illi reddiderunt: *Putas quod tu dicis eſſe, hoc tu dicis eſſe? dicis autem lapidem eſſe: tu ergo lapis dicis eſſe.* Obſecro, quis omnino ſenſus humanus ex his verbis percipi poſſit? Ambiguitas enim partim pendet ex idiomate Græci ſermonis[92] quæ eſt in maiore ac minore; quanquam in maiore eſt & alia ambiguitas, in duabus dictionibus ὃ & τοῦτο, quæ ſi capiantur nominandi

91 Parile exemplum Amphiboliæ eſt in illo:
Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.
Dubium enim eſt, an Æacides ſit victurus Romanos, an Romani ſuperaturi ſint Æacida, id eſt, Pyrrhum Epirotam ab Æaco trahentem originem. 92 Videſis perſpicue Græciſmum illum traditum in ſuperius citata Grammatica noſtra, quam Florilegium, Germanice Blumen-Leſe inſcripſimus, Sect. IV. Syntact. c. III. p. 131. Nota 4. & 5.

di caſu, ſenſus erit: *Quidquid te dicis eſſe, hoc tu es.* Sin accuſandi, ſenſus erit: *Quamcunque rem tu dicis eſſe, eam dicis eſſe*, & ad hunc ſenſum ſubſumit, λίθον φὴς εἶναι. Sed ad priorem colligit, σὺ ἄρα φὴς λίθος εἶναι. Græci ſermonis proprietatem ſemel auſus eſt imitari Catullus [93]:

Phaſelus iſte, quem videtis, hoſpites,
Ait fuiſſe nauium celerrimus [94].

Sic enim ferebatur hic verſus in antiquioribus editionibus. Hoc ignorato, neceſſe eſt multis modis delirare eos, qui in hæc loca ſcribunt commentarios. Ne id quidem, quod inibi continenter [95] ſequitur, Latino poteſt eſſe perſpicuum. Καὶ ἆρά ἐστι σιγῶντα λέγειν; διττὸν γάρ ἐστι, τό σιγῶντα λέγειν, τό τε τὸν λέγοντα σιγᾶν καὶ τὸ τὰ λεγόμενα. Id reddiderunt hunc in modum: *Ecquid putas, eſt tacentem dicere? Duplex enim eſt, tacentem dicere & hunc dicere tacentem, & qua dicuntur.* An non hæc Sibyllæ foliis obſcuriora? *Hi.* Mihi nec Græca ſatis liquent. *Le.* Exponam pro mea

93 Veronenſis Epigrammatum ſcriptor anno vno ante Salluſtium natus, laſciuus & ſupra modum mordax. 94 Verſus Iambici Phaſelum laudant, quo diu vſus fuerat; Campanum nauigium eſt. Conſtructio Carminis Græca iterum eſt, qualis illa Virgilii: Senſit ſe medios delapſus in hoſtes, pro: Senſit ſe medios in hoſtes prolapſum eſſe. Sic Phaſelus iſte ait ſe nauium fuiſſe celerrimum. Dicitur & Fœminino Genere: Ventis diſcordibus acta phaſelus. Imitatio eſt cum incertus autor aſinum pigerrimum ita loquentem introducit:

Aſellus ille, quem videtis, hoſpites,
Ait fuiſſe pecudum pigerrimus.

95 immediate, ſtatim, mox, e veſtigio.

cumfer oculos. Nihilne vides heic deesse? *Mu.* Permulta. *Hi.* Hæc oua desiderant condimentum, quo temperetur calor. *Mu.* Quod vis? *Hi.* Dic vt ex contusis vitis clauiculis [56] mittat nobis succum. *Mu.* Dicam. *Hi.* Quid huc redis inanis? *Mu.* Negat e clauis * succum exprimi solere. *Le.* O famulam! *Sb.* Certe fabulis condiemus [57] oua nostra. In Epodis Horatianis [58] offendi locum quendam, non deprauatum, quod ad scripturam attinet, sed deprauate interpretatum [59], nec a Mancinello [60] solum, cæterisque recentioribus, verum etiam ab ipso Porphyrione [61]. Locus est in car-

---

56 capreolis, die Gäbelein an den Weintrauben und Reben/damit sie anklammern. Additi sunt palmitibus laquei quidam, quibus repit & alligat sese vitis. Hos Plinius vocat clauiculas lib. 23. in Prologo. * Peruerse respondet, quasi paruos clauos iusserit contundi. Nägelchen/ Nagel. 57 conspergemus, perfricabimus. 58 Epoda est genus carminis, cum singulis versibus singulæ clausulæ subiiciuntur & quasi accinuntur, cuiusmodi sunt apud Horatium, ab ἐπὶ & ᾠδὴ Oda, eine Bey-Ode/ Reben-Gesang. 59 Interpretatus est inter illa Participia Præterita Deponentialia, quæ Passiuè significant, qualia etiam sunt: dimensus von dimetior; adeptus von adipiscor, commentatus von commentor, deprecatus von deprecor, &c. quæ magno numero collegerunt passim Grammatici in Doctr. de Particip. v. g. Geyboldus p. 195. & Rhenius p. 217. Melanchth. recognita ex Scaligero, Ramo, Frischlino, Wanckelio, aliisque p. 207. 60 Antonii Mancinelli Veliterni lucubrationes & commentaria in plures Historicos & Poëtas notat, in quibus quandoque deprehenduntur errores, propter quos tamen laude sua non est defraudandus, quod aliis glaciem fregerit. 61 Prophyrion vetus in Horatium commentator, non confundendus cum Porphyrio Philosopho, qui floruit Aureliani æuo & a pietate Christiana flagitiose desciuit, magnaque rabie conditis voluminibus quindecim in eam inuectus est.

carmine, quo canit palinodiam [62] Canidiæ veneficæ [63]:

Tuusque venter Partum eius [64], *& tuo*
Cruore rubros obstetrix pannos lauit,
Vtcunque [65] *fortis exilis puerpera.*

Existimant enim omnes heic, *Exilis*, nomen esse, cum sit verbum. Adscribam verba Porphyrionis, si tamen illius esse credendum est; *Exilem autem*, inquit, *sub illa specie, quasi puerperio facta sit deformis; per exilitatem corporis maciem naturalem dicit.* Pudendus lapsus, si vir tantus non sensit, metri legem reclamare huic sensui. Neque enim quartus locus admittit Spondeum. Verum Poëta iocatur, illam vere peperisse, quanquam non diu languisset, ac decubuisset a partu, sed statim exilisset e lecto, quemadmodum solent quædam fortes puerperæ. *Hi.* Habemus tibi gratiam, Sbruli, qui tam laute condieris oua nostra. *Le.* Isti non dissimile est, quod legitur in primo Odarum libro. Odæ initium est: *Tu ne quæsieris.* Sic autem habet constans lectio: *Neu Babylonios tentaris numeros* [66], *vt melius, quidquid erit, pati.* Hunc locum ita transiliunt veteres interpretes, quasi nihil habeat scrupuli: solus Mancinellus, sentiens orationem imperfectam, iubet addi, *possit.* *Sb.* Habes aliquid de hac re compertius? *Le.* Nescio, sed mi-

62 recantat, contrarium dicit, in contrarium vertit sententiam. 63 Vnguentaria fuit Neapolitana, in quam sæpe inuehitur Horatius. 64 quem alii dicunt filium tuum esse suppositium, tuus partus, tuusque filius est. *65* etsi. *66* calculos, quibus ad horoscopi dimensionem & planetarum aspectus determinandos vtuntur.

mihi videtur Horatius Græci sermonis idioma reddidisse, quod nullus poëtarum facit libentius aut frequentius: nam Græcis est familiare, aparemphaton [67] adiungere huic dictioni ὡς & ὥςε. Sic Horatius, *vt pati*, pro, *vt patiaris*. Quanquam quod diuinat Mancinellus, non est prorsus absurdum. *Hi.* Mihi vehementer arridet quod dicis. Curre, Mus, & adfer si quid est reliquum. *Cr.* Quid istuc est nouarum deliciarum? *Hi.* Hic est cucumis sectus in laminulas [68]: hoc, est ius ex coctis intestinis cucurbitæ; conducit lubricandis intestinis. *Sb.* O cœnam vere medicam! *Hi.* Boni consulite. Mox aderit gallina ex corte nostra. *Sb.* Commutabimus tibi nomen, & pro Hilario vocabimus Apicium [69]. *Hi.* Age nunc, ridete quantum voletis [70], cras fortasse serio laudabitis hanc cœnam. *Sb.* Qui sic? *Hi.* Cum senseris tibi probe conditum [71] esse prandium. *Sb.* Fame*? *Hi.* Scilicet [72]. *Cr.* Scis, Hilari, quid prouinciæ te vellem suscipere? *Hi.* Sciam, si dixeris [73]. *Cr.* Chorus canit hymnos quosdam non indoctos, sed per indoctos multis locis deprauatos: eos cuperem tua

---

67 Infinitiuum Modum loco Coniunctiui. 68 breite Schnittlein/ segmentula in latitudinem ducta. Deminut. a lamina, æ, ein Blech/ Blatte/ Blättlein/ Blätchen/ kleine Blätter/ Blätterchen. 69 Romanum heluonem, einen reichen Schlucker/ Schlemmer/ Prasser. 70 Mögt ihr mich doch itzund immer vexiren/ auslachen/ durchziehen/ schrauben. 71 a condio, iui, itum, penult. producta. * Allusit ad dictum Socratis, qui dixit, famem esse condimentum omnium & iucundissimum, & minimo parabile. 72 affirmat particula: Scilicet, nimirum, vtique. 73 Sage mirs nur/ so weiß ichs; vel; wie will ichs wissen/ wenn du mirs nicht sagest?

tua opera nobis restitui: vt autem exemplum proferam, ita canimus:

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?

Ordo dictionis vnius inuersus, geminum vitium innexit carmini. Nam *hostis*, cum Trochæum efficiat, nullum habet locum in carmine iambico: & *Hero*, Spondeus, non recipitur in sede secunda. Nec dubium est, quin versus ita primum scriptus sit: *Herodes hostis impie.* Iam epithetum, *impie*, mollius cohæret cum hostis, quam cum *Herodes.* Porro quoniam *Herodes* dictio Græca est, η vertitur in ε, in causa vocandi, vt Σωκράτης, ὦ Σώκρατες: quemadmodum & in Ἀγάμεμνον, omega recti casus vertitur in o micron [74]. Rursum ita canimus hymnum:

Iesu corona virginum,
Quem mater illa concepit,
Quæ sola virgo parturit.

Dubium non est, quin, *concipit*, sit pronuntiandum. Nam temporis hypallage [75] gratiam etiam addit sermoni. Ridiculum autem est, nos offendi in *concipit*, cum sequatur, *parturit.* *Hi.* Istius generis & ipse permulta offendi, nec pigebit olim huic rei aliquot dierum opellam dare. Nam mihi videtur Ambrosius in hoc carmine non parum habe-

74. Vide de Vocatiuo Nominum 3. Declinat. Gramm. nostram p. 259. §. 78. Cap. V. Sect. III. Except. I. Singularia in ης per εος declinata, desinunt in Vocat. in ες retracto Accentu. Conf. p. 261. Except. 4. de Barytonis in ων. per ονος quorum Vocat. terminatur in ον. 75 Enallage.

bene gratiæ: adeo fere finit *dimetrum* [76] dictione *trifyllaba*, & cæsuram fere collocat in fine dictionis. Id crebrius apud eum fit, quam vt casus [77] videri possit. Si quæritis exemplum: *Deus creator*, heic est penthemimeris [78], accinitur, *omnium: Polique rector*, accinitur, *vestiens: Diem decoro*, accinitur, *lumine: Noctem soporis*, accinitur, *gratia*. Sed adest gallina satis obesa, quæ mihi totis decem annis peperit oua, & exclusit pullos. *Cr.* Indigna erat quæ necaretur. *Ca.* Si licet aliquid admiscere de studiis severioribus, habeo, quod proponam. *Hi.* Modo ne nimium sit tetricum [79]. *Ca.* Non est. Cœpi nuper legere Senecæ epistolas, & in ipso statim portu, quod aiunt, impegi [80]. Locus est in prima epistola: *Et si volueris*, inquit, *attendere, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus*. In hac sententia affectat nescio quid argutiæ, quod ego non satis assequor. *Le.* Diuinabo, si voles. *Ca.* Maxime. *Le.* Nemo perpetuo peccat. Et tamen luxu, libidine, ambitione, cæterisque vitiis, magna vitæ pars perit, sed multo maior vitæ portio perit nihil agentibus,

---

76 in Genere hoc Iambico quaternario; Dimetrum a. est, quod habet duas mensuras, sed quatuor pedes; vt:

| Iēsū | cŏrō | nă vīr | gĭnūm |

77 fortuitus. 78 Cæsura, qua post duos primos pedes Syllaba remanet dictionem terminans, nempe Syllaba: *tor*, in voce: creator; & vt dictionem finit, ita est principium pedis sequentis. Species enim Cæsuræ sunt quatuor: Trithemimeri, Hephthemimeris, Enhemimeris & Penthemimeris: sunt, qui addant quintam & sextam sc. Monoemimerida & Hendechemimerida. Rhenii Grammat. p.m. 505. sq. *79* austerum, iniucundum, seuerum. 80 allisi.

bus. Porro nihil agere dicuntur, non qui viuunt in otio, sed qui rebus friuolis & nihil ad felicitatem conducentibus occupantur. Inde prouerbium, *Satius est cessare, quam nihil agere.* Sed tota vita perit aliud agentibus. Aliud agere dicitur, qui non est attentus ad id, quod agit. Perit igitur tota vita, quoniam cum vacamus vitiis, aliud agimus: dum vacamus friuolis, aliud agimus: dum studemus Philosophiæ, quoniam id facimus supine & oscitanter, aliud agimus, parum attenti, velut ad rem minime seriam. Hæc interpretatio si parum arridet, numeretur hæc sententia Senecæ inter eas quas in hoc scriptore damnat A. Gellius[81], vt friuole argutas. *Hi.* Mihi sane satis arridet: (Sed interim strenue ad gallinam. Nolim vos falli, nihil præterea parati est.)[82] quadrat enim ad id quod præcessit: *Turpissima est iactura, quæ per negligentiam fit.* Id autem declarat hac trimembri sententia. At paullo post videor mihi videre mendum: Mortem *non* prospicimus. Magna pars eius iam præteriit. Nam legendum arbitror, *Mortem prospicimus**. Prospicimus enim quæ procul absunt, cum mors magna ex parte præterierit nobis. *Le.* Si sibi permittunt[83] Philosophi, vt aliquan-

81 Noct. Atticar. lib. XII. c. 2. 82 Quæ hic in Parenthesi aut ὡς ἐν παρόδῳ monet de capiendo cibo verè docent quid sit Parenthesis a Græcis Præpositionibus παρὰ, ἐν & θέσις. Ein nebeneingeschobner Satz / ad rem præsentem atque principalem, dicti nimirum explicationem, nil attinens. * Prospicimus quæ a fronte sunt, sed procul. Respicimus, a tergo relicta. 83 Wenn sich die Philosophi die Freyheit/die Gute

quando diuertant in prata Musarum[84], fortasse non videbitur absurdum, si nos aliquando vel animi gratia diuertamus[85] in illorum regionem. *Hi.* Quid ni? *Le.* Cum nuper relegerem librum Aristotelis, quem inscripsit περὶ τῶν ἐλέγχων[86], quorum argumentum est Rhetoribus cum Philosophis magna ex parte commune, comperi insignes errores interpretum. Neque dubitandum est, quin heic, qui Græce nesciunt, in multis locis egregie delirarint. Aristoteles enim proponit huiusmodi genus ambigui, quod nascitur ex voce, quæ eadem declarat diuersa: ὅτι μανθάνουσιν οἱ ἐπιστάμενοι. τὰ γὰρ ἀποστοματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί. τὸ γὰρ μανθάνειν ὁμώνυμον, τό, τε ξυνιέναι χρώμενον τῇ ἐπιστήμῃ, καὶ τὸ λαμβάνειν τὴν ἐπιστήμην. Id verterunt in hunc modum: *Quoniam discunt scientes: Nam secundum os Grammatici discunt. Discere* enim æquiuocum, ad intelligere eum, qui vtitur disciplina, & accipere disciplinam.* *Hi.* Visus es mihi nunc Hebraice loqui, non Latine. *Le.* Estne quisquam vestrum qui audiuit heic vllam vocem æquiuocam? *Hi.* Nullam. *Le.* Quid igitur stultius, quam, id velle vertere, quod verti non poterat? Neque enim quemadmodum Græcis μανθάνειν sonat, μαθεῖν, & μαθητεύειν: ita Latinis Discere, doctrinam accipere, aut

---

cke heraus nehmen/ es nicht vor übel halten verargen/ sondern zu gute halten. 84 id est, in studia humaniora, politiores literas, Poësin atque Oratoriam, Poëtas atque Oratores. 85 deflectamus. 86 de Elenchis, confutationibus, redargutionibus, Sophismatibus, Fallaciis. v. g. Æquiuocatione, Amphibolia, Fallacia Accentus s. Prosodiæ. * τὸ μανθάνειν Vox Græca.

aut tradere, quanquam an hoc sit verum, nescio magis arbitror sic, *μανθάνειν* esse anceps apud Græcos, quemadmodum Cognoscere apud Latinos. Cognoscit enim qui nouit, & cognoscit iudex qui discit causam. Sic, opinor, Græcis *μανθάνειν* dicitur præceptor, qui exigit prælecta pueris, & pueri quibus prælegitur[87]. Quam vero venuste[88] reddidit, τὰ γὰρ ἀποστοματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί, *Nam secundum os Grammatici discunt?* cum vertere debuerit, *Nam Grammatici quæ dictant*[89], *docent*. Hic interpretis erat aliud exemplum supponere, quod non eadem verba, sed eandem rei speciem exhiberet. Quanquam hoc loco suspicor, etiam in Græca scriptura nonnihil esse mendæ; scribendum autem: ὁμώνυμον τῷ[90] τε ξυνιέναι καὶ τῷ λαμβάνειν. Paulo post subiicit aliud exemplum ambigui, quod nascitur non ex vario vocis eiusdem significatu, sed ex diuersa connexione: τὸ βούλεσθε λαβεῖν με τοὺς πολεμίους· *Velle me accipere pugnantes*. Sic enim vertit, pro eo quod erat, *Velle me capere hostes*. Et si legas βούλεσθε, sermo fit dilucidior: *Vultis me capere hostes?* Nam Pronomen potest præcedere Verbum: ca-

87 Vt Græcis τὸ μανθάνειν, ita Germanis τὸ lernen æquiuocum est. v. g. communiter dicitur: Ich will dich Lateinisch/ Schreiben/Rechnen/Frantzösisch lernen/ quod Latinis est Præceptoris, pro: Lehren; Docebo; non autem Discipuli, cuius est Discere, quod a Præceptore docetur, der Schüler muß lernen/ discere, was ihm der Præceptor lernet i. e. lehret. 88 scilicet vel quasi. 89 quæ ab ore fluunt, was ihnen vom Munde fliesset μανθάνουσι lernen i. e. lehren sie andre. 90 Datiuus Artic. pro: τὸ.

capere, & poteſt ſequi. Si præcedat, hic erit ſenſus: *Vultis vt ego capiam hoſtes?* Si ſequatur, erit hic: *Vultis vt hoſtes me capiant* [91]? Subiicit eiusdem generis aliud exemplum, ἆρα, ὅ τις γινώσκει, τοῦτο γινώσκει; id eſt, *An quod quis nouit, hoc nouit?* Ambiguitas eſt in τοῦτο. Id ſi ſumatur accuſandi caſu, ſenſus erit: *Quidquid alicui cognitum eſt, id illi cognitum eſſe.* Sin nominandi caſu, ſenſus hic erit: *Quam rem quis intelligit, ea intelligit?* quaſi cognoſci non poſſit, niſi quod viciſſim cognoſcat. Rurſus aliud ſubiicit, ἆρα ὅ τις ὁρᾷ, τοῦτο ὁρᾷ; ὁρᾷ δὲ τὸν κίονα. ὥστε ὁρᾷ ὁ κίων. *an quod quis videt, id videt? ſed videt columnam; columna igitur videt.* Rurſus in τοῦτο eſt ambiguitas, quam prius indicauimus. Verum hæc vtcunque reddi poterant Latinis auribus: quod ſequitur, nullo modo reddi poterat: ἆρα ὃ σὺ φὴς εἶναι, τοῦτο σὺ φὴς εἶναι; φὴς δὲ λίθον εἶναι. σὺ ἄρα φὴς λίθος εἶναι. Quod illi reddiderunt: *Putas quod tu dicis eſſe, hoc tu dicis eſſe? dicis autem lapidem eſſe: tu ergo lapis dicis eſſe.* Obſecro, quis omnino ſenſus humanus ex his verbis percipi poſſit? Ambiguitas enim partim pendet ex idiomate Græci ſermonis [92] quæ eſt in maiore ac minore; quanquam in maiore eſt & alia ambiguitas, in duabus dictionibus ὃ & τοῦτο, quæ ſi capiantur nominandi

91. Pariſe exemplum Amphiboliæ eſt in illo:
Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.
Dubium enim eſt, an Æacides ſit victurus Romanos, an Romani ſuperaturi ſint Æacida, id eſt, Pyrrhum Epirotam ab Æaco trahentem originem. 92 Videſis perſpicue Græciſmum illum traditum in ſuperius citata Grammatica noſtra, quam Florilegium, Germanice Blumen-Leſe inſcripſimus, Sect. IV. Syntact. c. III. p. 1131. Nota 4. & 5.

di casu, sensus erit: *Quidquid te dicis esse, hoc tu es.* Sin accusandi, sensus erit: *Quamcunque rem tu dicis esse, eam dicis esse*, & ad hunc sensum subsumit, λίθον φὴς εἶναι. Sed ad priorem colligit, σὺ ἄρα φὴς λίθος εἶναι. Græci sermonis proprietatem semel ausus est imitari Catullus[93]:

Phaselus iste, quem videtis, hospites,
Ait fuisse nauium celerrimus[94].

Sic enim ferebatur hic versus in antiquioribus editionibus. Hoc ignorato, necesse est multis modis delirare eos, qui in hæc loca scribunt commentarios. Ne id quidem, quod inibi continenter[95] sequitur, Latino potest esse perspicuum. Καὶ ἄρά ἐστι σιγῶντα λέγειν; διττὸν γάρ ἐστι, τὸ σιγῶντα λέγειν, τό τε τὸν λέγοντα σιγᾶν καὶ τὸ τὰ λεγόμενα. Id reddiderunt hunc in modum: *Ergo putas, est tacentem dicere? Duplex enim est, tacentem dicere & hunc dicere tacentem, & quæ dicuntur.* An non hæc Sibyllæ foliis obscuriora? *Hi.* Mihi nec Græca satis liquent. *Le.* Exponam pro mea

93 Veronensis Epigrammatum scriptor anno vno ante Sallustium natus, lasciuus & supra modum mordax. 94 Versus Iambici Phaselum laudant, quo diu vsus fuerat; Campanum nauigium est. Constructio Carminis Græca iterum est, qualis illa Virgilii: Sensit se medios delapsus in hostes, pro: Sensit se medios in hostes prolapsum esse. Sic Phaselus iste ait se nauium fuisse celerrimum. Dicitur & Fœminino Genere: Ventis discordibus acta phasélus. Imitatio est cum incertus autor asinum pigerrimum ita loquentem introducit:

Asellus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse pecudum pigerrimus.

95 immediate, statim, mox, e vestigio.

mea diuinatione. *An possibile est tacentem dicere*[96]? Hæc interrogatio duplicem habet sensum, quorum alter est falsus & absurdus, alter esse potest verus. Nam fieri non potest, vt qui loquitur, non dicat ea quæ loquitur, hoc est, vt loquendo taceat: sed fieri potest, vt is qui loquitur, taceat eum qui loquitur. Quanquam hoc exemplum recidit in alteram formam, quam paullo post subiicit. Rursum illud admiror, quod mox in genere *ambiguitatis, quæ nascitur ex pluribus dictionibus coniunctis*, mutarint Græci vocem sæculi in litteras, *ἐπίςασθαι τὰ γράμματα*, cum Latini codices habeant, *scire sæculum*. Heic enim duplex sensus nascitur, vel vt ipsum sæculum sciat aliquid, vel vt aliquis sciat sæculum. Verum hoc mollius est in *αἰῶνα* siue in *κόσμον*, quam in *γράμματα*. Nam litteræ dicuntur absurde scire quippiam. Verum nihil absurdi sit, si quis dicat, *aliquid nostro sæculo notum esse*, aut *aliquem nosse suum sæculum*. Iam aliquanto post, vbi proponit exemplum *ambigui ex accentu*, non veritus est interpres pro verbis Homeri supponere Virgiliana, cum eadem fuerit necessitas in illo exemplo: *Quidquid dicis esse, hoc est.* Ex Homero refert Aristoteles, *οὗ καταπύθεται ὄμβρῳ.* Si οὗ adspiretur ac circumflectatur, sonat: *Cu-*

---

96 Sensus multifarius hisce expressionibus innotescit Synonymicis:

1 An possibile est, vt is qui tacet dicere incipiat? Affirm.

2 An possibile est, vt is qui tacet dicat simul & taceat? Negatur, cum impossibile sit idem simul esse & non esse.

3 An possibile est, vt quis dicat tacentem i. e. nominet, indigitet, designet? Nullum est dubium & facile affirmatur.

Cuius computrescit pluuia? sin ὂ [97] sit exile & acutum, sonat: *Non computrescit pluuia.* Atque hoc quidem sumptum est ex Iliad. ψ [98]. Alterum est, Διδόμεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι, Accentu collocato super penultimam sonat, *Concede illi* [99]: sin super primam, δίδομεν, sonat, *Damus.* At Poëta non sentit Iouem dicere, *Concedimus illi*: sed Iupiter mandat Somnio, vt illi, ad quem mittitur, concedat *potiri voto.* Dictum est enim διδόμεν pro διδόναι. Pro his duobus Homericis subiecerunt hæc ex nostris Poëtis, velut illud ex Odis Horatii,

Me tuo longas pereunte noctes
Lydia dormis.

Etenim si accentus sit in, Me, correpto; & Tu, sit graue, vnica dictio est, Metuo*, id est, timeo [100]. Quanquam hæc ambiguitas pendet non solum ex accentu, verum etiam ex compositione. Alterum supposuerunt ex Virgilio:

Heu quia nam tanti cinxerunt æthera nymbi!

Quanquam hæc quoque ex compositione nascitur ambiguitas. *Hi.* Sunt ista quidem arguta, dignaque cognitu, Leonarde: sed interim vereor, ne cui *con-*

97 Vide de Spirituum & Accentuum apud Græcos differentia iterum Grammaticam. 98 Numerus Iliados libri vigesimi tertii; numerauit enim & consignauit Homerus libros suos secundum primam & facillimam numerandi rationem Græcorum, de qua videsis Grammat. nostram p. n. sq. §. 10. Conf. de Iliade Homeri p. 90. §. 39. 99 Ionice διδόμεν dicitur pro Infinitiuo Præs. & Imperfecti διδόναι. p. 651. loco cit. * Me tuo, *Horatius* diuisit, vt subaudias Amico. 100 Committitur fallacia compositionis.

conuiuium hoc sophisticum videatur magis, quam poëticum: alias, si videbitur, vel totum diem venabimur[101] Elenchos in Elenchis *. *Le.* Hoc est in luco ligna, in mari quæremus aquam[102]. *Hi.* Vbi est meus Mus? *Mu.* Adest. *Hi.* Mone Margaretam, vt tradat bellaria. *Mu.* Adeo. *Hi.* Rursum ades[103] vacuus? *Mu.* Negat[104] se de bellariis cogitasse, & ait satis diu sessum esse[105]. *Hi.* Vereor ne si diutius heic philosophemur, illa nobis mensam subuertat, quemadmodum Xantippe Socrati: consultius est igitur, vt bellaria sumamus in horto: ibi simul & ambulabimus & libere nugabimur. Interea sibi quisque decerpat ex arbore quod lubet. *Co.* Placet consilium. *Hi.* Est illic fonticulus quouis vino suauior. *Ca.* Qui fit, vt hortus tuus magis niteat quam aula[105]? *Hi.* Quia heic versor frequentius. Si quid arridet heic, ne parcite nostris opibus hortensibus. Iam si satis videtur deambulatum, quid si considamus[106] huc sub tilia, & Musas cieamus[107]? *Pa.* Age fiat. *Hi.* Thema suppeditet hortus ipse. *Pa.* Si præcesseris, sequemur.

Hi.

---

101 Sectabimur, inuestigabimus. * Id est, redargutionibus. Ἐλέγχειν enim redarguere est. 102 Daran wird es nicht fehlen; Solch Zeugs werden wir genung antreffen; es wird uns schlechte Mühe kosten. 103 Consequens pro antecedente: Accessisti. Bist du abermahl's leer wiederkommen/ leer wieder da? 104 Dicit se non. 105 Neutra Passiue vsurpata fiunt Impersonalia. Man habe lange genung gesessen/gespeiset/ sey lange genung bey der Taffel gewesen. 105 domus, palatium. 106 Considĕre & Consedére differunt vt antecedens & consequens, prius & posterius. Erst muß sich einer nieder setzen/ alsdenn sitzt er. 107 Heraus/ hervor kriegen? herverwuschten? aufgezogen men?

Hi. Age faciam. *Præpostere facit, cui variis deliciis nitcat hortus, cum animum habeat nullis disciplinis, nullis virtutibus excultum.* *Le.* Credemus, adesse Musas, si reddideris eandem sententiam carmine. *Hi.* Hoc mihi longe procliuius, prosam [108] orationem vertere carmine, quam argentum commutare auro. *Le.* Dic igitur.

Hi. *Cui renidet hortus vndiquaque flosculis,*
Animumque nullis expolitum dotibus
Squalere patitur, is facit præpostere.

Habetis carmen Musis & Apolline nullo.* Sed elegans fuerit, si singuli hanc sententiam diuerso genere carminis reddatis. *Le.* Qui vicerit, quid præmii feret? *Hi.* Hunc calathum [109] onustum malis, aut prunis, aut cerasis, aut mespilis, aut piris, aut si quid aliud magis adblanditur*. *Le.* Quis erit arbiter certaminis? *Hi.* Quis nisi Crato? Et idcirco solus [110] non certabit, quo magis auscultet. *Cr.* Vereor ne talem sitis habituri iudicem, qualem olim habebant coccyx* & luscinia, inter sese canendi gloria decertantes. *Hi.* Sat est, si places omnibus. *Co.* Placet arbiter, incipe, Leonarde.

Le.

108 qs. profusam, solutam, non ligatam, nullis numeris adstrictam, liberam. * Allusit ad illud *Martial.* Musis & Apolline nullo Quod scribis versus, hoc Ciceronis habes. 109 Vas vimineum. Korb / sportellam hanc, Körblein / Körbchen. * Id est, placet: sicut arridere dicitur quod placet. 110 vnus erit atque vnicus exceptus, qui. * Qui latine dicitur cuculus, penultima producta. Notus est apologus de certamine canendi inter lusciniam & cuculum, asino iudice.

Le. *Cui tot deliciis renidet hortus,*
Herbis, floribus, arborumque fœtu,
Et multo & vario, nec excolendum
Curat pectus & artibus probatis,
Et virtutibus, is mihi videtur
Læuo iudicio, parumque recto. DIXI.

Mi. Carinus arrodit vnguem *; exspectamus aliquid elaboratum. *Ca.* Nulla adest Musa.

Cura cui est, vt niteat hortus flosculis ac fœtibus,
Negligenti excolere pectus disciplinis optimis:
Hic labore, mihi vt videtur, angitur præpostero.

Hi. Non frustra arrosus est unguis. *Eu.* Quoniam ordo me vocat, ne nihil adferam:

Qui studet, vt variis niteat cultissimus hortus
Deliciis, patiens animum squalere, nec vllis
Artibus expoliens, huic est præpostera cura.

Hi. Non est cur exstimulemus Sbrulium. Nam ille sic scatet versibus, vt plerumque vel imprudens effundat carmina.

Sb. *Cui vernat hortus cultus & elegans,*
Nec pectus vllis artibus excolit,
Præpostera in cura laborat.
Sit ratio tibi prima mentis.

Pa. *Quisquis accurat, variis vt hortus*
Floribus vernet, neque pectus idem
Artibus sanctis colit, hunc habet præpostera cura.

Hi. Nunc experiamur, cui hortus suppeditet plures *sententias*. *Le.* Quid ni faciat tam diues? Vel hoc rosetum mihi suggeret quod dicam. *Vt breuis est rosæ nitor, ita fugax est iuuentus: properas car-*

* Arrodere vnguem gestus est cogitantis. *Pers.* Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit vngues. Idem, Chærestratus vnguem Arrodens ait hoc.

carpere rosam prius, quam marcescat; magis adnitendum est, ne sine fructu tibi effluat iuuentus. Hi. Thema satis aptum carmini. *Ca. Vt inter arbores suus cuique fœtus est, ita inter homines sua cuique dotes sunt. Eu. Vt terra si excolatur, varias opes gignit in vsus humanos, neglecta spinis ac vepribus obducitur: ita hominis ingenium si excolatur optimis studiis, plurimas edit virtutes; sin negligas, variis occupatur vitiis. Sb. Hortus quotannis colendus est, vt niteat: animus semel excultus honestis studiis, perpetuo floret ac vernat. Pa. Vt amœnitas hortorum non auocat animum ab honestis studiis, sed ad hæc inuitat potius: ita quærendi sunt lusus ac ioci, qui non absunt a literis. Hi.* Euge, video examen sententiarum. Nunc ad versus; sed antequam id aggrediamur, mea sententia, fuerit exercitatio nec inelegans, nec infrugifera, si primam sententiam toties reddamus Græcis versiculis, quoties reddidimus Latinis. Heic auspicabitur Leonardus, iam olim familiaris Musis Græcanicis. *Le.* Ineptiam [III], si iubes. *Hi.* Iubeo atque impero.

Le. ὡς κῆπός ἐστιν ἄνθεσιν γελῶν καλοῖς,
Οὕ δὲ νοῦς μάλ' αὐχμῶν τοῖς καλοῖς μαθήμασιν,
Οὐκ ἔστι κουφός, οὗτος οὐκ ὀρθῶς φρονεῖ,
Περὶ πλείονος ποιῶν τὰ φαῦλ' ἢ κρείττονα.

Ego præsulem * egi; succedet qui volet. *Hi.* Cari-

III Ich will tändeln/ versuchen. * Allusit ad Salios sacerdotes Martis, ni fallor, qui saltabant in pompa. Præsul autem, qui saltat primus. Est in quibusdam choreis mos, vt vnus solus auspicetur saltationem. Vnde quisquis aliis cunctantibus rem cœpit, dicitur incepisse choream,

nus. *Ca.* Imo Hilarius. *Le.* Sed video Margaretam interuenire, adfert nescio quid deliciarum. *Hi.* Si id fecerit, me fefellerit mea furia. Quid adfers? *Ma.* Sinapi, quo condiatis vestra bellaria. An non pudet heic garrire in multam noctem, & postea vos Poetæ multa blateratis [112] in loquacitatem fœminarum? *Cr.* Haud male monet Margareta: iam tempus est, vt suum quisque nidum adeat: alias in hoc pulcerrimo certaminis genere vel solidum [113] diem consumemus. *Hi.* Sed cui addicis præmium? *Cr.* In præsentia quidem mihi ipsi addico: Nullus enim vicit præter vnum me. *Hi.* Qui vicisti, qui non certaueris? *Cr.* Vos certastis, at non decertastis. Ego, quod nemo vestrum potuit, vici Margaretam. *Ca.* Hilari, æquum postulat: auferat calathum [114].

INQVISITIO DE FIDE.

AVLVS, BARBATIVS.

Au. PVerorum est cantilena*, Saluta libenter; verum haud scio, an mihi fas sit tibi dicere salutem [1]. *Ba.* Equidem malim qui det salutem, quam qui dicat. Sed quam ob rem istuc ais, Aule? *Au.* Quam ob rem? Quia, si scire vis, oles aut sulphur, aut fulmen Iouis. *Ba.* Sunt & Veio-

ues,

112 blaterare, belfern / plaudern/ plappern; stulte & præcupide loqui. Viel Mauls haben/ immer viel beissen wie ein Ketten-Hund. 113 totum, integrum, omnem, vniuersum. 114 quasillum, vas vimineum in quo mulieres pensa vel tramam reuoluunt. Korb/ Näpffchen/ Hand-Korb.

* In libello cui titulus, Cato. Nam is pueris prælegitur. Respicit monitum Iohannis II. Epist. v. 10. 11.

ues[2], sunt bruta fulmina*, multum etiam origine dissidentia a fatidicis. Nam, vt suspicor, tu de anathemate sentis[3]. *Au.* Rem coniectas. *Ba.* Audiui quidem horrenda tonitrua; fulminis ictum non sensi. *Au.* Qui sic? *Ba.* Quia nihilo peius concoquo[4], neque irrequietius dormio. *Au.* Sed hoc periculosius solet esse malum, quia non sentitur. Verum hæc bruta fulmina, quæ tu vocas, feriunt montes & maria*. *Ba.* Feriunt, sed irritis ictibus. Est & fulgur e vitro, seu vase æreo[5]. *Au.* Conterritat[6] & hoc. *Ba.* Verum[7], sed pueros. Solus Deus habet fulmen, quo feriat[8] animam. *Au.* Quid si Deus est in suo vicario? *Ba.* Vtinam sit[9]! *Au.* Imo multi demirantur, te iam dudum non esse quouis carbone atriorem*. *Ba.* Finge me talem[10]. Atqui tanto magis erat optanda salus perdito, si placet Euangelica doctrina. *Au.* Optanda quidem, at non dicenda[11]. *Ba.* Cur ita? *Au.* Quo

2 Affter-Ioues / Affter-Götter / Ioues spurii, sinistri, unrechte und unächte / linckische Ioues. Nominat. est Veiouis, Iupiter paruus. Ein armer Teufel / der wohl schaden / aber nicht helffen kan. Gellius Noct. Attic. lib. V. c. 12. Virgilius lib. 4. Æneidos: Iouem Stygium appellat. Silius Italicus lib. 8: nigrum Iouem. Ve enim in compositione minuit.* Vide Plin. lib. 2. cap. 43. Bruta, quia sine ratione veniunt, nec quicquam portendunt. Fatidica prædicunt aliquid 3. loqueris. 4 cibum. Das Essen bekommt mir eben so gut / ich schlaffe auch eben so ruhig. * Refert Plinii verba ex loco, quem modo citaui. 5 e pelui. Ein leeres Schrecken. 6 Frequentatiuum a Supino: territum, ere. 7 sc. est. 8 percellat. 9 II. Thess. 2. v. 4. filius perditionis præ se fert esse se DEVM. * Videtur innuere quempiam excommunicatum. Vide prouerbium; Carbone atrior. 10 Pone, crede, existima esse. Setze den Fall / gesetzt / laß es seyn / es sey darum. 11 Est Paradiastole.

Quo pudescat [12] ictus fulmine, ac resipiscat. *Ba.* Si sic nobiscum egisset Deus, perieramus omnes. *Au.* Quam ob rem? *Ba.* Quia cum essemus inimici Dei, cultores idolorum, militantes in castris Satanæ, hoc est, modis omnibus excommunicatissimi, tum ille maxime nobiscum confabulatus [13] est per filium suum, suoque colloquio nos restituit in vitam, cum essemus mortui. *Au.* Ista quidem vere narras. *Ba.* Imo male ageretur cum omnibus ægrotis, si medicus fugeret alloquium, quoties ingens morbus grauat [14] miserum: imo cum [15] maxime conueniebat adesse medicum. *Au.* At ego metuo, ne tu mihi citius adfles [16] aliquid tui mali, quam fiat, vt tuo morbo medear [17]. Nonnunquam vsu venit, vt pro medico fiat palæstrites *, qui visit ægrotum. *Ba.* Ita quidem vsu venit in corporum morbis; verum in animi malis est tibi parata antidotus [18] aduersum omne contagium. *Au.* Quænam? *Ba.* Adamantinum [19] propositum, non diuelli a sententia semel infixa. Deinde cur palæstram

12 pudefiat, in pudorem coniiciatur. 13 collocutus, locutus. 14 aggrauat, onerat, premit, affligit, tenet, constringit. 15 quando, vbi. 16 adspires, affrices, inferas. 17 consulam, te liberem. * Id est, luctator, nimirum quum inuisit phreneticum, & ab invadente phrenetico arripitur, vt defendere se cogatur. Ringer. 18 Græce ἀντίδοτος θεράπεια, medicina. Eine Gegen-Artzney, contradatum medicamentum, ἀντίδοτον φάρμακον. Est ergo Adiectiu. quod Substantiuascit per crebram sui Substantiui Ellipsin, qualia multa congessit Vossius in Aristarcho. 19 Adiectiua in *inus* deriuata a Nominibus non animalia designantibus penultimam corripiunt. v. g. crystallinus, crocinus, cupressinus, adamantinus. Est vero adamantinum idem ac durum, frangi nescium, firmum, pertinax propositum.

ſtram metuis, vbi res verbis agitur? *Au.* Eſt aliquid quod dicis, ſi modo ſpes ſit profectus. *Ba.* Prouerbio dicitur; Donec ſpirat homo, ſperandum eſſe: & iuxta Paulum; Caritas neſcit deſperare, quia ſperat omnia. *Au.* Non peſſime mones, atque hac ſpe puto mihi fas eſſe tecum miſcere ſermonem aliquantiſper: ac, ſi pateris, medicum agam. *Ba.* Licet. *Au.* Vulgo ſunt inviſi percunctatores. Et tamen in medicis probantur, qui percunctantur de ſingulis. *Ba.* Percunctare a cœlo vsque ad terram *, ſi libet. *Au.* Experiar, modo fidem des, te reſponſurum ex animo. *Ba.* Do, modo ſciam qua de re velis percunctari. *Au.* De Symbolo Apoſtolorum. *Ba.* Audio militare verbum **, nec recuſo haberi pro hoſte Chriſti, ſi quid heic fefellero. *Au.* Credis in Deum, Patrem omnipotentem, qui condiderit cœlum & terram? *Ba.* Et quidquid cœlo terraque continetur, atque etiam mentes angelicas. *Au.* Cum Deum dicis, quid ſentis? *Ba.* Sentio, mentem eſſe quandam æternam, quæ nec initium habuerit, nec finem ſit habitura, qua nihil eſſe poteſt nec maius, nec ſapientius, nec melius. *Au.* Iſta quidem ſatis pie. *Ba.* Quæ nutu ſuo omnipotenti condidit quidquid eſt rerum viſibilium aut inuiſibilium: quæ ſapientia mirabili moderatur ac gubernat vniuerſa,

* Plautinum prouerbium pro, A capite vsque ad pedes. Von oben an bis unten aus. ** Qui baptizantur, dant nomen Imperatori Chriſto, cuius ſacramentis auctorantur, & Symbolum apud milites ſignum eſt, quod inter ipſos conuenit, ſiue id vocale eſt, ſiue mutum. Signum caſtrenſe.

sa, sua bonitate pascit ac seruat omnia, atque hominum genus collapsum gratuito[20] restituit. *Au.* Sunt quidem ista tria præcipua in Deo: sed quid fructus capis ex istorum cognitione? *Ba.* Cum *omnipotentem* cogito, me totum illi submitto, ad cuius maiestatem nihil est hominum aut angelorum sublimitas. Deinde plena fiducia credo, quod ab illo factum tradunt sacræ litteræ, simulque futurum quidquid ille promisit, quando nutu, quidquid vult, potest, quantumuis homini videatur impossibile. Ita fit, vt meis viribus diffisus, totus ab illo pendeam, qui potest omnia. Vbi *sapientiam* illius intueor, nihil tribuo meæ sapientiæ, verum credo omnia rectissime iustissimeque ab eo fieri, etiamsi iuxta sensum humanum videantur absurda aut iniqua. Cum *bonitatem* considero, video nihil esse in me, quod illius gratuitæ beneficentiæ non debeam; & nullum arbitror esse tantum crimen, quod ille nolit ignoscere resipiscenti: neque quidquam esse, quod ille non sit largiturus cum fiducia petenti. *Au.* Num satis esse putas, quod credis illum esse talem? *Ba.* Nequaquam, sed sincero affecta totam fiduciam ac spem in illum vnum transfero, detestans Satanam omnemque idololatriam, & quidquid est artium magicarum. Illum solum adoro, nihil illi nec præferens, nec æquans; non angelum, non parentes, non liberos, non vxorem, non principem, non opes, non honores, non voluptates; paratus & vitam illius caussa perdere, si iusserit; certus, eum non posse perire qui se totum illi tradiderit. *Au.* Ni-

20 sine merito, ex mera gratia, gratis.

Nihil igitur colis, nihil times, nihil amas, nisi vnum Deum? *Ba.* Si quid veneror, si quid metuo, si quid amo præter eum, eius causa amo, metuo, colo, omnia ad illius gloriam referens, semper illi gratias agens, siue læta contingunt, siue tristia, siue mori datur, siue viuere. *Au.* Sana quidem est hactenus tua oratio. De secunda persona quid sentis? *Ba.* Sciscitare. *Au.* Credis, Iesum fuisse Deum & hominem? *Ba.* Maxime. *Au.* Qui fieri potuit, vt idem sit Deus immortalis, & homo mortalis? *Ba.* Istud illi facile fuit efficere, qui quicquid vult, potest. Et ob diuinam naturam, quam eandem habet cum Patre, quidquid magnitudinis, sapientiæ, & bonitatis attribuo Patri, idem tribuo & Filio: quidquid debeo Patri, debeo & Filio: nisi quod ita visum est Patri, vt per Filium conderet ac donaret nobis omnia. *Au.* Cur igitur sacræ litteræ Filium frequentius appellant Dominum quam Deum? *Ba.* Quia *Deus*, auctoritatis, hoc est, principatûs est nomen, quæ Patri præcipue conuenit: qui simpliciter principium est omnium, atque ipsius etiam Deitatis fons. *Dominus*, redemtoris & assertoris vocabulum est. Quanquam & Pater redemit per Filium, & Filius Deus est, sed ex Deo Patre. Solus autem Pater a nullo est, & in personis diuinis principem locum obtinet. *Au.* Ergo & in Iesu collocas tuam fiduciam? *Ba.* Quidni? *Au.* Sed Propheta maledictum dicit, qui fidit in homine [21]. *Ba.* Sed huic vni homini data est omnis potestas in cœlo & in terra: vt in nomine eius flectatur omne genu,

[21] nudo & mero φιλανθρώπῳ.

nu, cœlestium, terrestrium, & inferorum [22]. Quanquam nec in hoc fiduciæ speique meæ sacram, vt aiunt, ancoram figerem, ni Deus [23] esset. *Au.* Cur eum Filium appellat? *Ba.* Ne quis somniet * esse creaturam. *Au.* Cur vnicum? *Ba.* Vt discernat naturæ filium a filiis adoptiuis, cuius cognominis honorem nobis etiam impartit [24], vt neminem præter hunc alium exspectemus. *Au.* Cur eum, qui Deus erat, hominem fieri voluit? *Ba.* Vt homines homo reconciliaret Deo. *Au.* Credis, conceptum citra virilem operam, opificio Spiritus Sancti, ac natum ex incorrupta virgine Maria, de illius substantia sumto mortali corpore [25]? *Ba.* Maxime. *Au.* Cur sic nasci voluit? *Ba.* Quia sic decebat nasci Deum; sic decebat [26] nasci, qui nostræ

22 Philipp. II. v. 10. 11. 23 ipse insimul, θεάνθρωπος. Ni enim DEVS esset, non seruator esset: nulla quippe creatura tanto operi sufficiebat. * Arrius docuit, filium Dei etiam iuxta perfectissimam naturam fuisse creaturam. At qui natura filius est, gignitur ex substantia patris. Dei substantia indiuisibilis est: eandem igitur oportet esse Patris & Filii: de diuinis personis loquor. 24 communicat, impertitur. 25 ita vt sumptum fuerit mortale corpus. 26 Nasci sic debuit (1) propter DEI veritatem. Prophetiæ enim erant implendæ Ies. VII, 14. Dan. II, 34. 44. (2) propter purificationem Christi & nostri respectu. CHRISTI; corruptum enim est semen humanum vtriusque sexus, ideoque intercedere oportuit Spiritus S. opus, ne contagione hac attingeretur: *Nostri*; vt signum esset nostræ regenerationis, quæ non ex voluntate carnis aut viri, sed ex DEI est. Ioh. I. v. 13. Recte vero Basilius: Conceptus fuit *Christus*, non de substantia, sed ex virtute; non generatione, sed gubernatione & consecratione Spiritus S.

ſtræ conceptionis ac natiuitatis ſordes purificaret. Hominis filius naſci voluit Deus, vt nos in illum renaſcentes efficeremur filii Dei. *Au.* Credis, illum verſatum in terris, ea geſſiſſe miracula, ea docuiſſe, quæ prodita ſunt litteris Euangelicis? *Ba.* Certius quam te credo eſſe hominem. *Au.* Non ſum inuerſus Apuleius *, vt ſuſpiceris, aſinum latere ſub hominis ſpecie. Sed credis hunc eundem eſſe Meſſiam illum, quem delinearant figuræ legis, quem promiſerant oracula Prophetarum, quem tot ſæculis exſpectarant Iudæi? *Ba.* Nihil habeo perſuaſius. *Au.* Credis, huius doctrinam ac vitam ſufficere ad perfectam pietatem? *Ba.* Admodum. *Au.* Credis, eundem vere comprehenſum a Iudæis, vinctum, colaphis & alapis [27] cæſum, conſputum, irriſum, flagellatum ſub Pontio Pilato, ac denique ſuffixum in crucem, atque inibi mortuum? *Ba.* Maxime. *Au.* Credis, illum ab omni lege peccati cuiuscunque fuiſſe immunem? *Ba.* Quid ni? Agnum abſque macula [28]. *Au.* Credis, illum ſua ſponte hæc omnia perpeſſum? *Ba.* Imo libenter, atque etiam ſitienter, ſed ex voluntate Patris. *Au.* Cur Pater Filium ſuum vnicum innocentem, ſibique cariſſimum, hæc tam atrocia pati voluit? *Ba.* Vt hac victima nos nocentes ſibi reconciliaret, in illius no-

* Nam is mentem hominis tegebat ſub aſinina ſpecie: cum multi ſint, qui ſub humana ſpecie tegant aſinum. 27 Colaphus a verbo κολάπτω tundo, digitis compreſſis & in pugnum contractis capiti corporiue infertur reliquo. Ein Stoß / Buff / Alapa eſt percuſſio in faciem manu explicata & diducta cum onitu & fragore quaſi. Ein Streich / Backen-Streich / daß es latſcht / klingt. 28 1. Pet. I. v. 19. II. v. 22. Ebr. VII, 26.

nomen collocantes fiduciam ac spem nostram. *Au.* Cur Deus passus est sic collabi totum humanum genus [29]? Et, si passus est, non [30] patuit alia via sarciendi ruinam nostram? *Ba.* Hoc mihi persuasit, non humana ratio, sed fides, nulla ratione potuisse fieri melius, neque ad salutem nostram vtilius. *Au.* Cur hoc mortis genus illi potissimum placuit? *Ba.* Quia iuxta mundum erat probrosissimum: quia diri leneique cruciatus: quia conueniebat illi, qui porrectis in omnem mundi plagam membris, omneis orbis nationes inuitaret ad salutem, & homines terrenis curis affixos euocaret ad cœlestia. Denique, vt referret nobis serpentem æneum [31], quem Moses suspenderat in stipite, vt quicunque defigerent in illum oculos, sanarentur a vulnere serpentum: fidemque Prophetæ liberaret, qui prædixerat; Dicite in nationibus, regnauit a ligno Deus. *Au.* Cur & sepeliri voluit, idque tam accurate, obli-

29 Responderi potest; quia satis nouerat firmatum aduersus Diaboli tentationem, modo Adam viribus sibi concreatis strenue vti voluisset. Voluit autem probare, vtrum in obedientia erga Deum esset perseueraturus. Exegit specimen gratitudinis sibi debitæ pro ineffabili tam gratiosæ creationis ad vitam æternam & imaginem diuinam beneficio. 30 nonne, anne, annon? 31 Numer. XXI, 5--9. Sap. XVI, 5, 6. Ioh. III. v. 14. 15. quæ verba in concione sua accessoria in aulam Dresdensem typis exscripta atque inscripta: IESVS Præco s. Concionator & Prædicans omnium perfectissimus, JEsus als der allervollkommenste Prediger a p. 524. vsque ad p. 537. solidissime nitidissimeque, vt omnia solet, explorauit Magnificus, Reverendissimus atque Doctissimus Dominus Heinricus Pippingius SS. Theol. Doct. & in Aula Regia & Electorali Saxonica Antistes primarius, anno 1710. Festo S.S. Trinitat.

litus myrrha & vnguentis, inclusus nouo monumento e solido viuoque saxo* exciso, obsignato ostio, adhibitis etiam custodibus publicis? *Ba.* Quo magis constaret, esse vere mortuum. *Au.* Cur non statim reuixit? *Ba.* Hac ipsa de caussa. Etenim si mors fuisset ambigua, fuisset & ambigua resurrectio: sed hanc voluit esse certissimam. *Au.* Credis, huius animam descendisse ad inferos? *Ba.* Hanc particulam non fuisse quondam additam nec in symbolo Romano, nec in symbolo Orientalium ecclesiarum, testis est Cyprianus, nec recensetur apud Tertullianum vetustissimum scriptorem. Ego tamen & hoc firmiter credo: Vel quia congruit cum prophetia Psalmi; Non derelinques animam meam in inferno: & rursus; Domine, eduxisti ab inferno animam meam; Vel quia Petrus Apostolus in epistolæ prioris (de cuius auctore nunquam fuit dubitatum) capite tertio scripsit hunc in modum: *Mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu*[32]*: in quo & his, qui in carcere erant, spiritu veniens prædicauit.* Verum, vt credo descendisse ad inferos, ita non credo illic aliquid esse passum: descendit enim, non vt illic cruciaretur, sed vt nobis frangeret regnum satanæ. *Au.* Nihil adhuc impium audio: sed mortuus est, vt nos peccato mortuos reuocaret ad vitam. Cæterum cur reuixit? *Ba.* Tribus potissimum de caussis. *Au.* Quibus? *Ba.* Primum, vt nobis certam

* An saxa nascantur & augescant, incertum. Viua tamen saxa dicuntur, quæ nondum suo loco sunt amota. Fölset Stein. 32 diuinitate.

tam spem faceret resurrectionis. Deinde, vt sciremus, eum immortalem [33] esse, nec vnquam moriturum, in quo præsidia salutis nostræ collocauimus. Postremo, vt nos quoque per pœnitentiam mortui peccatis, per baptismum vna cum illo sepulti, per gratiam eius reuocemur ad vitæ nouitatem. *Au.* Credisne, quod idem corpus, quod mortuum fuit in cruce, quod reuixit in sepulcro, quod visum & contrectatum est discipulis, subuexerit in cœlum? *Ba.* Maxime. *Ca.* Cur voluit relinquere terras? *Ba.* Vt illum omnes spiritualiter amaremus, neque quisquam in terris sibi Christum proprie vendicaret, sed omnes ex æquo tolleremus animos in cœlum, scientes illic esse caput nostrum. Etenim, si nunc homines tantopere sibi placent ob vestis colorem ac figuram, cumque sic quidam ostentent sanguinem, aut præputium Christi, & lac matris Virginis, quid credis futurum, si mansisset in terris vestitus, comedens, loquens? Quæ dissidia parassent ista corporis peculiaria? *Au.* Credis, illic, immortalitate donatum, assidere dextrum [34] Patri? *Ba.* Quid ni? vt rerum omnium dominum, & totius regni paterni consortem. Hoc ipse discipulis promiserat futurum, atque hoc spectaculum exhibuit Stephano martyri suo. *Au.* Cur hoc exhibuit? *Ba.* Ne nos vlla in re trepidaremus, gnari quam potentem patronum ac dominum habeamus in cœlis. *Au.* Credis, illum eodem corpore rediturum, vt iudicet viuos & mortuos? *Ba.* Quam

33 Propter personæ dignitatem impossibile erat, illum a morte retineri, Act. II. v. 24. Et per hoc se demonstrauit filium DEI, Rom. IV, 4. 34 ad dextram Patris.

Quam habeo certum esse hactenus peracta, quæ Prophetæ de Christo prædixerant, tam habeo certũ, fore quidquid in posterum voluit nos exspectare. Prior aduentus exhibitus est iuxta vaticinia Prophetarum, quo venit humilis, vt nos institueret ac seruaret. Exhibebitur & secundus, quo veniet sublimis in gloria Patris: ante cuius tribunal sisti cogentur omnes homines cuiuscunque nationis, cuiuscunque status, siue reges, siue plebeii, siue Græci, siue Scythæ: nec solum hi, quos aduentus ille deprehendet viuos [35], verum etiam omnes, qui ab initio mundi vsque ad illud tempus mortui fuerint, subito reuiuiscent, & suo quisque corpore conspiciet iudicem. Aderunt & Angeli beati, tanquam famuli fideles: aderunt & dæmones iudicandi. Tum e sublimi pronunciabit illam ineuitabilem sententiam, quæ diabolum, cum his qui illi adhæserunt, tradet æternis suppliciis, vt postea nulli possint nocere: pios transferet in consortium regni cœlestis, tutos ab omni molestia: quanquam huius aduentus diem nobis ignotum [36] esse voluit. *Au.* Nihil adhuc audio morbi. Veniamus igitur ad tertiam personam. *Ba.* Vt videtur. *Au.* Credis in Spiritum Sanctum? *Ba.* Credo, hunc esse verum Deum, vna cum Patre & Filio. Credo hoc Spiritu afflatos fuisse, qui nobis veteris ac noui Testamenti libros tradiderunt, sine cuius ope nemo peruẽnit [37] ad salutem. *Au.* Cur appellatur spi-

35 Christus multos deprehendet viuos, 1. Thess. IV, 19. 17. conf. 1. Cor. XV, 51. 36 Marci XIII. v. 32. Ideo latet vnus dies, vt obseruentur omnes. 37 consequitur salutem, beatitudinem æternam.

ſpiritus? *Ba.* Quia quemadmodum corpora noſtra viuunt halitu, ita tacito Sancti Spiritus afflatu viuificantur animi noſtri. *Au.* An non licet Patrem vocare ſpiritum? *Ba.* Quid ni? *Au.* An non igitur confunduntur perſonæ? *Ba.* Non. Nam Pater ſpiritus dicitur, quod ſit incorporeus; id quod omnibus perſonis eſt commune iuxta naturam diuinam. Sed tertia perſona dicitur ſpiritus, quod alicunde ſpiret[38], & per animos ſeſe transfundat inſenſibiliter, velut a terra ſeu fluuiis ſpirant auræ. *Au.* Cur perſonæ ſecundæ tribuitur nomen filii? *Ba.* Ob perfectam naturæ & voluntatis ſimilitudinem. *Au.* Eſt Filius ſimilior Patri, quam Spiritus Sanctus? *Ba.* Non, iuxta naturam diuinam; niſi quod hoc magis refert proprietatem Patris, quod ab ipſo quoque procedat Spiritus Sanctus. *Au.* Quid igitur prohibet Spiritum Sanctum appellari filium? *Ba.* Quia cum diuo Hilario nusquam hunc lego genitum, nec huius lego Patrem; ſpiritum & procedentem lego. *Au.* Cur in Symbolo ſolus * Pater di-

38 Spirat vbi vult, Ioh. III, v. 9. in vocatione, quoad vocationis ordinem, qui tangit Iudæum primum & Græcum, Rom. I, 16. quoad horas & moras, dum ſerius aliis hæc gratia contingit, aliis citius. Propriam operationem; quæ inſpiratio eſt, exercet vbi, quando & in quo vult. Adde quod verba allegata non agant proprie de Spiritu S. ſed de ſpiritu aëre ſeu vento naturali; vt oſtendit Gerhardus p. 956. in Explicatione Elenchtica Euangeliorum Dominicalium. * Eſt pars illius quæſtionis quæ præceſſit: Cur in ſacris Filius frequentius appelletur Dominus quam Deus? Nunc poſteaquam eſt & Spiritus mentio facta, rogat, cur in ſymbolo ex tribus perſonis ſolus Pater dictus ſit Deus. De re nulla dubitatio, tantummodo de conſuetudine ſcripturarum eſt quæſtio,

citur Deus? *Ba.* Quod hic, vt dixi, ſimpliciter ſit auctor omnium quæ ſunt, ac totius deitatis fons. *Au.* Dic clarius. *Ba.* Quoniam nihil nominari poteſt, cuius origo non manat a Patre. Siquidem hoc ipſum quod Filius ac Spiritus Sanctus Deus eſt, Patri acceptum referunt. Præcipua igitur auctoritas, hoc eſt, originis ratio, eſt in Patre ſolo, quod vnus ille a nullo eſt. In Symbolo tamen ſic accipi poteſt, vt Dei nomen non ſit perſonæ proprium, ſed in genere poſitum, quod mox per Patris, Filii & Spiritus Sancti vocabulum diſtinguatur in vnum Deum: quæ naturæ vox comprehendit Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, hoc eſt, tres perſonas. *Au.* Credis *in* ſanctam eccleſiam? *Ba.* Non. *Au.* Quid ais? non credis? *Ba.* Credo ſanctam eccleſiam, quæ eſt corpus Chriſti, hoc eſt congregatio quædam omnium per vniuerſum orbem, qui conſentiunt in fide Euangelica, qui colunt vnum Deum Patrem, qui totam ſuam fiduciam collocant in eius Filio, qui eodem huius Spiritu aguntur; a cuius conſortio reſecatur quiſquis admittit crimen [39] lethale. *Au.* Cur horres dicere *Credo in ſanctam eccleſiam?* *Ba.* Quia ſic me docuit diuus Cyprianus, in [40] ſolum Deum eſſe creden-

39 peccatum prohæreticum & mortale. 40 Credere DEO, credere DEVM, credere in DEVM differunt: ſic & credere Eccleſiæ, Eccleſiam & in Eccleſiam differrent, niſi abſonum eſſet hoc poſtremum: Credere DEO & Eccleſiæ eſt credere vera eſſe & fidem adhibere, aſſenſum præbere iis, quæ DEVS aut Eccleſia loquitur. Credere DEVM eſt credere exiſtentiam DEI, quod ſit DEVS, & talis, qualis ſe in verbo patefecit. Credere autem in DEVM eſt credendo ire in DEVM, ei adhærere, fiduciam collocare in DEO.

dendum, in quo ſimpliciter omnem fiduciam reponimus. Eccleſia vero proprie dicta, quanquam non conſtat niſi ex bonis, tamen ex hominibus conſtat, qui ex bonis poſſunt fieri mali, qui falli [41] poſſunt & fallere. *Au.* Quid ſentis de communione ſanctorum? *Ba.* Hic articulus omnino non attingitur apud Cyprianum, cum ille nominatim indicet, quid in quibus eccleſiis plus habeatur aut minus. Sic enim ille connectit: *Sequitur namque poſt hunc ſermonem:* Sanctam eccleſiam; *remiſſionem peccatorum, huius carnis reſurrectionem.* Ac nonnullis videtur hæc pars non eſſe diuerſa a ſuperiore, ſed explicare & infigere quod modo dictum erat, *Sanctam eccleſiam*: vt nihil aliud ſit eccleſia, quam vnius Dei, vnius Euangelii, vnius fidei, vnius ſpei profeſſio, eiusdem ſpiritus, eorundem ſacramentorum participatio: breuiter, talis quædam communio bonorum omnium inter omnes pios, qui fuerunt ab initio mundi vsque ad finem, qualis eſt membrorum corporis inter ipſa ſocietas, ſic vt aliorum benefacta ſubueniant aliis, donec [42] viua ſunt membra corporis. Cæterum extra ſocietatem hanc ne propria quidem benefacta conducunt cuiquam ad ſalutem, niſi reconcilietur ſanctæ congregationi: & idem ſequitur; *Remiſſionem peccatorum*: quia extra eccleſiam non eſt vlla peccatorum remiſſio, quantumuis homo maceret ſe pœnitentia, aut exerceat opera miſericordiæ. In

41 In *viſibili* Eccleſia boni malis ſunt commixti, in *inuiſibili* autem tantum vere fideles ſunt; qui licet quandoque graues lapſus committunt, nihilominus beneuola DEI manu denuo eriguntur, 1. Pet. I. v. 5. 42 quam diu.

In ecclesia, inquam, non hæreticorum, sed sancta, hoc est, spiritu Christi congregata, est remissio peccatorum per baptismum, &, post baptismum, per pœnitentiam & claues Ecclesiæ datas [43]. *Au.* Ista sunt adhuc sani hominis. Credisne, futuram carnis resurrectionem? *Ba.* Frustra crederem cætera, si hoc, quod est omnium caput, non crederem [44]. *Au.* Quid sentis, cum dicis carnem? *Ba.* Corpus humanum, humana anima animatum. *Au.* Num vnaquæque anima recipiet suum corpus, quod exanime reliquerat? *Ba.* Idem hoc [45], vnde demigrarat. Et ideo in symbolo Cypriani additum est, *Huius* carnis. *Au.* Qui fieri potest, vt corpus iam toties ex aliis in alia versum, possit *idem* reuiuiscere? *Ba.* Qui potuit quidquid vult ex nihilo creare, an huic difficile sit, quod ex sua forma mutatum est, in pristinam naturam restituere? Non anxie disputo, quibus modis [46] id fiat: mihi satis est, quod, qui promisit hoc futurum, sic verus est, vt mentiri non possit; sic potens est, vt, quidquid velit, nutu valeat efficere. *Au.* Quid opus erit tum corpore? *Ba.* Vt totus homo glorificetur cum Christo, qui heic totus afflictus erat *pro* Christo [47]? *Au.* Quid sibi vult, quod addit; *Et vitam æternam.* *Ba.* Ne quis suspicetur nos sic reuicturos, quemadmodum sub vernum tempus reuiuiscunt ranæ, rursus morituræ. Nam heic duplex mors est: corporis, bonis ac malis omnibus com-

43 impetranda. 44 Vide 1. Cor. XV. v. 13, 16, 17, 18, 19. 45 idem numero corpus. Iobi c. XIX. v. 26. sq. 46 quomodo, quibus viis, quo pacto. 47 pro Christi gloria, in gratiam Christi, Christi causa.

communis; & animi. Mors autem animi peccatum est. At post resurrectionem piis erit æterna vita tum corporis, tum animi. Nec enim corpus erit amplius obnoxium morbis, senio, fami, siti, dolori, lassitudini, morti aut vlli incommodo; sed spirituale factum, spiritus [48] arbitrio mouebitur: nec animus deinceps vllis vitiis aut doloribus solicitabitur, sed sine fine fruetur summo bono, qui est Deus. Contra, impios mors æterna possidebit, tum corporis, tum animi. Nam & corpus habebunt ad æternos cruciatus immortale [49], & animum peccatorum stimulis semper afflictum absque spe veniæ. *Au.* Credis hæc ex animo ac serio? *Ba.* Sic, inquam, vt mihi minus certum sit, te mecum colloqui. *Au.* Ego cum essem Romæ, non omneis reperi æque sincere credentes. *Ba.* Imo si excutias, reperies & alibi multos, quibus hæc non æque persuasa [50] sunt. *Au.* Cum in tam multis & arduis consentias nobiscum, quid obstat quo minus totus sis noster? *Ba.* Istud ex te audire cupio. Nam ipse mihi videor orthodoxus*, etiamsi vitam meam nolim præstare **: tametsi sedulo conor, vt pro-

---

48 Respicit autor ad locum Pauli 1. Cor. XV, 44. Spirituale autem corpus, quod suscitatur, vna cum anima longe excellentiore virtute viuificandum est, DEI scilicet Spiritu, quæ ex altero Adamo, nempe CHRISTO in nos deriuatur. Spirituale ergo corpus non respectu essentiæ, sed spiritualium qualitatum, quibus ornatum erit. 49 Viuent quippe impii æternum, vt moriantur, & morientur, vt viuant. 50 certa, indubitata. * Id est, rectæ opinionis, cui contrarium est hæretici vocabulum. ** Præstare dicitur, qui suo periculo vitium aut corripit, aut defendit. Vor sein Leben gut seyn.

professioni respondeat. *Au.* Vnde igitur tantum bellum inter vos & orthodoxos? *Ba.* Exquire. Sed heus medice, si non pœnitet huius procemii, sumes nobiscum prandiolum & a prandio per otium percunctaberis de singulis; præbebo brachium vtrumque[51]: inspicies excrementa[52], tum crassiora, tum liquidiora. Denique facies, si videbitur, totius huius pectoris anatomiam, quo certius de me iudices. *Au.* At religio est, tecum mensam habere communem[53]. *Ba.* Atqui id solent medici, quo melius obseruent, quid affectent aut peccent ægroti. *Au.* Sed vereor ne videar fauere hæreticis[54]? *Ba.* Immo nihil est sanctius, quam fauere hæreticis. *Au.* Qui sic? *Ba.* Nonne Paulus optauit anathema fieri pro Iudæis plus quam hæreticis? An non fauet ille, qui studet vt quis ex malo fiat bonus, ex mortuo viuus? *Au.* Maxime. *Ba.* Sic igitur faue; nec erit quod metuas. *Au.* Nunquam audiui ægrotum commodius respondentem. Age, duc me ad prandium. *Ba.* Medice accipieris[55], & vt decet apud ægrotum; & sic curabimus corpuscula cibo, vt nihilo secius animus ido-

51 ad explorandum sensilem arteriarum motum distentione constantem & contractione. Du magst mir an beyden Armen nach dem Pulse fühlen/ ich will mir lassen darnach fühlen. 52 Perhibent Hippocratem retrimenta gustasse ad indagandum morbi statum. Rhodiginus c. XII. lib. XVI. 53 Respicit fortassis II. Ioh. v. 10. 54 Den Ketzern gut seyn. Ludit vero Amphibolia Phraseos; quæ idem dicit ac: cum ipsis facere, a partibus ipsorum stare; vel: salutem & conuersionem eorum efflagitare. 55 Habeberis, tractaberis modice.

idoneus sit ad disputandum. *Au.* Fiat bonis auibus*. *Ba.* Immo malis piscibus fiet: nisi forte nunc oblitus es esse diem Veneris [56]. *Au.* Id quidem est præter symbolum* nostrum.

ΓΕΡΟΝΤΟΛΟΓΙΑ*, *SIVE* ΟΧΗΜΑ.

EVSEBIVS**, PAMPIRVS, POLYGAMVS, GLYCION.

Eu. QVas nouas aues*** heic ego video? Nisi me fallit animus, aut parum prospiciunt oculi, video tres veteres congerrones meos considentes [1], Pampirum, Polygamum, & Glycionem. Certe ipsi sunt. *Pa.* Quid tibi vis cum tuis vitreis oculis*, fascinator? Congredere propius, Eusebi. *Po.* Salue, multum exoptate Eusebi. *Gl.* Bene sit tibi, vir optime. *Eu.* Saluete vos omnes vna salute [2], pariter mihi carissima capita [3]. Quis Deus, aut casus Deo felicior, nos coniunxit [4]? Nam nemo

* Id est, Seliciter: alter arripuit iocum ex ambiguo, proprie enim & Grammatice accepit, quæ dixerat alter prouerbialiter & improprie. 56 Besinne dich nur recht / es ist heute Freytag! du hast vieleicht vergessen / daß Freytag ist. * Rursum iocus est ex ambiguo. Nam in symbolo Apostolorum nulla mentio est de piscibus: & dicuntur Symbola conuiuiorum.

* i. e. senile colloquium. Ὄχημα, Vehiculum. ** Eusebius Pius. Pampirus, omnia expertus. Polygamus, qui sæpe duxit vxorem. Glycion, dulcis, siue dulcior. *** Alludit ad peregrinas aues. Raras aues. 1 considére. Participium pro Infinit. per Græcismum. Significat vitrea perspicilla, & fascinatio est in oculis. * Seyd alle zusammen und auff einmahl gegrüsset. 3 corcula, pectora. Wie hat uns unser HErr GOtt hier zusammen geführet!

mo nostrum vidit alium annis, opinors, iam quadraginta. Mercurius caduceo suo [6] non potuisset melius nos in vnum contrahere. Quid heic agitis? *Pa.* Sedemus. *Eu.* Video; sed qua de caussa? *Po.* Operimur currum, qui nos deuehat Antverpiam. *Eu.* Ad mercatum [7]? *Po.* Scilicet, sed spectatores magis, quam negotiatores: quanquam aliis aliud est negotii. *Eu.* Et nobis eodem est iter. Verum quid obstat, quo minus eatis? *Po.* Nondum conuenit [8] cum aurigis. *Eu.* Difficile [9] genus hominum. Sed visne, vt illis imponamus? *Po.* Liberet, si liceret [10]. *Eu.* Simulemus nos velle simul abire pedites [11]. *Po.* Citius credant, cancros volaturos quam nos tam grandes pedibus hoc iter confecturos. *Gl.* Vultis rectum verumque consilium? *Po.* Maxime. *Gl.* Illi potant: id quo faciunt diutius, hoc plus erit periculi, necubi nos deiiciant in lutum. *Po. Admodum diluculo veniat oportet* [12], *si sobrium aurigam velis.* *Gl.* Quo maturius perueniamus Antverpiam, nobis quatuor solis currum stipulemur [13]. Contemnendum censeo tantillum pecuniæ [14]. Hoc damni multis commoditatibus pensabitur: sedebimus commodius, ac mu-

5 dubitatiue ponitur aut interponitur; Wohl bey viertzig Jahren; pro: Opinor, neminem nostrum vidisse alium. Conf. Arnoldi Ornatum de Interposit. Reg. 25. 6 Herolds Zauber-Stabe. 7 nundinas? 8 Wir sind mit denen Fuhrleuten noch nicht eins/ richtig; haben noch nicht accordiret. 9 obstinatum, pertinax. Wiederbürstig/ wiederwärtig/ hartnäckicht. 10 Ich wolt' es gerne thun/ wenn ichs nur dazu bringen/ schaffen könte. 11 Zu Fuße reisen/ gehen. 12 Du wirst frühe aufstehen müssen. 13 Vor uns viere allein einen Wagen dingen/ bedingen/ miethen. 14 ein so weniges Geld/ Pagatell.

mutuis fabulis suauissime [15] transigemus hoc iter. *Po.* Recte suadet Glycion; vt *in vehiculo* quoque *iucundus* [16] *comes* [17] *pro vehiculo sit.* Quin & iuxta Græcorum prouerbium, liberius loquemur, non de plaustro, sed in plaustro*. *Gl.* Transegi, conscendamus. Vah, nunc mihi libet viuere [18], posteaquam ex tanto interuallo [19] videre contigit mihi carissimos olim sodales. *Eu.* Ac mihi videor repubescere. *Po.* Quot annos supputatis [20], ex quo Lutetiæ conuiximus? *Eu.* Arbitror haud pauciores quadraginta duobus. *Pa.* Tum videbamur omnes æquales. *Eu.* Ita ferme eramus, aut si quid erat discriminis, perpusillum erat. *Pa.* At nunc quanta inæqualitas! Nam Glycion nihil habet senii, & huius auus videri queat Polygamus. *Eu.* Profecto sic res habet. Quid rei in caussa? *Pa.* Quid? aut hic cessauit ac restitit in cursu, aut ille anteuertit [21]. *Eu.* Ohe, non cessant* anni, quantumuis cessent homines. *Pa.* Dic bona fide, Glycion, quot annos numeras? *Gl.* Plures quam duceatos. *Po.* Quot tandem? *Gl.* Sexaginta sex. *Eu.* O vere Τιθωνῦ γῆρας**, quod aiunt. *Po.* Sed quibus tandem artibus

---

15 Ne nimium cumulentur Adiectiua alterutrum siue *mutuus* s. *suauissimus* mutandum erat in Aduerbium mutuo vel suauissime. 16 facundus. 17 comitatus. * Alludit ad prouerbium, de plaustro loqui, i. e. quælibet in quemuis opprobria iacere. Die Leute durchziehen/ schmähen / durchhecheln. Notetur hic lusus Præpositionum De, & In. 18 liberius, iucundius. Ich will mir lassen wohl seyn. 19 post tantum temporis spatium, nach so langer Zeit. 20 Wie viel Jahre sinds? 21 præuertit, præuenit.

* *Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis*
Et fugiunt fræno non remorante equi.

** Id est, Tithoni senecta: de longæua, sed florida senectute.

bus remoratus es senectutem? Nam neque canities adest, neque rugosa cutis: vigent oculi, nitet vtrinque * dentium series, color viuidus est, corpus succulentum [22]. *Gl.* Dicam artes meas, modo tu vicissim narres nobis artes tuas, quibus senectutem accelerasti. *Po.* Recipio, me facturum. Dic igitur, quo te contulisti relicta Lutetia? *Gl.* Recta in patriam. Illic commoratus fere annum, dispicere cœpi de deligendo vitæ genere; quam ego rem non leue momentum habere [23] credo ad felicitatem: circumspiciebam quid cuique succederet, quid secus. *Po.* Miror, tibi tantum fuisse mentis, cum Lutetiæ nihil fuerit te nugacius. *Gl.* Tum ferebat * ætas. Et tamen, ô bone, non heic meo Marte [24] rem omnem gessi. *Po.* Mirabar. *Gl.* Prius quam quidquam aggrederer, adii quendam e ciuibus natu grandem, longo rerum vsu prudentissimum [25], totiusque ciuitatis testimonio probatissimum, ac meo quidem iudicio etiam felicissimum. *Eu.* Sapiebas. *Gl.* Huius vsus consilio, duxi vxorem. *Po.* Pulcre dotatam? *Gl.* Dote mediocri, ac plane, iuxta prouerbium, τὴν κατ' ἑμαυτὸν *. Nam & mihi res erat mediocris. Ea res mihi plane cessit ex animi sententia. *Po.* Quot annos tum eras natus? *Gl.* Viginti ferme duos.

Po.

* Id est, superne & inferne. Est enim gemina series. 22 Bey Safft und Krafft. 23 non parum conferre, facere. * Id est, postulabat. 24 consilio, ausu, meapte sponte, Auf mein Ebentheuer/ Gefahr/ nach meinem Gehirne/Gutachten. 25 Einen alten Practicum. * Id est, pro mea sorte. Vide prouerbium Pittaci: Æqualem tibi ducito. Eine Parthie vor mich/ vor meinen Zustand.

Po. O te felicem! *Gl.* Non totum hoc fortunæ debeo, ne quid erres. *Po.* Qui sic? *Gl.* Dicam. Alii prius diligunt quam deligant [26]; ego iudicio delegi quam diligerem: & tamen hanc magis duxi ad [27] posteritatem, quam ad voluptatem. Cum ea vixi suauissime annos non plures octo. *Po.* Reliquit orbum? *Gl.* Imo superest quadriga liberorum; Filii duo, Filiæ totidem. *Po.* Priuatusne viuis, an magistratu fungeris? *Gl.* Est mihi munus publicum. Poterant contingere maiora [28]: verum hoc mihi delegi, quod tantum haberet dignitatis, vt me vindicaret [29] a contemtu; cæterum minime molestiis negotiis obnoxium. Ita nec est, quod quisquam obiiciat, me mihi viuere; & est vnde nonnunquam & amicis dem operam [30]. Hoc contentus, nihil vnquam magis ambii. Verum sic gessi magistratum, vt illi ex me dignitas accreuerit. Hoc ego pulcrius duco, quam ex muneris splendore dignitatem mutuo sumere. *Eu.* Nihil verius. *Gl.* Sic inter ciues meos consenui, carus omnibus. *Eu.* Isthuc vero difficillimum est, cum non abs re [31] dictum sit; *Qui neminem habet inimicum, eum nec amicum habere quenquam:* & *felicitatis semper inuidiam esse comitem.* Gl. *Insignem felicitatem comitari solet inuidia: mediocritas* [32] *tuta est.* Et hoc mihi perpe-

26 Ostendit differentiam inter deligere & diligere, per Paradiastolen. 27 propter, ob; posteritatis causa. 28 Ich hätte was mehrers/ grössers bekommen/ werden können. 29 liberaret, eriperet, solueret. Spernuntur nempe plerique vitam priuatam in obscuro viuentes. 30 Es lässt sich thun/ daß ich den Freunden einen Dienst/ Gefallen / erweisen kan. 31 Sine causa, inutiliter, falso. 32 sors mediocris. Egregie Horatius lib. II. Od. 10.

petuum studium fuit, ne quid mei commodi ex aliorum incommodis compararem. Illam quam Græci vocant *ἀπραξίαν* *, quantum licuit, amplexus sum. Nullis negotiis ingessi memet; sed præcipue continui me ab his, quæ sine offensa multorum suscipi non poterant. Itaque si iuuandus erit amicus, sic illi benefacio, vt hac de caussa nullum mihi parem inimicum. Et si quid ortum fuerit simultatis alicunde, aut purgatione [33] lenio, aut officiis extinguo, aut dissimulatione patior intermori: a contentione semper abstineo: quæ si inciderit, malo rei, quam amicitiæ facere iacturam. In cæteris Mitionem * quendam ago: nulli lædo os [34], arrideo omnibus, saluto ac resaluto benigniter: nullius animo repugno, nullius institutum aut factum damno, nemini me præfero: *patior suum cuique pulcrum esse* [35]. Quod taceri velim, nemini credo. Aliorum arcana non scrutor; & si quid for-

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.

* Ἀπραξία est otium siue abstinentia a negotiis. Hinc versus prouerbialis, Ἀνάπαυσίς ἐστι τῶν κακῶν ἀπραξία. 33 excusatione. Ich purgire mich/ wickle mich heraus. * per Antonomasiam, mitem ac mansuetum. 34 Ich fahre keinem übers Maul; ich rede allen Leuten nach dem Maule/ wie sie es gerne hören. Præsentem nullum offendo. Ich wiederspreche keinem ins Angesichte. 35 Ich lasse einem ieglichen seine Weise/ einen ieglichen bey seiner Weise. Omnibus quippe insita est illa φιλαυτία, vt neminem tam modestum & oculatum inuenias, quin in propriis æstimandis cæcutiat,

fore noui, nunquam effutio. De his qui præsentes non sunt, aut taceo, aut amice loquor ac ciuiliter. *Magna pars simultatum inter homines nascitur ex linguæ intemperantia.* Alienas simultates nec excito, nec alo; sed vbicunque datur opportunitas, aut extinguo, aut mitigo. His rationibus * hactenus vitaui inuidiam, ac beneuolentiam ciuium meorum alui. *Pa.* Non sensisti grauem cælibatum? *Gl.* Mihi quidem nihil accidit acerbius in vita vnquam vxoris morte; ac vehementer optassem, illam vna mecum consenescere, liberisque communibus frui: sed quando aliter visum est superis [36], indicaui sic magis expedire vtrique: neque causam putaui, cur me inani luctu discruciarem, præsertim cum is nihil prodesset defunctæ. *Po.* Nunquamne incessit libido [37] repetendi matrimonii, præsertim cum istud tibi feliciter cessisset? *Gl.* Incessit: sed liberorum caussa duxeram vxorem, liberorum caussa [38] rursus non duxi. *Po.* At miserum est cubare solum totas noctes. *Gl. Nihil est difficile volenti* [39]. Tum cogita, quantas etiam habeat commoditates cælibatus. Quidam omni ex re decerpunt si quid est incommodi; qualis fuisse videtur Crates ille, cuius titulo fertur [40] epigram-

---

* Tradidit hactenus Politicam seu Statisticam quandam priuatorum, & artem conciliandi sibi hominum animos, quam Polytropiam vocant; de qua extat M. Iohannis Martini Lehmanns Lips. Dissertat. Moralis Lips. 1687. habita. 36 DEO, Personis diuinis. 37 cogitatio. Das Lüstel/der Gedancken. 38 Est Anaphora, 39 Wie es einem ieben gefällt! Ja wenn es einer selber nicht anders haben will! Was man gerne thut kömmt einem nicht schwer an. 40 nomine circumfertur

gramma, vitæ mala colligens. Nimirum his placet illud, *Optimum non naſci.* Mihi magis arridet Metrodorus [41] vndequaque decerpens ſi quid ineſt boni. Sic enim fit vita dulcior. Et ego ſic induxi animum, vt nihil vehementer vel oderim, vel expetam. Ita fit, vt ſi quid obtingat boni, non efferar, aut inſoleſcam [42]: ſi quid decedat, non admodum crucier. *Pa.* Næ tu Philoſophus es, vel ipſo Thalete ſapientior, ſi quidem iſtud potes. *Gl.* Si quid ægritudinis obortum eſt animo, vt multa fert [43] huiusmodi vita mortalium, protinus eiicio [44] ex animo, ſiue ſit ira ex offenſa, ſiue quid aliud indigne factum. *Po.* At ſunt quædam iniuriæ, quæ vel placidiſſimo moueant ſtomachum: tales ſunt frequenter & famulorum offenſæ. *Gl.* Nihil ego patior reſidere in animo meo. Si mederi queam, medeor: ſin minus, ſic cogito, quid proderit me ringi [45] re nihilo melius habitura [46]? Quid multis? patior, vt hoc mox impetret a me ratio, quod paulo poſt tempus eſſet impetraturum [47]. Certe nullus eſt tantus animi dolor, quem pa-

Sunt, qui Poſidippo tribuunt, quod ita incipit: Ποίην τις βιότοιο τάμοι τρίβον; Qualem quis vitæ ſecet viam? in foro quidem lites & difficiles actiones, in ædibus curæ, in agro labor, in mari terror &c. Vide Florilegium Cüchleri Cent. I. c. XIII, 3. 41 Poſidippo aut Crateti contradicens: Παντοίην βιότοιο τάμοις τρίβον. Variam vitæ ſecteris viam. Vide l. cit. p. 75. ſq. 42 inſolentior fiam. 43 es ſetzt was/ giebt immer was ; daran fehlt es nicht im menſchlichen Leben. 44 ich ſchlage mirs aus dem Sinne/ Gemüthe/ denen Gedancken. 45 ſtomachari, cruciari. 46 cum tamen res non habitura ſit melius. 47 Nullus dolor eſt, quem non longinquitas temporis minuat ac mol-

patiar mecum ire cubitum. *Eu.* Nihil mirum, si tu non senescis, qui tali sis animo. *Gl.* Atque adeo ne quid reticeam apud amicos, cum primis caui, ne quid flagitii committerem [48], quod vel mihi, vel liberis meis probro esse posset. *Nihil enim irrequietius animo sibi male conscio* [49]. Quod si quid culpæ admissum est, non eo cubitum prius, quam me Deo reconciliaro. Veræ tranquillitatis, seu, vt Græce dicam, εὐθυμίας * fons est bene conuenire cum Deo. Nam qui sic viuunt, his nec homines magnopere nocere possunt. *Eu.* Num quando [50] te cruciat metus mortis? *Gl.* Nihilo magis quam macerat dies natiuitatis. Scio, moriendum: ista solicitudo fortassis adimat mihi aliquot vitæ dies, certe [51] nihil possit adiicere. Itaque totam hanc curam superis committo: ipse nihil aliud curo, quam vt bene suauiterque viuam. Non potest autem suauiter, nisi qui bene. *Pa.* At ego senescerem tædio, si tot annos degerem in eadem vrbe, etiamsi Romæ contingat viuere. *Gl. Habet quidem loci mutatio voluptatis nonnihil: longinquæ vero peregrinationes vt prudentiam addunt fortassis, ita plurimum*

---

liat. Cic. Epist. lib. IV, 4. ad Seruium Sulpitium. 48 Vossius Epist. 320. ad Grotium de Noomsio Arlanderueniæ Domino scribit: Vnum semper eius animum cruciabat, quod stulte ante connubium egisset. Et per est verisimile hoc factum ei accelerasse; adeo illud ad animum reuocabat. Ambros. lib. V. Epist. 18. Nullus, inquit, maior est dolor, quam is, qui peccati mucrone vulnerat conscientiam. 49 Ouid. lib. 1. Fastor.

Conscia mens vt cuique sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemque metumque suo.

* Εὐθυμία est animi tranquillitas. 50 aliquando 51 saltem.

rimum habent periculorum. Mihi videor tutius totum orbem obire in tabula geographica, neque paulo plus [52] videre in historiis, quam si viginti totos annos, ad Vlyssis exemplum, per omneis terras mariaque volitarem. Habeo prædiolum, quod abest ab vrbe non plus quam duobus millibus passuum: ibi nonnunquam ex vrbano fio rusticus: atq; ibi recreatus, redeo nouus hospes in vrbem: nec aliter saluto ac salutor, quam si renauigassem ex insulis nuper inuentis. *Eu.* Non adiuuas valetudinem pharmacis? *Gl.* Nihil mihi rei cum medicis. Nec incidi [53] venam vnquam, nec deuoraui catapotia*, nec hausi potiones. Si quid oboritur lassitudinis**, moderatione victus, aut rusticatione, propello malum. *Eu.* Nihilne tibi cum studiis? *Gl.* Est. Nam in his est præcipua vitæ oblectatio: verum his oblecto me, non macero. Siquidem vel ad voluptatem studeo, vel ad vtilitatem vitæ, non autem ad ostentationem [54]. A cibo sumto aut pascor literatis fabulis, aut lectorem adhibeo: nec vnquam incumbo libris vltra horam [55], tum surgo [56], & arrepta testudine, paulisper obambulans in

52 multoque plus, atque multo plus. 53 Sanguinem misi. Ader gelassen / zur Ader gelassen. Phlebotomia vsus sum. * Catapetia Græce, trochisci siue pilulæ, quas deglutimus. ** Lassitudo, nulla de causa oborta, significat, morbum instare, iuxta medicos. 54 Omnes trahimur ac ducimur ad cognitionis ac scientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus. Cic. lib. I. de offic. 55 Amant alterna Camœnæ. Virg. Eccl. 3, v. 60. 56 Vita enim sedentaria facile obest sanitati, vt Laurentius Pignorius a nimia sessione totus pallebat. Vide Clarm. Vit. P.V. p. 46. Quam stu-

in cubiculo, vel cantillo; vel repeto mecum quid legerim: &, si in promptu est congerro, refero [57], mox ad librum redeo. *Eu.* Dic mihi bona fide, nullane sentis incommoda senectutis [58], quæ feruntur esse plurima? *Gl.* Somnus aliquanto deterior est, nec perinde tenax memoria, nisi si quid infixero. Liberaui fidem * meam. Exposui vobis magicas artes meas, quibus alo iuuentutem meam: nunc referat nobis pari fide Polygamus, vnde tantum collegerit senii. *Po.* Equidem nihil celabo tam fidos sodales. *Eu.* Narrabis etiam tacituris. *Po.* Cum agerem Lutetiæ, quam non abhorruerim ab

---

dendi modum seruauerit Franciscus Iunius idem refert p. 35. l. cit. & Rollius in Bibl. Nobil. Theol. Sect. II. p. 294. Stabat nimirum ad pulpitum, cui Lexica erant imposita, quibus conficiendis operam dabat. 57 Optimus enim proficiendi modus est docere alios, quæ didicimus. Et tum demum aliquid scimus cum docere id alios possumus. Voss. Epist. CXI. 58 Gorgias Leontinus Isocratis Præceptor, qui centum & septem compleuit annos neque vnquam in suo studio atque opera cessauit, interrogatus, cur tam diu vellet esse in vita: Nihil habeo, dixit, quod accusem senectutem. Val. Max. lib. VIII. c. 13. & Cic. Cato mai. De molestiis vero & incommodis senectutis videri potest Gueuarra in Epist. ad Nunnesium p. 58. edit. Francof. Senum vitam nihil aliud quam morborum & dolorum officinam, aram dicit, ad quam omnia mala tanquam ad extremum asylum confugiunt. Senum est tussire, screare, sputare ac ne cibum quidem ipsum sine querelis capere. Caligant oculi, obsurdescunt aures, obbrutescit palatum, flaccidæ sunt genæ, dentes cadunt, tremunt manus, labant genua. Pertinet huc ex c. XII. Eccles. Cunradi Dieterici Spiegel der Alten. it. Dn. D. Warlitzii Valetudinarium Senum Salomonæum. * Id est, persolui quod debui. Etenim qui promittit, obstringit fidem suam, Ich habe meine Parol gehalten.

ab Epicuro, nostis ipsi. *Eu.* Sane meminimus; sed arbitrabamur, te mores eos vna cum adolescentia Lutetiæ relicturum. *Po.* Ex multis, quas illic adamaram, vnam mecum abduxi domum, eamque grauidam. *Eu.* In ædes paternas? *Po.* Recta; sed mentitus, eam esse coniugem cuiusdam amici mei, qui mox esset venturus. *Gl.* Id credidit Pater? *Po.* Imo rem olfecit intra quatriduum. Mox sæua iurgia. Nec tamen interim temperabam a conuiuiis, ab alea, cæterisque malis artibus. Quid multis? Cum Pater non faceret obiurgandi finem, negans, se tales gallinas * alere velle domi; ac subinde minitans abdicationem, verti solum **, & cum gallina mea gallus alio demigraui: ea mihi genuit aliquot pullos. *Pa.* Vnde res [59] suppetebat? *Po.* Nonnihil furtim dabat mater, ac præterea conflatum est æris alieni plus satis [60]. *Eu.* Reperiebantur tam fatui, vt tibi crederent? *Po.* Sunt qui nullis credant libentius. *Pa.* Quid tandem? *Po.* Tandem vbi Pater serio pararet abdicationem intercesserunt amici, ac bellum hoc his legibus [61] composuerunt, vt nostratem [62] vxorem ducerem, cum Galla diuortium facerem [63]. *Eu.* Erat vxor? *Po.* Intercesserant verba futuri temporis *, sed accesserat congressus præsentis temporis. *Eu.* Qui licuit

* Nam ponunt oua, & obstrepunt fœminæ. ** De exulibus proprie dicitur, qui demigrant in aliam regionem. Abdicatio autem est alienatio & exhæredatio liberorum. Die Enterbung / Verstossung / da ein Vater den Sohn nicht vor sein Kind mehr hält. 59 suppellex, vitæ media, alimonia, victus & amictus. 60 incidi in magnum æs alienum, cumulaui æs alienum. 61 conditionibus. 62 ex populo nostro, gente nostra, ciuibus nostris, patria nostra. 63 a Galla auellerer, seiungerer. * Alludit ad sententiam iuriscon-

cuit igitur ab illa diuertere? *Po.* Post rescitum est, meæ Gallæ Gallum esse maritum, vnde pridem se subduxerat. *Eu.* Ergo nunc habes vxorem? *Po.* Non, nisi præter hanc octauam. *Eu.* Octauam? Non sine augurio dictus es Polygamus [64]. Fortassis steriles omnes decessere. *Po.* Imo nulla non reliquit aliquot catulos [65] domi meæ. *Eu.* Ego malim totidem gallinas, quæ mihi ponerent oua domi. Non tædet polygamiæ? *Po.* Adeo tædet, vt si hæc octaua moreretur hodie, perendie ducerem nonam. Imo hoc me male habet [66], quod non liceat habere binas, aut ternas, cum vnus gallus gallinaceus tot gallinas possideat [67]. *Eu.* Equidem haud miror, gallinacee, si parum pinguisti, quodque tantum senii tibi collegeris. Nihil enim æque accelerat [68] senectutem, quam immodicæ atque intempestiuæ compotationes, impotentes amores

sultorum, quam sequuntur & Theologi. Si quis dicat puellæ, *Ducam te*, & mox habeat rem cum illa, ratum est matrimonium, perinde, quasi dixisset, *duco te*. Hoc reti multi adolescentes capiuntur, magno suo malo discentes hoc sophisma. 64 Hæc itaque est ratio denominationis Polygami. 65 Catulus idem quod catellus. Ein junger Hund. Nec tamen solum canum foetus, sed aliarum etiam bestiarum ita appellantur, vt: catuli murium, serpentis, simiæ, vulpium. Junge Mäuse/ Schlangen/ Affen/ Füchse. Similiter pullus quasi puellus, v. g. pullus hirundinis, equæ, apum. Junge Schwalben/ Pferde/ Bienen. 66 male fero. Es verdreust mich/ ist mir leyd. 67 Gallus gallinis terquinis sufficit vnus. 68 Accelerandi verbum & intransitiue seu Neutraliter & transitiue seu Actiue vsurpatur. Hoc loco Actiue. Plötzlich herzuführen/ über den Halß führen/ geschwinde alt machen.

res[69] mulierum, & ſalacitas[70] immoderata. Sed quis alit familiam? *Po.* Ex obitu parentum acceſſit res mediocris[71], & grauiter laboratur manibus. *Eu.* Deſciuiſti igitur a litteris? *Po.* Plane ab equis, quod aiunt, ad aſinos*; ex heptatechno ** factus monotechnus *** faber. *Eu.* Miſer, toties tibi ferendus erat luctus, toties cælibatus? *Po.* Nunquam vixi cælebs vltra dies decem, ſemperque noua nupta veterem luctum expulit. Habetis bona fide[72] vitæ meæ ſummam. Atque vtinam Pampirus narret nobis ſuæ quoque vitæ fabulam, qui ſatis belle portat ætatem[73]. Nam, ni fallor, me duobus aut tribus annis eſt grandior. *Pa.* Dicam equidem, ſi vobis audire vacat tale ſomnium. *Eu.* Imo volupe[74] fuerit audire. *Pa.* Vbi domum rediſſem ſtatim Pater ſenex vrgere cœpit, vt aliquod vitæ genus amplecterer, vnde nonnihil quæſtus accederet rei familiari: ac poſt longam conſultationem placuit negotiatio. *Po.* Miror, hoc vitæ genus arriſiſſe[75] potiſſimum. *Pa.* Eram natura ſitiens

---

69 ex animi impotentia profecti, cum animi impotentia coniuncti. Die Liebe dabey ſich einer nicht befehlen/ gebiethen/regieren kan. Pluralis a ponitur propter multiplicatos & repetitos amoris actus. Habitualiter enim vnus amor eſt. 70 Libido, laſciuia. Balnea, Vina, Venus corrumpunt corpora noſtra. 71 accreuit, accidit mediocris facultas, ſuppellex, hæreditas, ab obitu, ex quo deceſſére parentes. * Id eſt, a melioribus ad deteriora. ** Id eſt, ſeptem artium perito. Tot enim numerantur artes liberales. *** Vnius tantum artis peritus. 72 auf gute Trau/ treulich/ treuhertzig. 73 der ſich in ſein Alter wohl zu ſchicken/ zu finden weiß/ tolerat, fert, patienter ſuffert ſenium, ſenectutem. 74 gratum, iucundum, voluptati, voluptas. 75 placuiſſe, allubuiſſe præ cæteris.

tiens [76] cognoſcendi res nouas, varias regiones, vrbes, linguas ac mores hominum. Ad id maxime videbatur apposita [77] negotiatio. Quibus ex rebus naſcitur & prudentia. *Po.* Sed miſera [78], videlicet quæ plerunque magnis malis [79] ſit illis emenda [80]. *Pa.* Sic eſt. Itaque Pater numerauit ſortem ſatis amplum [81], vt dextro Hercule *, ac bene fortunante Mercurio, negotiationem auſpicarer. Simulque ambiebatur [82] vxor cum ampliſſima dote, ſed ea forma, quæ vel indotatam [83] commendare poterat. *Eu.* Succeſſit? *Pa.* Imo priusquam redirem domum, periit & ſors & vſura [84]. *Eu.* Naufragio fortaſſis. *Pa.* Plane naufragio. Nam impegimus in ſcopulum quauis Malea periculoſiorem [85]. *Eu.* In quo mari occurrit iſte ſcopulus, aut

76 ſitibundus, auidus, percupidus, curioſus. 77 quam accommodatiſſima, aptiſſima, congrua. 78 ſc. prudentia. 79 damnis, periculis. 80 conſtiterit, venerit paranda, acquiratur. 81 Sors eſt ſumma ſ. prima pecunia, quam quis confert alteri, vt inde captet lucrum. Das Capital/die Haupt-Summa. * Retulit verba Perſii. Herculi vouebatur decima bonorum pars, ita illo fauente putabatur res domeſtica proſperari. Ich solte so glücklich handeln/ daß ich zehnmahl so viel damit erwerben gewinnen möchte. 82 Non: ambibatur. Ambio enim, Ich bewerbe mich um etwas / ich gehe um regulariter coniugatur: ambiebam, in Fut. Ambiam, nicht ambibo. 83 a dote minus inſtructam, minus commendabilem, die gleich nichts hat / arm iſt/ nichts zum Manne bringt. 84 Capital und Zinse. 85 Promontorium Laconicæ prouinciæ, quod teſte Seruio per quinquaginta milliaria in mare protenditur, vbi vnda adeo ſeuera eſt, vt perſequi videatur nauigantes; naufragiis adeoque admodum infame, Vnde factus eſt locus prouerbio: *Cum ad Maleam deflexeris, domeſticos obliuiſcere.*

aut quod habet nomen? *Pa.* Mare non poſſum dicere, ſed ſcopulus plurimorum infamis exitiis, Latine dicitur alea [86], quo modo vos Græci nominetis, neſcio. *Eu.* O te ſtultum! *Pa* Imo ſtultior Pater, qui [86] tantam ſummam crederet [87] adoleſcenti. *Gl.* Quid deinde *factum* eſt? *Pa.* Nihil *actum* [88]: ſed cœpi cogitare de ſuſpendio. *Gl.* Adeon' [89] erat Pater implacabilis? Nam res ſarciri poteſt, & venia datur vbique protopiro*; multo magis Pampiro debebatur. *Pa.* Verum fortaſſe narras. Sed interim miſer excidi ab vxore [90]. Nam parentes puellæ, ſimul atque cognouerunt hæc auſpicia, renunciarunt affinitatem. Et amabam, vt qui perditiſſime [91]. *Gl.* Miſeret me tui. Sed quid interim conſilii tentatum eſt? *Pa.* Id quod ſolet in rebus deſperatis [92]. Pater abdicabat, perierat res, perierat vxor, vndique audiebam [93] gurges, nepos, helluo. Quid plura? Serio mecum deliberabam, an ſuſpenderem me [94], an aliquo

86 Egregie prorſus per Aphæreſin literæ M. ex *Malea* fit *Alea*. Vnde perquam appoſite vocibus hiſce ludit. 86 quod. 87 concederet, committeret, demandaret. 88 Voci: *factum* qſ. per Echo reſpondet: *actum*. 89 Elegans Apocope aut Apoſtrophus ex more Græcorum propter affectum dicentis, in concurſu vocalium; pro: *Adeone*. * Vide prouerb. συγγνώμη πρωτοπείρῳ, id eſt, primum experiendi ignoſcendum. 90 Fruſtratus ſum vxore, repulſam tuli, excidi virgine. Ich habe den Korb kriegt / ich bin fehl gegangen / darneben kommen / ums Weib kommen. 91 ſc. amat. Eſt deſcriptio Superlatiui aut potius Circumſcriptio, de qua exempla plura collegit Elias Maior de varianda Orat. 92 Deſperatis etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam. 93 vocabar, compellabar, ſalutabar. Man hieß mich / es hieß / es gieng immer. 94 Suſpendio vitam finirem, vt Phæbe li-

quo coniicerem memet in monasterium[95]. *Eu.* Crudele consilium. Scio vtrum elegeris, mitius mortis genus. *Pa.* Imo quod mihi tunc visum est crudelius; adeo mihi displicebam totus. *Gl.* Atqui complures eo[96] se deiiciunt, vt suauius viuant. *Pa.* Corraso viaticulo, furtim me subduxi procul a patria. *Gl.* Quo tandem? *Pa.* In Hiberniam; illic factus sum Canonicus ex eorum genere, qui extime linei sunt, intime lanei[97]. *Gl.* Apud Hibernos igitur hibernasti? *Pa.* Non, sed duos menses apud hos versatus nauigaui in Scotiam. *Gl.* Quid te offendit apud illos? *Pa.* Nihil, nisi quod institutum illud mihi videbatur mitius quam pro meritis eius, qui non vno suspendio dignus erat. *Eu.* Quid in Scotia designatum est[98]? *Pa.* Illic ex lineo factus sum pelliceus apud Carthusios[99]. *Eu.* Homines plane mundo mortuos[100]. *Pa.* Ita mihi visum est, cum audirem illos canentes. *Gl.* Quid? canunt etiam mortui? Quot menses apud illos egisti Scotos? *Pa.* Propemodum sex. *Gl.* O constantiam! *Eu.* Quid illic offendit[101]? *Pa.* Quia mihi

berta apud Tranquillum c. 65. in Aug. 95 Desperatio enim, iuxta Prouerbium, facit aut militem aut monachum. 96 in monasterium. 97 Recte Panuinius originem Canonicorum ad Gelasium I. Pontif. circa annum 495. refert. Vestimentum autem est alba tunica cum linea veste sub nigro pallio; integumentum, quod humeris incumbit, velat ceruicem & totum corpus excepta fronte. 98 consilii arreptum est? 99 Interior enim toga Carthusiis est pellicea; exterius pallium nigrum inductum tunicæ albæ; caput tegitur cucullo. 100 Salse Buchananus:

Pene, manu, lingua fratres munda omnia fœdant:
In mundo merito sese habitare negant.

101 displicuit, parum placuit? Was ist dir da zu wieder gewe-

mihi visa est vita segnis ac delicata. Deinde multos illic reperi non admodum sani cerebri, ob solitudinem, vt arbitror. Mihi parum erat cerebri; verebar ne totum periret. *Po.* Quo deinde deuolasti? *Pa.* In Galliam. Illic reperi quosdam totos pullatos, ex instituto diui Benedicti[102], qui colore vestis testantur se lugere in hoc mundo; & inter hos, qui pro summa veste cilicium[103] ferrent reti simile. *Gl.* O grauem corporis macerationem[104]! *Pa.* Heic egi menses vndecim. *Eu.* Quid obstitit, quo minus illic maneres perpetuo? *Pa.* Quia plus illic reperi cæremoniarum, quam veræ pietatis. Præterea audieram, esse quosdam his multo sanctiores, quos Bernardus ad seuerioris disciplinam reuocasset, pulla veste mutata in candidam: apud hos vixi menses decem. *Eu.* Heic quid offendebat? *Pa.* Nihil admodum. Nam hos reperi sat commodos sodales. Sed mouebat me Græcorum prouerbium; Δεῖ τὰς χελώνας ἢ φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν[105]. Itaque decretum erat,

sen/ hat dir da nicht angestanden/ woran hast du dich da gestossen?
102 Institutus ordo post Benedicti mortem a Gregorio M. & ab Eugenio II. circa annum 825. confirmatus, pluribus deinceps ordinibus dissectus est. 103 ex hircorum seu capellarum pilis factum, sic dictum, quod vsus eius in Cilicia ortus sit, Varrone de re rust. l. 2. teste. Härin-Kleyd.
104 afflictationem! Casteyung. Loquitur per Diasyrmum.
105 Testudines edere, aut non edere decet, i. e. copiose non segniter aut modice edendæ sunt testudines. Aiunt enim si modice edatur caro testudinis, ventris eam tormina facere; si copiose, lenire, Recht oder gar nicht. Pleræque res, si facias acriter, plurimum conducunt; sin ignauiter, officiunt.

erat, aut non esse monachum, aut insigniter esse monachum. Acceperam esse quosdam Brigidenses[106], homines plane cœlestes; ad hos me contuli. *Eu.* Quot menses illic egisti? *Pa.* Biduum, nec id sane totum. *Gl.* Vsque adeo placuit hoc vitæ genus? *Pa.* Non recipiunt, nisi qui mox obstringat se professioni. At ego nondum adeo insaniebam, vt facile me præberem capistro, quod nunquam liceret excutere. Et quoties audiebam canentes virgines, cruciabat animum vxor erepta. *Gl.* Quid deinde? *Pa.* Ardebat animus amore sanctimoniæ, nec vsquam satisfiebat animo meo. Tandem obambulans incidi in quosdam præferentes crucem. Hoc signum mihi protinus arrisit; sed remorabatur electionem varietas: alii gestabant albam, alii rubram, alii viridem, alii versicolorem, alii simplicem, alii duplicem, nonnulli quadruplicem, alii alia atque alia figura variatam. Ego, ne quid intentatum relinquerem, omnes ferme formas gessi. Verum ipsa re comperi, longe aliud esse circumferre crucem in pallio seu tunica, quam in corde. Tandem fessus inquirendo, sic mecum cogitabam: vt semel omnem sanctimoniam assequar, petam terram sanctam, ac redibo domum sanctimonia onustus. *Po.* Num eo profectus es? *Pa.* Maxime. *Po.* Vnde suppetebat viaticum? *Pa.* Demiror, istud nunc denique tibi venire in mentem vt rogares, ac non multo ante percunctatum fuisse. Sed nosti prouerbium, Τὸ τέχνιον πα-

106 Ordo Brigidensium virorum & fœminarum est a Brigida f. Brigitta institutus, quæ eum ex ore IESV CHRISTI (vah mendacium!) in honorem Virginis Matris hauserat.

πᾶσα γῆ τρέφει [107]. *Gl.* Quam artem circumferebas? *Pa.* Chiromanticam [108]. *Gl.* Vbi eam didiceras? *Pa.* Quid refert? *Gl.* Quo præceptore? *Pa.* Eo, qui nihil non docet, ventre [109]. Prædicebam præterita, futura, præsentia. *Gl.* Et sciebas? *Pa.* Nihil minus: sed diuinabam audacter, idque tuto, videlicet prius accepto pretio. *Po.* An ars tam ridicula poterat alere te? *Pa.* Poterat, & quidem cum duobus famulis. Tantum est vbique fatuorum & fatuarum. Attamen cum Hierosolymam adirem, addideram me in comitatum cuiusdam magnatis prædiuitis, qui natus annos septuaginta, negabat, se æquo animo moriturum, nisi prius adisset Hierosolymam. *Eu.* Ac domi reliquerat vxorem? *Pa.* Atque etiam liberos sex. *Eu.* O senem impie pium [110]! Atque illinc redisti sanctus? *Pa.* Vis verum fatear? Aliquanto deterior, quam ieram. *Eu.* Sic, vt audio, excussus est religionis amor. *Pa.* Imo magis incanduit. Itaque reuersus in Italiam, addixi me militiæ. *Eu.* Itane religionem venabaris in bello? quo quid esse potest sceleratius? *Pa.* Erat sancta militia. *Eu.* Fortassis in Turcas. *Pa.* Imo sanctius * quiddam, vt tum

107 πᾶσα γῆ τὰς τέχνας τρέφει. Quæuis terra alit artes. Wer was gelernet hat / kömmt allenthalben / allerwegen / fort. Certissimum viaticum est eruditio aut artificium aliquod, vt quæ nec eripi potest a latronibus, nec grauat circumferentem. 108 χειρομαντεία ex χεὶρ & μαντεύομαι est, diuinatio, vaticinatio ex manu. 109 Ventriculo, stomacho, fame. 110 Est Oxymoron aut elegans contradictio in adiecto. * Hoc tum iactabant qui Iulio aderant.

tum quidem prædicabant. *Eu.* Quidnam? *Pa.* Iulius secundus belligerabatur [111] aduersus Gallos. Porro militiam mihi commendabat etiam multarum rerum experientia. *Eu.* Multarum, sed malarum. *Pa.* Ita post comperi. Et tamen heic durius vixi, quam in monasteriis. *Eu.* Quid tum postea? *Pa.* Iam mihi vacillare cœpit animus, vtrum ad negotiationem intermissam redirem, an religionem fugientem [112] persequerer. Interim venit in mentem, vtrumque alteri [113] posse coniungi. *Eu.* Quid? vt simul esses & negotiator & monachus? *Pa.* Quid ni? Nihil religiosius ordinibus mendicantium: & tamen nihil similius negotiationi. Volitant per omnes terras ac maria, multa vident, multa audiunt: penetrant omneis domos, plebeiorum, nobilium, atque regum. *Eu.* At non cauponantur [114]. *Pa.* Sæpe nobis felicius. *Eu.* Quod genus ex his delegisti? *Pa.* Omnes formas

---

111 belligerabat. Est verbum abundans. Melanchthon de Bello eius aduersus Gallos ita cecinit:

Cum contra Gallos bellum Papa Iulius esset
Gesturus, sicut fama vetusta docet:
Ingentes Martis turmas contraxit, & Vrbem
Egressus sæuas edidit ore minas.
Iratusque sacras claues in flumina iecit
Tibridis, hic vrbi pons vbi iungit aquas.
Inde manu strictum vagina deripit ensem,
Exclamans truci talia voce refert:
Hic gladius Pauli nos nunc defendet ab hoste,
Quandoquidem clauis nil iuuat ista Petri.

112 me, a me aufugientem, me deserentem, vel: vagantem. 113 alterum alteri, eines bey dem andern/ beydes beysammen. 114 cauponariam exercent. Wirthschafft treiben/ gastieren/ Gastgeberey treiben/ einen Gast-Wirth abgeben.

mas [115] expertus sum. *Eu.* Nulla placuit? *Pa.* Imo perplacuerant omnes, si licuisset statim negotiari. Verum perpendebam, mihi diu sudandum in choro, priusquam crederetur mihi negotiatio. Iamque cogitare cœpi de venanda [116] Abbatia: sed primum, non omnibus heic fauet Delia, & sæpe longa est venatio. Itaque consumtis hunc in modum annis octo, cum esset nuntiata mors Patris, domum reuersus, ex consilio Matris duxi vxorem, & ad veterem negotiationem redii. *Gl.* Dic mihi, cum tam subinde nouam vestem sumeres [117], ac velut in aliud animal transformareris, qui potuisti seruare decorum? *Pa.* Qui minus [118] quam hi qui in eadem fabula nonnunquam aliam atque aliam sumunt personam? *Eu.* Dic nobis bona fide, qui nullum vitæ genus non expertus es, quod omnium maxime probas? *Pa.* Non omnibus omnia congruunt; mihi nullum magis arridet, quam hoc quod secutus sum. *Eu.* Multa tamen incommoda habet negotiatio [119]. *Pa.* Sic est. Sed quando nullum vitæ genus omnibus caret incommodis, hanc Spartam [120], quæ contigit, orno. Verum nunc su-

---

115 vias, modos. 116 captanda, aucupanda, assequenda. 117 Weil du mit den Moden so offte umwechseltest/ changirtest/ den Habit so vielmahl/einmahl über das andere ändertest. 118 Quomodo non tam potuissem seruare, quidni tam potuerim? 119 Per mare, per ventos tendit Mercator ad Indos. Horat. Epist. lib. I. Epist. 1.

Impiger extremos currit mercator ad Indos
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

120 Verba Agamemnonis ad Menelaum sunt apud Euripidem: *Spartam nactus es, hancce guberna, sors est proprie*

ſupereſt Euſebius, qui non grauabitur apud amicos vitæ ſuæ ſcenam* aliquam explicare. *Eu.* Imo totam fabulam, ſi videtur: nam habet actus non multos. *Gl.* Erit magnopere gratum. *Eu.* Vbi rediſſem in patriam, annum apud me deliberaui, quodnam vitæ genus amplecti vellem; ſimulque me ipſum exploraui, ad quod genus eſſem propenſus aut idonens. Interim oblata eſt præbenda [121], quam vocant, ſatis opimi prouentus: accepi [122]. *Gl.* Vulgo male audit hoc vitæ genus. *Eu.* Mihi, vt ſunt res humanæ, ſatis exoptandum videtur. An mediocrem felicitatem eſſe putatis, ſubito velut e cœlo dari tot commoda, dignitatem, ædes honeſtas, beneque inſtructas, annuos reditus ſatis amplos, ſodalitium honorificum, deinde templum, vbi, ſi libeat, vaces [123] religioni? *Pa.* Illic me luxus offendebat, & concubinarum infamia; tum quod plerique iſtius generis odére [124] litteras. *Eu.* Ego non ſpecto quid agant alii, ſed quid mihi ſit agendum:

noſtra Mycenæ. Admonet adagium, vt quamcunque prouinciam fuerimus nacti, ei nos accommodemus remque ſtrenue agamus. Conf. Apoſtoli verba Rom. XII. v. 7. 8. Hat iemand ein Amt/ ſo warte er des Amts/ lehret iemand/ ſo warte er der Lehre/ ermahnet iemand/ ſo warte er des Ermahnens. Regieret iemand ſo ſey er ſorgfältig. * Fabula diuiditur in ſcenas. Ad id alluſit. Et ſcenam aperit, qui operta patefacit. Vita autem fabulæ confertur, & totus mundus agit hiſtrioniam. 121 Præbenda, orum, dicuntur neceſſaria illa, quæ magiſtratibus publice miſſis in prouincias præbebantur, videlicet ligna & ſal. Hinc in Singul. Præbenda, æ, Sacrificulorum aut Eccleſiaſticorum eſt ius percipiendi prouentus in Eccleſia collegiata. Präbende/ Pfründe. 122 Amplexus ſum, arripui. 123 opereris, der Religion / des Gottesdienſtes pflegen / warten. 124 faſtidiuére.

dum: & melioribus me adiungo, si non possum alios meliores reddere. *Po.* In isto genere vixisti perpetuo? *Eu.* Perpetuo, nisi quod interim quatuor annos primum egi Patauii. *Po.* Quam ob rem? *Eu.* Hos annos ita partitus sum, vt sesquiannum darem studio Medicinæ, reliquum tempus Theologiæ. *Po.* Cur id? *Eu.* Quo melius & animum & corpus meum moderarer, nonnunquam & amicis consulerem. Nam & concionor nonnunquam pro mea sapientia. Sic hactenus satis tranquille vixi, contentus vnico sacerdotio, nec præterea quidquam ambiens, recusaturus etiam, si offeratur. *Pa.* Vtinam liceret discere, quid agant cæteri nostri sodales, quibus cum tum familiariter viximus! *Eu.* De nonnullis possum commemorare quædam; sed video, nos non procul abesse a ciuitate [125]: quare, si videtur, conueniemus in idem diuersorium: ibi per otium de cæteris conferemus affatim. *Huguitio auriga.* Vnde tam miseram sarcinam nactus es, lusce? *Henricus auriga.* Imo quo tu defers istud lupanar [126], ganeo [127]? *Hug.* Debueras istos frigidos senes alicubi effunde-

125 Vtitur figura Reiectionis s. Dilationis materiæ in aliud tempus. Atque sic curru decedentes auulsi sunt inuicem, aut saltem diuersi sunt in idem diuersorium. Iam duo Aurigæ sibi obuiam venientes per Appendicem Colloquii & qs. per auctarium confabulationis loquentes introducuntur; alteri nomen est *Huguitioni*, alteri autem *Henrico*, vectori nempe Senum Antuerpiam vna profectorum. 126 Das Huren-Gesindel/ Pack/ Geschmeiße. 127 Du Huren-Jäger/ Schelm.

dere* in vrticetum, vt calefcerent. *Hen.* Imo tu iftum gregem cura, vt præcipites alicubi in profundam lamam[128], vt refrigerentur; nam calent plus fatis. *Hug.* Non foleo præcipitare farcinam meam. *Hen.* Non? Atqui nuper vidi te fex Carthufienfes deiecifse in cœnum fic, vt pro candidis emergerent nigri: tu interim, quafi re bene gefta, ridebas. *Hug.* Nec iniuria; dormiebant omnes, ac multum ponderis addebant currui meo. *Hen.* At mei fenes egregie fubleuarunt currum meum, per totum iter perpetuo garrientes. Nunquam vidi meliores. *Hug.* Non foles tamen talibus delectari. *Hen.* Sed hi feniculi[129] boni funt. *Hug.* Qui fcis? *Hen.* Quia per eos ter bibi per viam cereuifiam infigniter bonam. *Hug.* Ha ha hæ. Sic tibi boni funt[130].

ΠΤΩΧΟΠΛΟΥΣΙΟΙ[1].

CONRADVS, BERNARDINVS, PASTOR, PANDOCHEVS, VXOR.

Co. Atqui paftorem decet hofpitalitas*. *Paf.* Paftor fum ouium; non amo lupos. *Co.* At non perinde fortaffis odifti lupas**. Sed quo tandem

* Faciunt hoc non raro aurigæ Brabantini vel gratis, nonnunquam conducti. Sie fehen was fie geladen haben / ob fie fchwer geladen haben. 128 lacunam, aquarum collectionem profundam. Pfütze / Lache. 129 Seniones, Seneciones. 130 So wilft du es haben. Solche haft du gerne; darum lobeft du fie fo. So find fie dir recht.

1 Diuites mendici. Die reichen Bettler. * Nam a pafcendo dicitur paftor, & a præbendo Græcis parochus. ** Iocus eft ex ambiguo: lupa vxor lupi, & lupa fcortum.

dem merito ſic abhorres a nobis, vt ne tecto [2] quidem digneris? Neque enim te grauabimus [3] cœna. *Paſ.* Dicam, quia ſi conſpiceretis in ædibus meis gallinam * aliquam, aut pullos gallinaceos, cras in concione traducerer [4] apud populum. Hanc ſoletis referre gratiam communicati hoſpitii [5]. *Co.* Non omnes ſumus iſtiusmodi. *Paſ.* Sitis cuiusmodi voletis: ego vix ſancto Petro fiderem, ſi tali cultu veniret ad me. *Co.* Si ita ſtat ſententia [6], ſaltem indica diuerſorium aliud. *Paſ.* Eſt in hoc vico diuerſorium publicum. *Ce.* Quod habet ſignum? *Paſ.* In tabula penſili [7] videbitis canem os inſerentem in o'lam: hoc agitur in culina. Ad abacum rationalem ſedet lupus [8]. *Co.* Signum inauſpica um. *Paſ.* Fruamini. *Be.* Quod genus paſtoris hoc eſt? per illum liceret perire fame. *Co.* Si non melius paſcit oues, quam nos, oportet eſſe parum obeſas [9]. *Be.* In malis rebus opus eſt bono conſilio. Quid fiet? *Co.* Perfricanda frons eſt [10]. *Be.* Nimirum inutilis eſt pudor, cum vrget neceſſitas.

---

2 domo excipere. In dein Hauß/ unter dein Dach und Fach. 3 moleſtias tibi creabimus, moleſti erimus apparanda cœna. * Gallinam appellat concubinam; pullos liberos. 4 perſtringerer, obiurgarer, culparer, taxarer. 5 poſtquam vobis communicatum eſt hoſpitium. 6 firmiter iſta, ita, conſtituiſti, decreuiſti, in animo, apud animum, ſtatuiſti. 7 appenſa, pendente, ſuſpenſa, affixa, expoſita. 8 Es ſetzt wenig zu freſſen vors Geld; wenn man was haben will iſt niemand zu hauſe; aber wenns zur Rechnung / Zahlung kömmt/ iſt der Wirth unerſättlicher als ein Wolff. 9 pingues, ſaginatas, gemäſtet / befretzet. 10 Man muß ſich die Schamhafftigkeit aus den Augen reiben/ wiſchen. Excutiendus, ponendus pudor eſt.

sitas. *Co.* Admodum: sanctus Franciscus aderit nobis. *Be.* Pro fortuna[11]. *Co.* Non exspectabimus Pandochei[12] responsum pro foribus, sed recta irrumpemus in ipsum vaporarium[13], nec facile patiemur nos eiici. *Be.* O facinus impudens[14]! *Co.* Hoc satius, quam noctem agere sub dio, ac perire frigore. Interim depone pudorem in sacculo, cras resumturus, vbi videbitur. *Be.* Scilicet, sic res ipsa suadet[15]. *Pan.* Quod animantium genus hic video? *Co.* Seruos Dei, Filios Sancti Francisci, vir optime. *Pan.* An Deus talibus seruis delectetur, nescio: ego mihi nolim multos esse domi. *Co.* Quam ob rem? *Pan.* Quia ad edendum & bibendum plus quam viri estis, ad laborandum nec manus habetis, nec pedes. Ohe vos estis Filii Sancti Francisci? Soletis prædicare, eum esse virginem[16], & ille habet tot Filios? *Co.* Spiritus Filii sumus, non carnis. *Pan.* Infelix genitor ille. Nam quod in vobis pessimum est, animus est; corpore nimium valetis, planeque melius habetis ista parte, quam expediat nobis, qui alimus vxorem, & filias. *Co.* Tu forte suspicaris, nos esse ex eorum genere, qui degenerant a progenitoris instituto[17]; nos sumus Obseruantes. *Pan.* Ego igitur obseruabo, ne quid adferatis detrimenti. Nam istud genus ego odi pessime. *Co.* Quam ob rem te quæso? *Pan.* Quia

11 Nachdem es kommen wird/ sich fügen wird; wo das Glücke gut ist. 12 des Gast-Wirths; a πᾶν & δέχομαι, der alles beherberget. 13 Hypocaustum. 14 Das wäre zu unverschämt! 15 Wir müssen es freylich so machen/ können es nicht ändern. 16 cœlibem, extra coniugium vixisse. 17 declinant, deflectunt, abludunt a parentis sanctione, constitutione.

Quia circumfertis dentes, nec circumfertis pecuniam. Hoc genus hospitum mihi est ingratissimum. *Co.* At laboramus vobis. *Pan.* Vultis [18] ostendam vobis quo modo laboretis? *Co.* Ostende. *Pan.* Inspicite picturam vobis proximam ad læuam [19]: illic videtis vulpem concionantem, sed a tergo [20] anser collum profert e cuculla. Rursum videtis lupum absoluentem confessum, sed prominet pars ouis occultatæ sub veste. Videtis simiam assidentem ægroto in veste Franciscana: altera manu præfert [21] crucem, alteram habet in crumena ægrotantis. *Co.* Non inficiamur, hac veste nonnunquam tegi lupos, vulpes, ac simias; sed fatemur, etiam sæpe tegi porcos, canes, equos, leones, ac regulos: quin eadem vestis tegit multos bonos viros. *Vestis vt neminem reddit meliorem, ita nullum reddit deteriorem* [22]. Proinde iniquum est, quenquam ex veste æstimare [23]: alioqui tua vestis, qua non-

18 sc. vt. 19 sc. manum. 20 Von hinten zu/ post tergum, hinterwerts. 21 proponit, exhibet, monstrat, præmonstrat. 23 Sæpe sub attrita latitat sapientia palla. Fridericus III. Elector Palatinus Monacho cuidam pro recordatione in Albo, quod dicitur, consignauisse fertur sequentes versiculos:

Simplicitas Christi nobis placet optime, quando
Sub nigra veste candida corda latent.
At si corda etiam tetro sunt tincta colore,
Vah! quantum monstrum est intus & extra nigrum!

Zincgref. Apophthegm. P. III. p. 92. 23 Fieri tamen id persæpe consueuit, secundum illud, quod Chassaneus affert Catal. Gl. Mundi P. VII. Consid. 44. p. m. 507.

Vir bene vestitus pro vestibus esse peritus
Creditur a mille, quamuis idiota sit ille.

nonnunquam vteris, esset execranda, quæ multos tegit fures, homicidas, veneficos & adulteros. *Pan.* De veste cedam, si numeretis [24]. *Co.* Rogabimus Deum pro te. *Pan.* Ego vicissim pro vobis, operam opera pensans. *Co.* Atqui non ab omnibus accipiendum. *Pan.* Cur vobis religio est contingere pecuniam? *Co.* Quia pugnat cum professione nostra. *Pan.* Itidem cum mea professione pugnat admittere gratuitum hospitem. *Co.* At nos cogit regula, non contingere pecuniam. *Pan.* At mea regula diuersum præcipit. *Co.* Vbi est tua regula? *Pan.* Lege versus istos:

Hospes, in hac mensa fuerint cum viscera tensa,
Surgere ne properes, ni prius annumeres.

Co. Nos non erimus tibi sumtui [25]. *Pan.* At qui mihi non sunt sumtui, ne quæstui quidem sunt [26]. *Co.* Deus abunde pensabit, si quid officii [27] nobis præstiteris. *Pan.* Istis verbis non alo [28] familiam. *Co.* Abdemus nos in angulum vaporarii, neque cuiquam erimus molesti. *Pan.* Non fert [29] tales homines hoc vaporarium. *Co.* Itane nos eiicis, fortas-

---

Si careas veste, nec sis vestitus honeste,
Nullius es laudis, quamuis scis omne quod audis.

Refer huc, quod ex Petrarcha habet Zincgref. P. IV, p. 144. de insigni & percelebri Iure Consulto & Patrono causarum Donato. Das Kleyd macht einen Mann/ wer es hat der zieh' es an. 24 Soluatis pecuniam. 25 Wir werden kein grosser Schaden seyn/nicht viel verzehret haben/ viel Unkosten verursachet haben. 26 Quæstui esse. Profit bringen / etwas einbringen / eintragen. 27 Officium distinguit a beneficio. Omnia enim ex debito exhiberi sibi arbitrantur venerandi illi fratres & patres, quæ ipsis exhibentur. 28 saturo, sustento, cibo, lacto. 29 capit, recipit, suscipit, excipit.

taffis hac nocte deuorandos a lupis? *Pan.* Lupus lupinam non est [30], vt nec canis caninam. *Co.* Crudelis esses, si hoc faceres Turcis: quales quales sumus, homines sumus. *Pan.* Surdo canitis [31]. *Co.* Tu molliter foues corpus tuum, nudus recubans post vaporarium [32], & nos extrudis frigore nocturno perituros, etiamsi parcant lupi. *Pan.* Sic vixit Adam in paradiso. *Co.* Vixit, sed innocens. *Pan.* Et ego innocens. *Co.* Fortassis detracta syllaba prima [33]. At vide, si tu nos nunc extrudis e paradiso tuo, ne Deus te non recipiat in suum. *Pan.* Bona verba [34]. *Vx.* Mi vir, tot tua malefacta saltem hoc beneficio pensa: patere hos hac nocte tecto nostro vti: sunt viri boni, senties, quæstum hinc fieri vberiorem posthac. *Pan.* Ecce deprecatricem; suspicor conuenire inter vos: nec admodum lubens audio hoc elogium a muliere, Viri boni *. *Vx.* Hau: non ita est, sed cogita quoties peccaris alea, temulentia, rixis, pugnis: saltem hac eleemosyna redime tua peccata [35]; ne eiicias hos, quos optaris

tib

30 edit, deuorat, absumit. Æqualitas enim non parit bellum. Succurrit hic illa Grammaticorum crux, quam tironibus figere solent: Mea pater in syluam, filium tuum lupus est. 31 Frustra loquimini; mortuo verba facitis; fabulam surdo narratis in aurem; lapidi dicitis, verba facitis. Non magis moueor verbis vestris, quam si non audiam. 32 fornacem. 33 fit inde: nocens. 34 Abominantis sermo. Sophocles iam senex interrog tus, num fœminis etiam tum vteretur: Bona verba, inquit, amice; libentissime hæc tanquam furiosum agrestemque Dominum effugi. Vid. Adagia. * Vulgus Gallorum virum bonum appellat, cuius vxor parum est pudica. 35 Hic Papizat, nisi sensu, quo Daniel c. IV. v. 24. de redemtione & iustificatione coram hominibus a pœnis temporalibus verba capiat, aut de cessatione a peccatis futuris loquatur, vt idem dicat, ac:

tibi adeſſe morienti. Scurras & ſanniones recipis ſæpenumero; & hos extrudis? *Pan.* Vnde iſta concionatrix nobis? Abi tu, & cura rem culinariam. *Vx.* Id quidem fiet. *Be.* Miteſcit & ſumit induſium lineum, ſpero fore recte [36]. *Co.* Et menſam inſternunt pueri. Bene habet, quod nulli veniunt hoſpites; alioqui nobis erat exulandum. *Be.* Feliciter cecidit, quod e proximo oppidulo retulimus nobiſcum lagunculam vini, & agni coxam aſſam: alioqui hic, vt video, ne fœnum quidem impartiſſet [37] nobis. *Co.* Iam accubuere pueri: adiungamus nos in menſæ partem, ſic tamen, ne cui incommodemus [38]. *Pan.* Vobis imputandum arbitror, quod hodie nullum habeo conuiuam, præter domeſticos & vos inutiles. *Co.* Niſi frequenter hoc accidit, impute nobis. *Pan.* Frequentius quam vellem. *Co.* Noli laborare [39]; viuit adhuc Chriſtus, qui non deſeret ſuos. *Pan.* Audiui vos dici Euangelicos, & Euangelium prohibet per viam circumferri peram [40] aut panes: vos manicas habe-

Abrumpe, finem fac in peccando, deſine peccare & exerce iuſtitiam atque eleemoſynas. Mache dich/ reiß dich einmahl loß von Sünden/ und erweiſe in der That durch ein Allmoſen/ lege eine Probe ab/ daß du in Sünden nicht ferner fortfahren wolleſt. 36 bene, melius; in melius rem noſtram mutatum iri. Ich hoffe/ es wird beſſer werden/ alles gut werden/ es wird ſich noch alles geben. 37 permiſiſſet, conceſſiſſet, elargitus fuiſſet, impertiuiſſet, impertitus eſſet. 38 fiamus incommodi, moleſti. 39 animum deſpondere, abiicere, demittere, angi animo. 40 A CHRISTO interdicitur Apoſtolis peram ad iter comparare, cum eos primum miſit. Matth. X, 10. Luc. IX, 3. XXII, 35. Nempe vt ſe commeatu non onerantes expeditiores eſſent ad iter, & experirentur, Chriſtum prouidentia ſua ipſis nunquam non proſpecturum.

betis pro pera, vt video: nec panes modo circumfertis, verum etiam vinum, & delicias carnium. *Co.* Fruere nobiscum, si libet. *Pan.* Meum vinum, ad istud collatum, vappa [41] est. *Co.* Gusta & de carnibus: nobis enim superest [42]. *Pan.* O felices mendicos! vxor mea nihil hodie coxit, præter caules & laridum rancidum [43]. *Co.* Communicemus [44], si videtur, nostros apparatus. Nam nostra nihil refert, quibus vescamur. *Pan.* Cur igitur non circumfertis caules [45] & vappam? *Co.* Quoniam hæc nobis obtrudere [46] maluerunt, apud quos hodie pransi sumus. *Pan.* Gratis pransi? *Co.* Maxime. Imo gratias etiam egerunt, & abeuntes his apophoretis * onerarunt. *Pan.* Vnde venitis? *Co.* E Basilea. *Pan.* Hui, e tam longinquo? *Co.* Sic est. *Pan.* Quod tandem genus hominum estis vos, qui sic oberratis sine iumento, sine crumena, sine famulitio, sine armis, sine commeatu? *Co.* Vides qualecunque vestigium Euangelicæ vitæ. *Pan.* Mihi videtur erronum vita, qui vagantur cum reticulo [47].

Co.

41 vinum insipidum, cuius vis euaporauit, quod sponte deferbuit & odorem saporemque amisit. Jauche/ Tropff-Wein. 42 remanet, nimia est portio, nimiæ sunt carnes. Wir haben Fleisch übrig genung/ satt/ überley/ es bleibt uns übrig. 43 rancore putidum. Garstig/ stinckend/ vermodert/ verschimmelt/ungeschmack/ übelschmeckend. 44 Permutemus, commutemus. 45 Kraut-Strüncke/ Kohl-Strüncke. 46 nolentibus volentibus, inuitis, tale quid non appetentibus, desiderantibus, concupiscentibus, dare, erogare, largiri, conferre. * Apophoreta, quæ dantur in fine conuiuii, sic vt liceat cuique, si velit, domum auferre. 47 Sacculus, loculusue pecuniæ reponendæ idoneus. Eine Bettel-Tasche/ ein Klingel-Beutel. Ita dicitur reticulum, quod ad modum retis intexeretur.

Co. Tales errones erant Apoſtoli: talis erat & Dominus Ieſus [48]. *Pan.* Noſtis artem chiromanticam? *Co.* Nihil minus. *Pan.* Vnde igitur ſuppetit victus? *Co.* Ab eo, qui promiſit. *Pan.* Quis ille? *Co.* Qui dixit: Nolite eſſe ſoliciti; hæc omnia adiicientur vobis. *Pan.* Promiſit, ſed quærentibus regnum Dei. *Co.* Id facimus pro virili [49]. *Pan.* Apoſtoli clarebant miraculis, ſanabant ægrotos: proinde non mirum illis vbique ſuppetiſſe [50] victum: vos nihil tale poteſtis. *Co.* Poſſemus, ſi ſimiles eſſemus Apoſtolis [51], & ſi res poſceret miraculum. At miracula data ſunt ad tempus incredulis [52], nunc nihil opus, niſi pia vita. Et *ſæpe felicius eſt ægrotare quam valere; ſæpe felicius mori, quam viuere.* *Pan.* Quid igitur vos facitis? *Co.* Quod poſſumus, pro ſua quisque dote diuinitus donata conſolamur, exhortamur, admonemus, corripimus, vbi ſe dederit [53] oc-

48 Abſit blaſphemia! Chriſtus und ſeine Apoſtel waren wohl arm/ aber keine Bettel-Mönche. Paulus war ſo fleiſſig / daß er auch des Nachts Teppichte wirckete. 49 ſcil. parte, i. e. pro viribus. 50 ſuppeditatum, porrectum, ſuggeſtum fuiſſe. 51 Wenn wir an der Apoſtel ihrer Stelle wären. 52 Non videtur hic perſonæ ſuæ conuenienter loqui & τὸ πρέπον obſeruare Conradus, cum Franciſcani monachi inſtar miracula non amplius neceſſaria eſſe profitetur, eademque ad incredulos tantum ſpectaſſe dicit: nouimus enim Pontificios pro nota inſeparabili Eccleſia & ſemper competente illa venditare contra 2. Theſſ. II. v. 9 Et Martinus Becanus lib. de Anti-Chriſto reform. c. IX. §. 15. ſcribit: Ideo Ieſuitas in Europa noſtra non facere miracula, quia Lutherani & Caluiniſtæ ſint increduli. Quodſi tamen aliorum incredulitas non obſtitit, quo minus miracula coram ipſis fierent, cur Lutheranorum incredulitas obſtat? 53 oſtenderit, obtulerit.

occasio : nonnunquam & concionamur, sicubi comperimus[54] pastores mutos: si non datur prodesse, damus operam ne quem lædamus moribus & lingua. *Pan.* Vtinam cras velis nobis concionari! Nam dies est apud nos festus. *Co.* Cui diuo? *Pan.* Antonio. *Co.* Fuit is quidem vir bonus, sed vnde dies festus? *Pan.* Dicam: Abundat hic vicus subulcis propter vicinum nemus glandiferum[55]. Et persuasum est, Antonio delegatam[56] curam eius pecoris: & ideo colunt illum, ne sæuiat neglectus[57]. *Co.* Vtinam vere colerent illum! *Pan.* Quo pacto? *Co.* *Sanctissime coluit Diuos, quisquis imitatus est.* *Pan.* Totus hic vicus cras perstrepet compotationibus, saltationibus, lusibus, rixis & pugnis[58]. *Co.* Sic Ethnici quondam colebant

---

54 Comperímus penult. producta est Præsens; correpta vero eadem Syllaba Præteritum. Synonyma sunt: offendimus, deprehendimus, experimur, obseruamus, certiores reddimur, edocemur esse mutos. Es. LVI, 10. 55 Der Eych-Wald / Eichel-Wald / ein Wald der viel Eicheln trägt/ glandium feracissimum nemus. 56 Est enim Diuus tutelaris porcorum, vt Gallus ansrrum, ouium Wendelinus, equorum Eulogius, Pelagius boum. Salse Buchananus:

Diceris, Antoni, porcos pauisse subulcus
Viuus; adhuc monachos lumine cassus alis.
Par stupor vtrisque est, ventrisque abdomen vtrisque
Sorde pari gaudent, ingluuieque pari.
Cætera conueniunt, sed non leuis error in vno est
Debuit & monachis glans cibus esse tuis.

57 Fere vt Indiani adorasse dicuntur Diabolum, ne noceret. Alex. Rossæus. Von unterschiedenen Gottesdiensten der Welt. p. 141. Die Leute in Pegu speisen den Teufel alle Morgen mit Reiß bey etlichen Körben voll/ damit er ihnen den Tag über kein Leyd zufügen möge. 58 certaminibus, colaphis. Pugnus, i.

bant Bacchum tuum. Miror autem, si sic cultus Antonius non sæuit in homines ipso pecore stultiores. Qualem habetis pastorem? mutum, ac malum? *Pan.* Qualis sit [59] aliis, nescio; mihi optimus est: nam hic potat totos dies: neque quisquam plures adducit, aut meliores combibones, magno meo bono [60]. Atque adeo demiror, illum nunc abesse. *Co.* Nos experti sumus parum commodum [61]. *Pan.* Quid audio? salutastis hominem? *Co.* Ambiuimus [62] apud illum hospitium; ille non aliter quam lupos abegit a limine, & huc iussit abire. *Pan.* Ha, ha, nunc intelligo. Hinc est, quod noluit adesse, quod sciret vos heic futuros. *Co.* Estne mutus? *Pan.* Mutus? Nemo illo vocalior [63] in vaporario; ac strenue boat [64] in templo: concionantem nunquam audiui. Sed quid pluribus opus? vos ipsi sensistis, vt intelligo, non esse mutum. *Co.* Estne peritus sacrarum litterarum? *Pan.* Ait, se peritissimum: sed quidquid talium rerum didicit, didicit in secreta confessione *, sic vt fas non sit proferre apud alios. Quid multa? Dicam in summa; *Qualis est populus, talis est sacerdos: & plane nacta est suum patella operculum* [65]. *Co.* Fortas-

Die Faust/ manus contracta; Pugna, æ, der Streit/ Hader/ die Schlägerey/ Balgerey. Perstrepet vicus. Es wird ein Tumult durchs gantze Dorff/ durch den gantzen Flecken seyn. 59 videatur, censeatur, reputetur. 60 in largum emolumentum, vsum, commodum, lucrum, quæstum meum. 61 facilem, promptum, humanum. 62 Desiderauimus, flagitauimus, rogauimus. 63 Verbosior, clamosior. Es ist keiner lauter/ beredter/ verschriener/ schreyhafftiger/ verplauderter/ verwaschener. 64 mugit, boum aut vaccarum in modum clamitat, vociferatur. * Vulgaris iocus est in ignarum. 65 Adagium est, si malo populo malum regem, malo viro malam

tasse non dabit locum concionaturo. *Pan.* Dabit, ad me recipio; sed hac lege, ne quid in illum iaculere [66], quemadmodum plerique soletis. *Co.* Rei malæ assueuerunt, qui hoc solent: ego clam admoneo pastorem, si quid offendit: quod superest, episcoporum est munus. *Pan.* At tales aues huc raro deuolant. Equidem video, vos esse viros bonos. Sed quid sibi vult ista vestium varietas? Nam plerique hoc ipso iudicant, vos esse malos, quod sic vestiamini. *Co.* Vnde id? *Pan.* Nescio, nisi quod tales mihi comperiantur [67]. *Co.* Multi hoc ipso iudicant, nos esse sanctos, quod sic vestiamur: peccant vtrique; sed tamen *humanius peccant, qui ex veste bene de nobis suspicantur, quam qui male.* *Pan.* Esto sane. Sed quæ tandem vtilitas tot discriminum? *Co.* Quid tu censes? *Pan.* Mihi quidem nulla videtur, nisi in pompis, aut in bellis: *in pompis* * enim *circumferuntur variæ personæ, Sanctorum, Iudæorum, Ethnicorum: has ex diuerso cultu dignoscimus.* In bellis autem hoc præstaret cultuum varie-

vxorem, malis Christianis malum Ecclesiasten contigisse dicas. Germanus inquit: Dem Biere ist recht gegeben; Wie der Wirth ist/ bescheret GOtt die Gäste. Finnichter Speck und garstige Butter kömmt hier zusammen. Eines ist so viel wehrt/ als das andere. rc. Wie die Zuhörer/ so der Lehrer. 65 sc. verborum. Stichein/ einen treffen/ anstechen/ einem eines an ein Bein geben/ mordacius tangere. 67 a me sciantur; ego tales multos, quam plurimos comperiam, sciam, noscam; quod mihi noti, non ignoti, non incogniti sunt. * Pompæ sunt spectacula, quæ populo exhibentur. Vulgo nunc vocantur processiones; a verbo πέμπω. Apparatus cum ostentatione; Gepränge/ prächtige Auffzüge/ Processionen.

rietas, vt suum quæque vexillum copiæ sequerentur, neque fieret ordinum confusio. *Co.* Pulcre dicis, & hæc vestis est militaris: alius alium ducem sequimur; sed omnes militamus sub vno Cæsare Christo. Verum *in veste tria spectanda sunt. Pan.* Quæ? *Co. Necessitas, vsus & decorum.* Cur sumimus cibum? *Pan.* Ne pereamus fame. *Co.* Sic aliquando sumenda vestis, ne pereamus frigore. *Pan.* Fateor. *Co.* Hoc melius præstat hæc vestis, quam tua: tegit enim & caput, & collum, & scapulas, vnde plurimum est periculi. Vsus postulat varia vestium genera [68]. Equitaturo conuenit breuis, quiescenti longa; in æstate tenuis, in hyeme densa [69]. Sunt Romæ, qui singulis diebus ter commutant vestem: mane sumunt duplicatam pellibus, sub meridiem accipiunt simplicem, rursus sub no-

68 De re vestiaria grande opus scripsit Salmasius, vbi ad amussim expressit formam togæ, Pallii, Sagi, Paludamenti & similium. Conatus est ante eum aliquid in argumento hoc Baysius, sed tantum conatus, vt loquitur Vossius Epist. 244. p. 278. adeo nihil est præ illis, quæ Salmasius præstitit. Prostat etiam de Re Vestiaria Octau. Bernard. Ferrarius cum iconibus Patauii typ. P. Frambotii, 1654. excusus. Ioh. Casa in Galateo s. de morum honestate & elegantia libro ex Italico Latino per Nathanem Chytræum p. 88. Vestes tuas, inquit, consuetudini aliorum tua ætate viuentium & conditioni tuæ accommodatas esse decet. Non enim in nostra potestate situm est communes consuetudines nostro arbitrio mutare, quæ sicut a tempore proueniunt, ita ab eodem consumuntur. 69 Vestitum cuiuis anni tempori esse debere accommodatum lepide & argute illustrat, quod Dionysium Syracusanum Ioui Olympio amiculum aureum detrahentem pronunciasse refert Valer. Max. lib. I. c. 1. æstate graue, hieme frigidum esse, laneum autem ad vtrumque tempus anni aptius.

noctem aliquanto crassiorem. Verum non omnibus suppetunt mutatoria [70]: proinde hæc vestis reperta est, vna ad plurimos vsus accommoda. *Pan.* Qui sic? *Co.* Si flat Boreas, aut si feruet Sol, adducimus cucullam; si calor offendit, demittimus in tergum: si quiescendum est, demittimus vestem; si ambulandum, subducimus, aut succingimus etiam. *Pan.* Non pessime sapuit, quisquis hoc inuenit. *Co.* *Est autem hoc ad bene viuendum præcipuum, vt homo consuescat esse paucis contentus: alioqui si deliciis aut affectibus indulgere cœperimus, nullus erit finis.* At nulla vestis inueniri potuit, quæ vna tot commoditatibus subseruiret. *Pan.* Assentior. *Co.* Nunc decorum inspiciamus. Dic mihi bona fide, si tu sumeres vxoris tuæ vestem, nonne dicerent omnes, te facere præter decorum? *Pan.* Dicerent, me insanire. *Co.* Quid tu diceres, si illa sumeret vestem tuam? *Pan.* Fortasse nihil mali [71] dicerem, sed contunderem eam bonis [72] fustibus. *Co.* Atqui nihil refert, qua veste vtaris. *Pan.* Heic plurimum refert. *Co.* Nec mirum. Nam & Ethnicorum leges puniunt virum ac fœminam [73], si diuersi sexus cultum sumserint. *Pan.* Nec in-

70 Octau. Augustus Imperator vestimenta forensia & calceos nunquam non intra cubiculum habuit ad subitos repentinosque casus parata. Sueton. c. 73. 71 iniqui, indigni, immeriti. 72 densis, promeritis, æquis, dignis. 73 Ita & Tiberius apud Tacitum Annal. lib. 3. c. 53. damnabat vestes viris & mulieribus promiscuas. Augustus, teste Tranquillo c. 45. Stephanionem histrionem togatarium per trina theatra virgis cæsum relegauit, cum in puerilem habi-

iniuria [74]. *Co.* Age, quid si senex octogenarius sumeret sibi vestitum adolescentis quindecim annos nati, aut contra, si iuuenis sumeret vestem senis? nonne dicant omnes, rem esse fustuario [75] dignam? Aut si anus coleretur ad modum adolescentulæ [76], & contra? *Pan.* Admodum. *Co.* Itidem, si laicus [77] sumat cultum sacerdotis, contra sacerdos

circumtonsam matronam ministrasse compererat. 74 Cum enim natura nos vel mares creet vel fœminas, ac plurimum in mutis ac brutis etiam animantibus notæ sint, quibus exterius quisque sexus internoscatur, naturæ is aduersari censebitur, quisquis habitu alium mentiatur sexum, quam dederit natura. Mendacium turpe est in verbo, turpius in veste. Fœdum est in fœmina si mentiatur sexum meliorem; fœdius in viro, si mentiatur sequiorem. Ambros. lib. IV. Ep. 3. Pertinet huc lex Domini Deut. XXII. v. 5. 75 pœna, quæ fuste infligitur. Prügel=Suppe. Qualiscunque vestis tua sit, debebit ea cum decoro corpori tuo accommodata & habilis esse, ne alterius forte vestibus commodato acceptis indutus esse videaris: & ante omnia conditioni tuæ respondere, ne scholasticus aliquis more militis amictus sit. Casa Galat. l. cit. p. 89. 76 De puellis valet, quod Grotius ad Deut. c. XXI. v. 13. Bibl. Critic. p. 1285. in medium affert:

Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur
Omnia; pars minima est ipsa puella sui.

77 Satius fuisset si Patres a discrimine in Laicos & Clericos abstinuissent, cuius scriptura non meminit, ex quo posterioribus seculis damnandus Ecclesiasticæ tyrannidis abusus est natus. Vid. vero de Clericis Pontificiis deque eorum æstimio & dignitate Chassan. Catal. Gloriæ Mundi P. IV. considerat. II. sqq. Laicos a lectione Scripturæ arceri, nec propriis secundum Pontificios, verum Episcoporum oculis videre debere, itemque vna specie Eucharistiæ contentos esse oportere in propatulo est. Clerici, si mulierem amplectun-

dos[78] laici. *Pan.* Vterque faceret indecore. *Co.* Quid si priuatus sumeret ornamentum principis, aut sacerdos priuatus Episcopi, num faceret indecore? *Pan.* Scilicet. *Co.* Quid si ciuis sumeret cultum militis, plumas, cæteraque stultitiæ Thrasonicæ[79] insignia? *Pan.* Rideretur. *Co.* Quid si inter milites Anglus gestaret crucem albam, Heluetius rubram, Gallus nigram? *Pan.* Faceret impudenter. *Co.* Quid itaque miraris nostrum hunc cultum? *Pan.* Quid intersit inter priuatum & principem, inter virum ac fœminam, scio: quid intersit inter monachum ac non monachum, nescio. *Co.* Quid interest inter pauperem & diuitem? *Pan.* Fortuna. *Co.* Et tamen indecorum esset, si pauper imitaretur cultum diuitis. *Pan.* Verum[80], vt nunc ferme coluntur diuites. *Co.* Quid inter fatuum & sapientem? *Pan.* Aliquanto plus quam inter diuitem & tenuem. *Co.* Nonne moriones aliter vestiuntur, quam qui sapiunt? *Pan.* Nescio quid vos deceat; attamen vester cultus non multum abest ab illorum cultu, si quis addat auriculas & tintinnabula. *Co.* Hoc plane deest: & sumus huius mundi moriones, si modo vere sumus quod profitemur. *Pan.* Quid vos sitis, nescio: illud scio,

---

tur, Laici dicere debent, quod causa benedicendi hoc faciant. Vid. Gerhardi meritiss. Confess. Cathol. T. IV. p. 291.
78 Placet Hieronymi ad Eustachium regula: Nec fulgidis, nec sordidis vestibus sacerdos se ornet; & vestes pullas æque devita vt candidas. 79 Thraso, miles gloriosus in Eunuch. Terent. a ferocia & insolentia ἀπὸ τῦ θράσους nomen indeptus. 80 scil. est, a vero non abludit.

ſcio, multos eſſe moriones, geſtantes auriculas & tintinnabula, qui plus ſapiant iis, qui geſtant pilea ſuffulta pellibus *, epomides **, reliquaque ſapientum inſignia. Itaque mihi ſtultiſſimum videtur, ſapientiam profiteri veſte potius quam ipſa re. Vidi quendam plus quam morionem, qui geſtabat veſtem vſque ad talos demiſſam, epomidem Magiſtri noſtri: aderat & vultus, qui videri poſſet grauis Theologi: diſputabat apud omneis non ſine ſpecie grauitatis: magnatibus autem non minus erat iucundus, quam quiuis alius morio, cum ſtultitiæ genere ſuperaret omneis. *Co.* Quid igitur tu poſtulas? vt princeps, qui ridet morionem, commutet cum illo veſtem? *Pan.* Fortaſſis hoc poſtularet aliquando decorum, quod tu proponis, ſi libeat repræſentare veſte quidquid eſt in animo. *Co.* Vrges tu quidem; ſed tamen arbitror, non ſine cauſſa veſtem ſuam additam morionibus. *Pan.* Ob quam? *Co.* Ne lædantur a quoquam, ſi quid imprudenter dixerint aut fecerint. *Pan.* Non dicam interim, quod iſta res quosuis irritat potius ad lædendum, adeo vt frequenter e ſtultis fiant inſani. Nec video cur, cum bos cornupeta, qui occiderit hominem, aut canis, aut ſus, qui occiderit infantem, afficiantur ſupplicio: morio qui ſcele-

ra-

* Hoc apud Germanos aliquot Doctores iuriſq; in Hiſpania Theologi inſigniuntur flocco albo in ſummo pileo. Louanii pileo violaceo, & epomide, quæ imponitur humeris, nulli vſui futura, niſi vt ſignificet Magiſtrum noſtrum. ** Epomis cucullæ genus, quæ ſuffulta ſimiliter pellibus aut ſerico, Magiſtris noſtris ab humeris dependet.

ratiora commiserit, præsidio stultitiæ [81] finatur viuere: illud expeto, cur vos distinguamini cultu a cæteris? Nam quæuis causa sufficit ad diuersum cultum, oporteret pistorem aliter vestiri quam piscatorem, calcearium aliter quam vestiarium; aliter pharmacopolam quam œnopolam*, aliter aurigam quam nautam. Vos, si sacerdotes estis, cur secus vestimini quam reliqui sacerdotes? Si laici, cur a nobis differtis? *Co.* Olim monachi nihil aliud eramus, quam purior pars laicorum: & hoc intererat inter monachum & alium laicum, quod nunc interest inter frugalem & probum virum, suis manibus alentem familiam, & inter Snaphanum ** ex

---

81 Moriones tolerandos non esse sequentibus argumentis euincit clariss. Ioh. Christ. Becm. Lin. Doctr. Moral. c. IV. §. XI. p. m. 90. quod se 1) ipsos e numero per fatuitatem affectatam rationalium exterminant; 2) licentia delinquendi freti bonis probisque omnibus molestiæ sunt; 3) instrumenta alienæ malitiæ sunt, quam homines mali per hos in alios effundunt, dum ipsos eius exercendæ pudet. Adiungimus quarto, quia si quis fatuo delectari vult, non est ipsi longe quærendus, se rideat; vt Seneca Epist. 26. Scilicet auriculas asini quis non habet?

Pectore quisque suo leporem gerit; at sapit iste,
Qui ne promineat, dissimulare potest.

Lampridius ait, M. Aurelium Imperatorem siue cibum caperet, siue cubitum iret vel cubitu surgeret, siue iter faceret, tam publice quam priuatim nunquam moriones, sed sapientes semper circa se habere voluisse. * Oenopola, qui vendit vinum. ** Sic Germani vocant prædonum genus subito ex arcibus adorientium viatorem, mitigato vocabulo. Idem est ac subsessor. Ein Strauch-Hahn / Insidiator, Latro.

ex prædationum reditu iactantem ſeſe: poſt Romanus Pontifex addidit nobis ſuos honores: veſtis ex nobis nacta eſt dignitatem, quæ nunc nec laicorum eſt, nec ſacerdotum; ſed tamen huius, qualis qualis eſt, non puduit aliquando Cardinales & ſummos Pontifices. *Pan.* At tandem *decorum illud* vnde *ſumitur*? *Co. Nonnunquam ex ipſa rerum natura, nonnunquam ex conſuetudine mortalium & opinione.* Nonne iudicarent omnes abſurdum, ſi quis tergore [82] bubulo ſic veſtiretur, vt cornua prominerent in capite, & cauda traheretur humi? *Pan.* Ridiculum ſane. *Co.* Rurſum ſi quis veſtem haberet, quæ faciem ac manus tegeret, pudenda oſtenderet? *Pan.* Multo abſurdius. *Co.* Ob id notati ſunt ab Ethnicis quoque ſcriptoribus, qui multitia* ſumerent fœminis etiam indecora. Verecundius enim eſt, nudum eſſe, qualem te offendimus in vaporario, quam vti veſte pellucente. *Pan.* Ego puto, totum hoc de cultu pendere a conſuetudine ac perſuaſione mortalium. *Co.* Qui ſic? *Pan.* Non multi ſunt dies, quod heic diuerſati ſunt, qui ſe prædicarent peragraſſe varias regiones nuper inuentas, & quas in priſcorum coſmographorum picturis [83] deſideramus [84]. Hi ſe nar-

82 corio. Küh-Haut / Küh-Leder / Ochſen- oder Büffels-Haut. * Multitium veſtis pellucida mulierum propria. Iuuenalis: Quum tu multitia ſumas. Ex minutiſſimis filis atque ſubtiliſſimis contextum. Flor-dünne Kleyder / durch die man alles ſehen kan. Seneca ſcribit: Veſtes, ſi modo veſtes ſunt, in quibus nihil eſt, quo defendi corpus aut denique pudor poſſit. 83 tabulis, mappis. 84 non reperimus, deprehendimus, cernimus, animaduertimus.

narrabant peruenisse ad insulam quandam cœli temperatissimi, vbi summi dedecoris loco habebatur tegere corpus. *Co.* Isti fortassis belluarum ritu viuebant. *Pan.* Imo, vt aiebant, humanissimam agebant vitam. Degebant sub rege; eum comitabantur ad opus mane, non amplius quam horam, etiam singulis diebus. *Co.* Quid operis faciebant? *Pan.* Euellebant radicum genus, quod illis tritici loco est, & tritico tum gratius tum salubrius: quo peracto redeunt ad suum quisque negotium, & quod cuiusque libitum est animo, faciunt. Sancte educant [85] liberos, vitant & puniunt flagitia, sed nullum acerbius quam adulterium. *Co.* Quo supplicio? *Pan.* Fœminis ignoscitur; datur hoc sexui: cæterum viris adulterii conuictis hæc pœna est, vt per omnem vitam in publicum prodeant membro pudendo velo obtecto. *Co.* O graue supplicium! *Pan.* Atqui consuetudo persuasit illis, hoc esse quouis supplicio grauius. *Co.* Vbi contemplor quid possit persuasio, propemodum assentior tibi. Etenim si quis vellet furem aut homicidam afficere extrema ignominia, nonne satis esset, si præcideret illi interulam [86] supra nates, si partes pudendas turpiter prominentes lupinis pellibus conuestiret, caligas diuersis coloribus variegaret [87], vestem, quæ thoracem tegit ac brachia, totam conscinderet, veluti rete faciens e veste; scapulas & pectus nudaret; barbam partim demeteret [88] nouacula, partim demitteret, partim intor-

85 Edúcit monitor iuuenem bonus: edŭcat altor. 86. Indusium. 87 distingueret, distinctas redderet. 88 demeret,

torqueret: capillos tonderet, adderet pileum vndique sectum, cum ingenti fasciculo plumarum; ac sic iuberet prodire in publicum? Nonne magis traduceret hominem, quam si morionis cucullam adderet cum auriculis prælongis ac tintinnabulis? Et tamen sic vltro sese ornant milites, ac sibi placent: & reperiunt quibus hoc pulcrum videatur, cum nihil possit esse insanius. *Pan.* Imo non desunt ne-

raderet, meteret; ex demeto, demessui, demessum, demetere. Erndten/ Abmähen. Eleganter autem demessioni demissionem, aut demetendi demittendi verbo opposuit. Pertinet huc quod legimus 2. Sam. X. v. 4. de ignominia, qua Hanon, Rex Ammonitarum, legatos Dauidis affecit. Andreas Eberhardus Rauberus, Eques & Maximiliani II. Consiliarius bellicus demissam adeo barbam gestasse commemoratur Valuasori in Gloria Carniolæ p. 631. vt multum vltra pedes stantis descenderet. Lepidum est quod Valer. Max. lib. I. c. 1. de Æsculapio memoriæ prodidit, Dionysium Syracusanum barbam auream demi iussisse eidem, ratum, non conuenire Patrem Apollinem imberbem, ipsum barbatum conspici. De Barba & Coma ex professo & instituto scripsit Antonius Hotomannus, & pro sacerdotum Barbis prostat Ioh. Pierii Valeriani Bellunens. Declamatio & Poëmata varia. Imperator Augustus raptim compluribus simul tonsoribus operam dedit, ac modo rasit, modo tondit barbam, eoque ipso tempore aut legit, aut scripsit quicquam, vt est in Vita eius c. 78. apud Tranquillum. Ouid. lib. 13. Metamorph.

Barba viros hirtæque decent in corpore setæ.

Et Hieronymus Rhetus Gymnasii Basileensis quondam Professor, interrogatus, cur tam promissam aleret barbam? respondit, vt intuens hos capillos me non mulierem, sed virum esse intelligam. Isidorus lib. 2. Origin. c. 1. Barbam, inquit, veteres vocauerunt, quod virorum sit, non mulierum. Barba enim a veteri voce Baro, quæ virum significat, dicta est.

nesti ciues, qui hoc pro viribus æmulentur. *Co.* Atqui si quis nunc conetur Indorum æmulari cultum, qui plumis auium vestiuntur, nonne pueris omnibus videretur insanire? *Pan.* Prorsus. *Co.* Atqui quod nos miramur, etiam longe insanius est illo. Proinde vt verum est, nihil esse tam absurdum quod non commendet assuetudo: ita negari non potest, in vestibus esse quoddam decorum, quod apud sanos & cordatos semper decorum est; ac rursus indecorum quod apud omneis qui sapiunt, indecorum videri debet. Quis enim non ridet, quoties videt fœminas onustas longa vestis coronide *, quæ nobilitatem generis caudæ longitudine metiuntur? Quanquam hoc non pudet imitari quosdam Cardinales duntaxat in palliis. Et tamen res est adeo violenta, consuetudo, vt non sit huic aut illi liberum mutare quod receptum est. *Pan.* Satis de consuetudine. Sed dic tu mihi quid sentias, vtrum existimes satius, monachos non differre a cæteris cultu, an differre? *Co. Equidem arbitror simplicius & Christianius, non æstimari quenquam ex cultu* [89], *modo sit honestus ac decorus.* *Pan.* Cur igitur vos non abiicitis cucullas? *Co.* Cur Apostoli non statim vescebantur cibus quibuslibet? *Pan.* Nescio: dic tu. *Co.* Quoniam obstabat inuicta consuetudo. *Quod enim penitus infixum est animis hominum, multoque vsu confirmatum inueterauit, ac velut in naturam abiit, subito tolli sine magna pernicie tranquillitatis humanæ non potest: sed ita paullatim submouendum est, quemadmo-*

* Quam nunc caudam vocant. Die Schleppen/ Schwäntze.
89 habitu vestitu, ornatu. Der Tracht nach.

modum ille reuulsit pilos caudæ equinæ *. *Pan.* Tolerarem, si monachorum omnium esset vnus cultus: tot discrimina quis ferat? *Co.* Hoc malum vsus inuexit, qui nihil non inuehit. Benedictus non commentus est nouum cultum, sed is, quo tum vtebatur cum suis, erat cultus laici simplicis ac probi. Nec Franciscus inuenit nouam formam, sed hæc erat vestis pauperum ac rusticorum. Posteriores additis quibusdam verterunt rem in superstitionem. Nonne videmus & hodie quasdam anus tenentes sui seculi cultum, qui magis est diuersus a cultu horum temporum, quam meus cultus abest a tuo? *Pan.* Videmus. *Co.* Itaque cum hunc cultum vides, vides reliquias prisci seculi. *Pan.* Ergo nihil habet aliud sanctimoniæ cultus vester? *Co.* Nihil prorsus. *Pan.* Quidam iactant, istos cultus præmonstratos [90] diuinitus a diua Virgine Matre. *Co.* Ista sunt hominum somnia. *Pan.* Sunt qui desperent se posse a morbo reualescere, ni vestiantur cultu Dominicano: imo, qui ne sepeliri quidem velint, nisi in veste Franciscana [91]. *Co.* Ista qui

---

* Id est, paulatim. Vide prouerb. Caudæ equinæ pilos vellere. Quod enim viribus ac impetu fieri nequit, id tempore & assiduitate conficitur. 90 ordinatos, institutos, commendatos, præscriptos, delineatos. 91 Henricus Mommorancius Galliæ Comestabilis vbi extrema imminere sensit, reparandæ, quam laxius traduxerat vitæ, Patri Archangelo Capucino credit se totum, fune præcingitur, subque Franciscano Capucinorum habitu in cinere & cilicio momentum explet vnde pendet æternitas. Ferunt nauitam suspensum habitus nouitate, quo Franciscanus erat, risisse in hunc salem: Frustra mentiris te Monachum decipiendis ia-

qui ſuadent, aut captatores[92] ſunt, aut fatui: qui credunt, ſuperſtitioſi. Deus non minus[93] dignoſcit nebulonem in veſte Franciſcana, quam in militari. *Pan.* At minor[94] eſt plumarum varietas in auibus, quam in vobis cultus. *Co.* An non itaque pulcrum eſt imitari naturam[95]? ſed pulcrius vincere. *Pan.* Vtinam vinceretis & roſtrorum varietate! *Co.* Sed age, varietati quoque patrocinabor[96], ſi pateris. Nonne aliter veſtitur Hiſpanus, aliter Italus, aliter Gallus, aliter Germanus, aliter Græcus, aliter Turca, aliter Saracenus? *Pan.* Scilicet. *Co.* Et in eadem regione quanta varietas veſtium, etiam in eiusdem ſexus, ætatis, & ordinis hominibus? Quanto alius cultus Veneto[97], alius Florentino, alius Romano? Atque hæc intra vnam Italiam. *Pan.* Credo. *Co.* Hinc nata eſt & noſtra varietas. Dominicus ſumſit cultum a probis agricolis eius Hiſpaniæ partis, in qua vixit: Benedictus a ruſticis eius Italiæ partis, in qua vixit[98]: Franciſcus ab agri-

nitoribus cœli, qui poſito ad fores cucullo dignoſcêre. Gram. lib. I. Hiſtor. Gall. ad ann. 1614. p. m. 51. 92 impoſtores, deceptores, falſidici. 93 æque, pariter, tam, perinde. 94 non tanta, non ingens adeo. 95 Natura dux optima. Cato maior. Naturam ducem ſi ſequamur nunquam aberrabimus. Cic. I. Offic. 96 Patronus ero, fauebo; cauſam agam varietatis, defenſionem, apologiam, patrocinium ſuſcipiam. 97 Grauiter ferebant ciues Patauini, ſi quando obambulare per ciuitatem ſuam conſpicarentur nobilem Venetum, non toga honoratiore, ſed tunica tantum curta indutum, quaſi ſibi in pago aliquo verſari videretur. Caſæ Galat. p. 18. 98 Eſt Epiphora ſeu Epiſtrophe. Valet autem hic: νόμος καὶ χῶρα, Lex & Regio. Ländlich/ſittlich. Chamæleon, herba, mutat foliorum colores cum terra in qua naſcitur, hic nigra, illic viridis, alibi cyanea, alibi crocea &

colis diuersæ partis: atque item de cæteris. *Pan.* Proinde quantum video, vos nihilo estis sanctiores nobis, nisi sanctius vixeritis. *Co.* Imo peiores vobis, qui parum pie viuentes, grauius offendamus animos simplicium[99]. *Pan.* Est igitur aliqua spes de nobis, qui nec Patronum habemus, nec cultum, nec regulam, nec professionem? *Co.* Habes, ô bone! vide vt serues: quære a susceptoribus * tuis, quid professus sis in baptismo, quam vestem illic acceperis. Et humanam regulam desideras, qui regulam Euangelicam professus sis? Desideras hominem Patronum, qui Patronum habeas Iesum Christum? Cum duceres vxorem, nihil professus es? Co-

aliis aliisque coloribus: ita conuenit hominem hoc loco, in quo agit, vitæ habitum commutare. Plinius. Hominis prudentis est transire in mores & vestitum illorum, cum quibus versatur. Et inde laudatur Alcibiades in vestiendo, conuersando accommodasse se genti, cum qua erat. Christoph. Forstneri Notæ Polit. ad Tacit. P. I. p. 74. 99 Ilr. Clauderus Peric. Epigr. Cent. II. Epigr. 94. argute:

Pastoris Impostor, qui non quoque moribus ornat
Doctrinam: Vita haud qui docet, ille nocet.

Gregorius M. existimat Pallium Pontificis Vet. Test. eam ob causam tintinnabulis ornatum fuisse, vt vitæ viam cum linguæ sonitu ipsa quoq; bona opera sacerdotis clament. Conf. Guido Pancirollus lib. II. Tit. IX. de Rebus deperdit. & nouiter inuentis. p.m. 160. lit. b. vbi Theodori Bezæ elegans carmen in medium affert:

Æra graui cunctos veluti campana sonore
Ipsa licet penitus sint sibi surda, cient:
Sic es, recta docens alios, peruersa sequute,
Quique aliis sapiens non sapis ipse tibi.

* Quos nunc patrinos ac matrinos vocant, qui spondent pro pueris baptizatis.

Cogita quid debeas coniugi, quid liberis, quid familiæ; & senties te plus habere sarcinæ, quam si Francisci regulam professus esses. *Pan.* *Credisne, vllum Pandocheum ingredi cœlum*? *Co.* Quid ni? *Pan.* Multa fiunt, ac dicuntur in hac domo, quæ parum respondent Euangelio. *Co.* Quæ? *Pan.* Alius bibit plus satis, alius obscœne loquitur, quidam rixantur, quidam obtrectant: denique an cætera sint casta, nescio. *Co.* His occurrendum est, quantum potes: si non potes, certe ne alas quæstus causa hæc mala, neue accersas. *Pan.* Nonnunquam parum bonæ fidei sum in vino. *Co.* Qui sic? *Pa.* Vbi sensero illos plus satis incalescere, largiter aquam admisceo [100]. *Co.* Istud quidem leuius est, quam si quibuslibet vendas vinum periculosis medicamentis infectum. *Pan.* Dic mihi serio, quod dies fuisti in hoc itinere? *Co.* Mensem ferme. *Pan.* Quis interim vos curat? *Co.* Nonne bene curantur, qui habent vxorem, liberos, parentes, & cognatos? *Pan.* Sæpenumero. *Co.* Tu non habes nisi vnam vxorem, nos centum: tu non nisi vnicum Patrem, nos centum: tu non nisi vnicam domum, nos centum [101]: tu non nisi pau-

cos

---

100 Nominatus modo Israël Clauderus Peric, Epigramm. Cent. V. Epigr. 68. & Cent. VI. Epigr. 58. tales Oenopolas ita perstringit:

Vndam permisces vino, vir ô improbe, scito
Ceu fuit in Cana, non tibi adesse DEVM.
Pone merum, peruerse, merum mihi caupo: quid vltro
Perdis aquam vino, vinaque perdis aqua?

101 Redit Epiphora; succedit statim figura Sententiæ Collatio dicta.

cos liberos, nos innumeros: tu non nisi paucos cognatos, nos infinitos. *Pan.* Qui sic? *Co.* Quia latius se porrigit cognatio spiritus, quam carnis. Et ita nobis pollicitus est Christus, & experimur verum[102] quod pollicitus est. *Pa.* Næ tu mihi præbuisti sat lepidum conuiuam: emoriar[103], nisi malim hanc confabulationem, quam pastoris mei compotationem. Cras dignaberis aliquid dicere populo. Et, si posthac continget te hac[104] facere iter, scito tibi heic paratum locum. *Co.* Quid si alii veniant? *Pan.* Non erunt ingrati, modo tui similes. *Co.* Meliores, vti spero. *Pan.* Verum inter tam multos malos quomodo dignoscam bonos? *Co.* Dicam paucis*, sed in aurem. *Pan.* Dic. *Co. Pan.* Meminero; & faciam.

ABBATIS ET ERVDITÆ.

ANTRONIVS[1], MAGDALIA.

An. QVam heic ego supellectilem video? *Ma.* An non elegantem? *An.* Nescio quam elegantem; certe parum decoram & puellæ, & matro-

102 illud esse. 103 Varias certitudinem intimandi variationes vide Cap. III. Sect. I. Eliæ Maioris de Var. Orat p. m. 347. sqq. 104 Aduerb. Loci notans: per quem? hier durch/ bey uns durch. * Simili ioco Reuchlinus claudit opus de verbo mirifico. Subinnuit fortassis clam atque familiarius cum ipsis esse agendum.

1 Antronius asinus olim dicebatur, qui deformi prægrandique mole corporis esset, cæterum ingenio stupido, bardoque. Antron autem ciuitas erat Thessaliæ, nomen inde sortita, quod cauernis & specubus abundaret: illic aiunt asinos insigni magnitudine quondam fuisse; vnde prouerbium increbuit.

tronæ. *Ma.* Quam ob rem? *An.* Quia librorum plena ſunt omnia. *Ma.* Tu tantus natu, tum abbas, & aulicus, nunquam vidiſti libros in ædibus heroinarum? *An.* Vidi, ſed Gallice ſcriptos: heic video Græcos, & Latinos. *Ma.* An ſoli Gallice ſcripti libri docent ſapientiam? *An.* Sed decet hoc heroinas, vt habeant quo delectent otium [2]. *Ma.* An ſolis heroinis * licet ſapere, & ſuauiter viuere? *An.* Male connectis, ſapere & ſuauiter viuere: non eſt muliebre ſapere: heroinarum eſt ſuauiter viuere. *Ma.* Nonne omnium eſt bene viuere? *An.* Opinor. *Ma.* Qui poteſt autem ſuauiter viuere, qui non viuat bene? *An.* Ergo tu probas eos, qui viuunt male, modo ſuauiter? *An.* Arbitror illos bene viuere qui viuunt ſuauiter. *Ma.* Sed iſta ſuauitas vnde proficiſcitur? e rebus extrariis [3], an ex animo? *An.* E rebus extrariis. *Ma.* O ſubtilem abbatem, ſed craſſum Philoſophum! Dic mihi, quibus rebus tu metiris ſuauitatem? *An.* Somno, conuiuiis, libertate faciendi quæ velis, pecunia, honoribus. *Ma.* Verum, ſi iſtis rebus Deus addiderit ſapientiam, num viues ſuauiter? *An.* Quid appellas ſapientiam? *Ma.* Hoc eſt, ſi intelligeres, hominem non eſſe felicem, niſi bonis animi [4]; opes, honores, genus,

2 i. e. ſe in otio, iucundum reddant otium. * Heroinas appellat potentes aulicas, quaſi ſemideas. Viragines. Vornehmes Frauen-Zimmer. Fœminas opulentas, quibus fortuna ferias iuſtas & a negotiis domeſticis vacuas fecit. 3 forinſecus accedentibus, exterius aduenientibus. 4 Bion dicere ſolebat, formam & venuſtatem bonum eſſe alienum, ſentiens nimirum animi bona reuera eſſe noſtra, cætera vero omnia fluxa & paruo tempore duratura. Diog. Laërtius lib. IV, c. 7.

nus, neque feliciorem reddere, neque meliorem[5]. *An.* Valeat ista quidem sapientia. *Ma.* Quid si mihi suauius sit legere bonum auctorem, quam tibi venari, potare, aut ludere aleam[6]? non videbor tibi suauiter viuere? *An.* Ego non viuerem. *Ma.* Non quæro, quid tibi sit suauissimum, sed quid deberet esse suaue. *An.* Ego nolim meos monachos frequentes esse in libris. *Ma.* At meus maritus hoc maxime probat. Sed quam ob rem tandem non probas hoc in monachis tuis? *An.* Quoniam experior illos minus morigeros[7]: responsant ex De-

---

5 Nec opes & honores sine ratione, nec equus sine fræno diu retineri possunt. Qui viro malo addit opes & gloriam, is febricitanti ministrat vinum, bilioso mel. Plutarchus.
6 Trahit sua quemque voluptas &: naturæ sequitur semina quisque suæ. Neminem excelsi ingenii humilia delectant & sordida. Sen. Epist. 39. Plato in Philebo: Delectari, inquit, dicimus intemperantem hominem, sed & temperantia temperantem; delectari insipientem insipientibꝰ opinionibus ac vana spe vndiq; plenum, sed & sapientia sapientem. Vtrisque igitur & sapienti & insipienti sua est voluptas. Vid. Io. Rauisii Textoris Offic. lib. IV. c. II. Sect. III. p. 305.
7 Mytylenæi populis, quos bello deuicerant, non aliam irrogabant pœnam, nisi quod interdicerent, vt liberos suos literas edocerent; obseruante Mureto in Orat. II. Vol. I. Et hodienum ignorantia præcipuum Imperii Turcici fundamentum est. Qui in illo scientiarum semina spargeret, illum id facile euersurum iudicat Sauædra Symb. 66. p. m. 535. Bene Crucius Epist. VI. lib. V. Merc. Bat. Cæca obedientia & tantum non stupor, in Papatu encomium est Christiani, & bubalorum instar naso circumduci ad superstitionem & idololatriam, hoc vere est catholicum esse. Ire qua itur, non qua eundum, vulgi gloria est & Christiani obsequii laudem habet ac meritum. Hoc fascino præstrictæ mentes hærent, & stupent ad apparatum & pompam religionis Ponti-

Decretis, ex Decretalibus, ex Petro, ex Paulo. *Ma.* Imperas igitur quæ pugnant cum Petro & Paulo? *An.* Quid illi doceant, nescio: sed tamen non emo monachum responsatorem: neque velim quenquam meorum plus sapere, quam ego sapiam. *Ma.* Istud ita vitari possit, si tu des operam, vt quam plurimum sapias. *An.* Non est otium. *Ma.* Qui sic? *An.* Quia non vacat. *Ma.* Non vacat sapere? *An.* Non. *Ma.* Quid obstat? *An.* Prolixæ preces, cura rei domesticæ, venatus, equi, cultus aulæ. *Ma.* Itane ista tibi sunt potiora sapientia? *An.* Nobis sic vsu venit [8]. *Ma.* Iam illud mihi dicito, si quis Iupiter hanc potestatem tibi daret, vt possis & monachos tuos, & te ipsum vertere in quodcunque animal velles, an illos in porcos verteres [9], te ipsum in equum? *An.* Nequaquam. *Ma.* Atqui sic vitares, ne quis plus te vno saperet. *An.* Mea non magni referret, quod genus animantis essent monachi, modo ipse essem homo. *Ma.* An hominem esse censes, qui nec sapiat, nec velit sapere? *An.* Mihi sapio. *Ma.* Et sibi sapiunt sues. *An.* Videre mihi sophistria [10] quæpiam, ita argutaris. *Ma.*

---

ficiæ, & ignorantiæ suæ piæ (seruilis dico) purpuram prætexunt. 8 Contingit, euenit. Es geht bey uns nicht anders her/ ist bey uns so Brauch. Ita moris est, more nobis receptum, in more positum est. 9 Circe Solis & Persæ nymphæ filia, dum venefica esset peritissima Poëtarum fabulis dicta est commutasse socios Vlyssis in porcos. Virgil.

Carminibus Circe socios mutauit Vlyssis.

10 Argutatrix. Eine Spötterin / Sophistin. Sophista & in fœminino Sophistria, olim idem erat ac in omni arte versatissimus; postmodum vero degenerauit, vt idem sit, ac de-

Ma. Non dicam quid tu mihi videaris. Sed cur hæc displicet supellex ?. *An.* Quia fusus & colus sunt arma muliebria [11]. *Ma.* Nonne matronæ est, administrare rem domesticam, erudire liberos? *An.* Est. *Ma.* An rem tantam existimas administrari posse sine sapientia? *An.* Non arbitror. *Ma.* At hanc sapientiam docent me libri. *An.* Ego domi habeo sexaginta duos monachos, tamen nullum librum reperies in meo cubiculo. *Ma.* Bene itaque prospectum est monachis illis. *An.* Feram libros non fero Latinos. *Ma.* Quapropter ? *An.* Quia non conuenit ea lingua fœminis. *Ma.* Exspecto caussam. *An.* Quia parum facit ad tuendam illarum pudicitiam. *Ma.* Ergo nugacissimis fabulis pleni libri Gallice scripti faciunt ad pudicitiam? *An.* Aliud est. *Ma.* Dic istud, quidquid est, aperte. *An.* Tutiores sunt a sacerdotibus, si nesciant Latine. *Ma.* Imo isthinc minimum est peri-

---

ceptor, deceptrix, fucatus Philosophus, fucata Philosopha. Prostat M. Heinrici Reißlandens Lips. 1659. de Sophista Dissertatio, in qua Sect. V. deducit, Sophistam mentem amentem, tumentem, impudentem gerere. 11 Fœminas eruditione illustres post alios recenset earumque studia literaria contra Lipsii querelam & Talmudicos, nullam mulieri nisi in colo sapientiam permittentes defendit Guilielmus Seldenus, Vltraiectinus de Libris, varioque eorum vsu & abusu. Prolixius hanc materiam pertractatam videsis in duabus disputationibus Dn. M. Sauerbrey/ de Fœminarum Eruditione, quarum priorem Præside B. Iacobo Thomasio Lipsiæ anno 1671. habuit. De Anna Maria Schurmannia Epist. lib. V. p. 527. Encomia ita finit Crucius:

Nam quod Luna ignes inter præclara minores;

Hoc inter doctos ANNA MARIA viros.

periculi vestra opera [12]. Quandoquidem hoc agitis sedulo, ne sciatis Latine [13]. *An.* Vulgus ita sentit, quia rarum & insolitum est, fœminam scire Latine. *Ma.* Quid mihi citas vulgum pessimum bene gerendæ rei auctorem? Quid mihi consuetudinem, omnium malarum rerum magistram? Optimis assuescendum: ita fiet solitum, quod erat insolitum: & suaue fiet, quod erat insuaue fiet: decorum, quod videbatur indecorum. *An.* Audio. *Ma.* Nonne decorum est, fœminam in Germania natam discere Gallice? *An.* Maxime. *Ma.* Quam ob rem? *An.* Vt loquatur cum his, qui sciunt Gallice. *Ma.* Et mihi putas indecorum, si discam Latine, vt quotidie con-

---

Dicitur Heinsio Musa decima; Io. Schmithio Alpha Virginum. 12 culpa. Ihr seht wohl/ wie ihr es macht / daß es eurentwegen keine Gefahr / Noth / nichts zu bedeuten hat. 13 B. Kromayerus in Epist. ad Gal. p. 7. taxat summam ignorantiam Misenensis alicuius Episcopi per *χειροτονίαν* Chirothecas intelligentis. Iacobus de alta Platea s. Hochstrassen tunc temporis non infimus Theologiæ Professor de se ipso ita egregie prorsus & nitide fatetur: *Ego sum ita occupatus in Sancto Thoma, quod nunquam in vita mea perlegi bibliam.* De Papa Iulio II. ferunt, eum adeo in Latina lingua peregrinum fuisse, vt cum aliquando supplici cuidam libello subscribere deberet: Fiat! subscripserit: Fiatur. Iam memoratus Iacobus Hochstrassen audiens Erasmum scripta quædam Græco idiomate diuulgasse, in Epistola quadam: *Si vult scribere*, inquit, *quod nemo intelligat, quare non scribit etiam Italicum, Bohemicum, Vngaricum: & sic nemo intelligeret eum. Faciat se conformem in nomine centorum diabolorum.* Vide Dissertat. de Causis Incrementi literarii post barbara Secula a me sub Præsid. Caluisii defensam §. 22. & Dn. D. Rechenbergium in Dissertat. de Ineptiis Clericorum. it. Frischl. Priscianum vapulantem.

confabuler cum tot auctoribus, tam facundis, tam eruditis, tam sapientibus, tam fidis consultoribus? *An.* Libri adimunt multum cerebri fœminis, cum alioqui parum illis superſit. *Ma.* Quantum vobis superſit, nescio; certe mihi quantulumcunque est, malim in bonis studiis consumere, quam in precibus sine mente dictis, in pernoctibus conuiuiis, in exhauriendis capacibus pateris[14]. *An.* Librorum familiaritas parit insaniam[15]. *Ma.* An colloquia combibonum, scurrarum & sannionum tibi non pariunt insaniam? *An.* Imo depellunt tædium. *Ma.* Qui fiat igitur, vt tam amœni confabulones mihi pariant insaniam? *An.* Sic aiunt. *Ma.* At aliud ipsa loquitur res. Quanto plures videmus, quibus immodica potatio & intempestiua conuiuia, quibus temulenta peruigilia, quibus impotentes affectus pepererunt insaniam? *An.* Ego sane nollem vxorem doctam. *Ma.* At ego mihi gratulor, cui contigerit maritus tui dissimilis. Nam & illum mihi & me illi cariorem reddit eruditio[16]. *An.* Immensis laboribus compara-

---

14 cyathis, poculis. 15 Non libri sed intemperantia in studiis parit insaniam, de intemperantia vero in qualitate Dan. Georg. Morhof. videatur, itemque de Eruditorum, qui ex ea oriuntur, morbis; cum quibus dissertationibus conferri merentur Georgii Francii de Studiorum noxa, operæ. 16 Dacerius cum Daceria, lecti consorte, Imperatoris Marci Aurelii Antonini librum ad se ipsum Gallice vertit & notis illustrauit. Vid. Acta Erudit. Lipsiens. anno 1692. p. 249. Pollam Argentariam, Lucani vxorem, Baptista Fulgosus lib. VIII. c. 3. tanto ingenio doctrinaque fuisse perhibet, vt cœptos a viro permultos versus eadem styli grauitate atque elegantia perficeret, ac Epigrammata etiam peritissime conscriberet.

paratur eruditio, ac post moriendum est. *Ma.* Dic mihi, vir egregie, si cras tibi moriendum esset, vtrum malles mori stultior an sapientior? *An.* Si citra laborem contingeret sapientia. *Ma.* Sed nihil homini citra laborem contingit in hac vita: & tamen quidquid paratum est, quantisuis laboribus comparatum est, heic relinquendum est: cur pigeat nos in re omnium pretiosissima sumere laboris aliquid, cuius fructus nos in alteram quoque vitam comitatur? *An.* Frequenter audiui vulgo dici, fœminam sapientem bis stultam esse. *Ma.* Istuc quidem dici solet, sed a stultis. *Fœmina, quæ vere sapit, non videtur sibi sapere; contra, quæ cum nihil sapiat, sibi videtur sapere, ea demum bis stulta est.* *An.* Nescio quomodo fit, vt quemadmodum clitellæ [17] non conueniunt boui, ita nec litteræ mulieri [18]. *Ma.* Atqui negare non potes, quin magis quadrent clitellæ boui, quam mitra asino, aut sui. Quid sentis de Virgine matre? *An.* Optime. *Ma.* Nonne versabatur in libris? *An.* Versabatur; at non in istis. *Ma.* Quid igitur legebat? *An.*

---

17 Boui clitellæ Saum-Sättel dicuntur imponi, vel vbi negotium mandatum est parum apto, vt hoc loco; vel vbi quis deprecatur & reformidat prouinciam, cui parum sit idoneus. 18 Quid ni? si fœminæ per fortunæ rationem otia iusta fuerint nactæ & peculiaris ad studia inclinatio accedat. Homines nihil agendo male agere discunt; & cum fœminæ quoque factæ sint participes in Eua sapientiæ concreatæ, ab huius amissæ instauratione nulla ratione arcendæ venient. Quæ vero dementia est, inquit Ludou. Viues lib. de Offic. Marit. c. 4 de Discipl. fœmin. p. 87. existimare ignorantia bonorum quenquam meliorem fieri?

An. Horas canonicas. *Ma.* Ad quem vsum? *An.* Ordinis Benedicti *. *Ma.* Sit ita sane. Quid Paula & Eustochium [19]? nonne versabantur in sacris libris? *An.* Verum istuc nunc rarum est. *Ma.* Sic olim rara auis erat Abbas indoctus, nunc nihil vulgatius: olim Principes & Cæsares eruditione non minus quam imperio præminebant. Neque tamen vsque adeo rarum est, quam tu putas: sunt in Hispania, sunt in Italia non paucæ mulieres adprime nobiles, quæ cum quouis viro queant contendere; sunt in Anglia Moricæ, sunt in Germania Bilibaldicæ & Blaurericæ [20]. Quod nisi caueritis vos, res eo tandem euadet, vt nos præsideamus in scholis Theologicis, vt concionemur in templis; occupabimus mitras vestras. *An.* Ista Deus auertat. *Ma.* Imo vestrum erit hoc auertere. Quod si pergetis vt cœpistis, citius anseres concionaturi sint, quam vos mutos pastores ferant. Videtis iam inuerti mundi scenam: aut deponenda est persona, aut agendæ sunt suæ cuique partes. *An.* Vnde incidi in hanc fœminam? Si quando vises nos, ego te suauius accipiam. *Ma.* Quibus modis? *An.* Saltabimus, bibemus affatim, venabimur, ludemus, ridebimus. *Ma.* Mihi quidem iam nunc ridere libet.

EPI-

* Ridicule, quum Benedictus nondum esset natus. 19 Paula hæc matrona Romana, quæ mortuo marito in pauperes omnes suas facultates erogans totam se literis dicauit. Eius filia Eustochium Latine, Græce, Hebraice callentissima sui temporis miraculum dicebatur. 20 Per Moricas haud dubie notat Thomæ Mori in Britannia filias Margaritam, Elisabetham, Cæciliam, quas Pater non contentus esse castissimas etiam doctissimas esse curauit, sic fore iudicans vt verius firmiusque essent castæ, vt Viues l. cit. testatur.

EPITHALAMIVM PETRI ÆGIDII.

ALTPIVS, BALBINVS, MVSÆ.

Al. DEum immortalem! quod ego nouum ſpectaculum heic video? *Ba.* Aut tu vides quod nusquam eſt, aut mei parum proſpiciunt oculi. *Al.* Atqui mirum ſpectaculum eſt & amabile. *Ba.* Enecas: dic, vbi vides? *Al.* At læuam in hoc colle nemoroſo. *Ba.* Collem video. *Al.* Non vides puellarum chorum? *Ba.* Quid tibi venit in mentem, vt nos ad iſtum modum ludos facias [1]! Ego ne muſcam quidem [2] puellam vsquam conſpicor. *Al.* Tace: prodeunt e nemore. Papæ, qui nitor! quæ gratia! non humanum eſt hoc ſpectaculum. *Ba.* Quæ hunc agitant intemperiæ*? *Al.* Agnoſco [3]; nouem ſunt Muſæ [4], cum tribus Gra-

1 Ludas, exagites, vexes. 2 Vehementem hominum ſolitudinem quopiam in loco ſignificare volentes, ne muſcam quidem illic eſſe dicimus. Plaut. in Truc. Quas tu mulieres mihi narras? vbi muſca nulla fœmina eſt in ædibus. Domitianus in ſolitudine muſcas captare ac ſtylo præacuto configere ſolitus erat; vnde cuidam interroganti: *eſſetne quis intus cum Cæſare?* non abſurde reſponſum eſt a Vibio Criſpo: *ne muſca quidem.* Sueton. c. III. in Vita eius. Subintelligi autem videtur in Plautino illo & noſtro particula: nedum, tantum abeſt vt, v. g. Ne muſcam quidem vsquam conſpicor, tantum abeſt, vt puellam. Ich ſehe keine Fliege / geſchweige denn ein Mägdchen. Conf. El. Mai. de var. orat. 596. & p. 475. ne my quidem, ne gry quidem, ne per ſomnium quidem, nec punctum quidem aut vnguem transuerſum, ne Catoni quidem. &c. * Id eſt, Furiæ. 3 Cerno, diſcerno. Videmus natura; ſpectamus voluntate; intuemur cura; aſpicimus ex improuiſo; animaduertimus animo; cernimus oculis. 4 De Nouem Muſis fuſiſſime agit

Gratiis: demiror quid agant; nunquam vidi cultiores aut magis alacres: omnes sunt redimitæ lauro, & suum quæque gerit organum. Porro Gratiæ[5] quam amabiliter sibi hærent! quam decet nullo adstricta cingulo vestis ac liberis diffluens laciniis[6]! *Ba.* At ego nunquam audiui quenquam magis delirantem, quam te. *Al.* Imo neminem vidisti me feliciorem. *Ba.* Cur heic solus habes oculos? *Al.* Quia non bibisti ex fonte Musarum: nam his solis conspicuæ sunt Musæ. *Ba.* Ego affatim hausi e fonte Scoti[7]. *Al.* Non ille fons est Mu-

sa-

Rauis. Textor in Officina lib. IV. per tria capita, recensetque Linocerii, & Lilii Gregorii Giraldi libellos. P. Virgilius Maro de Musarum inuentis ita canit:

Clio *gesta canens transactis tempora reddit.*
Melpomene *tragico proclamat mœsta boatu.*
Comica lasciuo gaudet sermone Thalia.
Dulciloquis calamos Euterpe *flatibus vrget.*
Terpsichore *affectus citharis mouet, imperat, auget.*
Plectra gerens Erato *saltat pede, carmine, vultu.*
Carmina Calliope *libris heroica mandat.*
Vrania *poli motus scrutatur & astra.*
Signat cuncta manu loquiturque Polymnia *gestu.*

5 Charites tres Ægle, Euphrosyne & Pasythea finguntur Iouis & Eurynomes fuisse filiæ, & Veneris pedissequæ; pinguntur facie virginum, hilari vultu, vestibus lucidis & fluentibus, manibusque complexis se ipsas inspicientes, inducuntur a Poëtis saltantes verno tempore. 6 Lacinia, æ. Fœm. pars extrema in vestimento & cæsuræ particulatim concisæ decoris causa. Der Schweiff am Kleyde / was außgestecket wird. 7 Ioannes Duns, Scotus Sec. XIV. Scholasticus, Doctor subtilis nuncupatus, ordinis Minorum monachus, Thomæ Aquinatis ac Bonauenturæ placita ad limam reuocauit. Philosophia eius spinis tricisque referta mul-

ſarum, ſed lacus ranarum [8]. *Ba.* Non potes efficere, vt & ipſe videam hoc ſpectaculi? *Al.* Poſſem, ſi quidem adeſſet laurus: nam liquor e fonte limpido, ramo lauri adſperſus, oculos reddit huiuſmodi ſpectaculorum [9] perſpicaces. *Ba.* Ecce laurus: ecce fonticulus. *Al.* Commodum [10] profecto. *Ba.* Aſperge. *Al.* Intende: videsne? *Ba.* Quantum antea. Aſperge rurſus. *Al.* Iamne vides? *Ba.* Tantundem. Aſperge copioſius. *Al.* Iam vides opinor. *Ba.* Imo vix te video. *Al.* Miſer, quam penitus oculos tuos obſedit τὸ σκότος [11]! Hæc ars vel aurigæ [12] daret oculos. Verum non eſt quod crucieris: præſtiterit fortaſſe non videre, ne tali præmio videas Muſas, quali Actæon * vidit Dianam. Periculum enim eſſet, ne te vertant in hiſtricem **, aut aprum ſilueſtrem, aut porcum, aut camelum, aut ranam, aut graculum. Efficiam tamen vt audias, modo ne obſtrepas. Iam huc deflectunt viam: occurramus. Χαίρετε *** τριτπόθητοι θεαί.

tas tenebras obfudit orbi. Celebria hinc in Papatu Thomiſtarum & Scotiſtarum nomina. 8 De ranis ſuccurrit locus Apocal. XVI, 13. Fons Muſarum Caſtalius in radicibus Parnaſſi alio nomine Caballinus, a caballo, id eſt, equo ſ. Pegaſo alato, cuius vngula excuſſus eſt, Hippocrene dictus. 9 Oculus ſpectaculorum perſpicax. Ein Auge/ das ein Spectacul/ das was zu ſehen iſt/ ſehen kan. Verbalia in ax, vt: edax, fugax, capax Genitiuum admittere vel tironibus notum eſt. 10 Opportune, tempeſtiue. Zu gelegner Zeit/ eben recht! 11 Id eſt, Tenebræ: alluſum eſt ad Scoti nomen. Proh! ſuperi, quantum mortalia pectora cæcæ noctis habent! 12 Agaſoni, cuiuis agreſti, vel craſſiſſimo, ſtupidiſſimo. * Actæon quum caſu vidiſſet Dianam nudam, verſus eſt in ceruum. ** Hiſtrix ſpinoſum animal, quod ſpinas eiaculatur. *** Id eſt, Auete, optatiſſimæ Deæ.

θεαί. *Mu.* Καὶ σὺ μάλα χαῖρε, Φιλόμουσε *. *Al.* Quid vellicas? *Ba.* Non præstas quod promiseras. *Al.* An non audis? *Ba.* Audio, sed velut asinus lyram. *Al.* Loquar igitur Latine. Quonam est iter tam cultis, tamque alacribus? Num inuisitis Louaniensium Academiam? *Mu.* Bona verba. *Al.* Quam ob rem? *Mu.* Quis nunc illic nobis locus, vbi tot porci obgrunniunt, obrudunt asini, obblactiunt ** cameli, obstrepunt graculi, obgarriunt picæ? *Al.* Atqui sunt & illic quibus vestrum numen est venerandum [13]. *Mu.* Scimus; eoque post annos aliquot illuc commigrabimus. Nondum reuoluta seculorum periodus [14] diem illum fata-

* Id est, Et tu multum salue, Musarum amator. ** Blactire proprie camelorum est. 13 Ioannes Wamesius, Gemma Frisius & Cornelius Valerius. Et Gemma Frisius quidem inter præcipuos eius Academiæ Medicos habitus fuit; statura mediocri & membris gracilibus cum Triuerio in publico conspectus, qui procerior facie rubicunda & corpore obeso erat, audiuit salsi cuiusdam vrbanitatem, qui Triuerium & Gemmam *Louaniensium medicorum par impar* facete appellauit. Vid. Vitæ Medicorum German. Adami p. m. 74. Peste absumptus est anno 1558. 14 Platonem atque Platonicos post exactos trigesies sexies mille annos priscam omnium rerum faciem esse redituram putasse constat. An literis & artibus decretorius ac fatalis quidam dies immineat, quemadmodum imperiis, nationibus, vrbibus, quas modo florere, modo concidere videmus, nonnulli ambigunt; Mechouius hoc pro vero constare sibi scribit in Hermathen. Tract. III. c. 9. §. 9. Trahimus huc Ovveni:

Multa renascentur, quæ iam cecidere cadentque
Dogmata, quæ summo nunc in honore vigent.
Quæ noua sunt hodieque placent non vsque placebunt.
Cur ita? quæ noua sunt non noua semper erunt.

fatalem aduexit. Erit enim qui illic nobis amœnum exſtruet domicilium, vel templum potius, quo vix alibi magnificentius ac ſanctius. *Al.* Non eſt fas ſcire quiſnam tantum decus inuecturus ſit noſtræ ditioni? *Ma.* Tibi fas eſt, noſtrorum ſacrorum myſtæ*. Non dubium eſt, quin tibi notum ſit toto orbe celebre Buslidianorum nomen. *Al.* Heroicum genus nominaſti, & ornandis ſummorum principum aulis natum. Quis enim non veneratur magnum illum Franciſcum Buslidium Beſontinæ eccleſiæ Præſulem, qui vnus non vnum Neſtorem ** præſtitit Philippo [15] maximi Maximiliani filio, Caroli, qui maior [16] futurus eſt, Patri? *Mu.* O feli-

---

Omnium nempe rerum datur viciſſitudo, & humanarum rerum circulus eſt, qui rotatus eosdem ſemper fortunatos eſſe non ſinit; vt apud Herodotum Crœſus Cyro ait. Marius ſexto conſulatu mendicabat, ſeptimo imperabat. Habet has vices conditio mortalium, vt aduerſa ex ſecundis, ex aduerſis ſecunda naſcantur, monente Plinio in Panegyr. Trai. c. 5. * Qui ſacris initiati ſunt, a verbo μυέω quod ipſum a ſilentio dictum. ** Proprium, per Antonomaſiam, pro Appellatiuo: id eſt, eloquentem, fidum atque prudentem. Talis enim Neſtor erat, vt Agamemnon profiteretur ſe breui capturum Troiam, ſi decem Neſtores contigiſſent. 15 Hollandiæ Comiti XXIX. filio Maximiliani I. Cæſaris & Mariæ, Caroli Bellicoſi filiæ. Hic Pater fuit Caroli V. Vide Ortum in Theatro Matthiæ c. I. de Imperat. Germ. XLV. Auus maternus ipſi fuit Ferdinandus Rex Hiſpaniæ, in familia Aragoniorum vltimus. Natus autem eſt Carolus V. Gandaui Flandriæ metropoli anno 1500. die 24. Febr. 16 Propter res præclare geſtas Galli Herculem, Itali Dauidem, Siculi Scipionem Africanum, Hiſpani Alexandrum M. Turcæ Iulium Cæſarem, Africani Hannibalem vocarunt. Patre Philippo Macedone maior filius erat Alexander.

felices nos, nisi fata virum illum terris inuidissent! Quantus erat ille Mæcenas * honestorum studiorum, quam candidus fautor ingeniorum! Sed reliquit fratres duos, Ægidium admirabili iudicio prudentiaque virum, & Hieronymum. *Al.* Hieronymum nouimus, omni litterarum genere perpolitum, omni virtutum genere decoratum. *Mu.* Nec eum fata longæuum esse patientur, tametsi nemo dignior est immortalitate. *Al.* Vnde ista nostis? *Mu.* Apollo nobis denarrauit. *Al.* Quænam est ista fatorum inuidia [17], vt optima quæque protinus subducant [18]? *Mu.* Id quidem non est huius temporis philosophari: sed Hieronymus heic summa cum laude moriens, vniuersas opes suas destinabit instituendo Louanii collegio, in quo gratis & publicitus tres linguas eruditissimi viri profitebuntur. Ea res magnum ornamentum adiunget

---

* Eadem figura Antonomasiæ pro Euergeta, Benefactore, Promotore, Fautore, Patrono. 17 Ethnicismum sapit hæc expressio, quæ inuidiam DEO fatorum Diribitori fatisque tribuit. Similem in modum Camillus precatur, vt si cui Deorum nimia felicitas populi Romani videretur, eius *inuidia* suo aliquo incommodo satiaretur. Val. Max. lib. I, c. 5, n. 2. 18 Huc spectant impii & tantum non Atheismum redolentes Ouidii versus, Lib. III. Eleg. de morte Tibulli:

Cum rapiant mala fata bonos; ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse putare DEOS.
Viue pius moriere tamen; cole sacra, colentem
Mors tamen a templis ad caua busta trahet.

Rectius sane alibi libro IV. de Ponto canit:

Ludit in humanis diuina potentia *rebus.*

Omnium vero rectissime Christianos informat Esaias c. LVII. v. 1, 2. & Liber Sapient. c. IV, v. 7. quibus consonat Menandri Sententia: *ὃν θεὸς φιλεῖ ἀποθνήσκει νέος.*

get & studiis, & Caroli gloriæ. Tum non illibenter versabimur Louanii. *Al.* Quo[19] nunc igitur est iter? *Mu.* Antuerpiam. *Al.* Musæ & Gratiæ ad mercatum[20]? *Mu.* Nequaquam; imo ad nuptias. *Al.* Quid virginibus cum nuptiis[21]? *Mu.* Ad tales nuptias non est indecorum ire virgines. *Al.* Quas igitur nuptias narras? *Mu.* Sanctas, puras, castas[22], ad quas non puderet ipsam adire Palladem: & arbitror adfuturam. *Al.* Non est fas[23] scire sponsi nomen & sponsæ? *Mu.* Arbitror tibi non ignotum esse candidissimum illum iuuenem & omnibus politioris litteraturæ[24] deliciis expolitissimum, Petrum Ægidium[25]. *Al.* Gemmam

19 Quorsum, quem in locum. 20 nundinas, tendunt, proficiscuntur, abeunt? Quasi mirabundus hæc sciscitatur, cum tamen bene prorsus coniungantur Mercaturæ & Philosophiæ studia; qua de re prostat Casp. Barlæi Mercator sapiens. Amstelodami ex offic. Blavv. 1682. sub forma Orationis in fol. excusus. Nec immerito virgulæ subiiciuntur censoriæ Neapolitani nobiles elata mente mercaturam, veluti turpissimam vilissimamque rem exhorrentes, quod de ipsis tradit Chassan. Catal. Glor. Mundi P. VIII. consid. 49. 21 Neque nuptias frequentare virgines inuitatas aut indecorum aut inhonestum est. Bene monet Gerhardus obseruari nuptiarum ritum (1) propter antiquitatem, (2) coniugii dignitatem, (3) publicam honestatem, (4) ob perpetuam omnium gentium consuetudinem. Tomo VII. Loc. Theolog. de Coniugio §. 479. sqq. 22 His opponuntur nuptiæ Sybaritico luxu, Persico fastu, beluina crapula, cum ludis impuris, verbis obscœnis, & turpi lasciuia institutæ. 23 licitum, concessum, æquum; non dabitur? Darff man nicht? 24 eruditionis, doctrinæ, disciplinæ. 25 Est hic Petrus Ægidius celebratissimæ ciuitatis Antuerpiensis Nota-

nam [26] nominasti, non hominem. *Mu.* Ei nubet Cornelia, virguncula [27] vel ipso digna Apolline. *Al.* Ille quidem vestri cultor eximius a teneris annis fuit. *Mu.* Huic igitur canemus epithalamium [28]. *Al.* Et saltabunt Gratiæ? *Mu.* Non modo saltabunt, verum etiam duo candidissima pectora indissolubilibus mutuæ beneuolentiæ nodis copulabunt, vt nihil vnquam inter illos possit incidere vel iræ, vel tædii. Illa perpetuum nihil audiet, nisi: *Mea lux*: ille vicissim nihil, nisi: *Anime mi.* Atque huic iucunditati ne senectus quidem quidquam detrahet, imo potius adiunget aliquid. *Al.* Demirarer [29], si, qui sic viuunt, possint senescere. *Mu.* Recte mones: maturitas erit potius, quam senectus. *Al.* Atqui noui permultos, quibus intra men-

rius seu eidem a libellis, cui Parabolarum siue Similium librum inscripsit, selecta que ex Plutarcho aliisque pulcherrimas gemmas, non vulgarium xeniorum quicquam misit Erasmus, prout loquitur ipse in Dedicatoria anno Christi 1514. Idibus Octobr. exarata; cuius e clausula patet, Epithalamium iusto tempore ad Ægidii manus peruenire propter famuli incuriam nequiuisse. Prostat Summa Grammaticalis seu Dictionarium Catholicum Iohannis Balbi, Monachi Iacobini Ianuensis seu de Ianua dicti ab Ægidio 1520. Lugduni Gallorum emendatius auctiusque editum. Budd. Lexic. vniu. Histor. P. I. p. 267. 26 pretiosum cimelium. 27 casta adolescentula, puella, iuuencula, bellula puellula. 28 hymnum nuptialem, laudes nuptiales ad torum; ein Braut-Lied/ Hochzeit-Lied/ carmen Hymenæum, hymnum epithalamium, cantionem epithalamiam, qua Deus exorandus est, vt nouis nuptis volens & propitius adesse velit. D f. serta versibus Fescenninis & carmine amœbæo. Alex. Dierum Genial. lib. II. c. 5. 29 Non possem non valde mirari.

menſes treis iſtæ verborum blanditiæ longe in diuerſum verſæ ſunt, & in conuiuio pro lepidis iocis volitabant diſci & quadrulæ [30]; maritus pro: *Anime mi*, audiebat: *Fungus*, *Lagena*, *Spongia* [31]: vxor, *Scropha*, *Acco*, *Vomica* [32]. *Mu.* Vera prædicas: ſed iſtiusmodi nuptiæ Gratiis iratis coierant [33]; heic perpetuo [34] morum iucunditas alet mutuam beneuolentiam. *Al.* Narras tu quidem raram matrimonii felicitatem. *Mu.* Tam raras virtutes rara decet felicitas. *Al.* Quid? coibunt nuptiæ absque Iunone & Venere? *Mu.* Iuno quidem non aderit, rixoſa Dea, & cui raro bene conuenit cum ſuo Ioue. Ne Venus quidem illa terreſtris* & ebrioſa, verum altera illa cœleſtis, quæ conciliat

30 Vaſa in quibus cibaria apponuntur. Teller und Schüſſeln. 31 Nomina contumelioſa, quibus inter iurgia maritos laceſſunt Xantippæ ſorores, malæ vxores: Du Pilz/ voller Zapffen/ Bier-und Wein-Amſel/ du Schlaff-Mütze/ ꝛc. 32 Scrofa vel Scropha, ſus fœmina, quæ fœtus cauſa alitur. Du alte Sau. Acco, anicula delira, quæ cum imagine ſui in ſpeculo reddita, ceu cum altera muliere colloquebatur, Cœl. Rhodiginus lib. 6. c. 15. dicit, iam decrepitam, cum faciem ſenio deformatam conſpiceret, animi ægritudine in inſaniam lapſam eſſe. Teſte Plutarcho nomen eſt terriculamenti cuiusdam, cuius metu matres ſolent puellos in officio continere & a peccando deterrere. Du alte tumme/ raſende/ närriſche Bylweiſe/ Hexe/ Hure. Vomica, vlcus Geſchwüre/ Eyter-Beule. Sic Auguſtus immorigeram neptem filiasque non aliter appellare ſolebat, quam tres vomicas aut tria carcinomata ſua, c. 65. in Vita eius Sueton. 33 coaluerant, contractæ fuerant. 34 ſine intermiſſione, intervallo, intercapedine, conſtanter, iugiter. * Alluſit ad hoc, quod Socrates apud Platonem facit duas Veneres & duos Cupidines.

liat formas animorum. *Al.* Proinde ſterile matrimonium mihi narras. *Mu.* Nequaquam: feliciſſime fœcundum. *Al.* Quid illa cœleſtis gignit, niſi animos? *Mu.* Imo addit & corpora, ſed ipſis animis morigera, perinde quaſi gemmeo myrothecio* indas opobalſamum[35]. *Al.* Vbinam eſt ea? *Mu.* En tibi procul aduentat. *Al.* Video: Deum immortalem, qui fulgor, quæ formæ maieſtas! Ad hanc quidem altera Venus inuenuſta eſt. *Mu.* Vides quam modeſti Cupidines, nequaquam cæci, quemadmodum illi, quibus altera dementat animos mortalium, ſed oculatiſſimi: nec habent inſanas faces, ſed ignes placidiſſimos; nec habent plumbeas cuſpides, quibus immittunt odium amantis, ac miſeros animos amore non mutuo[36] diſcruciant. *Al.* Plane matrem referunt. O felicem illam domum, & ſuperis egregie caram! Cæterum licetne audire epithalamium carmen, quod illi deſtinatis? *Mu.* Imo rogamus, vt libeat audire.

Clio.

Candida laurigero nubit Cornelia Petro. — *Genere Eleg.*
Auſpiciis adſint numina dextra bonis.

Melpomene.

Contingat illis turturum[37] concordia, — *Iamb. ſenar. & quatern.*
Corniculæ viuacitas[38].

Thalia.

---

* Vaſculum vnguentarium. 35 Succum balſami præſtantiſſimum, nobiliſſimum. 36 non-reciproco. Da eines von beyden das andere nicht lieb hat/ vbi alterutra pars in amore deficit. 37 Vni nubit turtur & cum ſuo compare ſine intermiſſione ſobolem gignit; amiſſa coniuge non ducit ali-

Thalia.

Ille caritate[39] *Gracchum Tiberium praecesserit,* *Iamb.*
Quis sua vitam anteposuit coniugis Corneliæ. *ocTonar.*

Euterpe.

Illa caritate superet coniugem[40] *Admeti du-* *Iamb.*
cis, *octon.*
Quæ volens mortem mariti morte mutauit
sua.

Terpsicho-

am, sed solitarius misere gemit, & bibiturus aquam prius turbat, vt Artemisia mariti obitum recolens potui adspersisse dicitur de cinere defuncti. Ægyptios accepimus filias suas condecorasse etiam pauperrimas torquibus, & pro his ab aliis stipem erogasse; in quibus figuræ erant sex 1) Turtur, cum lemmate: Sic sola; 2) Columba, cum L. Sic casta; 3) Aquila, cum L. Sic prompta. 4) Ciconia, cum lemmate: Sic pia; 5) Noctua, cum L. Sic vigil. 6) Alauda, cum lemmate: Sic sancta & deuota. 38 Secundum illud: Ter tria secla hominis transmittit garrula cornix. Sie lebt dreymal so lange als der Mensch / überlebt den Menschen dreymahl. Vnde & Theophrastus Cic. lib. 3. Tuscul. Quæst. naturam accusasse fertur, quod cornicibus, quarum nulla sit vtilitas, vitam tam tribuisset diuturnam, tam breuem hominibus. Sed centesimum annum nec coruum nec cornicem superare persuasissimum habemus. 39 Vid. Val. Max. lib. IV. c. 6. de Amore Coniugali n. 1. Gracchus salutarem coniugi potius, quam sibi, partem augurii secutus anguem marem necari, fœminam dimitti iussit; sustinuitq; in conspectu suo se ipsum interitu serpentis occidi; vnde dubium est Cornelia vtrum felicior fuerit, quod talem virum habuerit, an miserior, quod amiserit. 40 Alcesten, quæ morti se obtulit, cum ægrotante marito ab oraculo responsum esset,

Terpsichore.

Ille non flagret leuiore flamma, — Genere Sapph.
Attamen fato meliore, quam olim
Plancius[41]*, raptæ sociæ grauatus*
Esse superstes.

Erato.

Illa non flagret leuiore flamma, — Gen. Sapph.
Attamen longe meliore fato,
Casta quam sanctum deamauit olim
Porcia Brutum.

Calliope.

Sponsum moribus vndiquaqve sanctis — Genus Phalec.
Nec Nasica probatus antecellat.

Vrania.

Vxor moribus vndiquaque castis — Genus Phalec.
Vincat * *Sulpitiam Paterculanam.*

Polyhymnia.

Laudetur simili prole puerpera, — Chobiambic.
Accrescat domui res simul & decus,
Sed liuore vacet, si fieri potest,
Factis egregiis debita gloria.

Al.

breui eum moriturum, nisi quis amicorum pro eo moreretur. Extat de hac Alceste Euripidis Tragœdia. Conf. Val. Max. l. cit. 41 Plancius inter officium vngendi & osculandi defunctam morbo Tarenti, quo cum secuta erat, Orestillam, stricto ferro incubuit, quem deinde togatum & calceatum amici corpori coniugis coniunxerunt & vna cremarunt. Vide de Plantio, aut, vt Valerius habet, Plantio lib. modo laudatum, dicto capite; nec minus de Portia M. Catonis filia, n. 3. & 5. De Sulpitiæ vero Paterculanæ castitate eundem Valerium lib. VIII, c. 15. num. 12. * Sulpitia Paterculi filia,

Al. Prorsus inuiderem illi Petro Ægidio, nisi tantus esset hominis candor, vt ipse nemini possit inuidere. *Mu.* Sed iam tempus est, vt cœptum carpamus iter. *Al.* Nunquid est quod interim velitis renunciari Louanium? *Mu.* Vt nostro nomine salutes amicos omnes candidos, ac nostri studiosos, sed præ cæteris vetustissimum nostri chori cultorem Ioannem Paludanum, Iodocum Gauerium, Martinum Dorpium, & Ioannem Borsalum. *Al.* Id quidem fiet diligenter: Quid cæteris? *Mu.* Dicam in aurem. *Al.* Res non est magni sumtus*: itaque fiet quam primum.

EXORCISMVS, SIVE SPECTRVM.

THOMAS, ANSELMVS.

QVid est bonæ rei, quod tecum rides tam suauiter, quasi thesaurum nactus sis? *An.* Non procul aberrat a scopo tua diuinatio. *Th.* At non imparties sodali quidquid istuc est boni? *An.* Imo iam dudum optabam mihi dari quempiam, in cuius sinum effunderem hoc meum gaudium. *Th.* Age igitur, imparti. *An.* Audiui modo fabulam lepidissimam, quam iures esse comicum figmentum, nisi mihi locus, personæ, totaque res esset tam nota, quam tu notus es mihi. *Th.* Audire gestio. *An.* Nostine Polum Fauni generum? *Th.* Maxi-

vxor Fuluii Flacci, quæ ob pudicitiam e centum matronis lecta fuit ad dedicandum Romæ Veneris simulacrum. Meminit T. Liuius. * Videtur hoc dictum in aurem, *vt suspendant sese.* Restim indigitat seu laqueum.

Maxime. *An.* Is est & auctor, & actor huius fabulæ. *Th.* Facile crediderim. Nam ille vel absque persona possit quamuis agere fabulam. *An.* Sic est. Nosti, opinor, & prædium, quod habet non ita procul a Londino? *Th.* Phy [1]! non semel illic compotauimus. *An.* Agnoscis igitur viam vtrinque arboribus pari digestis interuallo septam. *Th.* Ad læuam ædium partem, altero fere balistæ iactu [2]. *An.* Tenes. Alterum viæ latus habet alueum [3] siccum, dumis ac vepribus obsitum: e ponticulo iter est in apertam [4] planiciem. *Th.* Memini. *An.* Iam pridem vagabatur rumor ac fabula per eius loci rusticos, iuxta ponticulum hunc obseruari spectrum quoddam, cuius subinde exaudirentur miserandi eiulatus: suspicabantur, animam esse cuiuspiam, quæ diris cruciatibus torqueretur. *Th.* Quis auctor erat istius rumoris. *An.* Quis nisi Polus? Hoc proœmium præstruxerat suæ fabulæ. *Th.* Quid isti venit in mentem, vt ista confingeret? *An.* Nescio; nisi quia sic est hominis ingenium: gaudet huiusmodi commentis ludere stultitiam populi. Dicam quid nuper designarit [5] huius generis. Simul equitabamus aliquam [6] multi Richemondam [7]; inter quos erant, quos tu diceres cordatos [8] homines. Cœ-

1 Fastidit quæstionem & innuit se optime nosse. 2 Bogen-Schuß / Armbrust-Schuß. 3 fossam, Graben. 4 patentem, latam. 5 peregerit, rei nouæ fecerit, was er angegeben / gestifftet / vorgenommen habe. 6 bene, fere. 7 in vrbem comitatus Richmond-Schire primariam. Oppidum ipsum partis huius agri Eboracensis, solstitialem occasum spectantis, exiguo mœnium circuitu inclusum, sed productis ad tres portas suburbiis satis frequens est, perfunditurque ab Vro flumine. 8 sapientes, intelligentes.

Cœlum erat mire ſerenum, nec vlla vsquam nubecula ſuffuſcatum. Ibi Polus, intentis in cœlum oculis, ſignauit totam faciem ac ſcapulas imagine crucis,& vultu ad ſtuporem compoſito, ita ſecum: Deum immortalem! quid ego video? Rogantibus qui proxime equitabant, quid videret, rurſus obſignans ſe maiore cruce: Auertat, inquit, clementiſſimus Deus hoc oſtentum. Cum inſtarent auiditate cognoſcendi, ille defixis in cœlum oculis, ac digito commonſtrans cœli locum, Nonne,inquit, videtis illic immanem draconem, igneis armatum cornibus, cauda in circulum retorta? Cum negarent ſe videre, atque ille iuſſiſſet, oculos intenderent, ac locum ſubinde commonſtraret, tandem vnus quiſpiam, ne videretur parum oculatus [9], affirmauit, ſe quoque videre. Hunc imitatus eſt vnus item atque alter: pudebat enim non videre quod tam eſſet perſpicuum. Quid multis? Intra triduum rumor hic totam Angliam peruaſerat, tale portentum apparuiſſe. Mirum autem, quantum fama [10] popularis addidit fabulæ. Nec deerant qui, quid ſibi vellet oſtentum, interpretarentur ſerio. Horum ſtultitia ille, qui commentus fuerat argumentum, magna cum voluptate fruebatur [11].

Th.

---

9 Repete quæ præcedente Colloquio ſub initium poſita cum his maxime ſimilitudinem habent. Videbat nimirum Alypius, vt hic Polus, quod Balbinus non videbat quantumuis fonticulo adſperſus. 10 Fama malum, quo non aliud velocius vllum, mobilitate viget vireſque acquirit eundo, tam ficti prauique tenax, quam nuncia veri. Virgil. Die Lügen ſind wie ein Schnee-Ball. 11 Er wuſte ſich ihre Thorheit wohl nütze zu machen.

Th. Agnoſco hominis ingenium. Sed redi ad ſpectrum. *An.* Interea commodum diuertit ad Polum Faunus, quidam ſacerdos, ex eorum genere, quibus non ſatis eſt appellari Latine regulares, niſi Græce * cognomen idem accinatur, parochus vici illic alicunde vicini. Is ſibi non vulgariter videbatur ſapere, præſertim in rebus ſacris. *Th.* Intelligo; repertus eſt actor fabulæ. *An.* Super cœnam ortus eſt ſermo de rumore ſpectri. Cum Polus ſentiret, Fauno rumorem hunc non ſolum auditum eſſe, verum etiam creditum, cœpit hominem obteſtari, [12] vir doctus ac pius ſuccurreret animulæ tam dira patienti: &, *Si quid dubitas*, inquit, *explorarem, obambula ad decimam iuxta ponticulum illum, & audies miſerum eiulatum: adiunge tibi quem voles comitem; ita & tutior audies, & certius.* *Th.* Quid deinde? *An.* Cœna peracta, Polus ex more abit venatum, aut aucupatum. Faunus obambulans, cum iam tenebræ ſuſtuliſſent certum de rebus iudicium, tandem audit miſerandos gemitus: hos Polus artifex mire effingebat, abditus illic in vepreto, adhibita ad id olla fictili: quo vox e cauo reddita lugubrius quiddam ſonaret. *Th.* Hæc fabula, vt video, vincit phaſma Menandri [13].

An.

---

* Ludit: alioqui Canonici non dicuntur a regula, ſed a præbenda, quam nunc vocant. Nam canon aliquando eſt certus cibi potuſue modus, qui dabatur militibus. 12 vt tanquam. 13 Menander Athenienſis, diuino ingenio, octuaginta Comœdiarum ſcriptor. Quintil. fin. lib. 8. Menander, inquit, meo iudicio diligenter lectus ad cuncta, quæ præcipimus, efficienda ſufficit. Ita omnium imaginem in vita expreſſit, tanta in eo inueniendi copia & eloquendi

An. Magis istuc dices, si totam audieris. Faunus domum se recepit, narrare cupiens quid audisset. Polus alia via compendiaria iam anteuerterat. Ibi Faunus narrat Polo, quod erat actum, & aliquid etiam affingit, quo res esset admirabilior. *Th.* Poterat interim Polus tenere risum? *An.* Hlene? Vultum habet in manu. Dixisses rem serio agi. Tandem Faunus, vehementer obtestante Polo, suscepit negotium exorcismi[14], ac totam eam noctem agit insomnem, dum dispicit quibus modis rem aggrederetur tuto: nam sibi quoque misere metuebat. Primum itaque congesti sunt exorcismi efficacissimi[15], & additi noui nonnulli per viscera beatæ

facultas; ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus, vt omnibus eiusdem operis autoribus tenebras obduxerit. Nomen fabulæ cuiusdam inter alias Phasma est, in qua nouerca adolescenti, virginem, quam ex vicino quodam conceperat, furtim educatam, cum haberet in latebris apud vicinum proximum, clam ostendit. Parietem namque, qui medius inter domum mariti & vicini fuerat, ita perfodit, vt in ipso transitu sacrum locum esse simularet. Cumque transitum intenderet sertis & fronde felici, rem diuinam sæpe faciens euocabat ad se virginem. Quod cum animaduertisset adolescens, primum aspectu pulchræ virginis, velut Numinis visu perculsus exhorruit: vnde Phasma est nomen fabulæ. Deinde paulatim re cognita exarsit in amorem puellæ, ita vt remedium tantæ cupiditatis, nisi ex nuptiis, non reperiretur. Ita ex commodo matris & virginis & ex voto amatoris consensuque Patris nuptiarum celebratione finem accipit fabula. Vide Donatum in Prologum Eunuchi. 14 Exorcistam agit, cuius officium esse perhibetur legere exorcismos Ecclesiæ super energumenis. 15 Exorcismorum variorum formulas collegit & in vnum corpus redegit, ediditque sub titulo *Manualis Exorcismorum*, Maximilianus ab Einatten. Prostat & aliud quoddam va-

tæ Mariæ, per ossa beatæ Werenfridæ. Deinde delectus est locus in planitie vicina vepreto, vnde vox exaudiebatur: circumductus est circulus satis amplus, qui crebras haberet cruces, variasque notulas[16]. Hæc omnia peragebantur verbis conceptis[17]. Adhibitum est vas ingens plenum aquæ consecratæ. Addita est in collum sacra stola, quam vocant, vnde pendebat initium Euangelii secundum Ioannem. In loculis habebat cerulam, a Romano Pontifice quotannis consecrari solitam, quæ vulgo dicitur Agnus Dei[18]. His armis olim se mu-

vastum opus, quod Colon. prodiit sub titulo *Thesauri terribilium Exorcismorum*, sæpe memoratum Voetio P. III. Disputat. Selectarum Disputatione de Exorcismo. Vide Nicolai Petri Sibbern Holsati Schediasma de Libris Latinorum Ecclesiasticis p. 59. Adhibent autem Pontificii Exorcismos (1) in consecrandis variis creaturis, oleo, sale, aqua, frondibus, floribus &c. (2) in expellendis Dæmonibus ab hominibus obsessis, (3) in adiurandis Spiritibus apparentibus. Vide Gerhardi Disputat. Theolog. Ienens. p. 337. P. I. Disput. III. Conf. Confess. Cathol. Tom. III. p. 242. de Exorcistis. 16 characteres Magicos, figuras Magicas, Zodiaci signa & Planetarum, vocabula obscuriora, verba Ebraica; vt sunt, qui verba ex Genes. III. primæ promissionis pro Diabolo spectrisque profligandis parietibus & ianuis inscribunt. 17 Illis fortasse, quibus Diabolum aut spectra adiurare solent: Domine Iesu Christe omnium secretorum cognitor, permisisti ex hoc loco spiritum quendam se ostendere; digneris, obsecro, præcipere, vt sine terrore ac læsione se reuelet, significans famulo tuo, quis sit & cur venerit quidque petat. Vide Disputat. Gerhardi l. cit. 18 Facta hæc sunt exactissime secundum Wieri de Præstig. Dæmon. lib. I. c. 13. præscriptum, vbi ex Iacobi de Chusa Chartusiani libro de Apparitionibus Spirituum ita præcipit: Primo, inquit, fiat ieiunium trium dierum cum aliquibus

muniebant aduersus noxios dæmones, prius quam illis Francisci cucullà cœpit esse formidabilis [19]. Hæc omnia procurata sunt, ne, si spiritus malus esset, impetum faceret in exorcistam. Nec tamen ausus est sesolum huic circulo committere; sed decretum est, adhibendum esse sacerdotem alte-rum.

Missarum celebrationibus & deuotis orationibus, accersantur deinde quatuor aut quinque Sacerdotes deuoti, qui ad locum accedant, in quo Spiritus se ostendere consueuit, certis cum ceremoniis. Afferatur candela in die Purificationis benedicta accensa, aqua benedicta & signum crucis, & si placet thuribulum cum thure. Stola etiam sancta non videtur esse inutilis. In accedendo orent septem Psalmos ac Euangelium S. Iohannis. Nempe Historiam Euangelicam Iohannis, præsertim primum caput minutis literarum characteribus describunt quoque, eique a collo suspenso tribuunt vim fugandi Dæmones, febres, fulgurum incensiones &c. Agnum cereum Vrbanus V. a se consecratum circa annum 1368. Imperatori Græcorum Palæologo cum his versibus in triplo dono misit:

Balsamus & cera munda cum chrismatis vnda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum per mystica sanctificatum,
Fulgura desursum depellit & omne malignum,
Peccatum frangit, vt Christi sanguis, & angit;
Pregnans seruatur simul & partus liberatur.
Dona refert dignis, virtutem destruit ignis,
Portatus munde de fluctibus eripit vnde.

19 Temporum lapsu homines superstitiosi diuinam vestibus vim inesse putarunt. Hinc Franciscus II. Mantuæ Dux testamento cauerat, vt Franciscani indumento mandaretur terræ. Nec aliter sepeliri voluit Ciceronianissimus, vt Viues lib. 4. de Discipl in. eum vocat, Christophorus Longolius, simiolus Ciceronis alibi dictus, cum Patauii die 7. Sept. 1522. obiret. Freherus in Theatro P. IV. p. 1439.

rum. Ibi Polus metuens, ne, si nasutior adiunctus fuisset, proderetur fabulæ mysterium, adiungit parochum quendam ex vicinia, cui rem totam aperit: sic enim postulabat actio fabulæ; & erat is qui a tali ludo non abhorreret. Postridie rebus omnibus rite præparatis, sub horam decimam Faunus cum parocho circulum ingreditur. Polus, qui præcesserat [20], e vepreto gemit miserabiliter. Faunus auspicatur exorcismum. Interim Polus clam per tenebras subducit se in villam proximam. Illinc adducit aliam personam fabulæ: nec enim poterat nisi per multos agi. *Th.* Quid faciunt? *An.* Conscendunt equos nigros, ignem occultum secum ferunt. Vbi non procul abessent a circulo, ignem ostentant [21], quo metu Faunum abigerent e circulo. *Th.* Quantum operæ sumsit Polus ille, vt falleret! *An.* Sic est homo. Verum ea res propemodum pessime cesserat illis. *Th.* Qui sic? *An.* Nam equi subito prolato igne consternati, parum abfuit quin & se præcipitarent, & sessores [22]. Habes primum [23] actum fabulæ. Vbi reditum est in colloquium, Polus velut ignarus omnium, rogat quid esset actum. Ibi Faunus narrat, sibi conspectos duos teterrimos cacodæmones [24], in nigris equis, oculis igneis, ac naribus spirantes ignem, qui ten-

20 præierat, prior abierat, eo se contulerat. 21 monstrant. 22 Elegans verborum interpositio notari meretur seu vocum Synchysis, pro: Parum abfuit, quin equi subito igne prolato consternati &c. 23 Habet autem actus quinque, secundum illud:

Neue minor quinto, neu sit productior actu
Fabula.

24 *Δαίμων* est vocabulum *ἐν τῷ μέσῳ* & pro genio vel ange-

tentassent ingredi circulum, verum efficacibus verbis abactos in malam rem [25]. His rebus cum accreuisset animus Fauno, postero die summo cum apparatu rediit in circulum: cumque diu multis obtestationibus prouocasset spectrum, Polus rursum cum collega suo procul ostendit sese ex equis atris horrendo fremitu quasi cuperent irrumpere in circulum. *Th.* Nihil habebant ignis? *An.* Nihil; nam id male cesserat. Sed audi aliud commentum. Ducebant longum funem: eo leuiter per humum tracto, dum hinc atque hinc vterque se proripit [26], velut abacti exorcismis Fauni, sacerdotem vtrumque, vna cum vase quod habebant aquae sacrae plenum, prouoluunt in terram. *Th.* Hoc praemii tulit pro sua actione parochus? *An.* Tulit: & tamen maluit hoc perpeti, quam deserere coeptam fabulam. His ita gestis, vbi reditum est ad colloquium, depraedicat apud Polum Faunus, quanto fuisset in periculo, & quam fortiter vtrumque cacodaemonem suis verbis profligasset: iamque certam conceperat fiduciam, nullum esse tam noxium aut impudentem daemonem, qui posset in circulum irrumpere. *Th.* Faunus ille non multum abest a fatuo. *An.* Nihil adhuc audisti. Hucusque progressa fabula, commodum [27] superuenit Poli gener: nam

---

lo siue bono siue malo accipitur; vnde differentiae causa additur Epitheton κακῦ, quod coalescens cum Substantiuo facit: κακοδαίμων, malus genius, diabolus. 25 imprecandi formula est, abire iubere, abigere in malam rem. Terent. in Andr. II, 1, 18. & Phormione Act. V. sc. 7. Verbannen/ verwüntschen. 26 latenter & furtim rapit. 27 sat opportune, tempestiue.

nam eius filiam duxerat natu maximam: iuuenis, vt ſcis, ingenio mire feſtiuo. *Th.* Scio: nec abhorrens ab huiusmodi iocis. *An.* Abhorrens? Nullum ille vadimonium non [28] deſereret, ſi talis vel ſpectanda, vel agenda eſſet fabula. Huic ſocer rem omnem denarrat, atque illi delegat partes, vt animam agat. Sumit ornatum, ac lubens; conuoluit ſe linteo, quemadmodum apud nos ſolent funera: habet prunam viuam [29] in teſta [30], quæ per linteum reddebat ſpeciem incendii. Sub noctem itum eſt ad locum, vbi hæc agebatur fabula. Audiuntur miri gemitus. Faunus expedit [31] exorciſmos omnes. Tandem procul inter vepretum oſtendit ſeſe anima, ſubinde oſtentans ignem, ac miſere ſuſpirans. Hanc cum Faunus obteſtaretur [32], vt eloqueretur quisnam eſſet, ſubito proſiliit è vepreto Polus ornatu cacodæmonis, fictoq; fremitu: *Nihil*, inquit, *tibi iuris eſt in hanc animam: mea eſt;* ac ſubinde procurrit vsque ad oram circuli, velut impetum facturus in exorciſtam; moxque velut ſubmotus verbis exorciſmi, & vi aquæ ſacræ, quam illi multam aſperſit, retroceſſit. Tandem abacto pædagogo * dæmone, naſcitur dialogiſmus [33] Fauni cum anima. Percunctanti, & obteſtan-

28 Vadimonium, ſponſionem quamcunque factam comparendi ad dictum diem, id eſt, grauiſſimum quodque negotium. Er ließe alles ſtehn und liegen/ ſetzte die wichtigſten Geſchäffte bey Seite. 29 ardentem, micantem, corruſcantem. 30 vaſe figulino, vaſculo. 31 promit, expromit. 32 adiuraret, incantationibus adoriretur. * Qui ſeruabat animam, nec ab ea diſcedebat. Sic Terentius Phædriam vocat puellæ pædagogum. 33 colloquium, confabulatio, dialogus, ſermocinatio.

ſtanti, reſpondit ſe eſſe animam hominis Chriſtiani. Rogata, quo nomine vocaretur, reſpondit; Faunus. Faunus, inquit, idem mihi nomen eſt. Iamque ex communi nomine res cœpit illi magis eſſe cordi, vt Faunus Faunum [34] liberaret. Cum Faunus multa percunctaretur, ne diutina confabulatio proderet fucum [35], ſubducebat ſeſe anima, negans ſibi fas eſſe diutius colloqui, quod tempus vrgeret, quo cogeretur abire, quo liberet [36] dæmoni; pollicita tamen eſt ſeſe poſtridie redituram hora qua fas eſſet. Rurſus conuenitur in ædibus Poli, qui choragus * erat fabulæ. Ibi denarrat exorciſta quid eſſet geſtum, nonnulla etiam admentiens [37], quæ ſibi tamen perſuadebat eſſe vera. Adeo fauebat negotio quod agebatur. Iam hoc compertum [38] erat, ſcilicet, animam eſſe Chriſtianam [39], quæ

34 Faunus alter alterum. 35 verſutiam, aſtum, aſtutiam, fallaciam. 36 libitum eſſet. * Qui producit ac reducit perſonas in fabulis, quaſi præfectus fabulæ. 37 mendacia adiungens, ſuperaddens. 38 certum, indubitatum, veriſſimum. 39 Gregor. Nyſſenus: Non ea eſt animarum iam natura, vt oculis conſpici poſſint. Neque Diabolus animas demortuorum in hanc vitam aut reuocare, aut reditum concedere ipſis poteſt, Luc. XVI. v. 26. ſq. Ex inferno nulla datur redemptio. Purgatorium autem purum putum figmentum eſt. Marco Bruto formidabilis imago quæſita: num Spiritus eſſet, vel aliquis Deorum & quid vellet? occulto murmure reſpondit: Diabolus ſum & ſpiritus malus: Philippis denuo me videbis. Hinc perterritus Brutus infelicem belli exitum verebatur; nec falſo, vt refert Plutarchus. Idem valet de ſpectris aliis, Diaboli ſunt apparitiones & territiones externæ, quibus corpus aut aliud quid in ſenſus incurrens ſibi aſſumit, vt homines, animalia,

quæ ſub inclementiſſimo dæmone diris cruciatibus vexaretur. Huc omnis conatus intenditur. Verum in exorciſmo proximo ridiculum quiddam accidit. *Th.* Obſecro quidnam? *An.* Cum Faunus evocaſſet animam, Polus, qui dæmonem agebat, prorſus ſic aſſiliit, quaſi intra circulum irrupturus: cumque contra Faunus pugnaret exorciſmis, multamque vim aquæ aſpergeret, tandem exclamat dæmon, ſe ne pili quidem facere iſta omnia: Rem, inquit, habuiſti cum puella; mei iuris es. Id cum Polus ioco diceret, tamen forte fortuna verum dixiſſe viſus eſt: nam exorciſta hoc dicto tactus, ilico recepit ſe in centrum circuli, & neſcio quid immuſſauit in aurem parocho [40]. Id Polus ſentiens, recepit ſeſe, ne quid audiret, quod audire fas non eſſet [41]. *Th.* Sane Polus religioſum ac verecundum agebat dæmonem. *An.* Sic eſt, reprehendi poterat actio, quod parum meminiſſet decori. Exaudivit tamen parochi vocem indicentis ſatisfactionem. *Th.* Quam? *An.* Vt ter diceret preca-

aut alias res quaſcunque infeſtet. Vide Schediaſma Polemicum Caroli Friderici Romani expendens Quæſtionem: an dentur Spectra, Magi & Sagæ. Lipſ. 1710. excuſum. Item Caſp. Eraſmi Brochmandi Prof. Hafnienſis Religionis Chriſtianæ Articulus de Angelis bonis & malis, de ſpectris & obſeſſis, Quæſt. 16. & 18. an dentur & qu d ſint ſpectra? quibus potiſſimum in locis ſe videnda exhibeant? quos homines maxime infeſtent? quibus denique de cauſis turbas excitent & moleſtias? Hafn. 1629. typ. Salom. Sartorii in 8. cum oratione de vita & obitu Caſp. Bartolini excuſus conferatur. 40 Confeſſionem auricularem, vt abſolveretur a crimine. 41 vni ſacrificulo ſemotis omnibus arbitris confeſſio illa auricularis fieri debet.

cationem dominicam: ex hoc coniiciebat, illum ter habuisse rem eadem nocte [42]. *Th.* Hoc sane regularis ille præter regulam [43]. *An.* Homines sunt, & lapsus erat humanus. *Th.* Perge: quid deinde factum. *An.* Iam Faunus ferocior redit ad oram circuli, & vltro prouocat dæmonem. At ille iam timidior refugiebat. *Fefellisti me*, inquiens: *si sapuissem, non monuissem te.* Persuasum est hoc multis, quæ semel sacerdoti confessus sis, prorsus abolita esse e memoria dæmonis, ne possit opprobrare. *Th.* Iocum plane ridiculum narras. *An.* Sed, vt aliquando finiam fabulam, diebus aliquot hunc in modum colloquium habitum est cum anima. Summa huc euasit. Roganti exorcistæ, *num qua via posset a cruciatu liberari*; respondit illa, *posse, si pecunia, quam reliquisset fraude partã, restitueretur.* Ibi Faunus, *Quid*, inquit, *si per bonos viros dispensaretur in pios vsus?* Respondit, & hoc profuturum. Heic exhilaratus exorcista, summa diligentia percunctatus est, quanta esset summa. Illa dixit, *ingentem*; quod illi erat bonum atque commodum. Indicauit & locum, sed procul dissitum, vbi thesaurus heic defossus esset. Præscripsit in quos vsus vellet impendi. *Th.* In quos? *An.* Vt tres susciperent peregrinationem, quorum vnus adiret limina Petri, [44] alter iret salutatum Iaco-

42 Pro delictorum grauitate pœna satisfactoria iniungitur.
43 perpetrauerat, deliquerat. 44 Intelligit Basilicam D. Petri in Vaticano Romæ, a Cleto exstructam, a Constantino M. amplificatam, a Iulio II. nouo augmento renouatam, a Paulo V. forma & magnificentia exornatam.

cobum Compostellanum [45], tertius osculare tur pe-ctinem [46] Iesu, qui est Treueris [47]. Deinde per a-liquot

45 Iacobus Maior Zebedei & Salomes filius an Hispaniam adierit a Toletano & Compostellano Episcopis circa æram Chr. 816. in ipso concilio Lateranensi disputatum est; quorum ille id negauit. Negauit ipse Baronius in Annalibus, confirmauit in Martyrologio. Coli nimirum sub Alphonso Casto paulo ante annum dictum 816. corpus Apostoli cœptum est & locus peregrinationibus frequentari, ipsaque Leonis III. Papæ Decretali Epistola fabula inuenti & illuc translati corporis est adornata. Quidam enim a discipulis eius corpus integrum naui impositum sine remis & velis Angelo Duce in Galliciam Compostellam Hispaniæ translatum esse dicunt 8 Calend. Aug. Cum autem terræ appulissent, & corpus super magnum lapidem posuissent, tunc, aiunt, lapidem vt ceram corpori cessisse; Postea vero Lupam reginam adiisse his verbis: Iesus Christus mittit ad te corpus discipuli sui, vt quem noluisti suscipere viuum, suscipias defunctum. Mox reginam ad fidem conuersam ex suo palatio D. Iacobo templum dedicasse eumque ibi sepeliuisse perhibent. Petr. de Nat. lib. VI. c. 133. Iacob de Voragine leg. 94. 46 Pecten Christi reponendus est inter alias reliquias, quibus credulæ plebi Papicolæ misere illudunt, vt dens Christophori pugno maior, nonnihil de lapide super quo Iacob dormiuit, linteum a Pastoribus ad Christum infantem allatum, Georgii gladius & brachium, quo Draconem occidit. Quid dicturus fuisset Hieronymus, inquit Erasmus in Annotat. ad cap. 23. Matth. p. 71. si videat hodie passim ad quæstum ostentari lac Mariæ, prodigiosum oleum, fragmentula ligni crucis tam multa, vt si in aceruum redigantur vix vna nauis oneraria vehat; hic ostentari Francisci cucullam, alibi pectinem Annæ, alibi caligam Ioseph, alibi calceum Thomæ Cantuariensis? 47 Treuiris sua antiquitate Romam superare dicitur. Hinc versiculus: Ante Romam Treuiris centum fuit octo viginti. Monstratur hic tunica Christi inconsutilis; monstrantur cubi, quibus milites sub cruce luserunt.

liquot monasteria magna vis psalteriorum [48], ac missarum perageretur. Quod superesset, ipse pro suo arbitratu dispensaret. Iam totus erat in thesauro Fauni animus; illum toto pectore deuorat. *Th.* Vulgaris morbus est, quanquam hoc nomine peculiariter male audiunt sacerdotes [49]. *An.* Vbi nihil esset omissum, quod ad pecuniæ negotium pertineret, exorcista submonitus a Polo, cœpit animam de curiosis artibus percunctari, de alcumistica [50], deque magia [51]. Et ad hæc anima quædam respondit pro tempore, cæterum pollicita, se plura indicaturam, simul atque illius opera liberata fuisset a Pædagogo dæmone. Sit hic, si videtur, tertius fabulæ actus. In quarto Faunus cœpit vbique se.

48 Petri Damiani temporibus Monachos fuisse, qui nouies de die integrum recitarent Psalterium Anonymus obseruat in Tractatu de Antiquo ritu Precandi stando diebus festis & Dominicis atque durante Paschate Delphis 1700. in 8. impresso, cuius mentionem faciunt Acta Erudit. Lips. mens. Martio 1701. p. 131. Floruit autem Petrus Damiani frater Sec. XI. Monachus ordinis S. Benedicti. 49 Quantopere auro inhient etiam illi, quibus nefas aurum tractare, Scaliger loquitur, dum canit:

Quibus fuere dura saxa ceruical
Cauata rupes dormientibus cella:
Nunc inter aulæ viperas cateruatim
Sues cruore pauperum saginantur.

50 arte aurum vel argentum conficiendi vel aurum a cupro separandi. 51 rerum abditarum scientia; de qua vide Thomæ Stanleii Historiam Philos. Oriental. lib. I. c. 24. sqq. Sect. II.

ſerio prædicare rem prodigioſam, nihil aliud crepare in colloquiis, in conuiuiis; polliceri monaſteriis magnifica quædam: & omnino nihil iam humile loquebatur. Adiit locum, reperit ſigna, non auſus tamen eſt effodere theſaurum, quod anima iniecifſet ſcrupulum, ingenti periculo factu- rum, ſi prius, quam eſſent peractæ miſſæ, theſaurus attingeretur. Iam multis naſutioribus ſubo'ebat fucus [52]. Cum tamen ille nusquam non deprædicaret ſuam ſtultitiam, clam admonitus eſt ab amicis, præſertim ab Abbate ſuo, ne qui hactenus habitus eſſet vir prudens, nunc diuerſam de ſe ſpeciem daret omnibus. Ille tamen nullius oratione potuit commoueri, quo minus crederet, rem eſſe ſeriam: adeoque penitus hæc imaginatio occupauit animum hominis, vt præter ſpectra & malos genios nihil loqueretur. Abierat mentis habitus in ipſam faciem, quæ ſic pallebat [53], ſic erat extenuata, ſic deiecta, vt laruam eſſe diceres, non hominem. Quid multis? minimum aberat [54] a vera dementia, ni celeri remedio ſuccurſum fuiſſet. *Th.* Nimirum hic erit extremus actus fabulæ. *An.* Eum tibi reddam [55]. Polus & huius gener huiusmodi technam

52 a doctioribus ſentiebatur fraus; perſpicaciores, intelligentiores, prudentiores, technas peruiderunt. 53 Qui timent, pallent; vnde Ouid. l. 6. Faſt.

Horrueram, tacitoque animum pallore fatebar.

Imago animi vultus eſt, indices oculi. Cic. de clar. Orat. III. † 211. edit. Schreuel. p. 137. Oculos natura nobis vt equo & leoni ſetas, caudam, aures ad motus animorum declarandos dedit. p. 138. 54 remotus, ſeiunctus erat, diſtabat. 55 dabo, enarrabo.

nam commenti sunt. Effinxerunt epistolam raris [56] litteris descriptam, idque non in chartis vulgaribus, sed in his, in quibus aurifices reponunt bracteas [57] auri, subrubentibus, vt scis, luto [58]. Epistolæ sententia hæc erat: *Faunus dudum captiuus, nunc liber, Fauno liberatori suo optimo salutem æternam. Non est, mi Faune, cur te diutius in hoc negotio maceres; respexit Deus animi tui piam voluntatem, & illius merito me liberauit a suppliciis: ego nunc feliciter ago inter angelos. Te manet locus apud diuum Augustinum, qui proximus est Apostolorum choro. Vbi veneris ad nos, agam tibi gratias coram. Interim cura vt viuas suauiter. Datum e cœlo empyreo* [59], *Idibus Septembribus, anno millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo, sub sigillo annuli mei.* Hæc epistola clam posita est in altari, vbi facturus erat rem diuinam [60] Faunus. Ea peracta subornatus est, qui eum submoneret de re, quasi casu deprehensa. Nunc eam circumfert epistolam, & ostentat ceu rem sacram: nihilque credit certius, quam eam e cœlo perlatam ab angelo [61].

Th.

56 elegantioribus, nitidis, artificiose effictis. 57 Die Gold-Blätchen. 58 subrubere luto id est, aliquantulum, paululum rubere croco. gelblicht roth/ röthlicht gelbe seyn. 59 vndecimo, supremo, primo; Dei & beatorum Spirituum sede ignea primo die, primoque instanti creationis producta ac supra firmamentum locata; quale beatorum domicilium vel ipsius DEI palatium, dulce Scholasticorum sine somno somnium, Caluinianorumq; quoq; & Pontificiorum plerorumq; omnino figmentum est, vt solide euincunt Theologi Lutheranæ Ecclesiæ, Quenstedius in Syst. P. I. c. X. Sect. II. p. 439. seqq. Brentius, Hutterus, Meisnerus, aliique. 60 sacris operaturus, missam celebraturus. 61 qualis delapsa

rum. Ibi Polus metuens, ne, si nasutior adiunctus fuisset, proderetur fabulæ mysterium, adiungit parochum quendam ex vicinia, cui rem totam aperit: sic enim postulabat actio fabulæ; & erat is qui a tali ludo non abhorreret. Postridie rebus omnibus rite præparatis, sub horam decimam Faunus cum parocho circulum ingreditur. Polus, qui præcesserat [20], e vepreto gemit miserabiliter. Faunus auspicatur exorcismum. Interim Polus clam per tenebras subducit se in villam proximam. Illinc adducit aliam personam fabulæ: nec enim poterat nisi per multos agi. *Th.* Quid faciunt? *An.* Conscendunt equos nigros, ignem occultum secum ferunt. Vbi non procul abessent a circulo, ignem ostentant [21], quo metu Faunum abigerent e circulo. *Th.* Quantum operæ sumsit Polus ille, vt falleret! *An.* Sic est homo. Verum ea res propemodum pessime cesserat illis. *Th.* Qui sic? *An.* Nam equi subito prolato igne consternati, parum abfuit quin & se præcipitarent, & sessores [22]. Habes primum [23] actum fabulæ. Vbi reditum est in colloquium, Polus velut ignarus omnium, rogat quid esset actum. Ibi Faunus narrat, sibi conspectos duos teterrimos cacodæmones [24], in nigris equis, oculis igneis, ac naribus spirantes ignem, qui ten-

20 præierat, prior abierat, eo se contulerat. 21 monstrant. 22 Elegans verborum interpositio notari meretur seu vocum Synchysis, pro: Parum abfuit, quin equi subito igne prolato consternati &c. 23 Habet autem actus quinque, secundum illud:

Neue minor quinto, neu sit productior actu
Fabula.

24 *Δαίμων* est vocabulum [illegible] *μέσον* & pro genio vel ange-

tentassent ingredi circulum, verum efficacibus verbis abactos in malam rem[25]. His rebus cum accreuisset animus Fauno, postero die summo cum apparatu rediit in circulum: cumque diu multis obtestationibus prouocasset spectrum, Polus rursum cum collega suo procul ostendit sese ex equis atris horrendo fremitu quasi cuperent irrumpere in circulum. *Th.* Nihil habebant ignis? *An.* Nihil; nam id male cesserat. Sed audi aliud commentum. Ducebant longum funem: eo leuiter per humum tracto, dum hinc atque hinc vterque se proripit[26], velut abacti exorcismis Fauni, sacerdotem vtrumque, vna cum vase quod habebant aquæ sacræ plenum, prouoluunt in terram. *Th.* Hoc præmii tulit pro sua actione parochus? *An.* Tulit: & tamen maluit hoc perpeti, quam deserere cœptam fabulam. His ita gestis, vbi reditum est ad colloquium, deprædicat apud Polum Faunus, quanto fuisset in periculo, & quam fortiter vtrumque cacodæmonem suis verbis profligasset; iamque certam conceperat fiduciam, nullum esse tam noxium aut impudentem dæmonem, qui posset in circulum irrumpere. *Th.* Faunus ille non multum abest a fatuo. *An.* Nihil adhuc audisti. Hucusque progressa fabula, commodum[27] superuenit Poli gener: nam

---

lo sive bono siue malo accipitur; vnde differentiæ causa additur Epitheton κακῦ, quod coalescens cum Substantiuo facit: κακοδαίμων, malus genius, diabolus. 25 imprecandi formula est, abire iubere, abigere in malam rem. Terent. in Andr. II, 1, 18. & Phormione Act. V. sc. 7. Verbannen/ verwünschen. 26 latenter & furtim rapit. 27 sat opportune, tempestiue.

nam eius filiam duxerat natu maximam: iuuenis, vt ſcis, ingenio mire feſtiuo. *Th.* Scio: nec abhorrens ab huiusmodi iocis. *An.* Abhorrens? Nullum ille vadimonium non [28] deſereret, ſi talis vel ſpectanda, vel agenda eſſet fabula. Huic ſocer rem omnem denarrat, atque illi delegat partes, vt animam agat. Sumit ornatum, ac lubens; conuoluit ſe linteo, quemadmodum apud nos ſolent funera: habet prunam viuam [29] in teſta [30], quæ per linteum reddebat ſpeciem incendii. Sub noctem itum eſt ad locum, vbi hæc agebatur fabula. Audiuntur miri gemitus. Faunus expedit [31] exorciſmos omnes. Tandem procul inter vepretum oſtendit ſeſe anima, ſubinde oſtentans ignem, ac miſere ſuſpirans. Hanc cum Faunus obteſtaretur [32], vt eloqueretur quisnam eſſet, ſubito proſiliit è vepreto Polus ornatu cacodæmonis, fictoq; fremitu: *Nihil*, inquit, *tibi iuris eſt in hanc animam: mea eſt;* ac ſubinde procurrit vsque ad oram circuli, velut impetum facturus in exorciſtam; moxque velut ſubmotus verbis exorciſmi, & vi aquæ ſacræ, quam illi multam aſperſit, retroceſſit. Tandem abacto pædagogo * dæmone, naſcitur dialogiſmus [33] Fauni cum anima. Percunctanti, & obteſtan-

---

28 Vadimonium, ſponſionem quamcunque factam comparendi ad dictum diem, id eſt, grauiſſimum quodque negotium. Er lieſſe alles ſtehn und liegen/ ſetzte die wichtigſten Geſchäffte bey Seite. 29 ardentem, micantem, corruſcantem. 30 vaſe figulino, vaſculo. 31 promit, expromit. 32 adiuraret, incantationibus adoriretur. * Qui ſeruabat animam, nec ab ea diſcedebat. Sic Terentius Phædriam vocat puellæ pædagogum. 33 colloquium, confabulatio, dialogus, ſermocinatio.

ſtanti, reſpondit ſe eſſe animam hominis Chriſtiani. Rogata, quo nomine vocaretur, reſpondit; Faunus. Faunus, inquit, idem mihi nomen eſt. Iamque ex communi nomine res cœpit illi magis eſſe cordi, vt Faunus Faunum [34] liberaret. Cum Faunus multa percunctaretur, ne diutina confabulatio proderet fucum [35], ſubducebat ſeſe anima, negans ſibi fas eſſe diutius colloqui, quod tempus vrgeret, quo cogeretur abire, quo libéret [36] dæmoni; pollicita tamen eſt ſeſe poſtridie redituram hora qua fas eſſet. Rurſus conuenitur in ædibus Poli, qui choragus * erat fabulæ. Ibi denarrat exorciſta quid eſſet geſtum, nonnulla etiam admentiens [37], quæ ſibi tamen perſuadebat eſſe vera. Adeo fauebat negotio quod agebatur. Iam hoc compertum [38] erat, ſcilicet, animam eſſe Chriſtianam [39], quæ

---

34 Faunus alter alterum. 35 verſutiam, aſtum, aſtutiam, fallaciam. 36 libitum eſſet. * Qui producit ac reducit perſonas in fabulis, quaſi præfectus fabulæ. 37 mendacia adiungens, ſuperaddens. 38 certum, indubitatum, veriſſimum. 39 Gregor. Nyſſenus: Non ea eſt animarum iam natura, vt oculis conſpici poſſint. Neque Diabolus animas demortuorum in hanc vitam aut reuocare, aut reditum concedere ipſis poteſt, Luc. XVI. v. 26. ſq. Ex inferno nulla datur redemptio. Purgatorium autem purum putum figmentum eſt. Marco Bruto formidabilis imago quæſita: num Spiritus eſſet, vel aliquis Deorum & quid vellet? occulto murmure reſpondit: Diabolus ſum & ſpiritus malus: Philippis denuo me videbis. Hinc perterritus Brutus infelicem belli exitum verebatur; nec falſo, vt refert Plutarchus. Idem valet de ſpectris aliis, Diaboli ſunt apparitiones & territiones externæ, quibus corpus aut aliud quid in ſenſus incurrens ſibi aſſumit, vt homines, animalia,

quæ ſub inclementiſſimo dæmone diris cruciatibus vexaretur. Huc omnis conatus intenditur. Verum in exorciſmo proximo ridiculum quiddam accidit. *Th.* Obſecro quidnam? *An.* Cum Faunus evocaſſet animam, Polus, qui dæmonem agebat, prorſus ſic aſſiliit, quaſi intra circulum irrupturus: cumque contra Faunus pugnaret exorciſmis, multamque vim aquæ aſpergeret, tandem exclamat dæmon, ſe ne pili quidem facere iſta omnia: Rem, inquit, habuiſti cum puella; mei iuris es. Id cum Polus ioco diceret, tamen forte fortuna verum dixiſſe viſus eſt: nam exorciſta hoc dicto tactus, ilico recepit ſe in centrum circuli, & neſcio quid immuſſauit in aurem parocho [40]. Id Polus ſentiens, recepit ſeſe, ne quid audiret, quod audire fas non eſſet [41]. *Th.* Sane Polus religioſum ac verecundum agebat dæmonem. *An.* Sic eſt, reprehendi poterat actio, quod parum meminiſſet decori. Exaudivit tamen parochi vocem indicentis ſatisfactionem. *Th.* Quam? *An.* Vt ter diceret preca-

aut alias res quaſcunque infeſtet. Vide Schediaſma Polemicum Caroli Friderici Romani expendens Quæſtionem: an dentur Spectra, Magi & Sagæ. Lipſ. 1710. excuſum. Item Caſp. Eraſmi Brochmandi Prof. Hafnienſis Religionis Chriſtianæ Articulus de Angelis bonis & malis, de ſpectris & obſeſſis, Quæſt. 16. & 18. an dentur & quid ſint ſpectra? quibus potiſſimum in locis ſe videnda exhibeant? quos homines maxime infeſtent? quibus denique de cauſis turbas excitent & moleſtias? Hafn. 1629. typ. Salom. Sartorii in 8. cum oratione de vita & obitu Caſp. Bartolini excuſus conferatur. 40 Confeſſionem auricularem, vt abſolveretur a crimine. 41 vni ſacrificulo ſemotis omnibus arbitris confeſſio illa auricularis fieri debet.

cationem dominicam: ex hoc coniiciebat, illum ter habuisse rem eadem nocte [42]. *Th.* Hoc sane regularis ille præter regulam [43]. *An.* Homines sunt, & lapsus erat humanus. *Th.* Perge: quid deinde factum. *An.* Iam Faunus ferocior redit ad oram circuli, & vltro prouocat dæmonem. At ille iam timidior refugiebat. *Fefellisti me*, inquiens: *si sapuissem, non monuissem te.* Persuasum est hoc multis, quæ semel sacerdoti confessus sis, prorsus abolita esse e memoria dæmonis, ne possit opprobrare. *Th.* Iocum plane ridiculum narras. *An.* Sed, vt aliquando finiam fabulam, diebus aliquot hunc in modum colloquium habitum est cum anima. Summa huc euasit. Roganti exorcistæ, *num qua via posset a cruciatu liberari*; respondit illa, *posse, si pecunia, quam reliquisset fraude partã, restitueretur.* Ibi Faunus, *Quid*, inquit, *si per bonos viros dispensaretur in pios vsus?* Respondit, & hoc profuturum. Heic exhilaratus exorcista, summa diligentia percunctatus est, quanta esset summa. Illa dixit, *ingentem*; quod illi erat bonum atque commodum. Indicauit & locum, sed procul dissitum, vbi thesaurus heic defossus esset. Præscripsit in quos vsus vellet impendi. *Th.* In quos? *An.* Vt tres susciperent peregrinationem, quorum vnus adiret limina Petri, [44] alter iret salutatum Iaco-

42 Pro delictorum grauitate pœna satisfactoria iniungitur. 43 perpetrauerat, deliquerat. 44 Intelligit Basilicam D. Petri in Vaticano Romæ, a Cleto exstructam, a Constantino M. amplificatam, a Iulio II. nouo augmento renouatam, a Paulo V. forma & magnificentia exornatam.

cobum Compostellanum [45], tertius oscularetur pectinem [46] Iesu, qui est Treueris [47]. Deinde per aliquot

45 Iacobus Maior Zebedei & Salomes filius an Hispaniam adierit a Toletano & Compostellano Episcopis circa æram Chr. 816. in ipso concilio Lateranensi disputatum est; quorum ille id negauit. Negauit ipse Baronius in Annalibus, confirmauit in Martyrologio. Coli nimirum sub Alphonso Casto paulo ante annum dictum 816. corpus Apostoli cœptum est & locus peregrinationibus frequentari, ipsaque Leonis III. Papæ Decretali Epistola fabula inuenti & illuc translati corporis est adornata. Quidam enim a discipulis eius corpus integrum naui impositum sine remis & velis Angelo Duce in Galliciam Compostellam Hispaniæ translatum esse dicunt 8 Calend. Aug. Cum autem terræ appulissent, & corpus super magnum lapidem posuissent, tunc, aiunt, lapidem vt ceram corpori cessisse; Postea vero Lupam reginam adiisse his verbis: Iesus Christus mittit ad te corpus discipuli sui, vt quem noluisti suscipere viuum, suscipias defunctum. Mox reginam ad fidem conuersam ex suo palatio D. Iacobo templum dedicasse eumque ibi sepeliuisse perhibent. Petr. de Nat. lib. VI. c. 133. Iacob de Voragine leg. 94. 46 Pecten Christi reponendus est inter alias reliquias, quibus credulæ plebi Papicolæ misere illudunt, vt dens Christophori pugno maior, nonnihil de lapide super quo Iacob dormiuit, linteum a Pastoribus ad Christum infantem allatum, Georgii gladius & brachium, quo Draconem occidit. Quid dicturus fuisset Hieronymus, inquit Erasmus in Anotat. ad cap. 23. Matth. p. 71. si videat hodie passim ad quæstum ostentari lac Mariæ, prodigiosum oleum, fragmentula ligni crucis tam multa, vt si in aceruum redigantur vix vna nauis oneraria vehat; hic ostentari Francisci cucullam, alibi pectinem Annæ, alibi caligam Ioseph, alibi calceum Thomæ Cantuariensis? 47 Treuiris sua antiquitate Romam superare dicitur. Hinc versiculus: Ante Romam Treuiris centum fuit octo viginti. Monstratur hic tunica Christi inconsutilis; monstrantur cubi, quibus milites sub cruce luserunt.

liquot monasteria magna vis psalteriorum [48], ac missarum peragerctur. Quod superesset, ipse pro suo arbitratu dispensaret. Iam totus erat in thesauro Fauni animus; illum toto pectore deuorat. *Th.* Vulgaris morbus est, quanquam hoc nomine peculiariter male audiunt sacerdotes [49]. *An.* Vbi nihil esset omissum, quod ad pecuniæ negotium pertineret, exorcista submonitus a Polo, cœpit animam de curiosis artibus percunctari, de alcumistica [50], deque magia [51]. Et ad hæc anima quædam respondit pro tempore, cæterum pollicita, se plura indicaturam, simul atque illius opera liberata fuisset a Pædagogo dæmone. Sit hic, si videtur, tertius fabulæ actus. In quarto Faunus cœpit vbique se-

48 Petri Damiani temporibus Monachos fuisse, qui nouies de die integrum recitarent Psalterium Anonymus obseruat in Tractatu de Antiquo ritu Precandi stando diebus festis & Dominicis atque durante Paschate Delphis 1700. in 8. impresso, cuius mentionem faciunt Acta Erudit. Lips. mens. Martio 1701. p. 131. Floruit autem Petrus Damiani frater Sec. XI. Monachus ordinis S. Benedicti. 49 Quantopere auro inhient etiam illi, quibus nefas aurum tractare, Scaliger loquitur, dum canit:

Quibus fuere dura saxa ceruical
Cauata rupes dormientibus cella:
Nunc inter aulæ viperas cateruatim
Sues cruore pauperum saginantur.

50 arte aurum vel argentum conficiendi vel aurum a cupro separandi. 51 rerum abditarum scientia; de qua vide Thomæ Stanleii Historiam Philos. Oriental. lib. I. c. 24. sqq. Sect. II.

nam commenti sunt. Effinxerunt epistolam raris[56] litteris descriptam, idque non in chartis vulgaribus, sed in his, in quibus aurifices reponunt bracteas[57] auri, subrubentibus, vt scis, luto[58]. Epistolæ sententia hæc erat: *Faunus dudum captiuus, nunc liber, Fauno liberatori suo optimo salutem æternam. Non est, mi Faune, cur te diuitiis in hoc negotio maceres; respexit Deus animi tui piam voluntatem, & illius merito me liberauit a suppliciis: ego nunc feliciter ago inter angelos. Te manet locus apud diuum Augustinum, qui proximus est Apostolorum choro. Vbi veneris ad nos, agam tibi gratias coram. Interim cura vt viuas suauiter. Datum e cœlo empyreo[59], Idibus Septembribus, anno millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo, sub sigillo annuli mei.* Hæc epistola clam posita est in altari, vbi facturus erat rem diuinam[60] Faunus. Ea peracta subornatus est, qui eum submoneret de re, quasi casu deprehensa. Nunc eam circumfert epistolam, & ostentat ceu rem sacram: nihilque credit certius, quam eam e cœlo perlatam ab angelo[61].

Th.

---

56 elegantioribus, nitidis, artificiose effictis. 57 Die Gold-Blätchen. 58 subrubere luto id est, aliquantulum, paululum rubere croco. gelblicht roth/ röthlicht gelbe seyn. 59 vndecimo, supremo, primo; Dei & beatorum Spirituum sede ignea primo die, primoque instanti creationis producta ac supra firmamentum locata; quale beatorum domicilium vel ipsius DEI palatium, dulce Scholasticorum sine somno somnium, Caluinianorumq; quoq; & Pontificiorum plerorumq; omnino figmentum est, vt solide euincunt Theologi Lutheranæ Ecclesiæ, Quenstedius in Syst. P. I. c. X. Sect. II. p. 439. seqq. Brentius, Hutterus, Meisnerus, aliique. 60 sacris operaturus, missam celebraturus. 61 qualis delapsa

Th. Istud non est liberasse hominem insania, sed mutasse insaniæ genus [62]. *An.* Sic est profecto, nisi quod nunc insanit suauius [63]. *Th.* Antehac non soleo multum tribuere fabulis, quæ vulgo feruntur de spectris [64]; sed posthac multo minus tribuam: suspicor enim ab hominibus credulis, & Fauni similibus, multa pro veris prodita litteris, quæ simili artificio sunt adsimulata. *An.* Ego pleraque huius generis esse credo.

AL-

Hierosolymis anno 1200. qua sanctificatio diei Dominicæ præcepta, perhibetur apud Matth. Paris. Hist. Angl. f. 168. quam fabulam esse probat Raynaldus obseruante Rechenbergio in Summario Hist. Eccles. p. 413. 62 ex alio in aliud dementiæ genus induxisse. 63 Seine Raserey/ sein Aberwitz fällt ihm nicht so beschwerlich / verdrießlich/ kömmt ihm nicht so sauer an. 64 Falsa multa & ficta in Historia Spectrorum dari, nemo facile, nisi parum caute credulus & aniliter superstitiosus, negauerit; at a particulari ad vniuersale concludere & omnem fidem historicam in dubium vocare velle absonum & irrisorium est; Scepticorum incredulorum & infidelium est, quos Deus omnium optime vnus conuincere posset, si per αὐτοψίαν & experientiam sensualem atque palpabilem, vt Christus Thomam credere nolentem, immissis terriculamentorum Diabolicorum agminibus, spectra dari edoceret. Subiit interim, dum hæc commentati sumus plus vice simplici, quod Burnettus in Itinerario per Heluetiam atque Italiam memoriæ prodidit P. I. p. 86. sqq. 112. quam fusissime, de Franciscanis & Dominicanis, ad annum 1507. vbi Ietzerus personam Fauni egisse videtur, vt cuiuis hæc inter se conferenti ad oculum patebit.

ALCUMISTICA.

PHILECOUS, LALUS*.

Ph. QVid est nouæ rei, quod sic Lalus apud sese ridet, ac pene in cachinnos soluitur, subinde signans se cruce? Interpellabo felicitatem hominis. Salue multum, amicissime Lale. Videre mihi admodum felix. *La.* Atqui felicior ero, si te impartiam hoc gaudio. *Ph.* Fac igitur quam primum me bees. *La.* Nosti Balbinum? *Ph.* Senem illum eruditum, ac vitæ etiam laudatæ? *La.* Sic est, vt dicis, sed *nullus est mortalium, qui sapit omnibus horis, aut qui sit vndiquaque perfectus* [1]. Habet hoc vir ille inter multas egregias dotes næui; iam olim insanit [2] in artem, quam vocant alcumisticam. *Ph.* Haud tu quidem næuum narras, sed insignem morbum [3]. *La.* Vtcunque est, ille toties delu-

---

* Loquax, *Philecous*, auidus audiendi. 1 Nemo ab omni parte beatus; & quisque patitur suos Manes. Ps. LXII. v. 10. Niemand ist so hoch von Adel/ er hat einen Tadel. Iosephi Scaligeri, Claudii Salmasii & Isaaci Vossii notatur fastus, Boxhornii immoderatus Nicotianæ abusus, Danielis Heinsii bibacitas, Dominici Baudii Venus improba, Antonii Mureti Sodomia, Barthii impura sordities, Domini de Salto ludendi auiditas. 2 Argute Frid. Hoffmannus Lusuum Epigramm. Cent. II. Epigr. 41. ludit:

Heu Chymici sterilis nimis Alcumistica *vestra est;*
rectius hanc artem rustica turba tenet.
Als Kuh-Mist *fœcundat agros & frugibus implet:*
Hinc aurum *frugum copia larga parit.*

3 Valet de Alchymistis illud Apostoli 2. Timoth. III, 7. Semper

delusus ab hoc hominum genere [4], tamen dudum mirifice passus est sibi dari verba. *Ph.* Quo pacto? *La.* Adiit illum sacerdos quidam? salutauit honorifice: mox sic exorsus est: *Doctissime Balbine, mirabere fortassis, quod ignotus sic interpellem te, quem scio nunquam non sanctissimis studiis occupatissimum.* Annuit Balbinus, qui mos est illi; nam verborum est mire parcus. *Ph.* Prudentiæ narras argumentum. *La.* Verum alter prudentior sic pergit: Ignosces tamen huic meæ importunitati, si cognoris caussam, cur te adierim. Dic, inquit Balbinus; sed paucis, si potes. Dicam, inquit ille, quanto potero compendio. Scis, vir omnium doctissime, esse varia mortalium fata: ego nescio, vtro in numero me ponam, felicium an infelicium. Etenim si meum fatum altera ex parte contemplor, videor mihi pulcre felix; si ex altera, nihil me infelicius. Vrgente Balbino vt rem conferret in compendium; Finiam, inquit, doctissime Balbine. Id erit mihi facilius apud virum, cui totum hoc negotium sic notum est, vt nulli notius. *Ph.* Rhetorem mihi depingis, non alcumistam. *La.* Mox au-

---

addiscentes nunquam ad veritatis scientiam peruenientes.

4. Happelius & Harsdœrfferus obseruant, ille quidem in Relationibus curiosis Tomo II. P. I. p. 282. hic vero in Speculo Historico titulo LXXX. de Alchymia s. Spagirica p. 582. sqq. dari aurifices alios quidem genuinos & rei callentes, alios autem deceptores imperitos. Picum Mirandulanum lib. III. de auro c. 2. laudat, cuius frater Nicolaus iuramento condixerit ad viginti auri optimi præparandi modos se callere; insimulque ex Cedreno Veneficum, Anastasio Imperatori frenum aureum donantem adducit, qui custodiæ datus interierit.

audies alcumiſtam. A puero mihi, inquit, contigit hæc felicitas, vt *artem omnium maxime* [5] *expetendam diſcerem illam: inquam, totius philoſophiæ medullam alcumiſticam.* Ad nomen alcumiſtices nonnihil experrectus [6] eſt Balbinus, geſtu duntaxat: cæterum gemitu iuſſit vt pergeret. Tum ille: Sed ô me miſerum, inquit, qui non inciderim in eam viam, quam oportuit. Cum Balbinus rogaſſet, quasnam vias diceret: *Scis*, inquit, *optime*, (quid enim te fugit, Balbine, virum vndiquaque doctiſſimum?) *duplicem eſſe huius artis viam: alteram, quæ dicitur longatio: alteram, quæ dicitur curtatio.* At mihi malo quodam fato contigit in longationem incidere. Balbino ſciſcitante, quod eſſet diſcrimen viarum: *Impudentem me*, inquit, *qui hæc apud te loquar, cui ſciam hæc omnia ſic eſſe nota, vt nulli notiora. Itaque ſupplex huc ad te accurri, vt miſertus noſtri, digneris impartire nobis viam illam feliciſſimam curtationis. Quo peritior es huius artis, hoc potes minore negotio communicare nobis. Noli tantum Dei donum celare fratrem dolore periturum. Ita te Ieſus Chri-*

ſtus

---

5 Excell. Dnus Hardtius Prof: Acad. Lipſ. Log. & Metaphyſ. celeberrimus in Diſſertatione de officio Hominis humana ſorte non comprehenſis §. 22. Poſthabendum eſſe ſcribit illorum inſtitutum, quos mente Crœſos, marſupio Iros, larua detracta impoſtores, auricoquos an coctores? viri Principes toties experiantur. Quin e re humani generis neutiquam fore iudicat, ſi Chryſopœetarum conamina iuſtam & expeditam artem procrearent. Moneta enim magis euileſceret, ſicque pretium rerum magis adhuc augeretur. Conf. Becmanni Conſpectus Polit. p. 105. 6 excitatus, creatus, erectior factus.

fius semper maioribus locupletet dotibus. Cum hic non faceret obtestandi finem, Balbinus fateri coactus est, se prorsus ignorare, quid esset longatio aut curtatio: iubet exponat ipse vim harum vocum. Tum ille: *Quanquam*, inquit, *scio, me loqui peritiori; tamen quando ita iubes, faciam. Qui totam ætatem in hac arte diuina contriuerunt, duabus rationibus vertunt rerum species: altera, quæ breuior est, sed plusculum habet periculi: altera, quæ longior est, sed eadem tutior. Ego mihi videor infelix, qui hactenus sudarim in ea via, quæ meo animo non arridet; neque quenquam nancisci potui, qui alteram, cuius amore depereo, vellet indicare. Tandem Deus immisit in mentem, vt te adirem, virum non minus pium quam doctum. Doctrina tibi præstat, vt facile possis dare quod peto: pietas commouebit, vt velis opitulari fratri, cuius salus tibi in manu est.* Ne longum faciam, cum huiusmodi sermonibus veterator ille amouisset a se suspicionem fuci, fidemque fecisset, sibi viam alteram esse perspectissimam; iam pridem pruriebat Balbino animus. Tandem non temperans sibi, *Valeat*, inquit, *illa curtatio, cuius ego ne nomen quidem vnquam audiui, tantum abest vt tenam: dic mihi bona fide, longationem tenes exacte? Phy*, inquit ille, *ad vnguem; sed displicet longitudo.* Cum Balbinus rogasset, quantum temporis requireretur: *Nimium*, inquit; *totus pene annus; sed interim tutissima est. Ne labora*, inquit Balbinus, *etiamsi toto biennio sit opus, modo fidas arti tuæ.* Vt rem in pauca conferam [7], conuenit inter eos, vt ne-

30-

7 contraham, breuibus expediam.

gotium aggrederentur clam in ædibus Balbini: hac lege, vt ille suppeditaret operam, Balbinus sumtum, lucrum ex æquo ac bono divideretur: quanquam impostor modestus vltro totum lucrum, quod prouenisset, Balbino deferebat; vtrinque iuratum est de silentio, quod faciunt qui mysteriis initiantur. Iam illico numeratur pecunia, vnde artifex mercaretur[8] ollas, vitra, carbones, reliquaque, quæ ad instruendam officinam pertinent. Ibi noster alcumista suauiter in scorta, aleam, & compotationes decoquit* eam pecuniam. *Ph.* Hoc nimirum est vertere rerum species**. *La.* Vrgente Balbino, vt rem aggrederetur: An non tenes, inquit, illud, *Dimidium facti, qui bene cœpit habet? Magnum est bene præparare materiam.* Tandem cœpit adornari fornax. Heic rursus erat opus nouo auro, velut illecebra venturi auri. *Siquidem vt piscis non capitur absque esca, ita aurum alcumistis non prouenit, nisi pars auri admisceatur.* Interea Balbinus totus erat in supputationibus: subducebat enim[9], si vnica pareret[10] quindecim, quantum esset lucri rediturum ex vnciis bis mille: tantum enim decreuerat insumere. Cum hanc quoque pecuniam decoxisset[11] alcumista, iamque mensem vnum atque alterum multum operæ simulasset

---

8 emeret, compararet. * Decoquere est nequiter profundere. Inde decoctores. ** Nam id profitentur alcumistæ. Qui profundit, in id vertit, quo fruitur. Illa est transelementatio. 9 calculum. 10 gigneret, præberet, porrigeret. 11 Secundum illud Oweni lib. II. Epigr. 9.

Rem decoxit iners Chymicus, dum decoquit aurum;
Et bona dilapidat omnia pro lapide.

ſet[12] circa folles & carbones, roganti Balbino, *ecquid procederet negotium*, primum obmutuit: vrgenti tandem reſpondit, *Sicut ſolent res præclaræ, quæ ſemper difficiles habent aditus.* Cauſſabatur, erratum in emnedis carbonibus: quernos[13] enim emerat, cum abiegnis[14] eſſet opus, aut colurnis[15]. Ibi perierant aurei centum: nec eo ſegnius reditum eſt ad aleam[16]. Data noua pecunia, mutati carbones. Iamque maiore ſtudio res cœpta eſt, quam antea; quemadmodum in bello milites, ſi quid ſecus accidit quam vellent, virtute ſarciunt. Cum menſes iam aliquot ferbuiſſet[17] officina, & exſpectaretur fœtus aureus, ac ne mica quidem auri eſſet in vaſis[18] (iam enim & illud omne decoxerat alcumiſta) inuenta eſt alia cauſſatio[19], nimirum vitra, quibus vſus fuerat, non fuiſſe temperata[20] ſicut oportuit. Etenim vt non ex quouis ligno Mercurius fingitur, ita non quibuslibet vitreis conficitur aurum. Quo plus erat impenſum[21], hoc minus libebat deſiſtere; *Ph.* Sic ſolent aleatores*; quaſi

12 Simulamus ea, quæ non ſunt; quæ ſunt diſſimulamus. 13 ex quercu vſtulatos. 14 ex abietibus profectis atque confectis. 14 Hagedörnin/ ex arbore corno factis. Cornus, i, & us, arbor eſt ramos habens duritie & rigiditate cornibus ſimiles. Horn-Kirſchen-Baum; Cornel-Baum. Seruius colurnum eſſe dicit, quod eſt ex corylo. 16 ludum teſſerarum. 17 ferueo, ferbui pro: fervi, ad euitandam κακοφωνίαν per mutationem labialium inter ſe ad morem Græcorum & Ebræorum. Incaluiſſet, æſtuaſſet. 18 Vas, vaſis, in Plurali eſt Heterocliton. Vaſa, vaſorum. 16 accuſatio, querela, calua excuſatio. 20 aptata, parata. 21 inſumptum, elocatum, erogatum. * Iuxta illud Poëtæ: Sic ne perdiderit, non ceſſat perdere luſor; Et reuocat cupidas alea ſæpe manus.

quasi non multo satius sit hoc perdere, quam totum. *La.* Sic est. Deierabat [22] alcumista, nunquam sibi sic impositum [23] fuisse: nunc errore deprehenso cætera fore tutissima [24], & hoc dispendii magno cum fœnore sarturum [25] sese. Mutatis vitreis, tertia instaurata est officina. Admonebat alcumista, rem felicius successuram, si Virgini matri, quæ, vt scis, Paraliis [26] colitur, mitteret aliquot aureos dono: artem enim esse sacram, nec absque fauore numinum rem prospere geri. Id consilium vehementer placuit Balbino homini pio, vt qui nullum prætermitteret diem, quin perageret rem diuinam. Suscepit religiosam profectionem [27] alcumista, nimirum in proximum oppidulum, atque illic votiuam pecuniam decoxit in ganeis [28]. Reuersus domum, nunciat, sibi summam esse spem, negotium ex animi sententia successurum, adeo diuam virginem votis suis visam annuere. Vbi multo iam tempore sudatum esset, ac ne mica qui-

22 Persancte, valde iurabat, Iouem lapidem iurabat. Er schwur Stein und Bein/ daß ihm die Augen zum Kopffe hätten mögen heraus stehen. 33 illusum sibi, in se illusum fuisse; ita male negotium sibi cessisse, successisse. 24 certissima, in vado, in procliui, in expedito. 25 compensaturum, refusurum, recuperaturum, redditurum, reducturum, restituturum. 26 Terra maritima recte dicitur Paralus, obseruante Rhodigino Lect. Antiqu. lib. VII. c. 9. itemque nauis muneri publico destinata, quæ auheret ad rem diuinam Delphos, aut aliorsum missa. Hic *Paralis* fuerit Ablatiuus loci, vbi colitur Maria Parathalassia habitans ad extremum Angliæ finem inter occidentem & septentrionem haud procul a mari, passuum fere tribus millibus. 27 pergrinationem sanctam. Eine Wallfahrt. 28 lupanaribus.

quidem auri nasceretur vsquam, expostulanti Balbino respondit, *sibi nihil vnquam tale accidisse in vita, toties artem experto; nec satis posse coniectare quid esset in causa.* Quum diu diuinatum esset, tandem illud venit in mentem Balbino, num quo die prætermisisset audire sacrum, aut dicere preces horarias, quas vocant: nam nihil succedere his omissis. Ibi impostor, *rem*, inquit, *acu tetigisti. Me miserum, semel atque iterum id admissum est per obliuionem, & nuper a prolixo conuiuio surgens, oblitus sum dicere salutationem Virginis.* Tum Balbinus, *Non mirum*, inquit, *si res tanta non succedit.* Recipit artifex, se pro prætermissis sacris duobus duodecim auditurum, & pro vnica salutatione decem repositurum. Cum alcumistam prodigum subinde defecisset pecunia, nec suppeterent petendi causæ, tandem hanc technam commentus est: rediit domum admodum exanimatus, ac voce lamentabili, *Perii*, inquit, *funditus, Balbine, perii, actum est de capite meo.* Obstupuit Balbinus: & tanti mali causam auebat cognoscere. *Subodorati sunt*, inquit, *aulici quod egimus; nec aliud exspecto, quam vt mox deducar in carcerem.* Ad hanc vocem expalluit etiam serio Balbinus. Nam scis, apud nos capitale esse, si quis alcumisticam exerceat absque principis permissu[29]. Pergit ille: *Non*, inquit, *me-*

29 Diocletianus intelligens apud Ægyptios libros latere, quibus ars aleumistica perfecte traderetur, vbi omnes conquisiuisset, iussit exuri. Legem apud Britannos prohibere, ne quis sine præscitu atque venia Principis Alcumisticam exerceat, Harsdœrfferus loco ante citato itidem obseruauit. p. 589. Anno 1607. Alchymista quidam fraudulentus Stut-

metuo mortem; vtinam illa contingat! metuo quiddam crudelius. Roganti quid hoc esset: *Rapiar*, inquit, *aliquo in turrim*[30]*: illic per omnem vitam cogar his laborare, quibus non libet. An vlla mors est, quæ non potior esse debeat, quam talis vita?* Ibi res ventilata est consultatione [31]. Balbinus, quoniam callebat artem Rhetoricam, pulsauit omnes status [32], si qua periculum vitari posset. *Non potes*, inquit, *inficiari crimen? Nequaquam*, ait ille. *Inter regios satellites res sparsa est: & habent argumenta, quæ dilui non possint.* Ne defendi quidem factum poterat ob legem manifestam. Cum multis in medium adductis, nihil videretur firmi præsidii, tandem alcumista, cui iam opus erat præsenti pecunia: *Nos*, inquit, *Balbine, lentis consiliis agi*

---

gardiæ in crucem actus, qui se Ioannem Henricum a Mullenfels dici professus est; mentionem inter alias imposturas & mendacia crebro fecit Petri Pauli cuiusdam Alchymistæ Hispani, eumque lapidis Philosophici ad tres libras compositionem tenere dixit; vt est in Mercurii Gallo-Belgici Tomo VII. lib. II. p. 9. 30 Ita in turrim raptus est 1704. Medicus quidam Neapolitanus, aut in castellum Parisinum, cui insigniores rei includuntur tanquam carceri, quem aurum conficere posse persuasum erat, dum ad ingentes immensasque opes intra decem annorum decursum peruenerat. Referebant Nouellæ Lipsiens. Parte I. Hebdom. XV. Nanceio de die 21. Martii. 31 Sedulo atque diligenter agitata sunt consilia. 32 statum *coniecturalem*, an posset inficias ire; *finitiuum*, an de nomine rei mouere quæstionem & intricare iudicem; *qualitatis*, an legibus & iure se excusare; *quantitatis* an facti crimen imminuere: qui omnes status sunt generis Iudicialis seu forensis. Vide Rhetorum libellos passim.

agimus; atqui res poscit præsens remedium. Iam arbitror adfuturos, qui me abripiant in malam rem. Denique cum nihil occurreret Balbino, tandem alcumista, *Nec mihi quidquam occurrit*, inquit, *nec quidquam superesse video, nisi vt fortiter pereant: nisi forte hoc placet, quod vnum superest, vtile magis quam honestum, nisi quod durum est telum necessitas. Scis*, inquit, *hoc hominum genus auidum esse pecuniæ, eoque facilius corrumpi posse, vt sileant. Quamuis durum sit illis furciferis* [33] *dare quod profundant, tamen, vt nunc res sunt, nihil video melius.* Idem visum est Balbino, ac numerauit aureos triginta, quibus redimeret silentium. *Ph.* Miram Balbini liberalitatem mihi prædicas. *La.* Imo in re honesta citius dentem extudisses ab eo, quam nummum. Sic prospectum est alcumistæ, cui nihil erat periculi: nisi quod non haberet quod daret amicæ [34]. *Ph.* Demiror, Balbino in tantum nihil esse nasi [35]. *La.* Heic duntaxat naso caret, in cæteris nasutissimus [36]. Rursum noua pecunia instruitur fornax, sed præmissa ad Virginem matrem precatiuncula, vt cœptis faueret. Iam totus exierat annus, dum, illo nunc hoc nunc illud caussante [37], lu-

di-

33 Furcifer, quasi furcam ferens. Ein Galgen-Dieb/ Galgen-Schwengel; Galgen-Vogel. 34 amasiæ. Der Courtesie. 35 adeo nihil iudicii, perspicaciæ, sagacitatis. 36 Seneca suasoriarum VII. Cestius, homo *nasutissimus* dissimulauit exaudisse se, vt adolescentem quasi imprudens obiurgaret &c. Sunt cæteroquin nasuti, qui, quod Homerus de Tiresia, Cato de Scipione dixit, idem de se dictum esse putant, se videlicet sapere solos, reliquos homines velut vmbras per inane volitantes vagari. 37 incusante, insimulante. Caussari est veram vel vanam caussam afferre. Curt. lib. VI.

ditur [38] opera, & perit im›nſa. Interim extitit [39] caſus quidam ridiculus. *Ph.* Quisnam? *La.* Alcumiſta furtiuam conſuetudinem [40] habebat cum vxore cuiusdam aulici: maritus concepta ſuſpicione cœpit hominem obſeruare. Tandem cum illi nunciatum eſſet, ſacrificum eſſe in cubiculo, præter exſpectationem rediit domum, pulſat oſtium. *Ph.* Quid facturus homini? *La.* Quid? nihil ſuaue: aut occiſurus erat, aut exſecturus [41]. Vbi maritus inſtans minitaretur, ſe vi effracturum oſtium, ni aperiret vxor, magnopere trepidatum eſt, & circumſpicitur præſentaneum aliquod conſilium. Nec erat aliud, quam quod ipſa dabat res. Abiecit tunicam, ac per feneſtram anguſtam deiecit ſeſe, non absque periculo, nec ſine vulnere, ac fugit. Scis, tales fabulas illico ſpargi. Itaque permanauit & ad Balbinum. Neque id fore non diuinarat artifex [42]. *Ph.* Heic itaque medius tenetur [43]. *La.* Imo [44] felicius elapſus eſt hinc, quam e cubiculo.

Au-

c. 7. non vacaſſe ſermoni ſuo regem cauſſatus, hat vorgewendet/ der König habe nicht Zeit gehabt ihn zu hören. obſeruante Cellario de Latinitate mediæ & infimæ ætatis ſiue in Antibarbaro. p. 148. & in Curis poſterioribus de Barbariſmis & Idiotiſmis. p. 372. cum quo conferri poteſt Seyboldi Antibarbarus Latinus p. 95. ſq. 38 perditur, in vanum abit, perit inanis. 39 accidit, contigit. 40 familiaritatem, furtiuos, clandeſtinos amores exercebat. 41 ſc. ei teſtes vel teſticulos, Wallachen/caſtriren. 42 neque non diuinarent i.e. & omnino diuinauerat, præſagiuerat. 43 ita tenetur, vt ſe expedire nulla ratione poſſit; lupum auribus tenet. Die Ochſen ſtehen am Berge/guter Rath iſt theuer. 44 Imo, Ja gerade! hat ſich wohl/ mit nichten! eſt corrigentis; pro nequa-

Audi technam hominis. Nihil expostulabat [44] Balbinus, sed nubilo [45] vultu satis indicabat, se non ignorare quod vulgo ferebatur. Nouerat ille Balbinum esse virum pium, in nonnullis pene dixerim superstitiosum. Et qui tales sunt, in quamuis magno [46] peccato facile condonant supplici. Itaque data opera iniicit mentionem de successu negotii, queritans non perinde succedere, vt solet, aut vellet, addebat, se vehementer mirari, quid esset in causa. Ibi per occasionem [47] commotus Balbinus, qui alioqui videbatur destinasse silentium, & erat qui facile commoueretur: *Non est,* inquit, *obscurum quid obstet, peccata obstant, quo minus succedat quod a puris pure tractari conuenit.* [48] Ad hanc vocem artifex [49] procubuit in genua, subinde tundens pectus & vultu voceque lacrymabili: *Verissimum,* inquit, *dixisti, Balbine: Peccata,* inquam, *obstant: sed mea peccata, non tua: non enim pudebit me turpitudinem meam apud te, velut apud sacerdotem sanctissimum, confiteri. Vicerat me carnis infirmitas, pertraxerat me Satanas in laqueos suos. Et o me miserum! e sacrifico factus sum adulter. Non ta-*

---

quam, minime vero, per Euphemiam f. εὐφημίαν. 44 conquerebatur, contendebat hac de re; nemini litem mouebat. 45 lurido, tristi, mœsto, caliginoso. 46 in magno etiam, in peccato quantumuis graui. 47 Ohngefehr / über Vermuthen / zufällig; tale quid non opinatus, inopinato. Bey Gelegenheit / durch Veranlassung. 48 Sunt, qui pientissimum Iohannem Arndium Chrysopœian exacte nouisse credunt, cum præter notitiam Chrymicam, qua præstabat, deprehensus sit plus erogasse in pauperes, quam muneris ratio ferret, collatis accepti & expensi tabulis. 49 fraudum. Der Betrüger.

tamen omnino periit hoc munus, quod misimus Virgini matri. Perieram certo exitio, ni illa succurrisset. Iam maritus effringebat fores, fenestra erat arctior quam vt possem elabi: in tam præsentaneo periculo venit in mentem sanctissimæ Virginis; procidi in genua, obtestatus sum, si gratum fuisset munus, vt opitularetur. Nec mora [50], repeto fenestram, (sic enim vrgebat necessitas) & satis amplam reperi ad effugium. *Ph.* Credidit ista Balbinus? *La.* Credidit [51]: Imo etiam ignouit, & admonuit religiose, ne se præberet ingratum beatissimæ Virginini. Numerata est rursus pecunia danti fidem [52], se posthac rem sacram pure tractaturum. *Ph.* Quis tandem finis? *La.* Perlonga est fabula: sed ego paucis absoluam. Dum eiusmodi commentis diu lusisset hominem, neque mediocrem pecuniarum vim [53] ab eo extorsisset, tandem venit illò [54] qui nebulonem a puero [55] nouerat. Is facile diuinans illum idem agere apud Balbinum, quod nusquam non [56] egerat, clam aggreditur illum: exponit qualem artificem domi suæ foueret, monet vt quam primum ableget [57] hominem, ni mallet ipsum aliquan-

50 sine mora, illico, stante pede. Ungesäumt. 51 præ affectu admirationis aliqua indignatione permixto repetit quærentis vocem: Credidit? Geglaubt? was geglaubet? i. e. vtique, prorsus credidit. Freylich hat ers geglaubet. 52 promittenti, pollicito, recipienti. 53 substantiam, summam, facultatem, copiam, numerum. 54 illuc, istorsum, in eum locum, aliquis. 55 ab ineunte ætate, ab incunabulis, teneris vnguiculis, a primis serperastris, ab adolescentulo. 56 vbiuis gentium, vbique terrarum, alibi vsque. 57 dimittat, missum faciat, ædibus suis exigat.

quando compilatis scriniis [58] fugere. *Ph.* Quid heic Balbinus? videlicet curauit hominem coniiciendum in carcerem? *La.* In carcerem [59]? Imo numerauit viaticum, obtestans per omnia sacra [60], ne, quod accidisset, effutiret. Et sapuit, mea quidem sententia, qui hoc maluerit, quam esse fabula [61] conuiuiorum, & fori; deinde venire in peri-cu-

58 sarcinis, cistis, arculis, fraudatis, in vnum conditis. 59 Est iterum quæstio corrigentis & negantis: Ins Gefängniß? hat sich wohl! ja grade! weit gefehlt. Tantum abest, vt in carcerem coniici curauerit, & insuper pro adornando itinere, discessu viaticum numerauerit. 60 Bey Kopffe / bey Bauche / hoch und theuer / bey Leib und Leben. 61 Adeo miseri Alcumistæ, salse Agrippa inquit quam metallis inferre conabantur metamorphosin, in seipsis experiuntur, effecti iam ex alcumistis cacochymici, ex medicis mendici, ex saponistis cauponistæ, ludibriumque populi, fabula vulgi. Bernardus Penotus a portu S. Mariæ in summa egestate rebus mortalium exemptus Iuerduni in Heluetia morti vicinus ita suos alloquitur: Si quem, cui pessime cupiatis, diris deuouere velitis, apprecamini ei aurum conficiendi studium. Prostat tamen Clauei Apologia Chrysopœiæ & Argyropœiæ contra Erastum, qui de auro potabili scripsit. Vrs. 1602. Ex recentissimis Chymicis, quos memorat Olaus Borrichius in conspectu Scriptorum Chemicorum illustriorum 1697. Hafn. impresso, tres imprimis memorabiles sunt Arnaldus de Villa Noua, qui circa annum Chr. 1300. floruit, & in aula Romana specimen aliquando χρυσοποιήσεως edidisse vulgo creditur; Raymundus Lullius, & Iohannes Segerus Weidenfeld. Quibus annumerare licebit Ioh. Ioach. Becherum, Spirensem. Vid. Acta Erudit. Lips. ad annum 1683. p. 361. Notari tandem meretur numisma, quod ex auro factitio Mercuriali excusum asseruatur in Cæsareo Technophylacio, his additis Lemmatibus; & quidem ex vno latere;

culum confiſcationis. Nam impoſtori nihil periculi: artis tantum tenebat, quantum aſinus quiuis; & in hoc genere fauorabilis eſt impoſtura. Quod ſi furti crimen intentaſſet, a ſuſpendio tutum reddebat vnctio [62]; neque quiſquam lubens gratis alat talem in carcere. *Ph.* Miſereſceret me Balbini, niſi ipſe gauderet deludi [63]. *La.* Nunc mihi properandum

Diuina Metamorphoſis
☿
Exhibita Pragæ
XV. Ian. anno 1648.
in Præſentia
Sac. Cæſ. Maieſt.
FERDINANDI
TERTII.

ex altero autem:

Raris
Hæc vt Hominibus
eſt ars; ita
raro in lucem prodit.
Laudetur DEVS in æternum,
qui partem ſuæ infinitæ
potentiæ nobis ſuis
abiectiſſimis creaturis communicat.

62 Vnctione enim ſua ſacrificuli tuti redduntur a ſuppliciis, quæ magiſtratus ſontibus irrogant. 63 Volenti non fit iniuria. Quilibet fortunæ ſuæ faber. Miſericordia eſt ægritudo ex triſtitia alterius, iniuria laborantis. Nemo autem parricidæ aut proditoris ſupplicio miſericordia commouetur; ſecund. Cicer. lib. IV. Tuſculan. Quæſt. Eorum enim miſereri oportet, qui propter fortunam non propter crimen aut culpa ſua quauis alia in miſeria ſunt.

dum est in aulam: alias referam his etiam multo ſtultiora. *Ph.* Cum vacabit, & audiam lubens, & fabulam fabula penſabo.

HIPPOPLANVS.*

AVLVS, PHAEDRVS.

Au. DEVM immortalem, *ὡς σεμνοπροσωπεῖ* ** noſter Phædrus, & ſubinde in cœlum ſuſpicit! Adoriar. Quid accidit nouæ rei, Phædre? *Ph.* Quam ob rem iſtud interrogas, Aule? *Au.* Quoniam e Phædro mihi videris factus Cato, tanta eſt in vultu ſeueritas. *Ph.* Non mirum, amice; modo confeſſus ſum peccata mea. *Au.* Phy, iam deſino mirari. Sed dic age, bona fide confeſſus es omnia? *Ph.* Omnia quæ quidem in mentem veniebant, vnico duntaxat excepto. *Au.* Cur vnum hoc reticuiſti. *Ph.* Quia nondum potuit mihi diſplicere. *Au.* Oportet eſſe peccatum ſuaue. *Ph.* An peccatum ſit, neſcio: ſed tamen, ſi vacat, audies. *Au.* Audiam equidem lubens. *Ph.* Scis quanta ſit impoſtura apud noſtros in his, qui vendunt, aut locant equos? *Au.* Plus ſcio quam vellem, non ſemel ab illis deluſus. *Ph.* Nuper incidit mihi iter, cum ſatis prolixum, tum etiam accelerandum. Adeo [1] quemdam ex illis [2], quem dixiſſes eius generis minime malum; & intercedebat mihi cum homine nonnihil etiam amicitiæ. Narro, mihi rem eſſe ſe-

* Qui imponit in vendendis equis. ** Id eſt, Quantam ſeueritatem vultu præfert. Was machet unſer Phædrus vor eine Amts-Mine / ernſte Mine. 1 Accedo. 2 Equiſonibus.

ſeriam; opus eſſe præſtrenuo[3] equo: ſi vnquam præbuiſſet ſe mihi bonum virum, nunc præſtaret. Ille pollicetur, ſeſe ſic mecum acturum, vt ageret cum fratre ſuo cariſſimo. *Au.* Fortaſſis & fratri impoſiturus[4]. *Ph.* Inducit in ſtabulum, iubet vt eligam ex omnibus equis quemcunque vellem. Tandem vnus plus cæteris arridebat. Ille probat iudicium meum, deierans, eum equum frequenter a multis expetitum eſſe; ſe eum maluiſſe ſeruare amico ſingulari, quam ignotis addicere. Conuentum eſt de pretio: numeratur pecunia præſens: conſcendo. Mira alacritate geſtiebat equus in egreſſu; dixiſſes feroculum[5] eſſe: nam erat obeſulus & pulchellus. Vbi iam equitaſſem ſeſquihoram, ſenſi, plane laſſum, ne calcaribus quidem impelli[6] poſſe. Audieram, tales ab illis ad impoſturam ali, quos e ſpecie iudicares[7] inſignes, cæterum laboris impatientiſſimos. Ego continuo mecum[8]: Captus ſum. Age, par pari referam, vbi rediero domum. *Au.* Quid heic conſilii capiebas eques abſque equo? *Ph.* Id quod res dabat, deflexi in proximum vicum; illic clam apud quendam mihi notum depoſui[9] equum, & conduxi alterum: profectus tum quo deſtinaram; reuerſus ſum, reddo conductitium equum, reperio meum ſophiſtam*, vt erat,

---

3 præ cæteris ſtrenuo, generoſo, alacri. 4 fabricam admoturus, fratrem decepturus. 5 qs. ferentem, efferentem oculos, frech/munter. 6 incitari, concitari, ſtimulari, exſtimulari. 7 ſi faciem videas, cuiusuis videntur eſſe pretii. 8 cogitaui, loquebar. 9 aſſeruandum dedi, cuſtodiendum credidi. * Id eſt, fucatum equum.

erat, obesum & pulcre requietum: eo vectus redeo ad impostorem: rogo vt in stabulo suo alat dies aliquot, donec repetiero. Percunctatur quam commode me gesserit: Ego vero deiero per omnia sacra, me nunquam in vita conscendisse tergum equi felicioris; volasse potius quam ambulasse, nec tam longo itinere vnquam sensisse lassitudinem, nec pilo[10] factum ob laborem macriorem. Hæc cum illi persuasissem esse vera, tacitus secum cogitabat, equum illum alium esse, quam hactenus suspicatus esset. Itaque priusquam abirem, rogabat num mihi venalis esset equus: primo negabam; quod si incideret iter denuo, non facile fore nancisci similem, attamen nihil esse mihi tam carum, quod non esset venale pretio largo, etiamsi quis me ipsum, inquam, cuperet emtum. *Au.* Næ tu pulcre Cretensem agebas cum Cretensi[11]. *Ph.* Quid multis? Non dimittit me, nisi pronunciata equi indicatura[12]. Indicaui non paullo pluris quam emeram. Digressus ab homine, mox suborno, qui mihi partem agat huius fabulæ, pulcre instructum atque doctum: is ingressus domum inclamat locatorem, ait sibi opus esse insigni equo, & laboris egregie patienti. Alter ostendit multos, & pessimum quemque maxime prædicat; solum illum, quem mihi vendiderat, quoniam

10 quidem. Auch nicht um ein Haar. 11 Cretensis Cretensem, in prouerbio dicitur, quoties improbus agit cum improbo, perfidus cum perfido, mendax cum mendace; Wenn ein Schalck über den andern kömmt. Cretenses enim ex testimonio Epimenidis ab Apostolo repetito, semper sunt mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. 12 indicatione; æstimatione.

niam existimabat vere talem, qualem prædicaueram, non laudat. At alter illico rogat, num & ille venalis esset: nam descripseram illi formam equi, & locum indicaram. Locator primum obticescere, atque alios ambitiose prædicare [13]. Cum iste cæteris vtcunque probatis semper ageret de vno illo, tandem locator apud se [14]; *Plane fefellit me iudicium de illo equo: siquidem hic peregrinus statim agnouit hunc inter omnes.* Cum instaret ille tandem hic: *Venalis est*, inquit: *sed pretio fortasse deterreberis.* *Non est*, inquit ille, *magnum pretium, si rei dignitas respondeat: indica.* Indicauit aliquanto pluris, quam indicaram ipsi, captans & hoc lucri. Tandem conuenit de pretio [15], datur arrha [16] satis magna, nempe regalis aureus *, ne qua suspicio incideret simulatæ emptionis. Emtor iubet equo dari pabulum; se mox ait rediturum, & abducturum: dat etiam stabulario drachmam [17]. Ego simulatq; cognoui pactionem esse firmam, sic vt rescindi [18] non posset, rursus ocreis & calcaribus arma-

13 obticescebat, prædicabat. Infinitiuus ponitur per Enallagen pro Indicatiuo, aut certe subintelligi debet per Ellipsin verbum: cœpit. Arnoldi Ornatus Lat. Ling. c. IV. de Permutat. Verbi Reg. 84. & M. Elias Maior de varianda Orat. Sect. IV. c. 3. p. 387. Sic Cæsar lib. I. de Bello Gall. c. 16. Diem ex die ducere (ducebant) Ædui; conferri, comportari, adesse, dicere (dicebant) cœperunt. 14 voluebat, agitabat, mente versabat, dicebat, inquiebat, aiebat. 15 inter ipsos, consenserunt. 16 arrha vel arrhabo; pignus, quod datur ad contractus securitatem & certitudinem s. confirmationem. * Ein Gülden Thaler oder auch noch mehr. Aureus Rhenanus ein Gold-Gülden; Aureus Vngaricus ein Ducaten. 17 grossum, diobolum, denarium Romanum. 18 labefactari, conuelli, infirmari.

matus redeo ad locatorem, anhelus clamo: Adest ille; rogat quid velim. *Illico*, inquam, *adornetur equus meus. Nam e vestigio proficiscendum est ob rem maxime seriam.* Atqui modo, inquit, mandabas vt aliquot dies alerem equum tuum. *Verum*, inquam: *sed præter exspectationem obiectum est negotium, idque regium, quod nullam patitur dilationem.* Heic ille: *eliges ex omnibus, quem voles: tuum habere non potes.* Rogo quam ob rem? *Quoniam venditus est*, inquit. Ibi ego simulata magna perturbatione: *Prohibeant*, inquam, *superi quod dicis. Hoc obiecto itinere non venderem eum equum, etiamsi quis numeret quadruplum.* Incipio rixam; clamo, me perditum. Tandem incaluit & ille; *Quid opus*, inquit, *his iurgiis? Indicasti equum, ego vendidi: si numero pretium, nihil habes quod mecum agas; sunt in hac vrbe leges: ad exhibendum equum me non potes compellere.* Cum diu clamassem, aut equum exhiberet, aut emtorem, tandem iratus numerat pretium. Emeram quindecim aureis, æstimaram viginti sex. Ille æstimarat triginta duobus. Cogitabat apud se, præstat hoc lucri facere, quam equum reddere. Abeo dolenti similis, ac vix placatus etiam data pecunia. Ille rogat vt boni consulam; se aliis in rebus pensaturum hoc incommodi. Sic impositum est impostori[19]. Habet equum nullius pretii. Exspectat vt, qui arrham dedit, veniat numeratum[20] pecuni-

19 Scilicet artem decet arte, consilium consilio illudere, quod in Symbolis Politicis Emblemate 79. p. 632. sqq. docuit Saavedra. 20 numerare, vt numeret, ad numerandum, numerandam pecuniam; pecuniam numeraturus, numerandi

niam. At nemo venit, nec vnquam venturus eſt. *Au.* Interim nunquam tecum expoſtulauit [21]. *Ph.* Qua fronte [22], aut quo iure id faceret? Conuenit [23] quidem ſemel atque iterum, conqueſtus eſt de fide emtoris. Verum ego vltro expoſtulaui cum homine, dicens, illum eo malo dignum, qui præpropera venditione tali equo me ſpoliarit. Hoc eſt crimen tam bene collocatum, mea ſententia, vt non poſſim inducere animum confiteri. *Au.* Ego mihi ſtatuam poſcerem *, ſi quid tale deſignaſſem [24]; tantum abeſt, vt confeſſurus ſim. *Ph.* An ex animo loquaris, neſcio; mihi tamen addis animum, quo magis lubeat talibus facere [25] fucum.

ΠΤΩΧΟΛΟΓΙΑ *.
IRIDES**, MISOPONVS***.

Ir. QVam ego huc nouam auem video aduolare? Agnoſco faciem, ſed veſtis non conuenit. Aut ego prorſus hallucinor, aut hic eſt Miſo-

---

gratia, ergo, cauſa; pecuniæ numerandæ gratia. 21 contendit, rixatus eſt, iurgatus eſt? 22 audacia, confidentia, Er ſolte nur kommen! hätte er Courage, ein Hertze. 23 Adiit, acceſſit me. *. Honoris gratia ſtatuæ ponebantur bene meritis de Republica. Hominum primus & auream ſtatuam & ſolidam Gorgias Leontinus in templo ſibi poſuit. Plin. lib. 33. c. 4. 24 perpetraſſem, peregiſſem, præſtitiſſem. 25 imponere; artificioſe illudere. Fucus autem color eſt fictitius & incruſtamentum proprii, veri & natiui coloris.

* Id eſt, Sermo de mendicis. ** Velut Iri filius, quem mendicum inducit Vlyſſes. *** Oſor laborum, a *μισέω* & *πόνος*; vt *φιλόπονος* ex *φιλέω* amo & *πόνος*, laborioſus, amator laboris, ſtudioſus.

Audi technam hominis. Nihil expostulabat [44] Balbinus, sed nubilo [45] vultu satis indicabat, se non ignorare quod vulgo ferebatur. Nouerat ille Balbinum esse virum pium, in nonnullis pene dixerim superstitiosum. Et qui tales sunt, in quamuis magno [46] peccato facile condonant supplici. Itaque data opera iniicit mentionem de successu negotii, queritans non perinde succedere, vt solet, aut vellet, addebat, se vehementer mirari, quid esset in causa. Ibi per occasionem [47] commotus Balbinus, qui alioqui videbatur destinasse silentium, & erat qui facile commoueretur: *Non est,* inquit, *obscurum quid obstet, peccata obstant, quo minus succedat quod a puris pure tractari conuenit.* [48] Ad hanc vocem artifex [49] procubuit in genua, subinde tundens pectus & vultu voceque lacrymabili: *Verissimum,* inquit, *dixisti, Balbine: Peccata,* inquam, *obstant: sed mea peccata, non tua: non enim pudebit me turpitudinem meam apud te, velut apud sacerdotem sanctissimum, confiteri. Vicerat me carnis infirmitas, pertraxerat me Satanas in laqueos suos. Et o me miserum! e sacrifico factus sum adulter. Non ta-*

---

quam, minime vero, per Euphemiam s. εὐφημίαν. 44 conquerebatur, contendebat hac de re; nemini litem mouebat. 45 lurido, tristi, mœsto, caliginoso. 46 in magno etiam. in peccato quantumuis graui. 47 Ohngefehr / über Vermuthen / zufällig; tale quid non opinatus, inopinato. Bey Gelegenheit / durch Veranlassung. 48 Sunt, qui pientissimum Iohannem Arndium Chrysopœian exacte nouisse credunt, cum præter notitiam Chrymicam, qua præstabat, deprehensus sit plus erogasse in pauperes, quam muneris ratio ferret, collatis accepti & expensi tabulis. 49 fraudum. Der Betrüger.

tamen omnino periit hoc munus, quod misimus Virgini matri. Perieram certo exitio, ni illa succurrisset. Iam maritus effringebat fores, fenestra erat arctior quam vt possem elabi: in tam præsentaneo periculo venit in mentem sanctissimæ Virginis; procidi in genua, obtestatus sum, si gratum fuisset munus, vt opitularetur. Nec mora [50], repeto fenestram, (sic enim vrgebat necessitas) & satis amplam reperi ad effugium. *Ph.* Credidit ista Balbinus? *La.* Credidit [51]: Imo etiam ignouit, & admonuit religiose, ne se præberet ingratum beatissimæ Virginini. Numerata est rursus pecunia danti fidem [52], se posthac rem sacram pure tractaturum. *Ph.* Quis tandem finis? *La.* Perlonga est fabula: sed ego paucis absoluam. Dum eiusmodi commentis diu lusisset hominem, neque mediocrem pecuniarum vim [53] ab eo extorsisset, tandem venit illò [54] qui nebulonem a puero [55] nouerat. Is facile diuinans illum idem agere apud Balbinum, quod nusquam non [56] egerat, clam aggreditur illum: exponit qualem artificem domi suæ foueret, monet vt quam primum ableget [57] hominem, ni mallet ipsum aliquan-

50 sine mora, illico, stante pede. Ungesäumt. 51 præ affectu admirationis aliqua indignatione permixto repetit quærentis vocem: Credidit? Geglaubt? was geglaubet? i. e. vtique, prorsus credidit. Freylich hat ers geglaubet. 52 promittenti, pollicito, recipienti. 53 substantiam, summam, facultatem, copiam, numerum. 54 illuc, istorsum, in eum locum, aliquis. 55 ab ineunte ætate, ab incunabulis, teneris vnguiculis, a primis serperastris, ab adolescentulo. 56 vbiuis gentium, vbique terrarum, alibi vsque. 57 dimittat, missum faciat, ædibus suis exigat.

quando compilatis ſcriniis [58] fugere. *Ph.* Quid heic Balbinus? videlicet curauit hominem coniiciendum in carcerem? *La.* In carcerem [59]? Imo numerauit viaticum, obteſtans per omnia ſacra [60], ne, quod accidiſſet, effutiret. Et ſapuit, mea quidem ſententia, qui hoc maluerit, quam eſſe fabula [61] conuiuiorum, & fori; deinde venire in periculum-

58 ſarcinis, ciſtis, arculis, fraudatis, in vnum conditis. 59 Eſt iterum quæſtio corrigentis & negantis: Ins Gefängniß? hat ſich wohl! ja grade! weit gefehlt. Tantum abeſt, vt in carcerem coniici curauerit, & inſuper pro adornando itinere, diſceſſu viaticum numerauerit. 60 Bey Kopffe / bey Bauche / hoch und theuer / bey Leib und Leben. 61 Adeo miſeri Alcumiſtæ, ſalſe Agrippa inquit, quam metallis inferre conabantur metamorphoſin, in ſeipſis experiuntur, effecti iam ex alcumiſtis cacochymici, ex medicis mendici, ex ſaponiſtis cauponiſtæ, ludibriumque populi, fabula vulgi. Bernardus Penotus a portu S. Mariæ in ſumma egeſtate rebus mortalium exemptus Iuerduni in Heluetia morti vicinus ita ſuos alloquitur: Si quem, cui peſſime cupiatis, diris deuouere velitis, apprecamini ei aurum conficiendi ſtudium. Proſtat tamen Clauei Apologia Chryſopœiæ & Argyropœiæ contra Eraſtum, qui de auro potabili ſcripſit. Vrſ. 1602. Ex recentiſſimis Chymicis, quos memorat Olaus Borrichius in conſpectu Scriptorum Chemicorum illuſtriorum 1697. Hafn. impreſſo, tres imprimis memorabiles ſunt Arnaldus de Villa Noua, qui circa annum Chr. 1300. floruit, & in aula Romana ſpecimen aliquando χρυσοποιήσεως ediſſe vulgo creditur; Raymundus Lullius, & Iohannes Segerus Weidenfeld. Quibus annumerare licebit Ioh. Ioach. Becherum, Spirenſem. Vid. Acta Erudit. Lipſ. ad annum 1683. p. 361. Notari tandem meretur numiſma, quod ex auro factitio Mercuriali excuſum aſſeruatur in Cæſareo Technophylacio, his additis Lemmatibus; & quidem ex vno latere:

culum confiscationis. Nam impostori nihil periculi: artis tantum tenebat, quantum asinus quiuis; & in hoc genere fauorabilis est impostura. Quod si furti crimen intentasset, a suspendio tutum reddebat vnctio [62]; neque quisquam lubens gratis alat talem in carcere. *Ph.* Miseresceret me Balbini, nisi ipse gauderet deludi [63]. *La.* Nunc mihi properandum

Diuina Metamorphosis
☿
Exhibita Pragæ
XV. Ian. anno 1648.
in Præsentia
Sac. Cæs. Maiest.
FERDINANDI
TERTII.

ex altero autem:

Raris
Hæc vt Hominibus
est ars; ita
raro in lucem prodit.
Laudetur DEVS in æternum,
qui partem suæ infinitæ
potentiæ nobis suis
abiectissimis creaturis communicat.

62 Vnctione enim sua sacrificuli tuti redduntur a suppliciis, quæ magistratus sontibus irrogant. 63 Volenti non fit iniuria. Quilibet fortunæ suæ faber. Misericordia est ægritudo ex tristitia alterius, iniuria laborantis. Nemo autem parricidæ aut proditoris supplicio misericordia commouetur; secund. Cicer. lib. IV. Tusculan. Quæst. Eorum enim misereri oportet, qui propter fortunam non propter crimen aut culpa sua quauis alia in miseria sunt.

dum est in aulam: alias referam his etiam multo stultiora. *Ph.* Cum vacabit, & audiam lubens, & fabulam fabula pensabo.

*HIPPOPLANVS**.

AVLVS, PHAEDRVS.

Au. DEVM immortalem, ὡς σεμνοπρoσωπεῖ ** noster Phædrus, & subinde in cœlum suspicit! Adoriar. Quid accidit nouæ rei, Phædre? *Ph.* Quam ob rem istud interrogas, Aule? *Au.* Quoniam e Phædro mihi videris factus Cato, tanta est in vultu seueritas. *Ph.* Non mirum, amice; modo confessus sum peccata mea. *Au.* Phy, iam desino mirari. Sed dic age, bona fide confessus es omnia? *Ph.* Omnia quæ quidem in mentem veniebant, vnico duntaxat excepto. *Au.* Cur vnum hoc reticuisti. *Ph.* Quia nondum potuit mihi displicere. *Au.* Oportet esse peccatum suaue. *Ph.* An peccatum sit, nescio: sed tamen, si vacat, audies. *Au.* Audiam equidem lubens. *Ph.* Scis quanta sit impostura apud nostros in his, qui vendunt, aut locant equos? *Au.* Plus scio quam vellem, non semel ab illis delusus. *Ph.* Nuper incidit mihi iter, cum satis prolixum, tum etiam accelerandum. Adeo [1] quemdam ex illis [2], quem dixisses eius generis minime malum; & intercedebat mihi cum homine nonnihil etiam amicitiæ. Narro, mihi rem esse se-

* Qui imponit in vendendis equis. ** Id est, Quantam seueritatem vultu præfert. Was macht unser Phædrus vor eine Ambts-Mine / ernste Mine. 1 Accedo. 2 Equisonibus.

ſeriam; opus eſſe præſtrenuo[3] equo: ſi vnquam præbuiſſet ſe mihi bonum virum, nunc præſtaret. Ille pollicetur, ſeſe ſic mecum acturum, vt ageret cum fratre ſuo cariſſimo. *Au.* Fortaſſis & fratri impoſiturus[4]. *Ph.* Inducit in ſtabulum, iubet vt eligam ex omnibus equis quemcunque vellem. Tandem vnus plus cæteris arridebat. Ille probat iudicium meum, deierans, eum equum frequenter a multis expetitum eſſe; ſe eum maluiſſe ſeruare amico ſingulari, quam ignotis addicere. Conuentum eſt de pretio: numeratur pecunia præſens: conſcendo. Mira alacritate geſtiebat equus in egreſſu; dixiſſes feroculum[5] eſſe: nam erat obeſulus & pulchellus. Vbi iam equitaſſem ſeſquihoram, ſenſi, plane laſſum, ne calcaribus quidem impelli[6] poſſe. Audieram, tales ab illis ad impoſturam ali, quos e ſpecie iudicares[7] inſignes, cæterum laboris impatientiſſimos. Ego continuo mecum[8]: Captus ſum. Age, par pari referam, vbi rediero domum. *Au.* Quid heic conſilii capiebas eques abſque equo? *Ph.* Id quod res dabat, deflexi in proximum vicum; illic clam apud quendam mihi notum depoſui[9] equum, & conduxi alterum: profectus tum quo deſtinaram; reuerſus ſum, reddo conductitium equum, reperio meum ſophiſtam *, vt erat,

3 præ cæteris ſtrenuo, generoſo, alacri. 4 fabricam admoturus, fratrem decepturus. 5 qs. ferentem, efferentem oculos, frech/ munter. 6 incitari, concitari, ſtimulari, exſtimulari. 7 ſi faciem videas, cuiuſuis videntur eſſe pretii. 8 cogitaui, loquebar. 9 aſſeruandum dedi, cuſtodiendum credidi. * Id eſt, fucatum equum.

erat, obesum & pulcre requietum: eo vectus redeo ad impostorem: rogo vt in stabulo suo alat dies aliquot, donec repetiero. Percunctatur quam commode me gesserit: Ego vero deiero per omnia sacra, me nunquam in vita conscendisse tergum equi felicioris; volasse potius quam ambulasse, nec tam longo itinere vnquam sensisse lassitudinem, nec pilo[10] factum ob laborem macriorem. Hæc cum illi persuasissem esse vera, tacitus secum cogitabat, equum illum alium esse, quam hactenus suspicatus esset. Itaque priusquam abirem, rogabat num mihi venalis esset equus: primo negabam; quod si incideret iter denuo, non facile fore nancisci similem, attamen nihil esse mihi tam carum, quod non esset venale pretio largo, etiamsi quis me ipsum, inquam, cuperet emtum. *Au.* Næ tu pulcre Cretensem agebas cum Cretensi[11]. *Ph.* Quid multis? Non dimittit me, nisi pronunciata equi indicatura[12]. Indicaui non paullo pluris quam emeram. Digressus ab homine, mox suborno, qui mihi partem agat huius fabulæ, pulcre instructum atque doctum: is ingressus domum inclamat locatorem, ait sibi opus esse insigni equo, & laboris egregie patienti. Alter ostendit multos, & pessimum quemque maxime prædicat; solum illum, quem mihi vendiderat, quoniam

---

10 quidem. Auch nicht um ein Haar. 11 Cretensis Cretensem, in prouerbio dicitur, quoties improbus agit cum improbo, perfidus cum perfido, mendax cum mendace; **Wenn ein Schalck über den andern kömmt.** Cretenses enim ex testimonio Epimenidis ab Apostolo repetito, semper sunt mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. 12 indicatione; æstimatione.

niam existimabat vere talem, qualem prædicaueram, non laudat. At alter illico rogat, num & ille venalis esset: nam descripseram illi formam equi, & locum indicaram. Locator primum obticescere, atque alios ambitiose prædicare [13]. Cum iste cæteris vtcunque probatis semper ageret de vno illo, tandem locator apud se [14]; *Plane fefellit me iudicium de illo equo: siquidem hic peregrinus statim agnouit hunc inter omnes.* Cum instaret ille tandem hic: *Venalis est*, inquit; *sed pretio fortasse deterreberis. Non est*, inquit ille, *magnum pretium, si rei dignitas respondeat: indica.* Indicauit aliquanto pluris, quam indicaram ipsi, captans & hoc lucri. Tandem conuenit de pretio [15], datur arrha [16] satis magna, nempe regalis aureus *, ne qua suspicio incideret simulatæ emptionis. Emtor iubet equo dari pabulum; se mox ait rediturum, & abducturum: dat etiam stabulario drachmam [17]. Ego simulatq; cognoui pactionem esse firmam, sic vt rescindi [18] non posset, rursus ocreis & calcaribus arma-

13 obticescebat, prædicabat. Infinitiuus ponitur per Enallagen pro Indicatiuo, aut certe subintelligi debet per Ellipsin verbum; cœpit. Arnoldi Ornatus Lat. Ling. c. IV. de Permutat. Verbi Reg. 84. & M. Elias Maior de varianda Orat. Sect. IV. c. 3. p. 387. Sic Cæsar lib. I. de Bel'o Gall. c. 16. Diem ex die ducere (ducebant) Ædui; conferri, comportari, adesse, dicere (dicebant) cœperunt. 14 voluebat, agitabat, mente versabat, dicebat, inquiebat, aiebat. 15 inter ipsos, consenserunt. 16 arrha vel arrhabo; pignus, quod datur ad contractus securitatem & certitudinem s. confirmationem. * Ein Gülden Thaler oder auch noch mehr. Aureus Rhenanus ein Gold-Gülden; Aureus Vngaricus ein Ducaten. 17 grossum, diobolum, denarium Romanum. 18 labefactari, conuelli, infirmari.

niam. At nemo venit, nec vnquam venturus eſt. *Au.* Interim nunquam tecum expoſtulauit[21]. *Ph.* Qua fronte[22], aut quo iure id faceret? Conuenit[23] quidem ſemel atque iterum, conqueſtus eſt de fide emtoris. Verum ego vltro expoſtulaui cum homine, dicens, illum eo malo dignum, qui præpropera venditione tali equo me ſpoliarit. Hoc eſt crimen tam bene collocatum, mea ſententia, vt non poſſim inducere animum confiteri. *Au.* Ego mihi ſtatuam poſcerem *, ſi quid tale deſignaſſem[24]; tantum abeſt, vt confeſſurus ſim. *Ph.* An ex animo loquaris, neſcio; mihi tamen addis animum, quo magis lubeat talibus facere[25] fucum.

ΠΤΩΧΟΛΟΓΙΑ *.

IRIDES**, MISOPONVS***.

Ir. QVam ego huc nouam auem video aduolare? Agnoſco faciem, ſed veſtis non conuenit. Aut ego prorſus hallucinor, aut hic eſt Miſo-

gratia, ergo, cauſa; pecuniæ numerandæ gratia. 21 contendit, rixatus eſt, iurgatus eſt? 22 audacia, confidentia, Er ſolte nur kommen! hätte er Courage, ein Hertze. 23 Adiit, acceſſit me. *. Honoris gratia ſtatuæ ponebantur bene meritis de Republica. Hominum primus & auream ſtatuam & ſolidam Gorgias Leontinus in templo ſibi poſuit. Plin. lib. 33. c. 4. 24 perpetraſſem, peregiſſem, præſtitiſſem. 25 imponere; artificioſe illudere. Fucus autem color eſt fictitius & incruſtamentum proprii, veri & natiui coloris.

* Id eſt, Sermo de mendicis. ** Velut Iri filius, quem mendicum inducit Vlyſſes. *** Oſor laborum, a μισέω & πόνος; vt φιλόπονος ex φιλέω amo & πόνος, laborioſus, amator laboris, ſtudioſus.

ſoponus[1]. Audendum eſt: compellabo hominem, quamlibet pannoſus[2]. Salue, Miſopone. *Mi.* Iridem video. *Ir.* Salue, Miſopone. *Mi.* Tace, inquam. *Ir.* Quid? an ſaluere non vis? *Mi.* Non iſto quidem nomine[3]. *Ir.* Quid accidit? An non es idem qui fueras? An cum veſte mutatur & nomen[4]? *Mi.* Non, ſed vetus receptum[5] eſt. *Ir.* Quis tum eras? *Mi.* Apitius[6]. *Ir.* Ne te pudeat veteris ſodalis, ſi quid melioris obtigit fortunæ: non diu eſt, & quod eras ordinis noſtri. *Mi.* Concede huc ſodes, audies rem omnem. Non pudet ordinis veſtri, ſed pudet primi ordinis. *Ir.* Quem ordinem narras? Franciſcanorum? *Mi.* Nequaquam, o bone, ſed decoctorum[7]. *Ir.* Næ tu iſtius ordinis ſodales habes quam plurimos. *Mi.* Eram re lauda; prodegi ſtrenue; vbi res defecit, nullus agnoſcebat Apitium[8]. Profugi pudore, verti me

ad

1 Eſt Dubitationis figura. 2 ſordido panno veſtitus, ſchlecht bekleydet/ zerlumpt. 3 ſalutari, ſaluere volo, compellari cupio. 4 Omnibus eſt nomen, non nominis omnibus omen. Marcellus II. Papa electus nomen mutare recuſauit: nec nomen, inquiens, nec mores meos mutabo, ſed Marcellus fui, Marcellus ero. Freheri Theatr. Vir. Erudit. clar. P. I. p. 4. 5 reaſſumptum, repetitum. 6 Apitius, heluo maximus, qui non tantum Capitolii vectigal & Principum congiaria decoxit, ſed & librum de gulæ irritamentis reliquit, veneno vitam finiuit, cum ſubductis rationibus ex ſeſtertio millies, quod in culinam congeſſerat, centies tantum ſupereſſe ſibi cognouiſſet. Er hatte drittehalb Millionen durch die Gurgel gejaget/ und bey der Rechnung noch 250000. Pfund übrig. Vixit ſub Auguſto atque Tiberio. Vid. Senecæ Conſol. ad matrem Heluiam. c. 10. p. 187. edit. Amſtelodam. 172. Elzeuir. Plinius lib. IX. c. 19. & X. c. 48. 7 bona ſua abligurientium & dilapidantium.

8 *Donec eris felix multos numerabis amicos;*
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

ad vestrum collegium: hoc malui quam fodere [9]. *Ir.* Sapuisti. Sed vnde subito nouus nitor corporis? Nam de veste mutata non perinde miror. *Mi.* Quam ob rem? *Ir.* Quia Dea Lauerna * multos subito ditat. *Mi.* An suspicaris, me furto parasse rem? *Ir.* Hoc fortassis ignauius. Rapina igitur. *Mi.* Non, per vestram Peniam **, neque furto, neque rapina. Sed de nitore corporis prius expediam, quod tibi videtur mirabilius. *Ir.* Nam apud nos eras totus vlcerosus [10]. *Mi.* Nimirum sum vsus amicissimo medico. *Ir.* Quonam? *Mi.* Non alio quam me ipso, nisi si quem arbitraris mihi me ipso amiciorem. *Ir.* Atqui nesciebam, te callere rem medicam antehac. *Mi.* Totum illum ornatum ipse pigmentis affixeram, thure, sulphure, resina [11], visco, linteis, cruore. Vbi visum est, quod affixeram, detraxi [12]. *Ir.* O impostorem! nihil te videbatur miserabilius. Poteras in tragœdia sustinere personam Iob [13]. *Mi.* Sic tum ferebat egestas; quanquam fortuna nonnun-

---

9 Luc. XVI. v.3. * Dea furum. ** Paupertas Dea, apud Aristophanem. 10 vlceribus confertus. 11 Hartz. Humore ex arboribus defluente, substantiæ oleaginosæ. 12 Solent etiamnum astutiores mendici istiusmodi centonibus, sanguinolentis linteolis, visco & resina illitis fascibus multisque emplastris corpus circumligare, aliquando etiam mutila membra mentiri; vt obuios ad misericordiam & largiores eleemosynas commouerent. Pertinet huc elegans Historia, quam ex Iodoco Damhoudo in Praxi criminali affert Camerarius Operarum subcisiuarum Cent. I. p. 94. c. XVI. sub fin. de mendico qui latente vitio nemini reuelando laborare se dixerat, quod erat pigritia seu desidia. 13 Miseriam Iobi & corpus vlceribus misere obsitum cognoscimus ex cap. II. v. 5. 6. 7. 8.

nunquam & cutem mutare ſolet[14]. *Ir.* Dic igitur de fortuna. Repertus eſt theſaurus aliquis? *Mi.* Non; ſed repertus eſt quæſtus veſtro paulo commodior. *Ir.* Qui potuiſti facere quæſtum, cum non ſuppeteret ſors[15]. *Mi.* Artem quæuis terra alit[16]. *Ir.* Intelligo. Dicis artem incidendi loculos[17]. *Mi.* Bona verba. Dico artem alcumiſticam. *Ir.* Vix quindecim dies ſunt, quod nos reliquiſti, & artem aſſequutus es, quam alii vix multis annis perdiſcunt? *Mi.* Nactus ſum viam compendiariam. *Ir.* Quam, obſecro? *Mi.* Ars veſtra[18] conflauerat mihi quatuor ferme aureos; bona quadam fortuna incidi in veterem congerronem, qui nihilo felicius rem adminiſtrarat quam ego. Compotabamus; cœpit, vt fit, narrare ſuas fortunas: paciſcor hac lege, vt ille biberet immunis[19]; mihi communicaret artem. Communicauit bona fide: ea nunc vectigal[20] eſt mihi. *Ir.* Non licet

14 curant quippe cuticulam ſuam fortunatiore. Et:

Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis.

15 parata pecunia, ſubſtantia. Ein Capital. 16 Certiſſimum viaticum eſt eruditio, aut artificium aliquod; vt quæ nec a latronibus eripiuntur, nec grauant circumferentem; quocunque terrarum abeas te comitantur, vt Biantem omnia ſua ſecum portantem; quod ipſum eius effatum ad mendicos lepide applicat Clauderus Epigr. 53. Cent. III. Petic. Epigrammatici:

Cuncta Bias ſecum ſua qui portauerat olim,
Paſſim in mendicis iam rediuiuus adeſt.

17 ſacculos, in quibus pecunia aſſeruatur; marſupia. Beutel-Schneyderey. 18 mendicandi, ſtipem pulſandi, cogendi. Der Bettel-Leute Kunſt. 19 gratis. Ich wolte ihn frey halten/ er ſolte frey Trincken haben/ umſonſt / ohne Entgeld trincken / Zeche frey ſeyn. 20 Magnum vectigal parſimonia; ſed ſera in fundo.

cet discere? *Mi.* Tibi vel gratis impartiam, ob pristinum sodalitium. Scis, nusquam non inveniri plurimos huius artis auidissimos. *Ir.* Audiui, & credo. *Mi.* In horum familiaritatem quacunque occasione memet insinuo: iacto artem. Vbi sensero larum[21] hiantem escam* paro. *Ir.* Quo pacto? *Mi.* Vltro eos moneo, ne temere credant eius artis professoribus. Nam plerosque esse impostores, id agentes præstigiis suis, vt exhauriant loculos incautorum. *Ir.* Istuc procemii parum accommodum tuo negotio. *Mi.* Imo illud etiam addo, ne quid mihi ipsi credant, ni rem certam oculis ac manibus deprehenderint. *Ir.* Miram artis fiduciam mihi narras. *Mi.* Iubeo illos adesse, dum peragitur metamorphosis: iubeo attentos esse: quoque minus dubitent, iubeo vt ipsi manibus rem omnem peragant, me procul spectante, nec digitum admouente: liquefactam materiam iubeo vt purgent ipsi, aut aurifici purgandam deferant: prædico quantum argenti auriue sit eliquandum: denique quod eliquatum est, iubeo vt pluribus aurificibus deferant ad Lydium lapidem** explorandum.

Re-

21 Larus, piscibus auis inhians Gauia alio nomine, in prouerbium abiit, vt dicatur omnis, quisquis auidius prædæ inhiaret. Sic dictus Cherephoon parasitus. Cæl. Rhodiginus Lect. Antiq. lib. X. c. 6. Laron Comici scribit, pro furacissimo vsurpant: Nam est auis Laros voracis naturæ rapacisque. Sunt qui fulicam eo nomine accipiunt. Sentire larum hiantem. Mercken daß einer auff etwas begierig ist/ lauert/ lauschet/ wartet. * Esca δέλεαρ, qua capiuntur pisces & aues. ** Lydius lapis vocatur coticula, qua exploratur aurum.

Reperiunt pondus prædictum [22], reperiunt purgatissimum aurum aut argentum: nihil enim refert, nisi quod minore periculo mihi quidem res tentatur in argento. *Ir.* Proinde nihil habet ars tua fuci? *Mi.* Imo merus fucus [23] est. *Ir.* Nondum video præstigium. *Mi.* Faxo [24] vt videas. Primum paciscor [25] de mercede: eam nolo mihi numerari, nisi prius edito artis experimento. Trado illis puluisculum, quasi huius vi conficiatur totum negotium. Rationem conficiendi pulueris non communico, nisi magna mercede redemerint. Exigo iusiurandum, ne proferant arcanum artis intra sex menses cuiquam mortalium aut immortalium. *Ir.* Nondum audio fucum. *Mi.* Fucus omnis est in vno carbone in hoc [26] parato. Excauo [27] carbonem; in eum insero liquefactum argentum, quantum prædico [28] reddendum: post infusum puluerem, sic instruo vas, vt non solum inferne & a lateribus cingatur prunis, verum etiam superne: persuadeo, hoc esse artis. Inter carbones, qui superne imponuntur, vnum admisceo, qui tegit argentum, aut aurum. Id vi caloris liquefactum defluit in reliquam materiam, quæ liquescit, puta stannum, aut æs: repurgatione facta inuenitur quod admixtum est. *Ir.* Ars expedita [29], sed quomodo fallis, si al-

22 Caius Princeps vt aurum faceret magnum pondus auripigmenti excoqui iussit & inde excellens aurum fecit teste Plinio; sed ita parui ponderis, vt in detrimentum cederet. 23 mera impostura, deceptio, fallacia, fraus. 24 Efficiam, Dabo, Curabo, Faciam quantum potero. 25 transigo, contraho. 26 ad hoc adaptato, præparato in hunc finem. 27 Excauatum reddo. 28 prænuncio, ante assero. 29 Dic

alter rem agat suis manibus? *Mi.* Cum is me præscribente perfecit omnia, priusquam moueatur vas alcumisticum, accedo tandem, & circumspicio, ne quid forte sit omissum. Aio, mihi videri supernè deesse vnum atque alterum carbonem: clam appono meum; fingo, me eum tollere ex aceruo reliquorum, at illic ante sic positum, vt nulli possit agnosci, & illum fallere. Tollo. *Ir.* Cæterum cum illis absque te periculum facientibus non succedit, quid adfers? *Mi.* Mihi nihil est periculi, iam numerata pecunia. Aliquid comminiscor, aut ollam fuisse insinceram [30], aut carbones vitiosos, aut ignem parum scite temperatum. Denique pars est artis, quam profiteor, non diu hærere in eodem loco. *Ir.* An tantus est prouentus istius artis, vt te possit alere? *Mi.* [31] Et quidem splendide: posthac tu quoque, si sapis, relinques istam miseriam, & nostro accedes ordini. *Ir.* Imo citius illud agam, vt te reuocem in nostrum ordinem. *Mi.* Vt volens repetam quod semel effugi, ac deseram bonum quod inueni? *Ir.* Habet hoc nostra professio, dulcescit assuetudine [32]. Proinde cum multi sint, qui deficiant ab instituto diui Francisci, aut Benedicti; quem vnquam vidisti, qui diutius versatus in ordine nostro defecerit? Nam tam paucis mensibus vix

Kunst geht an/ ist practicabel. Salua res est. 30 impuram, immundam. 31 Est; vtique, prorsus, omnino; quidni? 32 Respexit huc Lacon ille mendico stipem petenti respondens: si quid tibi dedero, magis es futurus mendicus. Istius probrosæ vitæ tuæ fuit autor, qui primus tibi dedit, teque fecit inertem. Plutarch.

vix gustare potueras, quid esset mendicitas. *Mi.* Is gustus me docuit, esse rem omnium miserrimam. *Ir.* Cur igitur nemo deficit? *Mi.* Fortasse quia natura miseri sunt. *Ir.* Ego hanc miseriam ne cum Regum quidem fortuna commutarim. Nihil enim regno similius, quam mendicitas. *Mi.* Quid ego audio? nihil niui similius quam carbo. *Ir.* Dic mihi, qua re potissimum beati sunt Reges? *Mi.* Quia faciunt quod animo collubitum est. *Ir.* Ista libertas, qua nihil suauius, nemini Regum magis adest, quam nobis. Nec dubito, quin multi Reges sint, qui nobis inuideant. Siue bellum est siue pax, nos tuto viuimus [33]: non describimur ad militiam, non vocamur ad munia publica, non censemur*: cum populus expilatur exactionibus, nullus inquirit in vitam nostram: si quid admissum est etiam atrocius, quis dignetur in ius vocare mendicum? Etiam si pulsamus hominem, pudet pugnare cum mendico [34]. Regibus nec in pace, nec in bello licet suauiter agere; & quo maiores sunt, hoc plures metuunt. Nos veluti Deo sacros, etiam religione quadam metuit vulgus offendere. *Mi.* Sed interim sordescitis in pannis, & casulis. *Ir.* Quid ista faciunt ad veram felicitatem? Extra hominem sunt, quæ narras. His pannis debemus nostram felicitatem. *Mi.* At veror ne vobis breui peritura sit felicitatis istius bona pars. *Ir.* Qui sic? *Mi.* Quia iam hoc mussant ciuitates, ne mendicis liberum

33 Cantabit vacuus coram latrone Viator. * Vnde & Census dicitur, quum numeratis singulis ac facultatibus æstimatis, indicitur exactio. 34 Rodolph. Goclenius.

Seu victor, seu victus eris, maculère necesse est:
Si sit cumvili stercore pugna tibi.

rum ſit quo libet euagari, ſed vnaquæque ciuitas ſuos alat mendicos [35], & in his qui valent [36], adigantur ad laborem. *Ir.* Cur hoc moliuntur? *Mi.* Quia comperiunt, ingentia facinora ſub mendicitatis prætextu perpetrari [37]. Deinde non minimam perniciem ex veſtro ordine naſci [38]. *Ir.* Iſtiusmodi fabulas frequenter audiui. Id fiet ad Calendas Græcas [39]. *Mi.* Fortaſſe citius, quam velles.

CON-

35 Conſtitutiones Caroli M. Iuſtiniani Imperat. aliasque congeſtas exhibet Camerar. in Horis Subciſ. Cent. II. cap. 74. 36 qui inter eos valent, qui arte ad fallendum cantilenas mendicitatis edocti vlcera corporisque mutilationes quæſtus cauſa prætexunt. 37 Plato lib. 8 de re publ. In ea ciuitate, in qua videas mendicos, eſſe dicit fures, latebras quæritantes ſectores zonarios, ſacrilegos & huiusmodi ſcelerum artifices. Lepide igitur mendicis validis & otioſis iubetur panis dari & pugnus impingi. Verſus Græcus, vt a Mureto in variis Lect. inducitur hic eſt: Δὸς ἄρτον πτωχῷ, καὶ κονδύλον ὄψον ἐπ' αὐτῷ. 38 Iohannes Auentinus de rebus Turcic. Nunquam ſane ab eo tempore, quo mendicantes Monachi exorti fuere, ſtatus Eccleſiæ fuit felix. Profecto quocunque tandem modo ſuam hypocriſin tueantur, extra controuerſiam eſt, mendicare æque atque fornicari a DEO prohibitum eſſe. Hæc & alia Auentinus. Alphonſus Aragoniæ Rex in palatio fucos circa aluearе pingi curauerat addito Lemmate: Malum regnum, vbi apes laborant fuci deuorant. Panormit. 39 *Nunquam*; cum Calendas Græci non habeant, ſed Nouilunia ſ. νεομηνίας. Vide Calendarium Grammat. Græcæ noſtræ annexum, & Sueton. c. 87. in Vita Auguſti.

CONVIVIVM FABVLOSVM.

* POLTMTTHVS, GELASINVS, EVTRAPELVS, ASTAEVS, PHILTTHLVS, PHILOGELOS, EVGLOTTVS, LEROCHARES, ADOLESCHES.

Po. VT non decet ciuitatem bene institutam esse sine legibus ac principe[1], ita nec conuiuium oportet ἄναρχον esse καὶ ἄνομον [2]. *Ge.* Istuc vero perplacet, vt vnus totius populi nomine respondeam. *Po.* Heus puer, adfer huc talos [3], horum suffragiis decernetur regnum [4], cuicunque fauerit Iupiter. Euge, Eutrapelo fauit [5] Iupiter. Non fuere sortes cæcæ [6]; non poterat magis idoneus eligi,

---

* Fabulosus. *Gelasinus*, Ridiculus. *Eutrapelus*, Facetus. *Astæus*, Vrbanus. *Philythlus*, Amans nugarum. *Philogelos*, Amans risum. *Euglottus*, Bene linguax. *Lerochares*, Qui gaudet nugis. *Adolesches*, Nugator. 1 Rex & Lex non nisi vnica discrepant litera. Et quid aliud Rex, quam viua Lex? Lex loquens? quid aliud Lex, quam mutus Rex? & ita quidem Rex, vt sola esset dominatura, si ipsa sese explicare posset. Sauædra Symb. Politic. p. 152. 2 sine Rege & Lege. 3 cubos, tesseras. 4 ei, illi, isti, huic. 5 bene cupiit, voluit. 6 Egregie scilicet Thomas Browne in Religione Medici P. I. Sect. 17. quem libellum aureum vocat Stockflethus in Exercit. Academ. de Campanarum vsu c. 26. P. I. p. 125. §. 2. Latrunculorum ludum a præcatiuncula aliqua auspicari, non est ita ridiculæ religionis; in ipsis enim sortilegiis & quæcunque fortunæ maxime obnoxia videntur, euentorum certa quædam est & præfinita series. Ipsi nimirum cæci sumus, non fortuna: quia hebetior est nobis oculorum acies, quam vt administrationis eius mysterium perspiciamus; nos stulti cæcam inepte pingimus, Numinisque omnipotentis prouidentiæ obuelamus oculos. Nec vili illi Prouerbio patrocinor: Fortunam fauere fatuis.

gi, etiamſi per ſingulas tribus viritim collecta fuisſent puncta[7]. Vulgo iactatur prouerbium non tam vanum, quam parum Latinum; *Nouus rex, nouus lex*[8]. Νομοθέτει γοῦν, ὦ βασιλεῦ*. Quod felix** fauſtumque ſit huic conuiuio: Primum edico, ne quis heic proferto præter ridiculas fabulas. Cui deerit fabula, drachma multator; ea pecunia in vinum inſumitor. Atque in legitimis fabulis etiam ex tempore conficta habentor, modo ſeruetur τὸ πιθανὸν***, καὶ πρέπον. Si nulli defuerit fabula[9], duo, quorum alter lepidiſſimam, alter frigidiſſimam fabulam dixerit, vini pretium penduntο. Conuiuator a vini ſumptu immunis eſto; ciborum ſumtum vnus ſuppeditato: huius rei ſi quid inciderit contrſouerſiæ, Gelaſinus arbiter ac iudex eſto. Hæc ſi vos ſciueritis, rata ſunto. Qui legi parere[10] noluerit, abito: ſic tamen vt poſtridie ad compotationem redire ius fasque ſit. *Ge.* Legem a rege latam noſtris ſuffragiis ratam eſſe volumus. Sed vnde proficiſcetur fabularum circulus[11]. *Eut.* Vnde, niſi a conuiuatore? *Aſ.* Licetne, rex, dicere tria verba*? *Eut.* An tu credis, nefaſtum

---

Conf. Annotationes Leon. Nicol. Moltkii ad hanc Sect. p. 108. ſqq. 7 ſuffragia, momenta. 8 Neue Obrigkeiten, neue Gerechtigkeiten. * Id eſt, Statue leges igitur, o Rex. ** Ab hac ſolenni precatione ſolebant olim auſpicari qui rem ſeriam agebant apud populum. *** Id eſt, Veriſimile, & τὸ πρέπον, id eſt, Decorum. 9 Si omnes attulerint fabulam. 10 obedire, obſequi, obtemperare, obſecundare, morem gerere, ſe ſubmittere, ſubiicere, ſubdere. 11 principium, exordium, auſpicium, initium? * Dixit pro paucis. Quod alter ludens torquet ad dies nefaſtos, in quibus

ſtum [12] eſſe conuiuium? *Aſ.* Iureconſulti negant, legem eſſe, quæ non ſit æqua [13]. *Eut.* Aſſentior. *Aſ.* At tua lex æquat [14] optimam fabulam peſſimæ. *Eut.* Vbi voluptas [15] quæritur, ibi non minus laudis promeretur qui peſſime dixit, quam qui optime: eo quod non minus delectet. Velut inter cantores nemo voluptati eſt, niſi qui aut inſigniter bene [16] cecinerit, aut egregie ma-

iuſtitium erat, nec licebat prætori dicere tria verba, do, dico, addico. Sic Ouidius: Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur. 1. Faſt. 10. Liu. lib. 1. c. 19. 12 nefarium, infauſtum, vitioſum, dirum, irritum atque infectum? 13 Prætorius Prof. quondam Ienenſis in Theatro Politico p. m. 228. de Legibus in ſenſu latiſſimo legem dicit iuſſum a ſumma poteſtate promulgatum ob bonum totius reipubl. ita vt eam iuſtam aut iniuſtam eſſe ex accidenti ſit. Et in hac ſignificatione omnes leges, quæ apud gentes permiſerint furta, adulteria, viuorum ſepulturam, leges fuiſſe dicit. Nam ſicut de eſſentia hominis quidem eſt rationalitas, non tamen de eſſentia animalis: ita quamuis iuſtum ſit de eſſentia legis diuinæ aut naturalis, non tamen de eſſentia legis eſſe vt ſic. Strictior autem & ſecunda legis acceptio media eſt, quæ dici poteſt regula recta, præſcribens ſolum iuſta, prohibens iniuſta. Strictiſſime autem a ICtis contradiſtinguitur Lex Plebiſcito, Senatus conſulto, Edicto Prætorio &c. Negat quoque Arniſæus in Polit. lib. 1. c. 17. eſſe de eſſentia legis vt bona ſit. Conf. Becmannus in Meditat. Polit. c. XIII. §. V. vbi Conſequens eſſe dicit legum vt obligent, & quærit: an LL. iniuſtæ obligent. 14 pari pretio habet optimam & peſſimam. 15 oblectatio, riſus & iocus intenditur. 16 Bene Ouidius lib. I. de Arte amandi:

Si vox eſt canta; ſi mollia brachia ſalta,
Et quacunque potes dote placere, place.

Accommodare etiam huc licebit illud de Cantore adagium: Bonus Cantor, bonus cupediarius. Ἀγαθὸς ψάλτης ἀγαθὸς ὀψοποιός. Vnde Archidamus ad eum, qui ipſi Can-

male. Nonne plures ridiculum audito coccyce [17], quam audita luscinia? Heic mediocritas laudem non habet [18]. *Af.* At cur plectuntur qui laudem auferunt [19]: *Eut.* Ne nimia felicitas prouocet illis Nemesim [20] aliquam, si simul & laudem auferrent & immunitatem. *Af.* Per Bromium *, Minos ipse nunquam tulit legem æquiorem. *Phily.* Nullam feres legem de modo bibendi? *Eut.* Dispecta re, sequar exemplum Agesilai Lacedæmoniorum regis. *Phily.* Quid is fecit? *Eut.* Is cum tempore quodam symposiarchus ** talorum arbitrio delectus esset, rogante architriclino ***, quantum cuique vini iuberet apponi: Si largior, inquit, vini copia parata est, dato cuique quantum popoſcerit: si malignior, omnibus ex æquo distribuito. *Phily.* Quid sibi voluit Lacon ille cum hæc diceret? *Eut.* Hoc agebat [21], vt neque temulentum, neque rursum que-

---

torem commendare volens dixerat: Hic est bonus Cantor; regerebat: At apud nos hic est bonus condimentorum artifex. 17 cuculo. 18 Secundum Horat. lib. I Serm. Sat. I.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines.

Quod enim excedit modum, tametsi vitiosum est, tamen ad excitandam aliorum attentionem conducibile est. 19 quibus palma conceditur, qui laudem, victoriam reportant. 20 Nemesis Dea insolentiæ & arrogantiæ vindex, quæ spes immoderatas & vetat & punit. Immoderata felicitas rumpit animos, quia ea non tantum in aliorum iniuriam sed etiam in suam vtuntur. Seneca Epist. 39. Et Poëta:

Summa vel ima fuge, extremum deflebis vtrumque:
Sors nimis alta ruit, sors nimis ima iacet.

* i. e. Bacchum. Est Ethnica iurandi formula. ** Princeps conuiuii. *** Qui curat cibos apponendos ac potum. Olim conuiuium tres spondas habebat. 21 indicabat, in-

querulum[22] esset conuiuium. *Phily.* Qui sic? *Eut.* Quia sunt qui gaudent largius bibere, sunt qui gaudent parcius: reperiuntur & abstemii[23], qualis dicitur fuisse Romulus[24]. Itaque si nulli datur vinum nisi poscenti, primum nemo compellitur ad bibendum; & tamen nihil desiderant, quibus grata est largior potatio. Ita fit, vt nemo tristis sit in conuiuio. Rursus, si parcior copia vini distribuitur æquis portionibus in singulos, satis habent qui bibunt moderatius: neque quisquam in æqualitate potest obmurmurare, quando qui largius erat hausturus, æquo animo componit sese ad temperantiam. Hoc exemplum si placet, vtar. Volumus enim hoc conuiuium fabulosum esse, non vinosum. *Phily.* Quid igitur bibebat Romulus? *Eut.* Idem quod bibunt canes *. *Phily.* An non istud indignum rege? *Eut.* Nihilo magis quam quod reges spirant aëre cum canibus communi: nisi quod illud interest; Rex non bibit eandem aquam, quam biberet canis: sed aërem quem efflauit rex, haurit canis; & vicissim quem efflauit canis, haurit rex. Plus gloriæ tulisset Alexander[25] ille magnus, si cum canibus bibisset. Nihil enim peius regi, qui tot

digitabat, aiebat. 22 parcum & sordidum. 23 vinum non bibentes, a vino abstinentes, abs temeto se continentes, ἄοινοι. 24 Romulum lacte non vino libasse scribit Plinius lib. 14. c. 12. Et vini tædium venire his, qui ex Clitorio lacu biberint lib. 31. c. 2. Cyrum vino abstinuisse metu ebrietatis, Xenophon autor est lib. I. Cyro-Pædiæ p. 7. venenum inesse caussatum. * Cuius natura abhorret a vino. 25 Non solum in conuiuio quodam ebrius Clytum sibi charissimum hasta transfixit, sed ipse Babylone inter pocula, vino & veneno periit.

tot hominum millibus vigilat, quam vinolentia. Cæterum Romulum abstemium fuisse, declarat apophthegma non infestiuiter ab illo dictum. Etenim cum quidam, videns illum abstinere a vino, dixisset: *Vinum vile futurum, si omnes biberent quemadmodum ille; Imo*, inquit, *tum arbitror fore carissimum, si biberent omnes vinum quemadmodum ego. Bibo enim quantum libet* [26]. *Ge.* Vtinam heic adesset noster Ioannes Botzemus canonicus Constantiensis [27], qui nobis Romulum quendam referret! nam & is abstemius non minus est, quam dicitur, alioqui comis ac festiuus conuiua. *Po* Age, si simul potestis, non dicam sorbere & flare [28], quod Plautus ait esse difficile, sed edere & audire, quod est perfacile, bonis auibus [29] auspicabor [30] fabulandi munus. Si parum erit lepida fabula, scitote, Batauam [31] esse. Opinor, aliquot [32] vestrûm auditum Macci nomen. *Ge.* Non ita diu est quod periit. *Po.* Is cum venisset in ciuitatem quæ dicitur Leydis [33], ac vellet nouus hospes innotescere ioco quo-

26 Gellius lib. XI. c. 14. ex Annalibus Pisonis sequentia verba affert: Eundem Romulum dicunt ad cœnam vocatum ibi non multum bibisse. Ei dicunt: Romule, si isthuc omnes homines faciant, vinum vilius sit. Is respondit: imo vero carum, si quantum quisque volet, bibat: nam ego bibi quantum volui. 27 ad quem variæ ab Erasmo scriptæ exstant Epistolæ. 28 duo diuersissima negotia eodem tempore conficere. Zugleich suppen und blasen. 29 felicis spe successûs. Modus loquendi ab auguribus, qui ex auium volatu, pastu, cantu &c. futura prædicebant. Vid. Val. Max. & Barnab. Brisson. Liuius lib. 6. Venire secundis vel bonis auibus, id est, auspiciis. 30 incipiam, aggrediar, ordiar. 31 Bataui olim simplices & ingenui habiti. 32 ab aliquot, a quibusdam, abs quibusdam, aliquibus. 33 Lei-

quopiam, (nam is erat homini mos;) ingressus est officinam calcearii: salutat. Ille cupiens extrudere merces suas, rogat, nunquid vellet. Macco coniiciente oculos in ocreas ibi pensiles, rogat sutor, num vellet ocreas. Annuente Macco, quærit aptas tibiis illius; inuentas alacriter protulit, &, vt solent, inducit[34] illi. Vbi iam Maccus esset eleganter ocreatus; *Quam belle*, inquit, *congrueret his ocreis par calceorum duplicatis soleis.* Rogatus an & calceos vellet, annuit. Reperti sunt, & additi pedibus. Maccus laudabat calceos. Calcearius tacite gaudens, succinebat illi laudanti, sperans precium æquius, posteaquam emtori tantopere placeret merx. Et iam erat nonnulla contracta familiariras. Heic Maccus: *Dic mihi*, inquit, *bona fide, nunquamne vsu venit tibi, vt, quem sic ocreis & calceiis ad cursum armasses, quemadmodum nunc armasti me, abierit non numerato pretio? Nunquam*, ait ille. *Atqui si forte*, inquit, *veniat vsu, quid tu tum faceres? Consequerer*, inquit calcearius, *fugientem.* Tum Maccus, *Serione ista dicis, an ioco? Plane serio*, inquit alter, *loquor; & serio facerem. Experiar*, ait Maccus. *En pro calceis præcurro, tu cursu sequere.* Simulque cum dicto coniecit se in pedes[35]. Calcearius e vestigio[36] consecutus est, quantum poterat, clamitans, *Tenete furem, tenete furem.* Ad hanc vocem cum ciues vndique prosiliissent ex ædibus, hoc commento cohibuit illos Maccus, ne quis manum iniiceret; ridens ac vultu placido, *Ne quis*, inquit, *remo-*

---

da, Lugdunum Batauorum. 34 induit. 35 in fugam se dedit. 36 mox, illico, confestim.

moretur[37] *cursum nostrum; certamen est de cupa*[38] *cereuisiæ.* Itaque iam omnes præbere sese certaminis spectatores[39]. Suspicabantur autem, calcearium dolo clamorem eum fingere, vt hac occasione anteuerteret[40]. Tandem calcearius cursu victus, sudans & anhelus[41] domum rediit. Maccus tulit brabeum[42]. *Ge.* Maccus iste effugit quidem calcearium, at non effugit furem[43]. *Po.* Quam ob rem? *Ge.* Quia furem ferebat secum[44]. *Po.* Forte tum non erat ad manum pecunia, quam postea resoluit[45]. *Ge.* Verum erat actio[46] furti. *Po.* Ea quidem post intentata est, sed iam magistratibus aliquot innotuerat Maccus. *Ge.* Quid attulit Maccus. *Po.* Quid attulit? rogas? in caussa tam vincibili[47]? Magis periclitatus est actor[48] quam reus[49]. *Ge.* Qui sic? *Po.* Quia grauabat illum actione calumniæ[50], & intendebat legem Rhemiam*, quæ dictat, vt, qui crimen intenderit, quod probare non possit, pœnam ferat, quam laturus erat reus,

---

37 impediat, infringat. 38 vase, doliolo. Eine Kuffe/ein Väßlein/ Väßchen. 39 cœperunt. 40 Macco currenti, præuerteret, præueniret currentem. 41 crebris singultibus spirans. Keichend. 42 præmium, quod victori post pugnam legitime decertatam cedebat. 43 furis notam, maculam. 44 gestabat, fouebat in sinu. 45 tandem soluit, numerauit. 46 ius agendi, vel intentandi actionem de furto. Er hätte können klagen/ ihn Diebstahls halben anklagen/ als einen Dieb verklagen. 47 quæ facile naturam, vt vinci queat, induit. Darinne sich leichtlich gewinnen/ eine Sache die sich leichtlich erhalten läßt. 48 Calcearius, qui actionem furti intentauit. 49 qui in rem, causam, iudicium vocatus est, Maccus nempe. 50 Er hat ihn Iniuriarum belangt/einen Injurien-Proceß mit ihm angefangen. * Quæ ad pœnam talionis vocat calumniatorem.

reus, si conuictus fuisset. Negabat se contrectasse rem alienam inuito domino, sed vltro deferente, nec vllam pretii mentionem intercessisse. Se prouocasse calcearium ad certamen cursus, illum accepisse conditionem, nec habere quod queratur, cum esset cursu superatus. *Ge.* Hæc actio non multum abest ab vmbra asini [51]. Quid tandem? *Po.* Vbi satis risum est, quidam e iudicibus vocauit Macœum ad cœnam, & numerauit calceario pretium. Simile quiddam accidit Dauentriæ [52] me puero. Erat tempus illud, quo regnant piscatores, frigent lanii*. Quidam adstabat ad fenestram fructuariæ **, siue Græce mauultis, oporapolidis [53], fœminæ vehementer obesæ, oculis intentis in ea, quæ proposita venum erant [54]; illa ex more inuitauit, si quid vellet: & cum videret hominem intentum ficis: *Vis, ait, ficos? sunt perquam elegantes.* Cum ille annuisset, rogat quot libras vellet: *Vis, inquit, quinque libras?* Annuenti, tantum ficorum effudit in gremium. Dum illa reponit lances [55], ille se subdu-

51 Iuuenis iter faciens cum nullibi æstum meridianum effugeret, sub asino resedit. Agaso id non sinebat clamans asinum locatum non asini vmbram. Alter asseuerabat esse conductam. Post acerrimam rixam in ius ambulant. 52 vrbs, in qua Erasmus nouennis sub Hegio & Zinthio literis operam dare cœpit: Deuenter, vnde post matris patrisque obitum Syluam Ducis abire iussus est. * Circumitione notauit Quadragesimam. ** Quæ vendit fructus arborum. 53 ὀπώρα Autumnus, fructus autumnales, πωλέω Vendo. Eine Obst-Krämerin. *Poma dat autumnus*; formosa est messibus æstas. Ver præbet flores. Igne leuatur Hiems. 54 vt venderentur. 55 id est libram aut bilances. Die Wage-Schalen, in quarum vna pondus, in altera res ponderanda ponitur.

ducit, non cursu, sed placide. Vbi prodisset acceptura pecuniam, vidit emtorem abire, insequitur maiore voce quam cursu. Ille dissimulans pergit quo cœpit ire: tandem multis ad fœminæ vocem concurrentibus, restitit. Ibi in populi corona [56] agitur caussa: risus oboritur: emtor negabat se emisse, sed, quod vltro delatum [57] fuisset, accepisse: si vellet experiri apud iudices [58], se compariturum [59]. *Ge.* Age, narrabo fabulam tuæ non admodum dissimilem, fortasse nec inferiorem [60], nisi quod hæc non habet auctorem perinde celebrem atque est Maccus. Pythagoras totum mercatum diuidebat in tria hominum genera: quorum alii prodiissent vt venderent, alii vt emerent (hoc vtrumque genus aiebat solicitum esse, proinde nec felix) alios non ob aliud venire in forum, quam vt spectent, quid illic proferatur, aut quid agatur: hos solos esse felices, quod vacui curis, gratuita voluptate fruerentur. Atque ad hunc modum dicebat Philosophum versari in hoc mundo, quemadmodum illi versarentur in mercatu [61]. Verum in nostris emporiis quartum hominum genus obambulare solet, qui nec emunt, nec vendunt, nec otiosi contemplantur, sed obseruant solicite, si quid possint inuolare [62]. Atque in hoc genere reperiuntur quidam mire dextri [63], dicas esse Mercurio [64] fauente

56 circulo; circumstantis vulgi cœtu. 57 oblatum. 58 denuntiare, accusare iudici. 59 adfuturum, præsto futurum. 60 viliorem, secundam. 61 nundinis, foro. 62 furari, rapaciter subtrahere & quasi cauam manum, volam, iniicere, aut in eadem rem subductam condere. 63 agiles, veloces. 64 Mercurius non solum facundus, sed & merca-

re natos. Conuiuator dedit fabulam cum coronide[65]; ego dabo cum procemio[66]. Nunc accipite[67], quod nuper accidit Antuerpiæ. Sacrificus quidam receperat illic mediocrem summam pecuniæ, sed argenteæ. Id impostor quidam animaduerterat. Adiit sacrificum, qui gestabat in zona[68] crumenam nummis turgidam: salutat ciuiliter; narrat, sibi datum negotium a suis, vt vici sui parocho[69] mercaretur nouum pallium sacrum, quæ summa[70] vestis est sacerdoti rem diuinam peragenti. Rogat, hac in re commodaret sibi tantillum operæ, vt secum iret ad eos, qui vendunt huiusmodi pallia, quo videlicet ex modo[71] corporis ipsius sumeret maius aut minus[72]; nam sibi videri staturam ipsius cum parochi magnitudine vehementer congruere. Hoc officium, cum leue videretur, facile pollicitus est sacrificus. Adeunt ædes cuiusdam. Prolatum est pallium, sacrificus induit, venditor affirmat mire congruere. Impostor cum nunc a fronte, nunc a tergo contemplatus esset sacrificum, satis probauit pallium; sed caussatus est, a fronte breuius quam par esset. Ibi venditor, ne non[73] procederet contractus, negat id esse pallii vitium, sed crumenam turgidam efficere, vt ea parte offenderet[74] breuitas. Quid multa? Sacrificus deponit crumenam; denuo

torum & furum Deus fingitur a Poëtis. 65 additamento, mantissa, bellariis. Zugabe. Coronis est summitas alicuius rei. Hinc *Coronidis* loco addere, est Germ. Zu guter letzt mit anhencken. 66 præloquio, præambulo, initio, principio. 67 audite. 68 cingulo; ein Leib-Gürtel. 69 sacrificulo, sacerdoti regimini Ecclesiastico pagi sui destinato. 70 extima, suprema. 71 mensura, statura. 72 pallium. 73 vt, quo procederet, ne impediretur. 74 obesset, displiceret.

nuo contemplantur. Ibi impoſtor auerſo ſacrifico crumenam arripit, ac ſemet in pedes coniicit. Sacerdos curſu inſequitur vt erat palliatus, & ſacrificum venditor. Sacrificus clamat, *Tenete furem:* venditor clamat, *Tenete ſacrificum*; impoſtor clamat, *Cohibete ſacrificum furentem* [75]; & creditum eſt, cum viderent illum ſic ornatum in publico currere [76]. Itaque dum alter alteri in mora eſt impoſtor effugit. *Eut.* Dignus qui non ſimplici [77] ſuſpendio pereat, tantus artifex. *Ge.* Niſi iam pendet. *Eut.* Vtinam non ſolus, ſed vna cum illo qui talibus portentis [78] fauent in perniciem Reipub. *Ge.* Non fauent gratis *. Catena eſt, quæ demiſſa in terras pertingit ad Iouem. *Eut.* Ad te redit ordo **, ſi fas eſt Regem in ordinem cogere. *Eut.* Non cogar; imo volens veniam in ordinem; alioqui tyrannus eſſem, non Rex, ſi leges, quas aliis præſcribo [79], recuſem. *Aſ.* Veruntamen aiunt, Principem eſſe ſupra leges. *Eut.* Iſtuc non omnino falſo dictum eſt, ſi Principem accipias ſummum illum Principem, quem tum vocabant Cæſarem. Deinde ſi ſic accipias ſuperiorem legibus, quod alii coacti vtcunque ſeruant, illum ſuapte ſpon-

---

75 Oſtendit differentiam Verborum: Furari & furere, aut potius Participiorum: furantem atque furentem. 76 furere ſacrificum ſcilicet creditum eſt. 77 multiplici, non vno, pluſquam ſimplici. 78 nebulonibus, peſtibus, monſtris. * Alludit ad catenam argenteam Homeri. Videtur ſubindicare, quod ex talibus impoſtoribus aliquid lucri veniat ad præfectos, & hinc ad principes. ** Id eſt, Vices: cogere in ordinem, eſt facere cæteris æqualem. Zu Paaren/ Rande treiben. 79 Pittacus apud Auſonium: Pareto legi quiſquis legem ſanxeris.

ſponte multo cumulatius præſtare. Quod enim animus eſt corpori, hoc eſt bonus Princeps Reipublicæ. Quid opus erat addere, bonus, quando malus Princeps non eſt Princeps: quemadmodum ſpiritus impurus, qui inuaſit corpus hominis, non eſt animus. Sed ad fabulam; & arbitror conuenire, vt Rex regiam fabulam adferam![80]. Ludouicus Galliarum Rex, eius nominis vndecimus, cum rebus domi turbatis peregrinaretur apud Burgundiones, occaſione venationis nactus eſt familiaritatem cum Conone quodam homine ruſtico, ſed animi ſimplicis ac ſinceri. Nam hoc genus[81] hominibus delectantur Monarchæ[82]. Ad huius ædes frequenter diuerterat Rex ex venatu; &, vt plebeiis rebus nonnunquam delectantur magni Principes, apud eum magna cum voluptate veſcebatur rapis. Mox

---

80 Magnos magna decent. Neminem excelſi ingenii humilia delectant & ſordida. 81 huius generis, eiusmodi, eiuscemodi. 82 Iacobus I. Stuartus Rex Scotiæ mutatis veſtibus ſæpius explorauit conditionem ſubditorum; æque vt Aripertus II. Longobardorum Rex ignoto habitu per oppida vagabatur ſciſcitando & explorando, ecquid de ſe ſuisque iudicibus populi quererentur. Paulus Diac. lib. VI. c. 10. & 12. Sigon. lib. II. Regni Ital. Fridericus ſenior Dux Auſtriæ; Imperatoris Friderici III. patruus, ſæpe mutata veſte ſolus inter aggreſtes verſatus eſt; cum quibus diurna mercede & arans & quæuis ruris munia faciens & de ſe ipſo & de purpuratis ſuis confabulabatur. Interrogatus cur id ageret? neque enim de me, inquit, alio modo verum audire poſſum. Æneas Syluius lib. 3. Comment. in Panormitan. Georgius Sabinus ita dictum expreſſit:

Quærenti vero cauſam cur Regibus ortus
Princeps agricolam ſe ſimularet? ait:
Me iuuat e rudibus cognoſcere vera colonis,
Seruit adulatrix auribus aula meis.

Mox vbi Ludouicus restitutus [83] iam rerum potiretur [84] apud Gallos, submonuit Cononem vxor, vt Regem veteris hospitii commonefaceret; adiret illum, & rapas aliquot insignes illi dono adferret. Tergiuersatus [85] est Conon, se lusurum operam: Principes enim non meminisse talium officiorum. Sed vicit vxor. Deligit Conon rapas aliquot insignes; accingitur itineri. Verum ipse per viam [86] captus illecebra cibi, paullatim deuorauit omnes, vna dumtaxat excepta insigniter magna. Vbi Conon prorepsisset [87] in aulam [88], qua Rex erat iturus, statim agnitus est a Rege, & accersitus [89]. Ille magna cum alacritate detulit munus; Rex maiore cum alacritate accepit, mandans cuidam e proximis vt diligenter reponeretur inter ea, quæ haberet carissima. Cononem iubet secum prandere: a prandio egit Cononi gratias, & cupienti repetere rus suum, iussit pro rapa numerari mille coronatos aureos. Huius rei fama cum, vt fit, per omne Regis famulitium [90] esset peruagata, quidam ex aulicis dono dedit Regi equum non inelegantem. Rex intelligens, illum prouocatum benignitate quam præstiterat Cononi, captare prædam [91], vultu maio-

83 post sextum secessûs sui annum. 84 summa rerum i, mperio, quod factum 1462. 85 Cunctatus est, dubitauit, veritus est. 86 in via, itinere. 87 Eleganter, prorepsisset pro: prodiisset, proripuisset se. Er ist gezogen kommen/ daher geschlichen/ wie das nasse Wetter. 88 ea regione, illac, isthæc. 89 accedere, appropinquare iussus. 90 satellitium, ministerium, per omnes, inter omnes Regis famulos, ministros. 91 munus dare hamatum, inhiare prædæ. Er werffe eine

iorem in modum[92] alacri accepit munus; & conuocatis primoribus[93] consultare cœpit, quo munere pensaret equum tam bellum, tamque pretiosum. Interim, qui donarat equum, spes opimas[94] animo concipiebat, sic cogitans: Si sic pensauit rapam donatam a rustico, quanto munificentius pensaturus est equum talem oblatum ab aulico? Cum Regi veluti de re magna consultanti alius aliud responderet, diuque vana spe lactatus esset captator; tandem Rex: Venit, inquit, in mentem, quod illi donem: & accersito[95] ex proceribus quopiam, dixit in aurem, vt adferat id, quod reperiret in cubiculo (simulque locum designat[96]) serico diligenter obuolutum. Adfertur rapa: eam, vt erat obuoluta, Rex sua manu donat aulico; addens, sibi videri bene pensatum equum cimelio*, quod sibi constitisset mille coronatis. Digressus aulicus dum tollit linteum, pro thesauro reperit, non carbones[97], quod

Brat-Wurst nach einer Speck-Seite; de qua auara liberalitate Ovvenus lib. Epigr.

Donat, vt accipiat; non accipit, vt det Acerra;
Accipere est illi meta; sagitta dare.

Et Martialis lib. V. Epigr. 18.

Odi dolosas munerum & malas artes;
Imitantur hamos dona; namque quis nescit
Auidum vorata decipi scarum musca?
Quoties amico diuiti nihil donat,
O Quinctiliane, liberalis est pauper.

92 perquam, valde, admodum. 93 proceribus, magnatibus. 94 largas, opulentas, magnas, prædiuites, lautas, insignes, prægrandes. 95 vocato ad se. 96 describit, definit. * Κειμήλιον Græcis est, preciosum aliquid, quod seruandi causa seponitur, apud Homerum. 97 Adagium ex

quod aiunt, sed rapam iam subaridam. Ita captator ille captus[98], risui fuit omnibus. *As.* Iam si permittis, Rex, vt plebeius loquar regalia, referam quod ex tua fabula venit in mentem de eodem Ludouico. Nam *vt ansa ansam, ita fabula trahit fabulam*[99]. Quidam famulus, cum vidisset pediculum repentem in veste regia, flexis genibus, ac sublata manu, significat, se nescio quid officii præstare velle. Ludouico præbente se, sustulit pediculum, & elam abiecit. Rogante Rege, quid esset, puduit fateri. Cum instaret Rex, fassus est fuisse pediculum. *Lætum*, inquit, *omen est*; *declarat enim, me esse hominem*; quod hoc genus vermiculorum peculiariter infestet hominem[100], præsertim in adolescen-

euentu natum, quo quis thesauri spe fodiens carbones defossos inuenit, in eos competit omnes, qui spe sua frustrantur, quique magnificis rebus expectatis meras nugas reperiunt. 98 Captator capitur dicitur de eo, qui in eas incidit pedicas, quas aliis struxerat. Sic faber compedes quos fecit ipse gestat. Der andern eine Grube gräbt fällt selbst darein. 99 Ein Wort giebt das andere; Eine Erzehlung die andere. 100 Pediculi, pulices & alia insecta molesta sunt hominibus, vt eo magis humilientur. Lepidum est ænigma de pediculorum captura:

In densis syluis venor bis quinque catellis;
Quod capio perdo, quod non capio mihi seruo.

Plane enim hic fit; vt si quid capias, hoc tu tibi ferre recuses; & quod non capias tecum tamen ipse reportes. Pertinet huc Homero a nautis propositum problema, quod cum soluere non posset & propterea derideretur, ægre adeo tulit, vt animam exhalarit: Quod cepimus, reliquimus; & quod non cepimus retinemus. Cæterum pediculos in pœnam

lescentia. Iussitque pro officio numerari coronatos quadraginta. Post dies aliquam multos alter quidam, qui viderat illi feliciter cessisse tam humile officium; nec animaduertens, plurimum interesse, ex animo facias quid, an arte; simili gestu aggressus est Regem, ac rursus illo se præbente, simulabat, se tollere quiddam e veste regia, quod mox abiiceret. Cum vrgeret Rex tergiuersantem [101], vt diceret, quid esset, mire simulato pudore, tandem respondit esse pulicem. Rex intellecto fuco, *Quid*, inquit, *an tu me facies canem* *? Iussit tolli ** hominem, ac pro captatis quadraginta coronatis infligi quadraginta plagas. *Phily.* Non tutum est, vt audio, cum Regibus facetiis ludere [102]. *Quemadmodum enim leones se nonnunquam placide præbent fricanti, iidem, vbi lubitum est, leones sunt, & iacet collusor; itidem fauent Principes* [103]. Sed adferam tuæ

---

contumaciæ Ægyptiorum & ad refundendam eorum superbiam immissas fuisse a DEO, ex Ps. 105. v. 31. & Exodi VIII. v. 16. 17. 18. notum est. 101 verecundantem, erubescentem, dubitantem. * Nam hoc animal maxime infestatur a pulicibus. ** Sublimem in humeros vt vapularet. 102 Henricus Wottonus cum albo amicorum Christophori Fleckameri lepidam hanc Legati definitionem: *Legatus est vir bonus peregre missus ad mentiendum reipublicæ causa*, parum abfuit, quin Gaspare Scioppio Romanæ aulæ Parasito in scriptis contra Regem Iacobum rei indignitatem exprobrante gratia Principis sui excidisset. Acta Erudit. Supplem. Sect. II. p. 84. sq. Conf. quod de Ianda facetiis in Georgium Podiebrazkium ludente ex Hagecio peruulgatum est: intempestiuus enim & insulsus Iandæ iocus vita ipsi constitit. 103 Augustus imperat. quendam ioco corripiebat, quod sic sibi libellum porrigere non dubitasset, quasi elephanto stipem. Sueton. c. 53. Principum

tuæ fabulæ fabulam non dissimilem, ne recedamus interim a Ludouico, cui pro delectamento erat, coruos hiantes[104] fallere. Dono acceperat alicunde decem millia coronatorum, (quoties autem Principibus obtigit noua pecunia, venantur omnes officiarii, & captant aliquam prædæ partem, id non fugiebat Ludouicum.) Cum igitur ea pecunia exprompta esset in mensa, quo magis irritaret spem omnium, sic loquutus est circumstantibus: *Quid? an non videor vobis Rex opulentus? Vbi collocabimus tantam pecuniæ vim? Donatitia est, donari vicissim conuenit. Vbi nunc sunt amici, quibus pro suis in me officiis debeo? Adsint nunc, priusquam effluat hic thesaurus.* Ad hanc vocem accurrere[105] permulti: nemo non sibi sperabat aliquid. Rex cum vidisset aliquem maxime inhiantem, & iam oculis deuorantem[106] pecuniam; ad eum conuersus, *Amice*, inquit, *quid tu narras*? Ille commemorabat, se diu aluisse falcones regios, summa fide, nec sine grauibus impendiis; alius aliud adferebat; suum quisq; officium verbis, quantum poterat, exaggerabat[107] idque non sine mendaciis. Rex omnes benigne audiebat, & singulorum orationem compro-

ira pulueri tormentario similis est, qui simul atque ignem concipit, mox vires suas exerit. Sauædra p. 55. 104 Coruum aut lupum hiantem deludit, qui captatorem suum arte frustratur. 105 accurrerunt, aduolarunt, approperarunt. 106 defixis oculis concupiscentem, ardenter cupientem. Er hat drauff gezielet/ wie ein Falcke. 107 laudabat, prædicabat, colorabat, pingebat, ornabat, verbis magnifice tollebat, extollebat.

probat. Hæc consultatio dilata est in longum tempus [108], quo diutius spe metuque torqueret omnes [109]. Adstabat inter hos primus Cancellarius; nam & hunc iusserat acciri [110]. Is cæteris prudentior, non prædicabat officia sua, sed agebat spectatorem fabulæ [111]. Ad hunc tandem conuersus Rex: *Quid*, inquit, *narrat meus Cancellarius? Solus ille nihil petit, nec prædicat officia sua.* *Ego*, inquit Cancellarius, *plus accepi a benignitate regia, quam promeruerim: nec vlla de re magis solicitus sum, quam vt regiæ in me munificentiæ respondeam* [112]*; tantum abest vt velim flagitare plura.* Tum Rex: *Vnus igitur*, inquit, *omnium non eges pecunia? Ne egerem*, inquit alter, *iam tua præstitit benignitas.* Ibi rex versus ad alios: *Næ ego sum*, inquit, *Regum omnium magnificentissimus, qui tam opulentum habeam Cancellarium.* Heic magis accensa spes est omnibus, futurum vt pecunia cæteris distribueretur, quandoquidem ille nihil ambiebat. Ad hunc modum vbi satis diu lusisset Rex, coëgit Cancellarium, vt totam eam summam domum auferret. Moxque versus ad cæteros iam mœstos, *Vobis*, inquit, *erit alia exspectanda occasio.* **Phi.** Fortasse frigidius* videbitur quod narraturus sum; proinde deprecor doli mali suspicionem furtiue, ne vi-

108 hat sich lange verzogen / verweilet / ist eine geraume Zeit hinaus gespielet worden / verzögert worden. 109 inter spem & metum versarentur omnes. 110 accersi, accersiri, adesse. 111 Er sahe / wo es hinaus wolte / wie es ablauffen würde. 112 vicissim dignum quid referam, aliquid fidissimarum operarum reponam. * De hoc vocabulo Budæus videndus in encomio linguæ Græcæ; qui interpretatur Absurdum, nec plausu excipiendum: cui facetum & plausibile opponitur.

videar de industria ambiisse immunitatem [113]. Adiit eundem Ludouicum quidam, petens vt munus, quod forte vacabat in eo pago, in quo habitabat, iuberet in ipsum transferri. Rex, audita petitione, expedite respondit: Nihil efficies: videlicet amputans omnem spem impetrandi quod petebatur. Petitor [114] item, mox actis Regi gratiis, discessit. Rex ex ipsa fronte colligens, hominem esse non omnino sinistri [115] ingenii, suspicansque, illum non intellexisse, quid respondisset, iubet eum reuocari. Redit. Tum Rex, *Intellexeras*, inquit, *quid tibi responderim? Intellexi. Quid igitur dixi? Me nihil effecturum. Cur igitur agebas gratias? Quoniam*, inquit, *est domi quod agam: proinde magno meo incommodo persequuturus eram heic spem ancipitem: nunc beneficium interpretor, cito negasse beneficium, meque lucratum quidquid eram perditurus, si vana spe lactatus* [116] *fuissem.* Ex eo responso Rex coniectans, hominem minime segnem [117], vbi pauca percunctatus esset, *Habebis*, inquit, *quod petis, quo mihi bis gratias agas;* simulque versus ad officiarios, *Expediantur*, inquit, *huic sine mora diplomata, ne heic diu suo damno hæreat. Eug.* Non deest quod referam

113 silentium, tacendi veniam. 114 Flagitator. 115 inepti, infelicis, bardi, stolidi. 116 detentus, falsa spe productus, oblectatus, in aliquam voluptatem inductus. *Αἰσχρόν τοι δηρόν τι μένειν κενεόντε νέεσθαι.* Turpe certe diu expectare vacuumque redire. Homerus. 117 negotiosum, operosum, laboriosum, sedulum.

ram de Ludouico, sed malo de nostro Maximiliano[118]. Qui vt nequaquam solitus est defodere pecuniam, ita clementissimus erat in eos, qui decoxerant[119], modo nobilitatis titulo commendarentur. Ex hoc hominum genere cum cuidam iuueni vellet opitulari, mandauit illi legationem, vt a ciuitate quadam, titulo nescio quo, peteret[120] centum millia florenorum. Talis autem erat titulus[121], vt si quid impetratum esset dexteritate legati, pro lucro duci posset. Legatus extorsit millia quinquaginta; Cæsari reddidit triginta. Cæsar lætus insperata præda, dimisit hominem, præterea nihil inquirens. Interea quæstores[122] & rationales[123] olfecerant[124], plus acceptum fuisse quam exhibitum[125]. Interpellant Cæsarem[126], vt accerseret hominem. Accitus est; venit illico. Tum Maximilianus: *Audio*, inquit, *te accepisse millia quinquaginta.* Fassus est. *Non exhibuisti nisi triginta millia.* Fassus est & hoc. *Reddenda est*, inquit, *ratio.* Promisit, se facturum; ac discessit. Rursum cum nihil esset actum, interpellantibus[127] officiariis reuocatus est. Tum Cæsar, *Nuper*, inquit, *iussus es reddere rationem. Memini*, inquit ille;

&

118 Est Maximilianus, qui viuente Patre Friderico III. Romanorum Rex factus eidem successit, & ex Maria Burgunda Philippum Caroli V. Patrem suscepit. 119 profuderant, consumserant. Verdistilliret. 120 exigeret, requireret, deposceret. 121 prætextus. 122 Quæstores ærarii. Die Rent-Kammer-Meister. 123 Financen-Räthe/ Rechnungs-Räthe/ qui Principi sunt a rationibus. 124 præsenserant, deprehenderant, præuiderant. 125 redditum, traditum, allatum. 126 Obstrepunt Cæsari, Obloquuntur. 127 vrgentibus, inclamitantibus.

& in hoc sum[128]. Cæsar suspicans, illi rationem nondum satis esse subductam, passus est illum sic abire. Cum sic eluderet, officiarii vehementer instabant: clamitantes, non esse ferendum, vt ille tam palam illuderet Cæsari. Persuaserunt, vt accersitus iuberetur inibi præsentibus ipsis exhibere rationem. Annuit Cæsar, Accitus venit illico, nihil tergiuersatus. Tum Cæsar, *Nonne*, inquit, *pollicitus es rationem? Pollicitus*, respondit ille. *Iam*, inquit, *opus est: en adsunt qui excipient; nec est diutius tergiuersandi*[129] *locus.* Assidebant officiarii, paratis ad id codicillis[130]. Ibi iuuenis sat dextre; *Non detrecto*, inquit, *rationem, inuictissime Cæsar, verum huiusmodi rationum non sum admodum peritus, vt qui nunquam reddiderim: isti qui assident, talium rationum sunt peritissimi; si vel semel videro quemadmodum illi tractent huiusmodi rationes, ego facile imitabor. Rogo iubeas illos vel exemplum edere; videbunt me docilem.* Cæsar sensit dictum hominis, quod non intelligebant hi, in quos dicebatur; ac subridens[131], *Verum*, inquit, *narras; & æquum postulas.* Ita iuuenem dimisit. Subindicabat enim, sic illos Cæsari solere reddere rationem, quemadmodum ipse reddiderat[132]; nimirum, vt bona pecuniæ portio penes ipsos remaneret. *Le.* Nunc tempus est, vt ab equis, quod aiunt, ad asinos[133] descen-

128 scil. occupatus, sedulus, totus. 129 differendi, procrastinandi, cunctandi, moras nectendi. 130 rationum libellis, tabulis. 131 leuiter ridens. 132 Sie machten ein X. von ein V. & vice versa. 133 Dicitur, cum quis a lautioribus ad abiectiora delabitur, a sublimioribus ad humilia, ab excelsis ad sordida & spreta.

ſcendat fabula; a Regibus ad Antonium ſacrificum Louanienſem, qui Philippo [134] cognomento Bono fuit in deliciis. Huius viri feruntur multa vel iucunde dicta, vel iocoſe facta, ſed pleraque ſordidiora [135]. Nam pleroſque luſus ſuos condire ſolidus eſt vnguento [136] quodam, quod non admodum eleganter ſonat, ſed peius olet. Deligam vnum ex mundioribus. Inuitarat vnum atque alterum bellum homunculum [137] forte obuios in via. Cum rediſſet domum, reperit culinam frigidam, nec erat nummus in loculis [138]; quod illi nequaquam erat inſolens [139]. Heic opus erat celeri conſilio. Subduxit ſe tacitus: & ingreſſus culinam fœneratoris [140], quicum [141] illi erat familiaritas, quod frequenter ageret cum illo; digreſſa famula [142], ſubduxit vnam ex ollis æneis vna cum carnibus iam coctis, ac veſte tectam [143] deferebat domum: dat coquæ: iubet protinus effundi carnes & ius in aliam ollam fictilem, ſimulque fœneratoris ollam defricari donec niteret. Eo facto mittit puerum ad fœneratorem, qui depoſito pignore drachmas duas a fœneratore ſumat mutuo, ſed accipiat chirographum, quod teſtaretur, talem ollam miſſam ad ipſum. Fœnerator non agnoſcens ollam, vtpote defrictam ac nitentem, recipit pignus, dat chirogra-

---

134 Burgundiæ Duci, qui obiit Brugis 1467. ætat. 73. 135 narratu turpia, obſcœna. Qualia quamplurima ſunt in facetiis Nicodemi Friſchlini & Henrici Bebelii, quæ Argentorati typis Ioh. Caroli 1615. exſcripto proſtant. 136 ſtercore nimirum. 137 bonum compotatorem, hilarem ſocium. 138 in crumena, marſupio. 139 inſolitum, infrequens. 140 qui ad fœnus dare ſolet. 141 quocum, cum quo. 142 abſente ancilla. 143 obuelatam, abſconditam.

graphum, & numerat pecuniam; ea pecunia puer emit vinum. Ita prospectum est conuiuio. Tandem cum appararetur prandium fœneratori [144], desiderata est olla [145]. Heic iurgium aduersus coquam. Ea cum grauaretur [146], constanter affirmauit, neminem eo die fuisse in culina præter Antonium. Improbum videbatur hoc suspicari de sacrifico. Tandem itum est ad illum: exploratum an apud illum esset olla; ne musca quidem olla [147] reperta. Quid multis? Serio flagitata [148] est ab illo olla, quod solus ingressus esset culinam, quo tempore desiderata est. Ille fassus est sumsisse commodato ollam quandam, sed quam remisisset illi, vnde sumserat. Id cum illi pernegarent, & incaluisset contentio, Antonius adhibitis aliquot testibus: *Videte*, inquit, *quam periculosum est cum horum temporum hominibus agere sine chirographo: intenderetur mihi propemodum actio furti, ni manum* [149] *haberem fœneratoris.* Et protulit syngrapham [150]. Intellectus est dolus: fabula [151] magno cum risu per totam regionem dissipata est, ollam oppignoratam ipsi cuius erat. Huiusmodi dolis libentius fauent homines, si commissi sunt in personas odiosas, præ-

144 a fœneratore. Es wurde beym Tracteur, Gartoche / oder Jahr-Koche eine Mahlzeit ausgerichtet / zubereitet. 145 deesse visa est, deprehensa est. 146 obiurgaretur, infestaretur. 147 nulla omnino olla. Sic dicimus, ne muscam quidem liberorum habet, cum plenam vereque viduatam orbitatem significamus. 148 requisita, postulata. 149 schedam manu signatam, descriptam. Est Metonymia causæ pro effectu. 150 chirographum, schedulam ad pactorum fidem contrahentium manu notatam, subscriptam. 151 factum percrebuit in vulgus.

præſertim eos qui ſolent aliis imponere. *Ad.* Næ tu nobis mare fabularum aperuiſti, nominato Antonio: ſed vnam duntaxat, eamque breuem referam, quam audiui nuperrime. Agitabant ſimul conuiuium aliquot belli, vt dicunt, homunculi, quibus nihil prius [152] in vita, quam ridere. Inter hos erat Antonius, atque alter item [153], & ipſe celebris hoc genere laudis, ac velut æmulus [154] Antonii. Porro quemadmodum inter Philoſophos, ſi quando conueniunt, proponi ſolent quæſtiunculæ de rebus naturæ; ita heic ſtatim nata eſt quæſtio, quænam eſſet hominis pars honeſtiſſima. Alius diuinabat oculos, alius cerebrum, alius item aliud: & ſuæ quiſque diuinationis rationem adferebat. Antonius iuſſus dicere ſententiam, dixit, os ſibi videri partem omnium honeſtiſſimam, & addidit cauſſam neſcio quam. Tum alter ille, ne quid ipſi conueniret cum Antonio, reſpondit, eam partem qua ſedemus [155], ſibi videri honeſtiſſimam. Cum id videretur omnibus abſurdum, attulit hanc cauſam, quod is diceretur vulgo honoratiſſimus, qui primus conſideret: hoc honoris competere parti quam dixiſſet. Applauſum eſt huic ſententiæ, & riſum eſt affatim. Placuit homo ſibi de hoc dicto, viſusque eſt in eo certamine victus Antonius. Diſſimulauit Antonius, qui non ob aliud detulerat ori primam honeſtatis laudem, niſi quod ſciret, illum velut æmulum ſuæ gloriæ diuerſam partem nominaturum. Poſt dies aliquot cum rurſus vterque vo-

152 acceptius dignius. 153 alius inſuper quidam. 154 qui non ſine inuidia imitatur & de laude contendit. 155 podicem.

vocatus esset ad idem conuiuium, ingressus Antonius offendit æmulum cum aliis aliquot confabulantem, dum adornatur cœna: & auersus emisit clarum ventris crepitum [156] ante faciem alterius. Ille indignatus, Abi, inquit, scurra, vbinam didicisti mores istos? Tum Antonius, Etiam indignaris? inquit. Si te salutassem ore, resalutasses: nunc te saluto parte corporis, vel te iudice, omnium honestissima, & scurra vocor. Sic recuperauit prius amissam gloriam Antonius. Diximus omnes; nunc superest vt pronunciet iudex. *Ge.* Id faciam, sed non prius, quam suum quisque cyathum [157] ebiberit. En auspicor: sed lupus in fabula [158].

Po.

156 de quo Iul. Scalig. in ænigmat. Quid illud est?

Ima a sede ruens, cognatus fulminis alti,
Summani videor rite venire manu.
Vicini fugiunt, quatiuntur tecta cacchinnis:
Ast si mutus ero, iurgia sæpe cio.

Claudius Cæsar æque liberos crepitus atque ructus esse publico edicto sanciuit. Suet. c. 32. quod Eob. Hessus ita profert carminice:

Edicto vetuit ructus crepitusque teneri
Claudius. O Medici Principis imperium!

Nobis vero non est vrbanus cui retro sibilat anus, qui, vt Rupertus in Mercurio Epistolari p. 583. spurcum Claudiani commatis homuncionem spurce licet scommate perstringi posse docet, per anum a matre editus esse videtur; ita subinde cacat. S. Gangulphi Burgundi vxor adultera toties ventris strepitum emisisse fertur, quoties quidem locuta. Dixit enim maritum ab amasio trucidatum post mortem facere hæc miracula, vt mœchæ podex loquatur. Backius in Psalm. V. p. m. 94. lit. b. 157 poculum, vitrum. 158 Prouerbium dicitur, vbi de improuiso quis interuenit, qui so-

Po. Haud læuum [159] omen adfert Leuinus Panagathus [160]. *Leui.* Quid actum est inter tam lepidos congerrones? *Po.* Quid aliud? Certatum est fabulis, donec lupus interuenires. *Leui.* Huc igitur adsum, vt perficiam fabulam: volo vos omnes cras apud me prandere prandium Theologicum. *Ge.* Scythicum * promittis conuiuium. *Leu.* Αὐτὸ δείξει**. Nisi fatebimini, hoc fuisse vobis fabuloso conuiuio iucundius, non recuso dare pœnas in cœna. Nihil iucundius, quam cum serio tractantur nugæ.

PVERPERA.

EVTRAPELVS* FABVLLA 1.

Eu. Salua sit optima Fabulla. *Fa.* Salue multum, Eutrapele. Sed quid tandem nouæ rei accidit, quod nunc salutator insolens adueneris, quem hoc triennio toto nemo nostrum vidit? *Eu.* Dicam? forte præteriens has ædes, vidi cornicem * ob-

dalitium interpellat, vel de quo sermo est. Est in eo indictio silentii. Terent. Adelph. Act. III. Sc. I. Quidnam est? S. Lupus in fabula. CT. Pater adest. &c. Wenn man den Wolff nennt/ kömmt er gerennt. 159 sinistrum, malum, ingratum, infaustum. 160 Leuinus s. Lauinus Belgis quasi dilectus, adamatus. Πανάγαθος omnino bonus. * Id est, Triste. ** Id est, Ipsa res indicabit.

* I. e. Facetus, Lepidus, Elegans. 1 Fabulla, quæ fabulatur aut fabulis delectatur. * Circulum ferreum aut aliquid huius loco additum ostiis, quo pulsetur. Græci Κορώνην vocant, vel ob figuram, vel ob garrulitatem. Obtinet hic mos in plerisque Belgicæ vrbibus, vt cornicem ædium in quibus puerpera decumbit linteolo obuinciant, ne quis accedens grauiori impulsu eam turbet.

obuinctam candido linteo: demirabar quid esset caussæ. *Fa.* Adeone hospes[2] es in hac regione, vt ignores, hoc esse symbolum puerperii in ædibus? *Eu.* Eho, an non prodigium est videre cornicem[3] albam? Sed extra iocum; sciebam maxime: verum suspicari non potui, te puellam vixdum ingressam decimum sextum annum, tam mature didicisse difficillimam artem gignendi liberos, quam ægre discunt quædam ante annos triginta. *Fa.* Vt tu semper es quod diceris[4], Eutrapele? *Eu.* Vt nunquam deest Fabullæ fabula! Demiranti igitur commodum occurrit Polygamus[5]. *Fa.* Is qui nuper extulit vxorem decimam[6]? *Eu.* Is ipse, sed quod te fugit, opinor, rursum tam ambitiose procum agit, quasi hactenus vixerit cœlebs[7]. Hic percunctanti

---

2 peregrinus, ignotus, ignarus es. 3 Ludit in æquiuocatione vocis Cornicis, quæ & auem nigram & annulum seu circulum ferreum designat; eine Krähe und einen Klöppel/ womit angeklappet/ an die Thüre geschlagen wird. Cæterum si quid rarum admodum sit, id albus coruus vel alba cornix dicitur. Refert tamen Rhodiginus lib. Antiq. Lect. IX. c. 36. cornicem albam visam. 4 Semper nomen & omen habes. Horat. lib. 1. Epist. ad Quintium: Tu recte viuis, si curas esse quod audis. 5 qui sæpe ducit vxorem. Est nimirum Polygamia alia simultanea, alia successiua; & abit in Polygyniam, & Polyandriam, quæ posterior Iuri Nat. repugnat, prior non item. 6 Hieronymus etsi alias μισόγαμος Apolog. pro lib. aduersus Iouinian. & Pammach. scribit: Non damno bigamos, nec trigamos, & si dici potest octogamos. Et in Epist. ad Geront. citra improbationis indicium commemorat, se vidisse duo paria coniugum ex quibus maritus viginti sepelierat vxores, vxor vigesimum secundum habuerat maritum. 7 Mentem hic subit Epigr. Hoffm. in Lus. Epigr.

si quid accidisset nouæ rei, *Muliebre corpus*, inquit, *in his ædibus per medium sectum est in duo.* *Ob quod*, inquam, *facinus? Si verum est*, inquit, *quod rumore populari iactatur, heic materfamilias sustinuit*[8] *deglubere*[9] *maritum suum:* simulque cum risu subduxit sese. *Fa.* Homo crasse facetus[10]. *Eu.* Ego me protinus intro coniicio[11], tibi felicem partum gratulaturus. *Fa.* Salutem mihi gratulare, si voles, Eutrapele; felicem partum tum gratulaberis, cum quod enixa sum[12] videris de se præbere specimen boni viri. *Eu.* Pie tu quidem & vere, mea Fabulla. *Fa.* Nullius Fabulla sum nisi Petronii[13]. *Eu.* Vni quidem Petronio paris; at non vni viuis, opinor. Cæterum hoc quoque gratulor, quod puerum enixa es. *Fa.* Sed quas ob caussas felicius iudicas peperisse masculum quam fœminam? *Eu.* Quin tu potius, Fabulla Petronii, (iam enim vereor, mea, dicere) illud mihi expedis[14], quas ob caussas vos magis gaudetis peperisse masculos quam fœminas[15]? *Fa.* Quid aliæ sentiant, nescio; ego me nunc

Non habet vxorem, tamen est vxorius Ancon
Est cœlebs; κόιλιψ is tamen esse negat.

Er lebt unehlich aber unehrlich. κόιλιψ est concubitu carens. 8 ausa est. 9 cutem detrahere marito suo, excoriare maritum. 10 Das heist grob gescherzt. 11 introeo, introgredior ædes, ingredior ædes, intro. 12 peperi. 13 Dixerat Eutrapelus: *mea* pro *chara* Fabulla. Illa secus intelligit & caste respondet, se vnius esse Petronii. 14 enarras, explicas. 15 Vid. Chassan. Catal. Glor. Mundi P. XI. Consid. IV. p. m. 684. Plato, quod mas potius quam fœmina natus esset DEO gratias egit. Et per masculos conseruatur agnatio & æterna memoria.

nunc gaudeo peperisse masculum, quia sic visum est Deo: si maluisset ille puellam, maluissem & ipsa. *Eu.* An putas, Deo tantum esse otii, vt etiam parturientibus obstetricetur[16]? *Fa.* Quid agat ille potius, Eutrapele, quam vt propagatione seruet quod condidit[17]? *Eu.* Quid agat, o bona? Imo, ni Deus esset, non arbitror suffecturum tot negotiis[18]. Exsulat[19] Christiernus Danorum Rex, pius Euangelii fautor: Franciscus[20] Galliarum Rex hospes est Hispaniarum, nescio quam ex ipsius animi sententia, vir certe dignus meliore fortuna: Carolus molitur monarchiæ proferre pomœria[21]: Ferdinandus[22] rerum suarum satagit[23] in Germania: Bulimia *pecuniarum vrget aulas omnes: periculosos motus concitant agricolæ[24], nec tot stragibus ab instituto deterrentur: populus meditatur anar-

16 assistat, opem ferat, opituletur, succurrat. 17 Generatio est quasi altera Creatio. 18 Respicit tumultus, qui eo tempore tum in Politicis tum in Ecclesiasticis feruebant. 19 Christiernus seu Christianus II. Danorum Rex anno 1523. cum vxore Isabella Caroli V. sorore & quinque paruis liberis thesauro regio secum ablato Hafniæ nauem conscendit, & viginti nauibus se in Hollandiam contulit, cum tamen regnum facile tueri posset. Reuersus in Daniam a Friderico I. quatuordecim annos captiuus detentus in insula Alsenæ, postmodo iure suo cedens priuatus obiit anno 1559. 20 Franciscus I. Ticinum infeliciter oppugnans Lanoio Neapolitano Proregi se dedidit captiuum Caroli V. 21 terminos, limites, fines amplificare, ampliare. 22 Frater Caroli V. 23 rebus peragendis operam insumit. * Summa fames, vt alias dictum. 24 instigante Thoma Münzero in Franconia, Sueuia vicinisque regionibus anno 1525.

anarchiam*: periculoſis factionibus [25] collabitur eccleſiæ domus: hinc atque hinc diſtrahitur illa Ieſu tunica inconſutilis [26]. Vinea Domini non ab vno iam apro vaſtatur; ſimulque periclitatur ſacerdotum cum decimis auctoritas, Theologorum dignitas, monachorum maieſtas: nutat confeſſio [27], vacillant vota [28], labaſcunt leges Pontificiæ: vocatur in diſcrimen euchariſtia [29], exſpectatur Antichriſtus [30]: totus orbis parturit neſcio quid magni mali [31]. Interim ſuperant & imminent Turcæ, nihil non populaturi, ſi ſucceſſerit quod agunt: & tu rogas, quid agat potius? Imo tempus arbitror, vt ſuo quoque regno proſpiciat [32] in tempore. *Fa.* Quod hominibus videtur maximum, id fortaſſe videtur Deo nullius momenti. Sed ab hac fabula Dei perſonam, ſi vis, ſecludamus [33]. Dic quæ te cauſſæ moueant, vt felicius exiſtimes peperiſſe catulum, quam catellam [34]. *Eu. Piæ mentis eſt, hoc iudicare optimum, quod dedit Deus citra controuerſiam optimus.* Verum ſi Deus tibi daret, poculum cryſtallinum, nonne maximas ageres gratias?

---

* Anarchia, quum nullo principe tumultuatur populus. Wenn niemand weiß/ wer Koch oder Keller iſt. 25 fiſſionibus ſchiſmatibus, rupturis, ſeditionibus. 26 D. Ieſu crucifixi veſtimenta milites partiti ſunt, ſola tunica fuit ἄρραφος. Ioh. XIX. Chr. tunicam diſtrahi allegorice dicitur de variis Chriſtianorum ſchiſmatibus. 27 auricularis Pontificiis vſitata. 28 monaſtica. 29 communio ſub vna. 30 Anti-Chriſtus ille magnus quis ſit Theologi certant & adhuc ſub iudice lis eſt. 31 parere vult, grauidus eſt neſcio quo magno malo. 32 conſulat, eius curam gerat. 33 ſecretius, ſanctiusque ſeruatam velimus, retentam. 34 puerulum, quam puellam.

tias? *Fa.* Agerem. *Eu.* Quid si idem daret vitreum; num pares ageres? Sed vereor ne tibi molestiam adferam pro solatio, hæc apud te philosophans. *Fa.* Imo Fabullæ nihil est iam a fabulis periculi [35]. Iam quartam hebdomadam decumbo, satisque valeo vel ad luctam [36]. *Eu.* Quin [37] igitur e nido prouolas? *Fa.* Vetuit Rex. *Eu.* Qui Rex? *Fa.* Imo tyrannus [38]. *Eu.* Qui quæso? *Fa.* Syllaba dicam, *mos.* *Eu.* Heu quam iste Rex multa præter æquum exigit! Pergamus igitur philosophari de crystallo & vitro. *Fa.* Marem, vti coniicio, natura præstantiorem, ac firmiorem iudicas, quam fœminam. *Eu.* Sic arbitror. *Fa.* Nimirum viris auctoribus. Num igitur viri viuaciores sunt quam fœminæ? Num a morbis immunes? *Eu.* Nequaquam; sed in genere viribus [39] antecellunt. *Fa.* Sed ipsi rursus superantur a camelis. *Eu.* Imo prior creatus est masculus. *Fa.* Prior conditus est Adam, quam Christus. Et solent artifices in posterioribus se ipsos vincere. *Eu.* At Deus mulierem viro subiecit. *Fa.* Non statim melior est qui imperat:

&

---

35 metuendum, verendum. 36 certamen, pugnam. 37 cur non, quare non. 38 Sæpe in tyrannos pessimos degenerant, imo ipsis tyrannis sunt nocentiores sequenti inclusa disticho monosyllaba:

Quæ monosyllaba sunt, ne curta vocabula sperne:
Mos, Mors, Mars, Plebs, Rex, sunt metuenda tibi.

Pertinet huc Versus, de quo Lansius in Præfat. Consultat.
Mars, Mors, Sors, Fraus, Fex, Styx, Nox, Crux, Pus,
(mala) Vis, Lis.

39 robore.

& nuptam subiicit, non fœminam [40]: ac rursus nuptam ita subiicit, vt cum vtrique sit potestas alterius, mulierem tamen velit viro morem gerere, non vt præstantiori, sed vt ferociori. Dic, Eutrapele, vter infirmior, qui cedit alteri, an cui ceditur? *Eu.* Tibi quidem heic cedam, si mihi declararis, quid senserit Paulus, scribens Corinthiis [41], cum viri caput dicit esse Christum, mulieris caput virum: rursus, cum virum dicit imaginem & gloriam Dei; mulierem gloriam viri. *Fa.* Istud expediam [42], si mihi declararis, an solis viris datum sit esse membra Christi. *Eu.* Absit: id quidem datum est omnibus hominibus per fidem [43]. *Fa.* Qui fit igitur, vt caput vnum cum sit, non habeatur omnibus membris commune? Deinde, cum Deus hominem fingeret ad imaginem sui, vtrum hanc imaginem expresserit in corporis figura, an in animi dotibus? *Eu.* In animi dotibus. *Fa.* At in his quid tandem habent viri nobis præcellentius? In vtro sexu plures sunt temulentiæ, rixæ, pugnæ, cædes, bella, rapinæ, & adulteria? *Eu.* At soli viri bellum gerimus pro patria. *Fa.* Sed iidem sæpius deserto loco [44] turpiter fugitis: nec semper pro patria, sed frequentius pro sordido sariolo [45], deseritis vxorem, & liberos, & peiores gla-

40 Relatiue oppositum maris non est nupta, sed fœmina; nec mariti oppositum est fœmina, sed nupta seu vxor. Videtur itaque negare velle sexum sexu in se esse præstantiorem. 41 1. Epist. ad Corinth. XI. v. 3, 7. 42 enodabo. 43 Gal. III. v. 28. Sub Innocentio III. dati sunt, qui affirmarent, sexus non futuros fuisse diuisos, si peccatum Adæ non interuenisset. Kornmannus in Oper. curios. de mirac. viuorum, p. m. 37. 44 relicta statione. 45 stipendiolo.

gladiatoribus vltro corpora vestra traditis in seruilem necessitatem vel moriendi vel occidendi. Iam vt[46] maxime iactes mihi virtutem bellicam, nemo vestrum, si semel esset expertus quid sit parere, non mallet decies in acie stare[47], quam subire semel, quod nobis toties est experiendum. In bello non semper venitur ad manus: & si venitur, non in quauis exercitus parte discrimen[48] est. Tui similes* disponuntur in acie media, alius est in subsidiis[49], alius tuto sedet post principia*, denique plurimos seruat deditio & fuga; nobis cominus[50] cum morte conflictandum[51] est. *Eu.* Ista non nunc primum[52] audio; verum suntne hæc vera, quæ dicuntur? *Fa.* Nimium vera. *Eu.* Visne igitur, Fabulla, vt marito tuo persuadeam, ne posthac te contingat? Nam eo pacto tuta fueris ab isto discrimine. *Fa.* Equidem nihil malim, si possis. *Eu.* Quid præmii feret orator hic, si persuaserit? *Fa.* Dabo decem linguas bubulas fumo duratas. *Eu.* Istas ma-

46 licet, quantumuis, quantumlibet. 47 Labores omnium grauissimi sunt, docentis, imperantis in bello, precantis, parturientis. Regis Colchorum filia Medea ait: Decies in prælio mori mallem, quam parere vel semel adhuc. 48 capitale periculum. * Id est, Ignauiores, vt numerum augeant. Nam alæ & cornua sustinent belli molem. 49 im Hinterhalte. * Alludit ad dictum Thrasonis in Eunucho Terentii, Act. 4. Scen. 7. Hic ego ero post principia; siquidem in prima acie stabant hastati in secunda principes, quos sequebantur scutati, atque eos Triarii. Liv. lib. 8. 50 propius, proxime. 51 colluctandum est, dimicandum est. 52 prima vice. Primùm & primò hoc ferme differunt, quod primum ad ordinem rerum pertinet, primo ad tempus. Tursell. 137. de Partic.

malim, quam decem linguas lusciniarum. Non reiicio conditionem: verum contractum hunc ratum esse nolim prius, quam intercesserit stipulatio[53]. *Fa.* Addatur, si libet, & si qua alia cautio[54]. *Eu.* Id fiet ex animi tui sententia post mensem exactum[55]. *Fa.* Quin[56] potius nunc sit ex animi mei sententia? *Eu.* Dicam: quia vereor ne post mensem non sit eadem animi tui sententia[57]. Itaque & tibi soluendum esset duplex præmium, & mihi duplex esset sumenda[58] opera, persuadendi, ac dissuadendi. *Fa.* Age, fiat vt voles. Sed interim perge demonstrare, quare viri sexus sit præstantior fœmineo. *Eu.* Video, te meditatam monomachiam[59]: quam ob rem in præsentia quidem consultius arbitror tibi concedere. Congrediar alias, sed armatus, nec absque subsidiario milite[60]. Nam *vbi lingua res geritur, ne septem quidem viri pares sunt vni fœminæ. Fa.* Nimirum hoc telo armauit nos natura: quanquam ne vos quidem elingues[61] estis. *Eu.* Fortassis: sed vbi puellus? *Fa.* In conclaui proximo. *Eu.* Quid illic? coquit olus? *Fa.* Nugator, apud nutricem est. *Eu.* Quam mihi nutricem

53 Est verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum facturumue se id, quod interrogatus est, respondet. 54 fideiussio. Versicherung/ Vergewisserung/ certificatio, obsignatio. 55 præterlapsum, transactum. 56 cur non iam, in instanti, in præsenti. 57 Varium & mutabile semper fœmina. 58 insumenda, impendenda, collocanda. 59 certamen singulare, duellum. 60 qui defessis commilitonibus in subsidium venit. Plautus: Agite nunc, subsidite, quasi solent triarii & subsidium pro auxilio. Subsidebant enim presso altero genu Triarii, qui dicebantur esse in subsidiis. 61 muti, lingua destituti, parum loquentes.

cem narras? an est alia nutrix, quam ea, quæ mater est? *Fa.* Quid ni? vulgo fit. *Eu.* Pessimum mihi nominas auctorem rei bene gerendæ vulgum, Fabulla. Vulgo peccant, vulgo luditur alea, vulgo commeatur ad fornices, vulgo fraudatur, potatur, insanitur [62]. *Fa.* Sic amicis visum est: censuerunt enim, parcendum huic ætati tam teneræ. *Eu.* Atqui si natura dedit vires ad concipiendum, haud dubie dedit & ad lactandum. *Fa.* Probabile quidem est. *Eu.* Dic mihi, nonne sentis, esse dulcissimum matris vocabulum? *Fa.* Sentio. *Eu.* Itaque si fieri posset, patereris aliam mulierem esse matrem tui partus? *Fa.* Minime gentium. *Eu.* Cur igitur volens plusquam dimidiatum matris nomen * transfers in fœminam alienam? *Fa.* Bona verba, Eutrapele: non diuido filium; sola, totaque sum mater. *Eu.* Imo heic tibi, Fabulla, reclamat in os ipsa natura. Cur terra dicitur omnium parens? an quod gignat tantum; imo multo magis quod nutriat ea, quæ genuit. Quod aqua gignit, in aquis educatur. In terra nullum animantis aut plantæ genus nascitur, quod eadem terra succo suo non alat: nec est vllum animantis genus quod non alat suos fœtus. Vlulæ, leones, & viperæ educant partus suos; & homines suos fœtus abiiciunt? Obsecro te, quid crudelius iis, qui prolem educationis tædio dicuntur exponere [63]? *Fa.* Abominanda dicis.

62 Pythagoræ monitum est: *Per viam publicam ne ito*; non vt eam incessu vitemus, sed vt sensu, moribus, vita. Drexel. Aurifod. P. I. c. X. p. 85. * Vide in hanc rem Phauor. dissertationem apud Gell. lib. 12. cap. 1. 63 Ita expositus est Antonius Gnipho illustris Grammaticus in Gallia natus. Suet.

cis. *Eu.* Atqui non perinde[64] factum abominantur homines. An non expositionis genus est, infantulum tenerum, adhuc a matre rubentem, matrem spirantem, matris opem ea voce implorantem, quæ mouere dicitur & feras, tradere mulieri, fortassis nec corpore salubri[65], nec moribus integris, denique cui pluris sit pecuniæ pauxillum, quam totus infans tuus? *Fa.* Delecta est mulier salubri corporis temperatura. *Eu.* Hoc medici certius iudicent, quam tu. Sed finge heic illam tibi vel parem, vel aliquanto, si vis, superiorem: an nihil interesse censes, vtrum infans tenellus cognatum illum & familarem hauriat succum: & calore iam assueto foueatur, an alienis cogatur assuescere? Triticum in aliud solum iactum, degenerat in auenam, aut siliginem: vitis, in alium collem translata, mutat ingenium: plantula, reuulsa a parente terra, flaccescit, ac velut emoritur; eoque quantum fieri potest, cum terra natiua transferunt. *Fa.* Imo narrant[66], plantas translatas & insitas exuere siluestre ingenium, & fructus edere generosiores. *Eu.* At non protinus vt[67] natæ sunt, o bona! Veniet & olim hoc tempus, si Deus voluerit, vt adolescentem tuum ableges ab ædibus, litteris iam ac seurioribus disciplinis imbuendum, quæ functio Patris est po-

c. 7. de cl. Gramm. Caius Melissus ob discordiam Parentum expositus l. cit. c. 21. Cyri expositionem narrat Iustinus lib. I. c. 4. Hieronis lib. 23. c. 4. 64 æque, pariter. 65 Refert Burnettus p. 564. Itinerar. Dn. Gody, ad S. Geruasii Ecclesiastæ natam fuisse sedecim annorum a surda lactatam nutrice non minus surdam. 66 Narrant vero. 67 postquam, quam primum.

potius[68] quam matris. Nunc ætas tenera fouenda est. Porro cum ad salubritatem firmitatemque corporis plurimum refert qualis sit alimonia, tum vero præcipue quo succo tenerum illud ac molle corpusculum imbuatur. Nam heic quoque locum habet illud Flacci dictum[69]. *Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Testa diu.* *Fa.* De corpore non ita multum laboro, modo sit animus qualem optamus. *Eu.* Pie tu quidem, sed parum philosophice. *Fa.* Quam ob rem? *Eu.* Cur tu igitur quoties concidis[70] holus, quereris aciem cultri retusam[71] esse, & iubes exacui? Cur acum reiicis obtusa cuspide, cum ea res non adimat artem? *Fa.* Non deest ars, sed obstat instrumentum parum idoneum. *Eu.* Cur quibus est opus oculorum acie, vitant lolium & cæpas? *Fa.* Quia vitiant[72] oculos. *Eu.* Nonne animus est qui cernit? *Fa.* Est; nam nihil vident exanimes. Sed quid agat faber vitiata securi? *Eu.* Agnoscis igitur, corpus esse mentis organum? *Fa.* Apparet. *Eu.* Et fateris, vitiato corpore non agere animum, aut incommodius age-

68 Vt a fonte riuus sic a paterna institutione reliqua vita, Gracchorum etiam eloquentiæ multum ab infantia contulisse sermo matris dicitur. Sed Hortensii oratio inter paternos sinus coaluit. Asconius Pedianus Grammaticus Augusti æuo inclytus in vsum liberorum doctas in orationes Ciceronis Annotationes conscripsit. In prima sui procreatione nil quidem præter corpus a Patre filius accepit; anima namque solum Deum (si ex traduce eam cum Sauædra in Symb. Polit. p. 3. statuas) autorem habet, quam nisi deinde magis magisque excolat erudiendo Pater, veri absolutique Patris nomen vix merebitur. 69 Epist. 2. lib. 1. 70 secas, diuidis, dissecas, scindis. 71 hebetem, obtusam. 72 officiunt, nocent, vim inferunt oculis.

agere[73]? *Fa.* Non dissimile[74] veri dicis. *Fa.* Age, videor mihi nactus ingenium philosophicum. Finge igitur, animum[75] hominis demigrare in corpus galli gallinacei; num ederet vocem, quam nunc edimus? *Fa.* Nequaquam. *Eu.* Quid obstaret? *Fa.* Quia desunt labra, dentes, & lingua similis: nec epiglottis *, nec tres adsunt cartilagines[76] a tribus motæ musculis, ad quos pertinent nerui a cerebro demissi; nec fauces, nec os simile. *Eu.* Quid si in corpus suis[77]? *Fa.* Grunniret[78] suillo more. *Eu.* Quid si in corpus cameli? *Fa.* Caneret vt canit camelus. *Eu.* Quid si in corpus asini,

73 Sap. IX, 14. Leib/ Germanis per ἀναγράμμα Bley. 74 absonum a vero, recedens a veritate. 75 per μετεμψύχωσιν quandam aut potius Perynginesin Pythagoræ. Volunt enim differre Metempsychosin Platonis, qui statuebat animas hominum post mortem ab vno corpore humano in aliud migrare; & Perynginesin Pythagoræ, animas hominum etiam ad brutorum corpora transire existimantis. Sperlette Phys. P. IV. p. 251. Promiscue tamen fere sumuntur. Sic Muretus Orat. I. Vol. I. p. 9. Pythagoras iucundus est, qui remanere quidem animos docet, sed ex corporibus in alia corpora migrare, vt idem sit forte hodie Gallus gallinaceus, qui tempore belli Troiani fuerat Agamemnon; quam in rem Tibullus 4. Eleg. lib. conferri meretur. Contra vero de Metempsychosi Ouidius lib. 15. Metamorph.

Ipse ego (nam memini) Troiani tempore belli
Panthoides Euphoebus eram.

* Epiglottis est caruncula volubilis, nunc gulam claudens, nunc arteriam asperam. 76 Cartilago est nec os, nec caro, sed duriuscula & intermedia quædam substantia est. 77 demigrare fingas. 78 Grunnire porcorum est, vt rudere asinorum, hinnire equorum.

sini, quod euenit Apuleio[79]? *Fa.* Ruderet, opinor, vt asinus. *Eu.* Nimirum fatetur hoc ille: cum cuperet inclamare Cæsarem, contractis quantum potuit labris, vix O sonuit[80]; Cæsarem[81] nullo pacto potuit exprimere. Idem cum fabulam auditam, ne excideret, describere cuperet, damnauit cogitationem tam asininam, cum vngulas intueretur solidas[82]. *Fa.* Et merito. *Eu.* Ergo lippientibus oculis, minus videt animus: oppletis sordibus auribus, minus audit: vbi cerebrum occupat pituita, minus olfacit[83]: vbi stupet membrum, minus sentit: vbi malis humoribus vitiata est lingua, minus gustat. *Fa.* Negari non potest. *Eu.* Non ob aliud, nisi quia vitiatum est organum. *Fa.* Arbitror. *Eu.* Nec inficiaris, plerumque vitiari cibo potuque. *Fa.* Fateor; sed quid istuc ad bonam mentem? *Eu.* Proinde quid lolium[84] ad perspicaces oculos? *Fa.* Quia vitiat organum animi. *Eu.* Probe respondes. Verum illud expedi: vnde fit, quod alius alio celerius intelligit, ac tenacius meminit? alius alio citius irascitur[85], aut moderatius

---

79 Apuleius Lucianum imitatus libros XI. de Asino aureo Metamorphos. scripsit; in quibus fingit se a saga Thessalica, dum in auem cuperet mutari, in asinum mutatum, pristinum tamen sensum retinentem. Philosophus erat Platonicus Madauræ natus. 80 pronuntiauit. 81 Vocem: Cæsar. 82 non articulatas, inflexibiles, parum flexiles. 83 olfactu, odoratu percipit. 84 Lolio victitare dicuntur illi, qui visu sunt imbecillo, quod lolium cerebro noceat. Plaut. Mil. Glor. II, 3, 50. Mirum est lolio victitare te, tam vili tritico. Es ist Wunder/ daß du bey so gutten Augen so durch die Hülsen siehest/ so übel siehest. 85 Excandescentia iræ est ab efferuescentia sanguinis, quæ faciles motus capit in biliosis

tius odit? *Fa.* Sic conditus est animus. *Eu.* Non sic elaberis. Vnde fit, vt qui prius fuit ingenio celeri, felici memoria, postea fiat obliuiosus ac tardus; siue plaga, siue casu, siue morbo, siue senio [86]? *Fa.* Tu nunc mihi videre sophistam agere. *Eu.* Proin tu contra fac agas sophistriam. *Fa.* Opinor hoc te velle dicere, quod animus quemadmodum cernit & audit per oculos & aures, ita per organa quædam intelligit, meminit, amat, odit, irascitur & placatur. *Eu.* Recte coniectas. *Fa.* Quæ tandem sunt ista organa? & vbi sunt? *Eu.* Oculos vbi sunt vides. *Fa.* Et aures, & nares, & palatum vbi sit, scio. Et toto corpore contactum esse vi-

---

seu cholericis & cholerico-sanguineis. De monte Kerma perhibetur, quod circa istum ad excitatum scuticæ sonum tempore meridiano mox tonitru cum grandine suboriatur; Ioh. Valuasor in gloria Carniolæ, vbi mons situs est. Aristotel. lib. I. de Anima iram accensionem sanguinis circa cor esse dicit. Damascenus lib. 2. c. 16. feruorem eius, qui circa cor est sanguinis, vaporatione fellis vel perturbatione fiens. Prostant de ira libri III. Liuini de Meyer è Soc. Iesu Antwerp. 1694. in 4. carminice exscripti, in quibus de causis, signis & remediis iræ tractatur. Vid. Acta Erudit. 1695. p. 366. Animantia quoque bruta, ratione carentia, alia aliis ad iram & furorem procliuiora sunt, vt leo, tigris, canis. 86 Vir quidam eruditissimus Athenis cum ictum lapidis capite excepisset, literarum oblitus est. Val. Max. lib. I. c. vlt. Theodoricus Canisius apoplexia omnem memoriam amisit. Marchantius in Quadriga Mariæ Tract. I. Sect. XII. p. 114. Orbilius Pupillus diu ante vitæ finem, quem centesimo demum ætatis anno fecit, memoriam amisit, vt versus Bibaculi docet: Orbilius vbinam est, literarum obliuio. Sueton. c. 9. de cl. Gr. Theodorus Beza ætat. anno 86. mortuus biennio ante obitum 1602. præsentium rerum memoria destitutus est. Thuanus lib. 134.

video, nisi cum stupor occupat membrum. *Eu.* Amputato pede, tamen intelligit animus. *Fa.* Intelligit; itidem & manu[87]. *Eu.* At qui vehementem plagam accipit in tempus[88] capitis, aut in occipitium, concidit mortuo similis, omnique sensu suo vacat. *Fa.* Istuc aliquoties vidi. *Eu.* Ex hoc colligis, intra cranium esse intellectus, voluntatis ac memoriæ organa, minus quidem crassa, quam sunt aures & oculi, sed tamen materialia. Quandoquidem & spiritus, quos habemus in corpore subtilissimos, corporales[89] sunt. *Fa.* An ista quoque vitiantur cibo potuque? *Eu.* Maxime. *Fa.* Cerebrum procul abest a stomacho. *Eu.* Ita summa fumarii[90] pars abest a foco; tamen illi, si insideas, senties vaporem. *Fa.* Non experiar. *Eu.* At si mihi non credas, sciscitare e ciconiis[91]. Itaque refert, qui spiritus, qui vapores a stomacho subuolent in cerebrum & in organa mentis. Nam hi si crudi sint ac frigidi, recidunt in stomachum. *Fa.* Næ tu mihi metam[92] distillatoriam describis, qua ex floribus herbisque succum exhalantem excipimus. *Eu.* Haud ita male coniectas. Nam hepar, cui fel adhæret, ignis loco est, stomachus patella, cra-

87 sc. amputata. 88 Tempora capitis dicuntur, quia inde tempus s. ætas hominis dignoscitur. Gr. κρόταφος, ἀπὸ τοῦ κρατεῖν τὴν ἀφήν, quod ibi euidens sit venarum pulsus. 89 materiales. 90 fumarium, Ciceroni caminus. Die Feuer-Mauer. 91 Illæ enim solent super caminos nidos struere. 92 Tubum, per quam spiritus exhalant, vocat metam, quia is est ad formam metæ, wie ein Thurn/ inferiori parte latus, superne in angustum desinens. Ein Brenntopff/ Destillir-Kolbe.

cranium summæ metæ colophon [93], atque adeo, si vis, nasus fistulæ plumbeæ vice fungatur. Itaque ex hoc mutuo fluxu ac refluxu humorum nascitur fere quidquid est morborum, vt [94] varie delabitur varius humor nunc in oculos, nunc in stomachum, alias in scapulas, interim in ceruicem, alioue [95]. Quoque magis intelligas; [96] Cur qui vino immodico sese ingurgitant, sunt male memores? Qui cibis aluntur subtiliorum spirituum, minus torpent ingenio? Cur coriandrum [97] memoriam emendat? Elleborus mentem purgat [98]? Cur expletio vehemens epilepsim [99] adducit, quæ stuporem adfert simul omnibus sensibus, quemadmodum & somnus profundus? Denique vt immodica sitis, aut inedia, ingenii, memoriæque vim elidit in pueris; ita cibus immodicus in pueris gignit ingenii stu-

93 fastigium, apex. 94 prout, sicut. 95 Inde defluxiones capitis s. catarrhi; de quibus Schönlinus in Discursu Philosophico & Medico cap. I. & II. videri potest; qui cum Discursu de Melancholia Augustæ Vindelic. anno Chr. 1610. prodiit, sumpt. Seb. Mylii. 96 sodes, quæso, dic. 97 Plinius lib. 20. c. 20. Bibitur in choleris cum ruta. Sunt qui & ante solis ortum ceruicalibus subiici efficaciter putant. Inseruit stomacho, a cibo sumptum supprimit exhalationes, ne onerent cerebrum. 98 Ἐλλέβορον nigrum vel album Latinis alio nomine Veratrum, herba est tantam purgandi vim habens, vt furiosis & melancholicis dari soleat. Vnde Prouerbio dicitur, si quis sit mente minus sana, ei opus esse Helleboro; aut iubemus Anticyras nauigare, insulam, in qua optimum eius herbæ genus nascebatur. Chrysippus Disputaturus Helleboro se purgare consueuerat; idem de Carneade cum Chrysippo disputaturo refert Val. Max. lib. VIII. c. 7. p. m. 365 n. 5. 99 morbum comitialem, inuasionem, ἐπιληψίαν.

ſtuporem, ſi credimus Ariſtoteli, nimirum igniculo mentis velut obruto ingeſta [100] materia. *Fa.* Eſtne igitur corporeus animus, vt a rebus corporalibus afficiatur? *Eu.* Animi rationalis natura non corrumpitur quidem ipſa, ſed organis vitiatis impeditur illius vis & actio: velut artifex fruſtra valet arte, ſi deſtituatur idoneis inſtrumentis. *Fa.* Quanta, quaue ſpecie eſt animus [101]? *Eu.* Ridicule percunctaris de magnitudine aut figura, cum fatearis incorporeum. *Fa.* Ego corpus intelligo, quod ſentitur. *Eu.* Imo quæ non ſentiuntur, perfectiſſima ſunt, veluti Deus & angeli. *Fa.* Audio, Deum & angelos ſpiritus appellari; at ſpiritum ſentimus. *Eu.* Hac voce litteræ ſacræ ob rudes homines balbutiunt [102], mentem ſignificantes puram [103] ab omni commercio [104] rerum ſenſibilium. *Fa.* Quid igitur intereſt inter angelum & animum? *Eu.* Hoc ipſum quod inter limacem [105] & cochleam [106], aut, ſi mauis, teſtudinem [107]. *Fa.* Corpus igitur domicilium eſt animi magis, quam inſtrumentum. *Eu.* Nihil vetat inſtrumentum adiunctum dici domicilium. Atque hac quidem de re va-

---

100 per ingeſtam, ſuperinductam, coaceruatam, accumulatam materiam; ab ingeſta materia. 101 quantam & quam ſpeciem habet? 102 συγκαταβαίνουσι, condeſcendunt, ſeſe demittunt, accommodant. 103 vacuam, liberam. 104 negotio, communione. 105 Limax eſt ſine teſtudine. Eine Schnecke ohne Gehäuſe. 106 Cochlea teſta eſt limacis. Eine Schnecke mit ihrem Hauſe. 107 Teſtudo eſt opus cameratum, eſt vero & quadrupes ouipara & ſanguine prædita, a teſta, qua tegitur appellata. Eine Schild-Kröte/ Teller-Kröte.

variant Philosophorum sententiæ. Sunt qui dicant, corpus esse vestem [108] animæ, sunt qui domicilium [109], sunt qui instrumentum [110], sunt qui harmoniam. Horum quodcunque dixeris, consequitur, actiones animi corporis affectionibus impediri. Primum, si quod vestis est corpori, idem corpus est animo; quantum ad corporis valetudinem faciat vestis, declarauit Hercules [111]: ne quid de coloribus, aut pilorum pelliumque generibus referam. Cæterum an eadem anima sufficiat pluribus corporibus deterendis, quemadmodum corpus mul-

108 Senecæ verba sunt: Quod de veste dixi, idem de corpore me existima dicere. Nam hoc quoque natura vt quandam vestem, circumdedit animo: velamentum eius est. Macarius ait: Anima vestem corporis gestat, veluti præclaram vestem. Iudas Apostolus in Epistola sua commate 23. odisse iubet maculatam carnis tunicam. 109 Vt qui in alieno habitant multis aguntur incommodis semperque de aliqua domicilii parte queruntur: ita animus nunc de pedibus, nunc de capite, nunc de stomacho, nunc aliud de alio queritur significans se esse non in suo domicilio, sed vnde breui sit emigrandum. Seneca. Animus hominum immortalis, simplex & cœlestis hebetatur domicilio corporis mortalis concreti & terrestris. Muretus Orat. IV. Vol. I. p. 35. Velleius II. 69. 4. In Vatinio, scribit, deformitatem corporis cum turpitudine certasse ingenii, adeo vt animus eius dignissimo domicilio inclusus videretur. 110 Plutarch. Vt corpus est instrumentum animæ; sic anima est instrumentum Dei. Pythagoras animam aurigæ, corpus vehiculo seu currui comparat. 111 Nam cum Deianira marito suo Herculi vestem infectam sanguine Centauri Nessi dono misisset, vt eum isto dono ab amore Ioles reuocaret, isque eam vestem sacrificaturus induisset, in tantam versus est rabiem, vt se in constructum rogum dederit præcipitem. Consule Ouidii Metamorph. lib. 9.

multas deterit vestes, viderit Pythagoras [112]. *Fa.* Non incommodum foret, si iuxta Pythagoram liceret, vt vestibus, ita corporibus mutatoriis vti: sic vt mensibus hibernis sumeretur corpus obesum, crassæque texturæ, æstiuis rarius & gracilius. *Eu.* Atqui parum, opinor, esset commodum, si, quemadmodum multis vestibus detritis, tandem & corpus deterimus; ita multis corporibus detritis, tandem & anima senescerer, deficeretque. *Fa.* Non sane [113]. *Eu.* Iam quemadmodum ad corporis salubritatem, agilitatemque refert, qua veste sit amictum, ita refert, quod corpus circumferat anima. *Fa.* Profecto si corpus vestis est animæ, video multos homines admodum varie cultos. *Eu.* Sic est. Et tamen nonnulla pars huius rei sita est in nobis, quam commode vestiatur anima. *Eu.* Valeat igitur vestis: dic aliquid de domicilio. *Eu.* Atqui ne, quod dico, tibi videatur commentum, Fabulla, ipse dominus Iesus suum corpus templum appellat [114]: Et Petrus Apostolus suum corpus tabernaculum appellat [115]. Nec defuerunt, qui corpus dixerunt animæ sepulcrum, σῶμα dictum arbitrantes quasi σῆμα [116]: alii carcerem [117] mentis appellarunt,

112 Pythagoras primum fuerat filius Mercurii, a quo seu viuens seu vita functus donum omnia retinendi accepit, Æthalides dictus. Post Æthalidem factus est Euphorbus, dein Hermotimus; tum Pyrrhas, Delius piscator, tandem Pythagoras. 113 esset commodum. 114 Iohann. II, v. 19. 115 2. Epist. Pet. c. I. v. 13. quamdiu sum in hoc tabernaculo. & v. 14. sciens futurum cito vt deponam tabernaculum meum. Conf. Pauli 2. Epist. ad Corinth. c. V. v. 1. 4. 116 Clemens Alexandrinus, Orphei sectatores, & Ciceronis interpres Macrobius. 117 Plato corpus nominat τῆς

runt, nonnulli præsidium[118], velut arcem munitam. Quorum animus est vndiquaque purus, in templo habitat. Qui non tenentur amore rerum corporalium, horum animus agit in tabernaculo, libenter exsiliturus[119], si vocet imperator. Qui prorsus excæcati sunt vitiis spurcissimis, vt nunquam adspirent ad auram libertatis Euangelicæ, horum animus iacet in sepulcro. Cæterum, qui moleste luctantur cum vitiis, nec adhuc possunt quod volunt, horum animus habitat in carcere, subinde clamans ad liberatorem omnium: * *Educ de carcere animam meam, vt confiteatur nomini tuo, Domine.* Qui grauiter pugnant cum satana, vigilantes & excubantes aduersus insidias illius, qui circumit vt leo, quærens quem deuoret[120], horum animus versatur in præsidio[121], vnde iniussu[122] imperatoris non licet discedere. *Fa.* Si corpus est animi domicilium, plurimos video, quorum animus male habitet. *Eu.* Sic est, videlicet in ædibus perstillantibus[124], opacis, ventis omnibus obnoxiis,

---

ψυχῆς φρουρὰν animæ custodiam. Seneca: Corpusculum hoc, custodia & vinculum animi, huc atque illuc iactatur. 118 Sic Socrates apud Platonem animam humanam in hoc corpore velut in præsidio positam esse ait, vnde fas non sit discedere iniussu imperatoris, nec diutius in eo immorari, quam visum sit ei, qui collocauit. 119 cum tripudio egressurus. * Psal. 143, 8. Verba sunt Dauidis Saulum fugientis. 120 1. Pet. V, 8. 121 *liegt* in Garnison. 122 sine iussu 123. anima, dum viuificat corpus, anima est; dum vult animus est; dum scit mens; dum recolit memoria est; dum rectum iudicat ratio est; dum spirat spiritus est. Isidor. Hispal. Orig. XI. c. 1. Et Nonius Marcellus c. V. Animus est, quo sapimus; anima, qua viuimus. 124 per quas perstil-

noxiis, fumosis, pituitosis [125], laceris ac ruinosis, denique putribus & infectis [126]. Et tamen Cato primam felicitatis partem iudicat, *bene habitare*. *Fa.* Tolerabilis res [127], si liceret in aliud immigrare domicilium. *Eu.* Emigrare non licet, nisi cum euocat locator *. Veruntamen si non licet emigrare, licet arte curaque nostra domicilium animi commodius reddere, quemadmodum in ædibus mutantur fenestræ, attollitur solum [128], incrustantur aut conuestiuntur tabulatu [129] parietes, situs [130] igni suffituque purgatur. id in senili corpore iamque ruinam minitante difficillimum est. Plurimum autem conducit, si puerile corpus ab ipso protinus ortu, sicut oportet, curetur? *Fa.* Tu quidem matrem ac nutricem medicam esse iubes. *Eu.* Plane iubeo, quod attinet ad delectum ac moderationem cibi, potusque, motus, somni, balneorum, vnctionum, frictionum, vestitus. Quam multos esse censes,

---

lat, **in die es einlaufft/ eintropffet/ einregnet**; vt charta perfluit, **das Papier schlägt durch** pro: atramentum per chartam perfluit. Sic: perpluit cœnaculum, **es regnet ins Sommer-Hauß.** Quintil. 6. c. 3. Habent enim Verba quædam in *O*, & eorum Participia Præsent. in *ns* significationem mox Actiuam, mox Neutralem aut Absolutam, mox Passiuam, vt: quassans, qui quassatur; terminans, qui terminatur; perstillans, perfluens, qui perstillatur, perfluitur, vt sic dicere liceat. 125 male humidis. 126 inquinatis, contagiosis. 127 foret, tolerari, ferri poterat. * Significat, esse conductitium. Locator autem est qui elocat. **Der es vermiethet/** conducendum præbet, elocat. 128 pauimentum. 129 tabulis. **Die Wände werden getäffelt.** 130 squalor, lanugo, quæ ex humoribus oritur in locis sole carentibus.

ses, qui grauissimis morbis ac vitiis obnoxii sunt, epilepsiæ, gracilitati, imbecillitati, surditati, fractis lumbis, distortis membris, infirmo cerebro, stupori mentis, non ob aliud, nisi quod a nutricibus indiligenter curati sunt? *Fa.* Demiror te non pro pictore factum fuisse Franciscanum, qui tam belle concioneris. *Eu.* Vbi te Claranam[131] videro, tum ego tibi Franciscanus concionabor. *Fa.* Ego sane libens scire cupiam, quid sit anima, de qua tam multa audimus, dicimusque, cum nemo viderit. *Eu.* Imo nemo non videt, cui sunt oculi. *Fa.* Video pictas animas infantuli specie. Verum cur non adduntur alæ, quemadmodum angelis? *Eu.* Quoniam delabentibus e cœlo fractæ sunt alæ, si qua Socraticis fabulis habenda fides. *Fa.* Quo modo igitur subuolare dicuntur in cœlum? *Eu.* Quoniam fides & caritas faciunt, vt illis renascantur alæ. Has alas petebat ille pertæsus domicilium sui corporis, dum clamat *: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo; & requiescam?* Nec enim alias alas habet anima, cum sit incorporea; nec vllam habet speciem quæ corporis oculis sit conspicua; sed certius cernuntur ea, quæ videmus animo. Credisne, Deum esse? *Fa.* Maxime. *Eu.* At nihil minus videri potest, quam Deus. *Fa.* Videtur in rebus conditis[132]. *Eu.* Itidem videtur animus ex actione[133]. Si quæris quid agat in corpore viuo, contemplare corpus exanime. Cum vides hominem sen-

131 Vbi te adscriptam videro ordini monialium, quæ a Clara Francisci coætanea nomen habent. * Ps. 55. v. 7. 132 creatis, creaturis. 133 operatione, effectibus.

ſentire, cernere, audire, moueri, intelligere, meminiſſe, ratiocinari; certius vides animam adeſſe, quam nunc vides hunc cantharum: poteſt enim falli ſenſus vnus; tot argumenta ſenſuum non fallunt. *Fa.* Proinde, ſi non potes oſtendere animam, ſic illam notis quibusdam pinge, quaſi mihi velis deſcribere Cæſarem, quem nondum vidi. *Eu.* Ariſtotelis definitio in promptu eſt. *Fa.* Quæ? Nam aiunt, iſtum eſſe probum rerum omnium depictorem. *Eu.* *Anima eſt actus* [134] *corporis organici, phyſici, vitam habentis in potentia.* *Fa.* Cur actum vocat potius quam iter [135] aut viam? *Eu.* Non heic cauetur aurigis [136] aut equitibus, ſed animæ ratio definitur. Et *actum* [137] vocat formam, cu-

---

134 ἐντελέχειαν; quæ vox quid apud Ariſtotelem ſignificaret Diabolus, Hermolao Barbaro quæſitus, barbare reſpondit: Perfecti habea. Vid. Adr. Heerbord. Philoſ. nat. p. 28. Intelligit autem Ariſtoteles perfectionem quandam & continuatam perennemque motionem. 135 Fabulla ſimulans ſe id vocabulum Philoſophicum non intelligere, vt Eutrapelo riſum excitet, detorquet ad Iureconſultos, qui diſtinguunt inter *iter*, *actum* & *viam*. Actus enim illis ſpatium in agris; ſic minimus actus, teſte Boethio, quatuor pedibus in latitudinem, centum & viginti in longitudinem protenditur. 136 proſpicitur, conſulitur. Die Fuhrleute werden hier nicht vor Schaden gewarnet; Ariſtoteles hat da mit keinen Fuhrleuten zu thun/ es iſt ihm nicht um die Fuhrleute zu thun/ um dieſe iſt er unbekümmert. 137 Audi Barlæum in elegantiſſima oratione de animæ humanæ admirandis: Tot retro ſeculis, inquit, inueſtigatum fuit, quid anima ſit. Quæſiuit Chaldæus nec inuenit, quæſiuit Ægyptius nec repperit, quæſiuit Græcus & neſciuit ſemper. Alius ſubſtantiam eſſe vult, alius Accidens. Hic corpus hic ſpiritum. Critias ſanguinem eſſe con-

cuius naturæ est agere, cum materiæ ratio sit paci Omnis autem corporis motus naturalis ab animo proficiscitur. Est autem varius corporis motus. *Fa.* Intelligo. Sed cur addit, *organici*? *Eu.* Quoniam anima nihil agit, nisi per organa, hoc est, instrumenta corporis. *Fa.* Cur addit, *physici*. *Eu.* Quia Dædalus [138] frustra fingeret tale corpus. Ideoque addit, *vitam habentis in potentia*. Forma non agit in quiduis, sed in materiam capacem. *Fa.* Quid si angelus immigraret in corpus hominis? *Eu.* Ageret quidem, sed non per organa naturalia, nec vitam daret corpori, si abesset anima. *Fa.* Habeone iam totam animæ rationem? *Eu.* Habes Aristotelicam [139]. *Fa.* Equidem accepi, cele-

tendit. Negat Zeno & ignem esse vult. Hippo aquam esse clamat, Diogenes aërem, Heraclitus vaporem, Pythagoras numerum esse dicit. Democritus etiam atomos in anima inuenit. Aristoteles entelechiam esse contendit. Aliis cor ipsum animus esse videtur, vnde excordes, vecordes, concordesque dicuntur. Dicæarchus, omnibus deterior, animam nihil esse dicit, præter inane nomen. Harum sententiarum, præter postremam falsam, quæ sit vera, DEVS aliquis viderit; quæ sit verisimillima magna est quæstio. Singuli dum aliud dicunt probabile est scire neminem. Muretus Orat. I, Vol. I. postquam similem fere in modum perstrinxit titubationem Philosophorum gentilium, animam hominis esse dicit, simplicem quandam & indiuiduam naturam ad exemplar diuinitatis expressam, licet ortus participem, tamen interitus expertem, quæ corpore soluta, si se pure ac pie gesserit, in cœlum euolet æternam illic DEI beneficio adeptura felicitatem; sin se malis iisque inexpiabilibus cupiditatibus corrumpendam dederit, ad inferos nunquam desituris damnanda suppliciis deprimatur. 138 fabrorum omnium ingeniosissimus. 139 id est, iuxta Aristotelis definitionem.

lebrem esse Philosophum: & vereor ne sapientum centuriæ[140] mihi scribant hæreseos dicam[141], si quid refrager[142]. Alioqui quidquid adhuc dixit de anima hominis, competit in asinum & bouem. *Eu.* Imo in scarabeum quoque & limacem. *Fa.* Quid igitur interest inter animam bouis & hominis? *Eu.* Qui dicunt, animam nihil aliud esse, quam harmoniam[143] qualitatum corporis, fatebuntur, non ita multum interesse, videlicet harmonia soluta perire animas vtriusque. Ne ratione quidem distinguitur bouis ab hominis anima, sed quod boum minus sapit, quam hominum[144]; quemadmodum videre est & homines, qui minus sapiunt quam bos. *Fa.* Næ isti bubulam habent mentem. *Eu.* Attamen illud ad te pertinet, quod pro testudinis[145] qualitate modulatior est harmonia. *Fa.* Fateor. *Eu.* Nec paruì refert, ex quo ligno quaue figura sit facta testudo. *Fa.* Verisimile dicis. *Eu.* Nec ex quorumlibet animantium intestinis fiunt canoræ fides[146]. *Fa.* Audiui. *Eu.* Atque hæ quidem ex aëris circumfusi madore aut siccitate laxantur, contrahuntur, nonnunquam & rumpuntur. *Fa.* Istuc vidi non semel. *Eu.* Heic igitur potes opem præstare non vulgarem infantulo tuo, vt animus illius te-

140 agmina, cateruæ, cœtus, collegia, concilia. 141 Dica libellus est accusatorius: *γράφεσθαι δίκην* est litem intendere, in ius vocare. 142 opponerem, obniterer, contrariarer. 143 consonantiam, concentum, conuenientiam. 144 Loquitur ex Hypothesi & sententia illorum Philosophorum, de quibus sermo est. 145 instrumenti Musici conditione. 146 chordæ.

testudinem habeat bene temperatam, minimeque vitiatam, ne laxa sit segnitie, ne stridula sit iracundia, ne rauca sit temulentia. Nam hos affectus inserit in nobis nonnunquam educatio, victusque ratio. *Fa.* Admonitionem accipio; sed exspecto quo pacto tuearis Aristotelem. *Eu.* Ille quidem descripsit in genere animam animantem, vegetantem, ac sentientem. Anima dat vitam. Sed non protinus animal est, quod viuit. Viuunt enim, & senescunt, & emoriuntur arbores, at non sentiunt: quanquam his quoque nonnulli sensum tribuunt stupidum*. In adhæsis [147] vix deprehenditur sensus, in spongia deprehenditur ab auulsoribus, in arboribus materiarum cæsores sensum comperiunt, si quid illis credimus. Aiunt enim, si palma [148] ferias truncum arboris, quam velis cædere, quemadmodum fere solent materiarii, difficilius arbor inciditur, vt [149] semet contraxit metu. Quod autem viuit, ac sentit, animal est. Nihil autem prohibet esse ve-

Hoc sensit Pythagoras, nec omnino dissimile veri est. 147 accretis, adhærescentibus; id est, in iis, quæ adhærent, accreuerunt. Veniunt nempe a Neutris quibusdam Verbis Præterita significationem vel absolutam vel Passiuam habentia; vt adultus, conspiratus, qui adolerit, conspirauit. 148 plana manu. 149 post quam, ex quo. Anaxagoras plantæ spiritum defatigari operando aiebat, atque ideo per æstatem se retrahere ad radicem, per hiemem vero ad medullam; & hoc somnum esse plantarum. Vossii Physiologia Christ. & Theolog. Gentil. lib. V. c. 1. Conf. c. VII. de Zoophytis seu plantis sensûs non plane expertibus. Aiunt Indicam esse arborem, quæ accedente homine mutoue animante contrahit ramos, abeunte autem extendit.

vegetabile[150], quod non ſentit, veluti fungi, betæ, caules. *Fa.* Iſta ſi viuunt vtcunque, ſi ſentiunt vtcunque, ſi mouentur cum adoleſcunt, quid prohibet, eadem dignari animalis cognomine? *Eu.* Non ita viſum eſt maioribus, neque nobis fas eſt ab illorum placitis diſcedere[151], ac ne refert quidem ad hoc, quod nunc agimus. *Fa.* Atqui non feram, eandem eſſe animam ſcarabei & hominis. *Eu.* Non eſt eadem, o bona, ſed ratio quadantenus[152] communis eſt. Animat, vegetat, ſenſibile reddit corpus tuum anima tua. Idem agit ſcarabei anima in ſuo corpore. Nam quod quædam aliter, aut aliud agit anima hominis, quam ſcarabei, partim in cauſſa eſt materia. Non canit, non loquitur ſcarabeus, quia caret organis ad hæc idoneis. *Fa.* Illud igitur dicis, ſi anima ſcarabei demigraret in corpus hominis, idem ageret quod agit anima humana. *Eu.* Imo ne ſi mens quidem angelica, quem-ad-

150. Vegetatiuam animam Philoſophi recentiores ſeminalem animam appellant, quæ a Plinio dicitur alens; cuius motu interiore plantæ vigeſcunt, creſcunt, germinant. 151 Itane? reſpondebit tibi Iul. Cæſar Scaliger, qui Exercit. 306. inquit; Nihil infelicius eſſe iis ingeniis, qui mordicus tenent, maiores noſtros nihil ignoraſſe. Voſſius Ep. 527. ad Baron. Herbert de Cherbury: Aliquid ſinguli videmus; nemo omnia. Sæpe veritas e Democriti puteo difficulter educitur, vt multorum manibus atque opera opus ſit. Scilicet amicus Plato, amicus Socrates, amicus Ariſtoteles, magis amica veritas. Datur libertas philoſophandi; neque tamen omnis autoritas ſuſque deque habenda, quod Alſtedio iudice de Harmon. Philoſoph. Ariſtot. Lullianæ & Rameæ, non eſt libere, ſed arroganter philoſophari & dona DEI aliis collata non agnoſcere ſed contemnere. 152 aliqua ex parte, quodammodo.

admodum dixi. Nihil autem intereſt inter angelum & animam humanam, niſi quod hominis anima in hoc condita eſt, vt agat[153] corpus humanum naturalibus organis inſtructum, quemadmodum anima ſcarabei non mouet niſi corpus ſcarabei: Angelus non in hoc conditus eſt, vt animet corpus, ſed vt abſque corporalibus organis intelligat. *Fa.* Num idem poteſt anima? *Eu.* Poteſt quidem a corpore ſemota. *Fa.* Non eſt igitur ſui iuris, dum eſt in corpore. *Eu.* Non profecto: niſi ſi[154] quid accidat præter communem[155] naturæ curſum. *Fa.* Verum tu mihi pro vna anima plures animas effudiſti, animantem, vegetantem, ſenſibilem, intelligentem, memorem, volentem, iraſcentem, concupiſcentem. Mihi ſatis erat vna. *Eu.* Eiuſdem animæ diuerſæ ſunt actiones: ex his varia ſortitur cognomina. *Fa.* Non ſatis aſſequor[156] quod dicis. *Eu.* At faciam vt aſſequaris. Tu in cubiculo es vxor, in officina es textrix aulæorum[157], in taberna es aulæorum venditrix, in culina es coqua, inter famulos & famulas es domina, inter liberos es mater: & tamen hæc omnia es eadem[158] in domo. *Fa.* Satis tu quidem pingui Minerua[159] philoſopharis. Sic igitur eſt animus in corpore, quemadmodum ego in domo? *Eu.* Sic. *Fa.* Atqui dum ego texo in officina, non coquo in culina. *Eu.* Neque enim tu es anima tantum, ſed anima corpus circumferens: corpus autem non poteſt ſimul pluribus ineſſe locis:

153 moueat, impellat. 154 *Si* Pleonaſtice eleganter abundat. 155 ordinarium, ſuetum, vſitatum. 156 intelligo, percipio, capio. 157 tapetarum. 158 in illa ipſa, vna atque vnica. 159 craſſa, rudi, Muſâ, id eſt, indocte, minus exacte, parum accurate, acute; incondite, inſulſe.

cis: anima quoniam est forma simplex, sic est in toto corpore, vt in singulis corporis partibus sit tota[160], quamuis non idem agat per omnes partes, nec eodem modo per quomodolibet[161] affectas. Nam sapit ac meminit in cerebro, irascitur in corde, concupiscit in hepate, audit in auribus, cernit in oculis, olfacit in naribus, gustat in palato & lingua, sentit in omnibus partibus corporis, quæ neruaceum[162] aliquid habent adiunctum. Neque enim sentit in pilis, nec summis vnguibus: ac ne pulmo quidem per se sentit, nec hepar fortasse, nec lien. *Fa.* Proinde in quibusdam partibus animat tantum ac vegetat. *Eu.* Ita videtur. *Fa.* Si in vno homine facit hæc omnia eadem anima, consequitur, vt fœtus in vtero materno statim vt augescit, quod est vitæ signum, simul & sentiat, & intelligat; nisi forte vnius hominis initio plures sunt animæ, deinde cæteris cedentibus, vna peragit omnia. Ita vt primum homo fuerit planta, mox animal, postremo homo. *Eu.* Quod dicis, fortasse non absurdum videatur Aristoteli[162]. Nobis probabilius est, simul

cum

160 De sede animæ digladiati olim acerrime veteres Philosophi: Pythagoras & Plato constituerunt iuxta cerebrum, aut cerebri inferiorem partem aut meningem; Straton iuxta superciliorum medium; Empedocles & Aristoteles circa sanguinem; Stoici circa cor. De recepto autem Philosophorum axiomate: Anima est tota in toto, & tota in qualibet parte, disquisiuit Oratione habita Rudolphus Hospinianus, quæ cum altera de Animæ immortalitate typis exscripta est Tiguri in officina Froschouiana 1586. in 4. Cartesiani sedem animæ figunt glandulæ pineali. 161 quomodocunque. 162 quod habet naturam neruorum, Nervöse/ Spannädricht. 162 Statuit vtique Aristoteles infantem primum plantæ vitam viuere, post animalem, postremo denique hominis.

cum vita infundi rationalem animam, ſed quæ, velut igniculus, immerſa materiæ ſupra modum humidæ nondum queat exſerere vires ſuas. *Fa.* Animus igitur illigatus eſt corpori, quod agit mouetque? *Eu.* Non aliter quam teſtudo domui, quam circumfert. *Fa.* Eam mouet quidem, ſed ſic, vt ſimul moueatur: quemadmodum gubernator flectit nauem quo vult, ſed ipſe interim cum naui mouetur. *Eu.* Imo quemadmodum ſciurus [163] voluit caueam rotatilem, mobilis interim & ipſe. *Fa.* Sic & afficit anima corpus, ac viciſſim afficitur? *Eu.* Sane quod ad operationes attinet [164]. *Fa.* Ergo quod ad naturam pertinet, par eſt anima morionis, animæ Salomonis. *Eu.* Nihil abſurdum. *Fa.* Itaque pares ſunt & angeli quandoquidem carent materia, quæ parit, vt ais, inæqualitatem. *Eu.* Iam ſatis Philoſophiæ. Quin potius hæc Theologos torqueant; nos hoc agamus, quod cœpimus. Si tota mater eſſe vis, cura corpuſculum infantuli tui, quo poſteaquam ſeſe explicuit ex vaporibus mentis igniculus-

163 Σκίουρος animal, quod caudam ſub dio pro vmbra habet, ein Eichhörnchen. Præuident tempeſtatem, obturatisque, qua ſpiraturus eſt ventus, cauernis, ex alia parte aperiunt fores; de cætero ipſis villoſior cauda pro tegumento eſt. Plinius lib. VIII. c. 38. 164 Ingens animi affectionum vis eſt, adeo vt præ vehementia earundem quamplurimi repente mortui ſint. Vide Caſp. a Reies Campum Elyſium iucundarum Quæſtionum quæſt. 50. n. 9. p. 624. Reſultat vero etiam ab exactiſſimo corporis temperamento, vt animæ functiones perfectiores euadant. Dum enim pulchrum domicilium ipſa inuenit, clarius affulget, & vires ſuas exſerit, minori ponderis & terreæ molis obſtaculo præpedita, vnde alacrior tum fit, & opere ſuo liberalius vtitur. Quæſt. 78. l. cit. p. 1046.

culus, bonis & commodis organis vtatur. Quoties audis puerum tuum vagientem, crede, illum hoc abs te flagitare. Cum vides in pectore duos istos veluti fonticulos [165] turgidos, ac lacteo liquore vel suapte sponte manantes, crede, naturam admonere te tui officii. Alioqui cum infans iam fari meditabitur, ac blanda balbutie te mammam [166] vocabit, qua fronte hoc audies ab eo, cui mammam negaris, & ad conducticiam mammam [167] relegaris, perinde quasi capræ aut oui subiecisses? Vbi iam erit fandi potens, quid si te pro matre vocet semimatrem? Virgam expedies [168], opinor. Atqui vix semimater est, quæ recusat alere, quod peperit. Potior geniture pars est nutricatio teneri puelli. Alitur enim non solum lacte, sed & fragrantia materni corporis; requirit eundem liquorem iam notum & familiarem, quem hausit in corpore, & vnde coaluit. Atque ego quidem sum in hac sententia, vt existimem, in pueris ex lactis natura & indolem vitiari [169], non aliter quam

165 Mammas scil. Plutarchus in lib. de Puerorum Educat. Plane sapiens est prouidentia, quæ bina mulieribus vbera dedit, vt etiamsi gemellos partu edidissent, vterque haberet alimenti sui fontem. Huc spectant illa Phauorini: Putas naturam fœminis mammarum vbera, quasi quosdam næuulos venustiores non liberorum alendorum, sed ornandi pectoris, causa dedisse? 166 Memme / Mamma. 167 nutricis. 168 Capesses, apprehendes, Du wirst zur Ruthe / nach der Ruthe greiffen / mit der Ruthe geschwinde / hurtig ungesäumt hinter drein seyn / hervor wuschen. Promes, expromes, non parces virgæ. 169 Imo eo vsque vt, teste Beuerouicio celebri apud Batauos Medico, infans, qui canis vbera suxerat, noctu surrexerit, cumque aliis canibus latrauerit. Sa-

quam in frugibus & plantis terræ succus mutat ingenium eius quod alit. An putas, temere vulgo dici: *Iste malitiam cum lacte nutricis imbibit*? Ne illud quidem opinor, quod a Græcis dici solet, *Vt nutrices*: cum significant, aliquem male pasci. Paululum enim præmansi[170] in os inserunt infantis, maximam partem deglutiunt ipsæ. Proinde ne peperit quidem, quæ quod nixa est, mox abiicit. Istuc enim abortire est, non parere. Et in tales fœminas mihi competere Græcorum videtur etymologia, qui μήτηρ dici putant a μὴ τηρεῖν, hoc est, a non seruando. Nam prorsus conductitiam nutricem infantulo adhuc a matre tepenti adsciscere, genus est expositionis. *Fa.* Accederem, ni delecta esset mulier, in qua nihil desideres. *Eu.* Vt nihil referat, quod lac bibat mollis infantia, quam saliuam cum præmanso cibo deglutiat; vt talis contigerit nutrix qualem haud scio an vlla reperiatur; an putas, vllam esse, quæ nutricationis omne tædium deuorare possit, quemadmodum mater? sordes, assessiones, vagitus, morbos, seruandi nunquam satis diligentem curam? Si est quæ pariter amet, vt mater, erit quæ pariter curet. Quin & illud fiet vt segnius[171] amet te filius, natiua illa ca-

---

uædra in Symb. Polit. p.2, 3. Ne ipsi liberi, quod fieri nonnunquam solet, simul cum nutricis alienæ lacte vitia etiam & mores improbos imbiberent, matres ipsas prouida dispensatrix natura duplici quasi instruxit fonte candidioris sanguinis. Iustinus lib. 44. c. 4. Gargorim Cunetarum regis nepotem cerua nutritum in infantia inter ceruorum greges diu montes saltusque haud inferiorem velocitate peragrasse refert. 170 dentibus triti, id est, eius quod triuerunt dentibus, præmanserunt, masticarunt. 171 Vincu-

caritate velut in duas matres distracta; nec tu simili pietate ducêris erga filium, vt iam grandior minus libenter sit obtemperaturus iussis tuis; & tu frigidius illius curam habitura, in cuius moribus fortasse videbis nutricem. *Præcipuus autem discendi gradus est mutuus inter docentem ac discentem amor* [172]. Ergo si nihil decesserit illi natiuæ pietatis fragrantiæ [173], facilius illi instillabis præcepta recte viuendi. Neque enim heic parum valet mater, vel ob hoc, quod materiam tractet mollissimam, & in omnia sequacem [174]. *Fa.* Vt video, non tam facilis est res peperisse, quam vulgus existimat. *Eu.* Si mihi parum habes fidei, en tibi Paulus aperte de muliere loquens: *Salua*, inquit, *fiet per liberorum generationem* [175]. *Fa.* Salua est igitur quæ peperit? *Eu.* Nequaquam; sed addit, si liberi permanserint [176] in fide. Nondum ab-

lum illud coagulumque animi atque amoris, quo parentes cum filiis natura consociat, interscinditur, teste Phauorino apud Gellium loc. cit. vbi fusissime hoc argumentum persequitur. 172 Plinius: Optimus, inquit, docendi magister amor. Xenocrates Platonis discipulus cum Dion se caput Præceptori præcisurum minaretur; Non prius, quam hoc, ait, suum caput ostendens. 173 suaueolentiæ, odori. 174 obsequentem, obsecundantem, flexibilem. 175 Locus extat I. Tim. II, 15. 176 Vox: *liberi* non habetur, sed addit eum autor, dum vocem: *permanserint* refert ad liberos. En Pauli verba: *Σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας, ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει, καὶ ἀγάπῃ καὶ ἁγιασμῷ μετὰ σωφροσύνης.* Hoc est: *Salua tamen fiet per generationem liberorum, si manserint in fide, ac dilectione & sanctificatione cum sobrietate seu castimonia.* Hinc constat, quamuis Paulus mulierem in singulari Numero posuerit & *liberos* in Plurali, tamen illud manserint esse referendum ad omnes fœminas. Quid enim

absoluisti genitricis munus, nisi primum tenerum corpusculum filii, mox animum æque mollem, recta educatione finxeris. *Fa.* Atqui istuc matribus in manu non est, vt filii perseuerent in pietate. *Eu.* Fortassis; sed tantum habet momenti vigilans admonitio, vt Paulus existimet, matribus imputandum, si liberi degenerent a piis moribus [177]. Denique, si præstiteris quod in te situm est, Deus opem suam coniunget cum tua diligentia [178]. *Fa.* Mihi quidem, Eutrapele, tua persuasit oratio, si queas idem persuadere parentibus & marito. *Eu.* Istuc ad me recipio, modo tu me tuo iuues suffragio. *Fa.* Polliceor. *Eu.* Sed licetne videre puellum? *Fa.* Licet maxime. Heus Syrisca [179], voca nutricem vna cum infante. *Eu.* Scitus [180] admodum puer. Vulgo dicitur veniam deberi primum experienti [181]. At tu prima statim experientia summam artis [182] ex-

---

fides, dilectio, sanctificatio & castitas liberorum ad salutem matrum? nisi forte de felicitate aut beatitate & gaudio morali salutem interpreteris. Indicat Apostolus omnes fœminas solatii sui participes esse, si in coniugalibus oneribus cum fide & charitate sanctas se præbuerint, dum per synechdochen Numerum inuertit. 177 Hoc vero est contra expressum Scripturæ locum. Ezechiel. XVIII, 3, 4, 20.

178 *Fac tua, quæ tua sunt, quæ functio vera requirit,*
Fac tua, quæ tua sunt, cætera crede DEO.
Fac tua & euentum facti committe IEHOVÆ,
Is facit, is fecit, porro etiam faciet.

179 Ancillæ nomen est, vt Syrus servi. Romani enim Iudæorum & Syrorum gentem seruituti natam credebant. 180 Venustus, suauis, bellus. 181 Græcorum prouerbium est *Συγγνώμη πρωτοπείρῳ*, id est, primum experienti venia. Ignoscendum est iis, qui rudes in nouo quopiam negotio per imperitiam peccant. 182 Ein Meister-Stück.

expreſſiſti. *Fa.* Non eſt ſculptilis imago, vt arte ſit opus. *Eu.* Verum; ſed fuſile ſigillum eſt. Vtcunq; res habet feliciſſime cecidit[183]: vtinam pari felicitate cadant imagines quas intexis aulæis [184]. *Fa.* At tu contra felicius pingis, quam gignis. *Eu.* Sic viſum eſt naturæ cum omnibus paria facere [185]. Quam ſolicita eſt natura, ne quid pereat! Duos homines in vno repræſentauit: naſus & oculi patrem referunt, frons ac mentum matrem exprimunt. An tu poſſes hoc tam carum pignus alienæ fidei concredere? Mihi bis crudeles videntur eſſe, quæ id facere ſuſtinent. Quandoquidem non ſolum faciunt id infantis, quem ablegant, periculo, verum etiam ſuo, propterea quod in his lac auerſione corruptum ſæpe numero periculoſos mor-

---

Morhoſius lib. II. Polyhiſt. c. 1. mentionem inijcit Callipædias carmine latino deſcriptæ Abbatis Claudii Quilleti, vbi P. I. agitur de conditione ſponſi ſponſæque, II. de legibus atque cautelis Aſtrologicis circa concubitum obſeruandis. III. de cura vterum geſtantium & vi imaginatiua. IV. de regulis variis, quarum ope ad pulchritudinem quis pertingere valeat. 183 euenit. 184 Ἀυλαῖα, περιπετάσματα, περιστρώματα Latinis ſunt vela picturata & verſicolori textura ſpectabilia, quibus ad pompam & magnificum apparatum parietes Principum & magnatum obteguntur. Tapezereyen/Fürhänge. 185 alles gleich machen/ eines mit dem andern erſetzen/ defectum vnius compenſare per præſtantiam alterius. Quam paria faciat natura artis æmula cum ingenioſiſſimis ſculptoribus atque pictoribus, de eo plurima vide exempla in Muſeo Wormiano. Pertinet huc effigies Pontificis ſub terra anno 1538. Mansfeldii reperta, inſcripta naturæ penicillo lapidi; de qua in Colloquiis, quæ vocant, Lutheri menſalibus fol. 244. narratur. Miſſa ibi Franciſco I. Galliarum Regi fuiſſe dicitur.

morbos pariat. Itaque fit, vt dum vnius formæ corporis consulunt, parum consulant duorum corporum vitæ: dumque cauent, ne contingat præproperum senium, coniiciunt sese in mortem præproperam. Quod est inditum puero nomen? *Fa.* Cornelius? *Eu.* Hoc erat nomen aui paterni. Vtinam virum integerrimum & moribus nobis referat! *Fa.* Dabitur opera, quod quidem in nobis erit. Sed heus Eutrapele, vnum quiddam obnixe te rogarim. *Eu.* Imo puta me tuum esse mancipium: impetrabis quæ voles. *Fa.* Proinde non prius te manumittam *, quam hoc mihi beneficium cœptum absoluas. *Eu.* Quodnam? *Fa.* Vt præscribas mihi primum, quibus rationibus queam infantis valetudini consulere: deinde cum erit firmior, quibus rudimentis ad pietatem præparandus sit rudis animus. *Eu.* Id faciam lubens, pro mea quidem sapientia; sed proximo colloquio: nunc orator adeo [186] maritum ac parentes. *Fa.* Precor exorator vt fies [187].

PERE-

---

* Quia dixerat se mancipium. 186 abeo ad maritum. *Adire* verbum *ad locum* vulgare est, pro quo id vsurpatur elegantius, quod motum a loco significat, obseruante Arnoldo in Ornatu Lat. Ling. c. IV. reg. 112. 187 Sis, fias, euadas, existas; per Epenthesin Vocal. e.

PEREGRINATIO [1] RELIGIONIS ERGO.

MENEDEMVS [2], OGYGIVS [3].

Me. QVid hoc nouæ rei? Nonne Ogygium vicinum meum video, iam totos sex menses non visum cuiquam [4]? Interisse [5] rumor erat. Ipsus [6] est, nisi prorsus hallucinor [7]. Adibo ac saluere iubebo [8]. Saluus sis, Ogygi. *Og.* Salue & tu, Menedeme. *Me.* Quæ regio te nobis red-

1 Graphice depingitur in hoc Colloquio eorum inania, qui religionis ergo peregrinationes suscipiunt sub opinione cultus aut meriti; acriter perstringuntur prodigiosæ Ecclesiasticorum eius temporis fallaciæ, quibus credulam plebeculam quæstus gratia decipiebant. Videbis hic Pontificiorum sacrorum mysteria detecta; videbis vanissimam miraculorum & sanctarum, si Dîs placet, reliquiarum ostentationem explosam, atque diuorum gregem adunco naso suspensum. 2 Menedemus Philosophus Erithræus inter prandendum atque cœnandum eximios plane discursus mouit; Homero atque Æschylo fauentissimus. Videtur autem nomen Menedemi Græce Μηνηδῆμος esse ex μήνη Luna & δῆμος quasi Luna populi, aut ex μηνύω Indico, significo; quasi facem præferens in tenebris plusquam Cimmeriis populo, vt noctem lucidam luna reddit, viasque indicat & aditus. 3 Ogyges Thebanorum Rex, sub quo diluvium magnum fuit, teste Augustino de Ciuitate DEI, non illud quidem maximum, quod Noæ temporibus sacræ literæ testantur; sed tamen maius eo, quod Deucalionis seculo bonam terræ partem inundauit. Hinc Ogygius, gia, gium. 4 a quoquam, ab vllo. 5 scil. eum. 6 ipse. Vetusta est prolatio, vt Ipsiptus & ipsipte vel ipsipti pro: Is ipsus & illi ipsi. Auson. Popma c. X. de Antiqua Locut. lib. I. p. m. 473. 7 aberro, fallor. 8 salutabo, salute impertiam.

reddidit incolumem? Nam tristis rumor heic sparserat, te nauigasse Stygiam paludem[9]. *Og.* Imo gratia superis, sic interim valui, vt vix vnquam antehac melius. *Me.* Ita semper vanitatis coarguas eiusmodi rumores[10]. Sed quid istuc ornatus est? obsitus es conchis imbricatis[11], stanneis ac plumbeis imaginibus oppletus vndique, culmeis* ornatus torquibus; brachium habet oua serpentum.** *Og.* Visi diuum Iacobum Compostellanum, & hinc reuersus, Virginem Parathalassiam apud Anglos percelebrem; quin potius hanc reuisi: nam ante annos tres inuiseram. *Me.* Animi gratia, vt arbitror. *Og.* Imo religionis caussa. *Me.* Istam, opinor, religionem docuerunt te Græcæ litteræ[12]. *Og.* Mater vxoris voto sese obstrinxerat, vt si filia peperisset masculum vitalem, ego diuo Iacobo præsens præsenti salutem dicerem, & gratias agerem. *Me.* Salutasti diuum tuo duntaxat, & socrus nomine? *Og.* Imo totius familiæ verbis. *Me.* Equidem arbitror, nihilo minus salutis futurum

---

9 te ex hac vita migrasse, ad plures abiisse. Stygia palus fons Arcadiæ est tam exitialis, vt potus mox mortem afferat. Hinc Poëtæ finxerunt Charontem defunctorum animas per paludem illam transuehere. 10 apprecor, voueo. 11 **Getrümmte Muscheln/Schalen.** Concha vasis genus est concauum ac superius patulum; Imbricatum autem est imbricum specie incuruatum. Imbrex enim incuruata tegula est. * E stramine factis. ** Significat globulos, quibus vtuntur ad numerandas preces. Sic enim oua serpentum, quum prodeunt, cohærent. Rosaria, quæ vocant Pater noster ob repetitam, quamuis rarius, Orationem Dominicam. 12 Perstringit barbariem eorum, qui Græca nosse noxium putarent.

rum fuiſſe familiæ, etiamſi Iacobum inſalutatum reliquiſſes. Sed obſecro quid reſpondit agenti gratias? *Og.* Nihil, ſed offerenti munus viſus eſt arridere, & capite leniter annuere; ſimulque porrexit hoc imbricatum putamen [13]. *Me.* Cur iſta potius donat, quam alia? *Og.* Quoniam his abundat ſuggerente vicino mari. *Me.* O benignum diuum qui & obſtetricatur parturientibus, & operam dat hoſpitibus [14]! Verum quodnam iſtuc nouum vouendi genus, vt otioſus aliis laborem imponat aliquis? Si tu te voto adſtringeres, vt, ſi, quod ageres, feliciter cederet, ego ieiunarem bis in hebdomade, an credis me facturum quod vouiſſes? *Og.* Non credo, etiam ſi tu ipſe tuo nomine vouiſſes. Nam tibi diuis os oblinere [15] ludus eſt. At ſocrus eſt; mos gerendus erat. Noſti mulierum affectus, & mea quoque referebat [16]. *Me.* Si non præſtitiſſes votum, quid erat periculi? *Og.* Non poterat me diuus vocare in ius, fateor: ſed poterat in poſterum eſſe ſurdus ad vota mea, aut tacitus aliquid calamitatis [17] immittere in meam familiam. Noſti principum mores. *Me.* Dic mihi, qui valet agitque vir optimus Iacobus? *Og.* Multo

13 Conchæ purgamentum. Die Muſchel-Schale / See-Muſchel/ idem quod concha imbricata, teſta. De mira concharum, teſtarum, putaminumque talium varietate Plinium vide lib. IX. c. 33. ſeqq. 14 Aduenis, exteris aduentantibus. 15 Verba dare, demulcendo decipere, fraude illudere. Etwas vorſchmieren/ auf etwas vergebliche Hoffnung machen/ das Maul einem aufſperren und nichts hinein geben. 16 intererat. 17 ærumnæ, miſeriæ, tribulationis, afflictionis.

to frigidius solido[18]. *Me.* Quid est in caussa? senium? *Og.* Nugator, scis diuos non senescere. Verum hæc noua persuasio, quæ late per orbem diuagatur, facit vt infrequentius salutetur solito: & si qui veniunt, salutant tantum; nihil aut quam minimum donant, dictitantes, eam pecuniam rectius collocari in egenos. *Me.* Impia persuasio*! *Og.* Itaque tantus Apostolus, qui solet totus[19] gemmis & auro fulgere, nunc stat ligneus, vix sebaceam habens candelam. *Me.* Si verum est, quod audio, periculum est, ne reliquis diuis idem veniat vsu. *Og.* Imo circumfertur epistola; quam hac de re scripsit ipsa Virgo Maria. *Me.* Quæ Maria? *Og.* Quæ cognomen habet a lapide. *Me.* Apud Rauracos[20], ni fallor. *Og.* Ea est. *Me.* Lapideam igitur diuam mihi narras. Sed cui scripsit? *Og.* Nomen ipsa indicat epistola. *Me.* Per quem missa est? *Og.* Haud dubie quin per angelum, qui posuerat scriptam in suggesto[21], vnde concionatur is ad quem scripta est. Et ne quid fraudis suspiceris, videbis epistolam αὐτόγραφον*. *Me.* Itane agnoscis ma-

---

18 degit, agit, viuit. * Ironia est; quum sit admodum pia. An Iacobus enim ipse vllum fabricauit simulacrum? an pauperes denudauit, vt lignum & lapides vestiret? an non Eleemosynas in egenos iniunxit & probauit? 19 omni ex parte, quaquauersum. 20 Basileenses. Vide Iul. Cæs. lib. I. c. 5. de Bello Gall. & lib. VII. c. 75. Rauraci populi ad Rhenum Heluetiis vicini, atque in medio eorum Sequanorumque habitantes. Hinc Augusta Rauracorum s. Basilea, vbi primi feruntur creati Doctores secundum versum:

Doctores Basilea creat, Witteberga Magistros.

21 Suggestus, us, & suggestum, i, locus excelsior vnde haberi solent conciones ad populum. * Id est, ab ipsa scri-

num angeli, qui est Virgini ab epistolis [22]? *Og.* Quid ni? *Me.* Quo tandem argumento [23]? *Og.* Legi Epitaphium Bedæ [24], quod ab angelo insculptum est: elementorum figuræ per omnia congruunt. Legi & syngrapham diuo Ægidio missam*: congruunt. An non hæc satis arguunt [25] rem? *Me.* Fasne est inspicere? *Og.* Fas, si deieres taciturum. *Me.* Oh lapidi dixeris. *Og.* Iam sunt & lapides * hoc nomine infames, quod nihil celent. *Me.* Muto igitur dicito, si lapidi parum fidis. *Og.* Hac lege recitabo: tu fac vtramque arrigas [26] aurem.

ptam: quemadmodum oracula dicuntur αὐτόφωνα, ab ipso Deo reddita voce. *Virgil.* Ipsa canas oro. 22 qui ministrat in scribendis epistolis. 23 indicio. 24 Beda Monachus Britannus, Græce Latineque pro barbarie seculi sui eruditus vixit sub Iohanne VI. qui Pontificatum iniit anno Christi 700, ob eruditam modestiam Venerabilis dictus, præterquam quod Discipulo eius cuidam, Epitaphium scribere volenti in honorem Magistri, cum non succederet versus:

Hac sunt in fossa Bedæ Presbyteri ossa,

meditabundo & somno oppresso obuenisse fertur hoc ipsum Epitheton in locum alterius surrogandum:

Hac sunt in fossa Bedæ Venerabilis ossa.

Corpus eius Genuæ conditum, & epitaphium ibidem positum ab Angelis insculptum fingitur. * Nota est fabula de Carolo Magno; qui quum desperaret veniam admissorum, S. Ægidius impetrauit syngrapham ab angelo, continentem hunc versiculum: Ægidii merito Caroli peccata remitto. 25 euincunt, comprobant. * Sentit de Lydio lapide, qui dicitur index: is prodit aurum subæratum aut imitaticium. Lege apud Ouidium fabulam de Batto in lapidem verso. 26 diligenter ausculteś, attendas. Terent. in Andr. Act. V. Sc. 7. arrige aures, Pamphile. Translatio est

tem. *Me.* Arrexi. *Og. Maria mater Iesu Glaucopluto*[27] *S.D. Quod Lutherum sequutus strenue suades, superuacaneum esse inuocare diuos, a me quidem isto nomine bonam magnamque inisti gratiam, scito. Nam antehac tantum non enecabar improbis mortalium oplorationibus. Ab vna postulabantur omnia, quasi filius meus semper infans esset, quia talis fingitur, pingiturque in sinu meo, vt ex nutu matris adhuc pendeat*[28]*, neque quidquam ausit negare petenti, videlicet metuens, ne si quid neget roganti, ego vicissim ipsi negem mammam sitienti. Et nonnunquam ea petunt a virgine, quæ verecundus iuuenis vix auderet petere a lena*[29]*, quæque me pudet litteris committere. Interim negotiator lucri caussa nauigaturus in Hispaniam, committit mihi pudicitiam suæ concubinæ. Et virgo deo sacra, abiecto velo*[30] *fugam adornans, deponit apud me famam integritatis suæ, quam ipsa tendit*[31] *prostituere. Occlamat mihi miles impius, & ad lanienam conductus: Beata virgo, da prædam opimam. Occlamat aleator: Faue, diua; pars lucri tibi decidetur.*

---

a pecudibus, quæ si quid eminus audiant, aures erigere aut arrigere solent. 27 Nomen sacerdotis fictum ex γλαυκὸς quod est ex γλαὺξ vlula, noctua, vnde γλαύκωμα glaucedo ein blauer Dunst; & πλοῦτος diuitiæ, quasi qui diues sit glaucomatibus, dem es nicht fehlet/wenn er den Leuten einen blauen Dunst vor die Augen mahlen soll. 28 Sich nach eines Wincke richten/ad nutum esse paratum, intentum, obedire ad nutum. 29 quæ scortis prostituendis quæstum facit, eine Kupterin. Lena mulier, leno vir. 30 relicto monachalis vitæ genere. Velum seu flammea iam olim Ethnicis Sacerdotibus & Virginibus Vestalibus pudicitiæ signum fuit. Hinc: *Non omnis virgo, quæ velum habet.* 31 intendit, occupata est, cupit.

tur[32]. *Et si parum faueat alea, me conuiciis lacerant, maleque precantur, quæ*[33] *non adfuerim sceleri. Occlamat quæ quæstui turpi*[34] *semet exponit; Da prouentum vberem. Si quid negem, illico reclamant: Ergo ne sis mater misericordiæ. Aliorum vota non tam impia sunt, quam inepta. Clamat innupta: Maria, da mihi formosum ac diuitem sponsum. Clamat nupta: Da mihi bellos catulos*[35]. *Clamat grauida: Da mihi facilem partum. Clamat anus: Da diu viuere sine tussi sitique. Clamat senex delirus: Da repubescere*[36]. *Clamat philosophus: Da nodos insolubiles*[37] *nectere. Clamat sacerdos: Da sacerdotium opimum. Clamat episcopus: Serua meam ecclesiam. Clamat nauta: Da prosperos cursus. Clamat præfectus: Ostende mihi filium tuum antequam moriar. Clamat aulicus: Da vere confiteri in mortis articulo. Clamat rusticus: Da tempestiuam pluuiam. Clamat rustica: Serua gregem & armentum*[38] *incolume. Si quid renuo, illico*[39] *sum*[40] *crudelis.*

Si

32 dabitur tibi portio lucri, consecrabitur, dedicabitur. 33 quod, propterea quod. 34 corpore quæstum facit, impudica. 35 infantulos. 36 In insula quapiam Loguca dicta fons laudatur perennis & nobilissimus, cuius aqua epota senes iam mortuis vicini reiuuenescunt. Quidam senex decrepitus eo se contulit amore vitæ lotus & potus est ibidem aliquot dies, resumpsit robur virile & florens domum rediit, vxorem iterum duxit & genuit filios. Hunc senem dicit se vidisse Petrus Martyr. Euseb. Norinberg. lib. 6. c. 56. 37 Insolubilia argumenta, sophismata. 38 Armentum quasi aramentum, sunt equi & boues ad arandum pecoris genus idoneum; Groß Vieh. Grex autem est minorum animalium congregatio; Klein Vieh/ vt oues, capræ, porci. Popma de different. Voc. p. 69. edit. rec. Lipsf. 1694. 39 statim, e vestigio. 40 dicor, audio, videor.

Si relego ad filium, audio: Vult ille quidquid tu vis. Itane ego sola & mulier, & virgo dabo operam nauigantibus, belligerantibus, negotiantibus, ludentibus aleam, nubentibus, parturientibus, satrapis, regibus & agricolis? Atqui quod dixi, minimum est præ his quæ patior. Sed his negotiis nunc multo minus grauor: quo quidem nomine tibi gratias agerem maximas, nisi commodum hoc incommodum maius secum traheret: plus est otii, sed minus est honorum, minus est opum. Ante salutabar Regina cœlorum. Domina mundi: nunc vix a paucis audio: Aue Maria. Ante vestiebar gemmis & auro, abundabam mutatoriis [41], *deferebantur aurea gemmeaque donaria: nunc vix tegor dimidiato palliolo, eoque corroso a muribus. Prouentus autem annui vix tantum* [42] *est, vt alam miserum æditumum* [*], *qui accendat lucernulam aut candelam sebaceam. Atque hæc tamen poterant ferri, ni maiora etiam moliri dicereris. Huc tendis, vt aiunt, vt quidquid vsquam est diuorum, exigas* [43] *ex ædibus sacris. Etiam atque etiam* [44] *vide quid agas. Non deest aliis diuis quo suam vlciscantur iniuriam. Eiectus e templo Petrus, potest tibi vicissim occludere regni cœlestis ostium; Paulus habet gladium: Bartholomæus cultro armatus est* [45]; *Gulielmus sub pallio monachi totus armatus est, non sine graui lancea* [46]. *Quid autem agas cum Georgio; & equite & cataphracto* [*], *hasta*

41 vestimentis. Ich hatte umb- oder abzuwechseln mit den Kleidern. 42 Prouentus annuus vix tantus est. * Quem veteres, vt indicat Varro, Æditimum vocabant. Custos erat mendæ sacræ ædis. 43 eiicias, expellas, elimines. 44 Iterum atque iterum, attentius, studiosius. 45 cinctus, instructus, adornatus est. 46 hasta. * Id est, graui

sta simul & gladio formidabili? Nec inermis est Antonius? habet sacrum ignem *. *Sunt item & cæteris sua vel arma, vel mala* [47], *quæ quibus volunt immittunt. Me vero quantumuis inermem* [48], *non tamen eiicies, nisi simul eiecto filio, quem vlnis teneo. Ab hoc non me patiar diuelli: aut hunc vna mecum extrudes, aut vtrumque relinques, nisi mauis habere templum sine Christo. Hæc te scire volui: tu cogita, quid mihi respondendum censeas. Nam mihi plane res cordi est* [49]. *Ex æde nostra lapidea, Calendis Augusti, anno filii mei passi 1524. Virgo lapidea mea manu scripsi* [50]. *Me.* Minax profecto ac formidabilis epistola. Cauebit, opinor, Glaucoplutus. *Og.* Si sapit. *Me.* Quam ob rem non eadem de re scripsit huic optimus ille Iacobus? *Og.* Nescio, nisi quod longius abest, & his temporibus intercipiuntur omnes epistolæ. *Me.* Sed quis Deus te redegit [51] in Angliam? *Og.* Ventus illuc inuitabat mire secundus, atque id propemodum eram pollicitus di-

---

armatura munito, grauis armaturæ milite, sub Diocletiano tribuno militum. * Hoc enim nomine sanctum illum amabilem reddidere formidabilem; quemadmodum Iohannem Baptistam præter alios, morbo comitiali, Hubertum hydrophobo, item alios aliis malis. Et hæc vertimus in quæstum nostrum, cuius studiosiores sumus quam seruandarum animarum. 47 Valesianus ventos regit; Iodocus præest rubigini e frumentis purgandæ; Gertrudi murium, Hyldricho glirium cura commendata est. Pesti medetur Sebastianus, scabiei Neapolitanæ s. morbo Gallico Rochus, febricitantibus Petronella; morti improuisæ. 48 armis non instructam, destitutam armis. 49 serio res agitur. 50 Subscriptio Epistolæ imitatur prorsus Apostolicam Coloss. IV. v. 18. II. Thess. III, 17. 51 adegit, propulit, duxit.

diuæ Parathalaſſiæ[52], me poſt biennium ipſam re-uiſurum. *Me.* Quid petiturus ab illa? *Og.* Nihil noui, niſi illa vulgaria, familiam incolumem, rem vberiorem, longæuam lætamque vitam in hoc ſeculo, & perennem felicitatem in futuro. *Me.* Non poterat eadem præſtare Virgo mater apud nos? Habet Antuerpiæ[53] templum longe auguſtius, quam in Parathalaſſo. *Og.* Haud nego poſſe[54], verum aliis in locis alia largitur, ſiue ſic viſum eſt animo illius, ſiue, vt eſt benigna, ſemet in hoc noſtris affectibus accommodat. *Me.* De Iacobo frequenter audiui: ſed obſecro te, deſcribe mihi *regnum iſtius Parathalaſſiæ.* *Og.* Equidem expediam quam potero pauciſſimis. Celeberrimum nomen eſt per vniuerſam Angliam, nec temere reperias in ea inſula[55] qui ſperet res ſuas fore ſaluas, quin illam quotannis aliquo munuſculo pro facultatum modulo ſalutarit. *Me.* Vbi habet? *Og.* *At extremum Angliæ finem,* in-

---

52 ad mare habitanti a παρὰ *ad* & θάλασσα mare. Paralios etiam dici poteſt ex παρὰ & ἅλς, ἁλός, mare. Vide Alcumiſt. 53 Cathedrale, opus ſumptuoſiſſimum & maxime ſpectabili turre. Fundamenta eius prima teſte Petro Ægidio anno 1142. iacta; ædes autem a Burchardo Epiſcopo Cameracenſi dedicata; longitudine pedes habet quingentos, latitudine ducentos & quadraginta, altitudine trecentos & quadraginta; ſacella aut. cellulas capit ſexaginta ſex, columnis marmoreis varii artificii, & præſtantiſſimorum pictorum picturis condecoratas. Turris campanas habet tres & triginta. Portæ templi candidiſſimo marmore exſtructæ ſolidius inauratæ ſunt. Anno 1533. ferale incendium ad ima vſque templum hoc deſtruxerat, Paulus vero Pontifex 1559. cathedrale declarauit. 54 ſcil. præſtare eadem. 55 Anglia.

inter Occidentem & Septentrionem, haud procul a mari, passuum fere tribus millibus. Vicus est vix alia re victitans, quam commeantium frequentia. Collegium est Canonicorum, sed quibus a Latinis regulæ cognomen additur; medium genus inter monachos, & canonicos, quos seculares appellant. *Me.* Amphibios [56] mihi narras; quod genus est fiber [57]. *Og.* Imo & crocodilus [58]. Sed omissis cauillis [59], tribus [60] verbis expediam quod vis. In odiosis canonici sunt, in fauorabilibus monachi. *Me.* Adhuc mihi quidem ænigma refers. *Og.* Quin addam apodixim * mathematicam. Si Romanus pontifex fulmine [61] feriat omnes monachos, tum canonici fuerint, non monachi: Sin idem permittat omnibus monachis vxorem ducere, tum fuerint monachi. *Me.* O nouos fauores; vtinam abducant [62] & meam! *Og.* Sed vt ad rem: Collegium hoc vix alios habet prouentus [63], quam ex liberalita-

---

56 Amphibii, qui ancipitem vitam agunt, ex ἀμφὶ vtrinque & βίος Vita. Sic animalia, quæ vtrinque & in terra viuunt & in aqua amphibia dicuntur. 57 Castor. Der Biber, habet duos pedes caninos & duos anserinos, quibus remigat, magnitudine felis est. 58 De Crocodilo Plinius lib. VIII. c. 25. Non aliud animal ex minori origine in maiorem crescit magnitudinem. Quidam hoc animal vnum, quam diu viuat, crescere arbitrantur. Adæquat enim cubitos duo de viginti, nascitur ex ouo, quantum anseris. 59 Cauilla, æ, & Cauillum, i, est irrisio, illusio, dicterium, scomma. 60 paucis. Numerus certus pro incerto; aliquot. * Apodixis, demonstratio est, quæ proprie fit Mathematicis per literas depictas, ad oculum infallibiliter & clarissime. 61 excommunicatione. 62 adducant, afferant vxorem. 63 reditus.

tate Virginis. Nam maiora quidem donaria [64] seruantur. Cæterum si quid est nummorum, aut leuioris pretii, cedit in alimoniam [65] gregis & præfecti, quem illi Priorem vocant. *Me.* Probæ vitæ[66]? *Og.* Non illaudatæ; pietate ditiores, quam annuo censu [67]. Templum est nitidum & elegans; verum in eo non habitat Virgo, sed illud honoris gratia cessit filio. Illa suum habet templum [68], vt dextra sit [69] filio. *Me.* Dextra? Quo igitur spectat filius? *Og.* Bene mones. Cum occidentem spectat, dextram habet matrem: vbi se vertit ad Solis exortum, sinistra est [70]. Nec heic tamen habitat; nondum enim ædificium est absolutum, & locus est vndique perflabilis, patentibus ostiis, patentibus fenestris; & in propinquo est Oceanus ventorum pater [71]. *Me.* Durum, vbi igitur habet illa?

Og.

64 donationes maiores, munera, dona. 65 victum, sustentationem, conseruationem. 66 sunt illi sc. Canonici? 67 reditu, prouentu. 68 ita, ea ratione. 69 relinquatur, tribuatur, deputetur. 70 Dextra nempe & sinistra mera sunt relatio. Cor in homine magis verge-re putatur ad sinistram; ideo Cyrus eam partem corporis dextra honoratiorem dicebat; nam quos honorare volebat, collocabat ad sinistram, vt obseruat Drusius in c. VI. Deut. v. 8. Germani nos dextram digniori assignamus, quod operibus faciendis aptior sit; Turcæ sinistram, quod eam partem gladius honestet, & qui sinistrum latus claudit eum gestet liberum & expeditum. Busbeq. Epist. Turc. I. p. 19. Angli, Galli, locum parieti proximum digniorem statuunt, quod ambulationi commodior sit. Becmann. in Meditat. Polit. c. VI. §. 5. 71 genitor causa, autor. Communiter Oceanus vniuersarum aquarum pater est; dum autem exhalationes & vapores ex aquis educti & in sublime ad mediam aëris regionem euecti ab aëre

Og. In eo templo, quod inabsolutum [72] dixi, est sacellum angustum, ligneo tabulatu [73] constructum, ad vtrumque latus per angustum ostiolum admittens salutatores. Lumen est exiguum, nec fere nisi ex cereis, fragrat odor naribus gratissimus. *Me.* Hæc omnia congruunt religioni. *Og.* Imo si introspicias, Menedeme, dicas diuorum esse sedem, adeo gemmis, auro, argentoque nitent omnia. *Me.* Accendis animum, vt eo me conferam. *Og.* Haud pœnituerit itineris. *Me.* Nihil est illic olei sacri? *Og.* Inepte [74]. Oleum istud non resudat nisi e sepulcris diuorum, velut Andreæ & Catharinæ. Maria sepulta non est [75]. *Me.* Erraui, fateor. Sed absolue fabulam. *Og.* Quo latius se spargat religio, alia aliis locis ostenduntur. *Me.* Et fortassis vt vberior sit largitio, iuxta illud, *Fit cito per multas præda peti-*

frigido & denso refracto impetu resiliunt, ventorum itidem pater est. Plerumque post pluuiam venti oriuntur, cum ex terra humida facilius exsurgant exhalationes. 72 Nondum absolutum. Non autem reperitur Vocab. inabsolutus, a, um, sed est factitium, pro: imperfectum. 73 Tabulatus das Getäffele/ ligneo tabulatu constructum was aus Holtz zusammen getäffelt ist. 74 Crasse scil. du grober Kerl/ du unverständiger Mensch. 75 Nugantur enim illam in cœlum sublatam, non mortuam esse. Nicephorus lib. II. cap. 21. seqq. *Sexagesimum fere aut vnde sexagesimum agentem annum* scribit, *a filio nuncium de migratione & aduentu ad se per angelum accepisse Mariam, immensa repletam esse lætitia, lumen ad eam illatam, domum purgatam, genere propinquos accersitos; victoriæ mortis trophæum, palmæ ramum, monstrasse congregatis etiam tonitru atque nimbi sonitu Christi discipulis, angelorum gloria tanquam satellitio stipatam, obdormientem, deposuisse beatam animam:* Fiat mihi rursum, *ingemiscendo,* secundum verbum tuum.

tita manus [76]. *Og.* Et nusquam non præsto sunt mystagogi [77]. *Me.* Ex canonicis? *Og.* Nequaquam: illi non adhibentur, ne per occasionem religionis alienentur a religione, ac dum obseruant Virginem, parum ipsi consulant suæ virginitati. Tantum in intimo sacello, quod dixi conclaue diuæ. Virginis, adstat altari canonicus quidam. *Me.* In quem vsum? *Og.* Vt recipiat seruetque quod datur. *Me.* An dant, qui nolint? *Og.* Minime; sed nonnullos pius quidam pudor huc adigit, vt dent adstante quopiam, non daturi *si testis* [78] *abesset:* aut largius dant aliquanto, quam erant daturi. *Me.* Affectum humanum dicis, & mihi non inexpertum [79]. *Og.* Imo vero sunt quidam adeo dediti sanctissimæ Virgini, vt dum simulant, sese munus imponere altari, mira dexteritate suffurentur quod alius posuerat. *Me.* Fac, nullum adstare; an non in tales illico fulminaret [80] Virgo? *Og.* Qui magis id faceret Virgo, quam ipse Pater æthereus [81], quem non verentur nudare suis ornamentis, vel perfosso templi pariete [82]? *Me.* Non satis mihi constat, vtrum magis debeam admirari, illorumne impiam confidentiam, an Dei lenitatem. *Og.* Ad latus itaque Septentrionale porta quædam est non templi, ne quid [83] erres, sed septi [84], quo to-

76 Extat versus in Ouid. lib. I. Amorum. Eleg. 8. 77 Mystagogus iuxta Cic. in Verr. Orat. 4. is est, qui hospites ad ea, quæ sacra & visenda sunt, ducere solet. 78 Spectator. 79 quem ipse sum expertus ego. 80 fulmina immitteret. 81 S. Saluator DEVS. 82 quod faciunt sacrilegi fures. 83 ne qua in re, daß du alles recht einnimmest / daß du nicht worinne irrest. 84 sepimenti muri.

tota clauditur area templo adiacens. Ea ostiolum habet perpusillum, quale videmus in valuis nobilium, vt qui velit ingredi, primum tibiam [85] periculo exponere cogatur, deinde caput etiam submittat. *Me.* Profecto tutum non fuerit ad hostem ingredi per tale ostiolum. *Og.* Recte coniectas. Narrabat mystagogus [86], olim virum equestris ordinis, equo insidentem, per hoc ostium elapsum e manibus inimici, qui iam fugienti imminebat. Ibi miser desperans sui [86], subita cogitatione salutem suam commendauit diuæ Virgini, quæ erat in proximo. Nam ad huius aram fugere decreuerat, si valua patuisset. Et ecce rem inauditam. Subito totus eques erat intra septa templi, altero frustra fortis insaniente. *Me.* Et faciebat tam admirandæ narrationis fidem [87]? *Og.* Maxime. *Me.* Id quidem non admodum facile apud te hominem Philosophum. *Og.* Ostendebat in ostio laminam [88] cupream clauis affixam, quæ habebat imaginem equitis seruati, eoque cultu [89] quo tum Anglica gens vtebatur, quem & in vetustioribus picturis videmus: quæ si non mentiuntur, frigebant id ætatis tonsores, & qui pannos tingunt ac texunt. *Me.* Qui sic? *Og.* Quia barbatus [90] erat non aliter quam ca-

85 Das Schien-Bein; Er muß erst mit einem Beine durch oder hinein. 86 o mendacem! 86 de se. Er hatte sich seiner selbst verziehen/hatte seiner selber Sorge/dachte es sey umb ihn geschehen. 87 Et persuadebat vobis tam incredibilia? 88 Lamina est metalli cuiusuis frustum in latitudinem ductum, crassius tamen quam bractea, ein Blech/Blatte. 89 eo habitu, vestitu, amictu. 90 Cæsar de Britannis sua ætate testatur, quod capillo essent promisso atque omni parte cor-

præ; & vniuersa vestis nullam habebat rugam [91], adeoque non erat maior corpore, vt strictu [92] corpus ipsum redderet angustius. Erat & altera lamina, cellæ figuram ac magnitudinem referens. *Me*. Iam dubitare fas non erat. *Og*. Subter ostiolum erat cratis ferrea [93], quæ peditem tantum transmitteret. Non conueniebat vt equus post eum calcaret locum, quem prior eques Virgini consecrasset. *Me*. Et merito. *Og*. Hinc ad Orientem est sacellum prodigiis [94] plenum: eo me confero. Excipit alius mystagogus. Illic orauimus paulisper. Mox exhibetur nobis articulus humani digiti, e tribus maximi [95]: exosculor: deinde rogo cuius sint reliquiæ. Ait, Sancti Petri. Num Apostoli, inquam? Aiebat. Deinde contemplans magnitudinem articuli, qui gigantis videri potuerit: Oportuit, inquam, Petrum fuisse virum prægrandi corpore. Ad hanc vocem e comitibus quidam cachinum

---

poris rasa præter caput & labrum superius; lib. V. de Bell. Gall. c. 14. 91 Oportet Anglos diu morem priscum vestiendi tenuisse. De Germanis enim, Angli autem origine Germani sunt, Tacitus refert de Moribus German. c. 17. Locupletissimi veste distinguuntur non fluitante sicut Sarmatæ ac Parthi, sed stricta & singulos artus exprimente. 92 strictu. Supinum aut Monoptoton a stringo. Ich ziehe scharff an/genau zusammen. Poterat etiam legi Particip. stricta scil. vestis. Strictu mit dem scharffen Anziehen/weil es so glatt anlag. 93 Ein eisern Gegitter/wie ein Rost / rete refert; ita ferro est contexta; non transmittit animalia discalceata quadrupeda. 94 portentis, ostentis, fictis miraculis. 95 medii, qui habetur infamis. Martial. lib. II. Epigr. 28. Digitum medium alicui porrigere seu monstrare, est extreme contemnere. Einem einen Mönch oder Jecken stechen.

num [96] ſolutus eſt: id certe moleſte tuli. Nam ſi is ſiluiſſet, ædit
uus nos nihil celaſſet reliquorum. Eum tamen vtcunque placauimus, datis aliquot drachmis. Ante ædiculam erat tectum, quod aiebat hiberno tempore, cum nix obtexiſſet omnia, eo ſubito fuiſſe delatum e longinquo. Sub eo tecto putei duo ad ſummum pleni: fontis venam aiunt eſſe ſacram diuæ Virgini; liquor eſt mire frigidus, efficax medicando capitis ſtomachique doloribus. *Me.* Si frigida medetur doloribus capitis & ſtomachi, poſthac & oleum extinguet incendium [97]. *Og.* Miraculum audis, ô bone: alioqui quid eſſet miraculi, ſi frigida [98] ſedaret ſitim? *Me.* Et iſta ſane eſt vna pars fabulæ. *Og.* Affirmabant, eum fontem derepente proſiliiſſe e terra iuſſu ſanctiſſimæ Virginis. Ego cuncta diligenter circumſpiciens, rogabam, quot eſſent anni, quod ea domuncula [99] fuiſſet eo deportata: dixit, aliquot ſecula. *Alioqui parietes*, inquam, *non præ ſe ferunt aliquid vetuſtatis.* Non repugnabat. *Ne columnæ quidem hæ ligneæ* [100]: Non negabat eſſe nuper poſitas, & res ipſa loquebatur. *Deinde hæc*, inquam, *tecti culmea* [101] *arundineaque materia videtur eſſe recentior.* Aſſentiebatur. *Ac ne trabes quidem hæ*, inquam, *tranſuerſæ, nec ipſa tigna, quæ culmos ſuſtinent,*

96 riſum ſonorum atque ſolutum. 97 Abſonum eſſe dicit frigidis curari velle. Sed contrariam eiuſmodi & ancipitem medendi rationem ſubiit autore Antonio Muſa Octauius Imperat. Auguſtus, cum calida fomenta non prodeſſent. Sueton. cap. 81. 98 ſcilicet *aqua*. 99 ædicula. 100 aliquid vetuſtatis præ ſe ferunt, inquam. 101 ex culmis vel ſtramine conſtans.

nent, videntur ante multos annos posita. Annuebat. Atqui cum iam nulla casæ pars superesset; *vnde igitur constat*, inquam, *hanc esse casulam illam e longinquo delatam? Me.* Obsecro quomodo sese ab hoc nodo expediebat æditüus? *Og.* Scilicet incunctanter ille ostendit nobis peruetustam vrsi pellem tignis affixam; ac propemodum irrisit nostram tarditatem, qui ad tam manifestum argumentum non haberemus oculos. Itaque persuasi [102], & tarditatis culpam deprecati, vertimus nos ad cæleste lac beatæ Virginis. *Me.* O matrem filii simillimam! ille nobis tantum [103] sanguinis sui reliquit in terris; hæc tantum lactis, quantum vix credibile est esse posse uni mulieri vniparæ [104], etiamsi nihil bibisset infans. *Og.* Idem [105] caussantur de cruce Domini, quæ priuatim ac publice tot locis ostenditur, vt si fragmenta conferantur in vnum, *nauis* onerariæ iustum onus videri possint; & tamen totam crucem suam baiulauit Dominus. *Me.* An non tibi quoque mirum videtur? *Og.* Nouum fortasse dici possit; mirum nequaquam, cum Dominus, qui hæc auget pro suo arbitrio, sit omnipotens [106]. *Me.*

102 cum essemus scilicet. 103 tantam copiam affluentiam. 104 quæ vnicum peperit infantem. 105 Pluribus in locis lac virginis & fragmenta crucis Christi a deceptoribus istis Monachis & Canonicis ostenduntur; imo alibi adorant caligas Iosephi nutritii Domini, alibi calceos Thomæ, ocreas Martini; alibi obsoleta strophiola, sudariola quædam mucosa. Bulengerus addit: Aiunt in vrbe quadam Liguriæ seruari caudam asini, cuius meminerunt Euangelistæ. 106 A posse ad esse non valet conseq. Ostende promissionem diuinam quod velit.

Me. Pie tu quidem interpretaris: at ego vereor ne multa talia fingantur ad quæstum. *Og.* Non arbitror, Deum passurum, si quis ipsum ad istum irrideat modum[107]. *Me.* Imo, cum a sacrilegis spoliatur & Mater & Filius & Pater & Spiritus, ne tantulum quidem sese commouent interdum, vt vel nutu, vel crepitu deterreant sceleftos. Tanta est numinis lenitas. *Og.* Sic est: sed audi reliqua. Id lac seruatur in altari summo, in cuius medio Christus, ad dextram Mater, honoris gratia. Lac enim matrem repræsentat. *Me.* Conspicuum est igitur? *Og.* Videlicet inclusum crystallo. *Me.* Liquidum igitur[108]? *Og.* Quid liquidum mihi narras, cum fusum sit ante annos mille quingentos? Concretum est; dicas cretam tritam, alboque oui[109] temperatam. *Me.* Quin igitur nudum ostendant? *Og.* Ne contaminetur virorum osculis lac virgineum. *Me.* Probe dicis. Nam sunt, opinor, qui os admoueant nec purum, nec virgineum. *Og.* Vbi nos videt mystagogus, accurrit, lineam vestem induit, sacram stolam[110] addidit ceruici, procubuit religiose, & adorauit: mox nobis lac sacrosanctum osculandum porrexit. Heic in extremo altaris gradu[111] re-

107 Imo vero multa patitur diuina longanimitas, quæ suo tempore seuere vltura est diuina iustitia. Videt & tacet. Ps. 50. v. 21. Lento ad vindictam gradu diuina procedit ira, sed tarditatem supplicii, grauitate compensabit. 108 sc. illud est? 109 albumine. 110 ornatum illum, qui Pontificiis sacerdotibus linea veste indutis ex collo dependet in pectus. Stola autem ἀπὸ τοῦ στέλλεσθαι ab induendo. 111 parte, qua primum ascendi altare incipit; an der untersten/letzten/äusserften Stuffe.

religiose procubuimus & ipsi; Christoque primum salutato, Virginem oratiuncula tali, quam in hoc ipsum pararam [112], appellauimus: *Virgo parens, quæ tuis virgineis vberibus lactare meruisti* [113] *cœli terræque dominum filium tuum Iesum, optamus, vt illius sanguine purificati proficiamus & nos ad felicem illam infantiam columbinæ simplicitatis, quæ nescia malitiæ, fraudis ac doli, lac Euangelicæ doctrinæ* [114] *concupiscit assidue, donec proficiat in virum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi, cuius felici consortio frueris in æternum, cum Patre & Spiritu sancto. Amen. Me.* Pia sane deprecatio [115]. Quid illa? *Og.* Visus est vterque annuere, nisi me fallebant oculi. Nam subsilire videbatur sacrum lac, & candidior aliquanto affulgebat eucharistia [116]. Interim mystagogus ad nos accessit, tacitus quidem, sed tabellam porrigens, qualem apud Germanos offerunt qui in pontibus telos * exigunt. *Me.* Equidem sæpe numero male precatus sum illis petacibus tabellis, cum per Germaniam iter facerem. *Og.* Dedimus drachmas aliquot, quas ille obtulit Virgini. Mox per interpretem eius linguæ pulcre peritum, & iuuenem blandæ cuiusdam eloquentiæ, (nomen erat, ni

112 præparaueram, præmeditatus eram. 113 Mereri Stylo Patristico idem est ac: *Consequi, impetrare.* 114 Ebr. V, v. 13. Matth. X, 16. Ephes. IV, 13. I. Petr. II. v. 2. 115 Pia sane, nisi impia fieret per id, quod non ad ipsum Christum, sed matrem, cuius adoratio in Scriptura S. nullibi fundata est, dirigitur. 116 panis verbis quibusdam institutionis consecratus & in corpus Christi & sanguinem a sacrificulo Pontificio conuersus, vt aiunt, quem rudi popello adorandum præbent. * Τέλος, id est, Tributum siue Vectigal.

ni fallor, Robertus Aldrisius) percunctatus sum, quam potui ciuilissime [117], quibus argumentis cognitum haberet, hoc esse lac Virginis. Id ego sane pio studio scire cupiebam, quo possem impiis quibusdam hæc omnia ridere solitis os obturare [118]. Primum mystagogus * obducta fronte [119] obticuit [120]: iussi [121] vt interpres instaret; sed blandius etiam. Ille vero blandissime, adeo vt si matrem ipsam nuper puerperam talibus verbis appellasset, non fuerit ægre latura. At mystagogus tanquam afflatus [122] numine quopiam, nos intuens oculis stupentibus, ac velut horrore vocem blasphemam [123] execrantibus, *Quid opus*, inquit, *ista percunctari, cum habeatis tabulam authenticam* [124]? Et omnino videbatur nos vt hæreticos eiecturus, nisi drachmæ deliniissent [125] hominis ferociam. *Me.* Quid vos interim? *Og.* Nos? quid censes? Non aliter quam fuste icti, aut fulmine tacti, nosmet illinc subduximus, suppliciter audaciæ veniam comprecati: sic enim conuenit in rebus sacris. Inde proficiscimur ad ædiculam, hospitium diuæ Virginis. Huc euntibus aperit sese quidam hierophanta [126] ex il-

117 modestissime, vrbanissime. 118 conuincere veritatis, ita vt taceant, nec post hac amplius contradicant aut obloquantur. * Qui ostendit arcana: qui & hierophanta dicitur. 119 rugis in fronte contractis, corrugata fronte, quod indignationis signum est. 120 siluit, tacuit. Tacet, qui desinit, silet, qui nondum loqui cœpit. 121 præcepi, monui, hortatus sum. 122 perculsus, percitus. 123 maledicentem, displicentem. 124 indubitatam & infallibilis autoritatis. 125 placassent. 126 Ἱεροφάντης, qui sacra & ceremonias docet, ab ἱερὸν sacrum & φαίνω, ostendo; idem

illis Minoribus [127], nosque veluti noscitans intuetur: aliquantulum progressis occurrit alius, itidem contemplans nos: post etiam tertius. *Me.* Fortasse cupiebant te pingere. *Og.* At ego longe diuersum suspicabar. *Me.* Quid istuc? *Og.* Sacrilegum quempiam suppilasse [128] nonnihil ex mundo * sacræ Virginis, & in me suspicionem intentam esse. Itaque sacellum ingressus, tali precatiuncula saluto matrem Virginem: *O sola fœminarum omnium mater & virgo, mater felicissima, virgo purissima; nunc te puram impuri visimus, salutamus, donariolis nostris vtcunque colimus: vtinam donet nobis filius tuus, vt sanctissimos tuos mores imitantes, mereamur* [129] *& nos per Spiritus sancti gratiam spiritualiter dominum Iesum intimis animi visceribus concipere, semelque conceptum nunquam amittere: Amen.* Simulque exosculatus aram, deposui drachmas [130] aliquot; & abii. *Le.* Quid heic Virgo? Nullone nutu dedit signum auditæ precatiunculæ? *Og.* Lumen, vt dixi,

quod Mystagogus; der einen allenthalben herumführet die Geheimnisse/Heimligkeiten zu besehen/und solche zeiget. 127 Id est Franciscanis. Nam Franciscus suos Sectatores diuisit in fratres hosce *Minores*, quibus ipse se associauit, *Clarissas* & Pœnitentes. 128 subduxisse, suffuratum esse. * Ex ornamentis. Dicitur autem mundus muliebris. 129 digni reddamur, euadamus. 130 Δραχμὴ pondo trium scrupulorum, vt & genus numismatis valens Romanum denarium, siue sex obolos. Agricola de Mensur. & Pond. Pollux lib. 9. Vitruu. l. 3. c. 1. Alex. ab Alexandro Dierum Genial. lib. IV. c. 24. quid drachma, quid assis, quid denarius sestertium & talentum apud gentes diuersas valuerit.

xi, erat ambiguum [131], & illa ſtabat in tenebris ad dextrum latus altaris. Poſtremo me ſic deiecerat [132] oratio prioris myſtagogi, vt non auderem oculos attollere. *Me.* Iſtius igitur profectionis non erat admodum lætus exitus. *Og.* Imo multo lætiſſimus. *Me.* Reddidiſti animum [133]: nam mihi quoque cor in genua * deciderat [134], vt tuus loquitur Homerus. *Og.* A prandio repetimus templum. *Me.* Audebas, ſuſpectus ſacrilegii? *Og.* Fortasſis, ſed ipſe mihi ſuſpectum non eram. *Neſcit pauorem mens ſibi bene conſcia* [135]. Trahebat me tabulæ viſendæ cupiditas, ad quam myſtagogus nos relegarat. Eam diu quæſitam tandem inuenimus: verum in alto defixam, vt non quibuslibet oculis legi poſſet. Mihi tales ſunt oculi, vt nec lynceus [136] dici poſſim, nec omnino luſcioſus [137]. Itaque legen-

---

131 anceps, dubium. Es war gegen den Widerſchein. obſcurum. Es war nicht recht lichte/helle. 132 proſtrauerat, perturbauerat, depreſſerat, perterrefecerat, perterruerat. 133 Refocillaſti me. Du haſt mir wieder ein Hertze gemacht/haſt mich wieder aufgerichtet. * Ex Iliad. ο. Τάρβησαν. πᾶσιν δὲ παραὶ ποσὶ κάππεσε θυμός. Id eſt, Expauerunt: omnibus autem in pedes decedit animus. 134 Germanus ait: Das Hertze war mir in die Hoſen/in die Beine/gefallen. 135 Hic murus aheneus eſto, nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa. Horat. Epiſt. I. ad Mæcenat. Ouid. I. Faſt.

Conſcia mens vt cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora pro facto ſpemque metumque ſuo.

136 Qui acutiſſimo viſu pollet, *Lynceus* dicitur & *Lynx* appellatur. Spectat huc vulgatus de *Lynce* verſiculus:

Nos aper auditu, nos vincit aranea tactu;
Vultur odoratu, Lynx *viſu*, *Simia guſtu.*

137 Luſcitioſus & luſcioſus qui propius admota oculis videt, remota non videt, Ubersichtig/ſchielicht/myops, myopia laborans.

gentem Aldrisium oculis obiter assectatus sum [138], nec illi [139] satis fidens in re tanta. *Me.* Excussa est omnis dubitatio? *Og.* Puduit me mei, qui subdubitassem [140]; adeo res tota illi [141] ponebatur ob oculos; nomen, locus, res vt erat ordine gesta: breuiter, nihil omissum. Dictus est Gulielmus Lutetiæ natus, vir pius cum alias, tum præcipue religiosus in conquirendis toto orbe diuorum reliquiis. Is peragratis regionibus plurimis, monasteriis ac templis vndique lustratis [142], tandem peruenit Constantinopolim [143]. Nam huius Gulielmi frater illic agebat Episcopum. Is iam adornantem reditum admonuit, esse virginem quandam Deo dicatam, quæ lac haberet Virginis matris: abunde felicem futurum si vel precario, vel pretio, vel arte, portionem aliquam posset nancisci. Nam cæ-

138 secutus sum. 139 tamen, neque vero. 140 aliquantulum, vel tantillum, pusillum dubitassem. 141 Ambigue loquitur: *illi ponebatur*, non mihi; & : *illi*, id est, *ab illo ponebatur* scil. mihi ob oculos. 142 perlustratis, spectatis. 143 Constantinopolis Imperator. Turcici sedes in finibus Thraciæ sita, dicta quasi *Vrbs Constantini*, Constantini M. Imperat. Stadt. ante Bizantium appellata, hodie Stambol. Vt Roma septicollis est, figura triangularis, quatuor & dimidium milliaria lata. Capta Turcis anno 1453. d. 29. Maii per Mahumetem II. Magnum, octauum Turcarum Regem, post paucorum dierum obsidionem, quatuor nempe & quinquaginta, hebdomade Pentecostali, cum præcedente nocte ominosa vox audita esset: Migremns hinc, migremus hinc. Fusius expugnationem hanc descriptam lege in Theatro Matthiæ sub Friderico III. Imperat. p. 698. seq. edit. Amstelodam. 1648. Lat. in 4. Constantinus M. referente Niceph. lib. VII. c. 49. notabili monumento his verbis dedicauerat vrbem: Tibi Christe DEVS vrbem hunc commendo.

cæteras reliquias omnes, quas hactenus collegerat, nihil esse ad tam sacrum lac. Ibi Gulielmus non conquieuit, donec, exorat dimidium eius lactis. Eo thesauro plus quam Crœsus[144] sibi videbatur. *Me.* Quid ni? & quidem præter spem. *Og.* Recta domum properat: in itinere morbus occupat. *Me.* Vt nihil est in rebus humanis nec diu, nec vndiquaque felix! *Og.* Vbi videt periculum, accersit clam Gallum, fidissimum eius peregrinationis comitem. Et religiose stipulatur[145] silentium: committit illi lac, ea lege, vt si incolumis domum redeat, deponat eum thesaurum in ara diuæ Virginis, quæ colitur Lutetiæ in augusto templo, vtrinque Sequanam[145] præterlabentem intuens: & amnis ipse videtur honoris gratia decedere numini Virginis. Vt rem in pauca conferam, sepultus est Gulielmus; alter properat, & hunc morbus corripit. Is desperans sui, tradit Anglo comiti lac, sed multis obtestationibus adstricto, vt faceret, quod fuerat ipse facturus. Moritur hic; recipit ille, & in aram deponit lac canonicis eius loci præsentibus, qui tum temporis adhuc sunt apud Diuam Genouefam[146]. Ab his impetrauit lactis dimidium. Id delatum in Angliam, tandem in Parathalassum detulit, huc vocante mentem illius afflatu spiritus. *Me.* Pulcre certe sibi constat hæc narratio. *Og.* Imo ne qua[147] residere posset dubitatio, adscripta erant no-

144 deditissimus, opulentissimus Lydorum Rex. 145 Stipulatur, qui promissum accipit. 145 Gallis Die Seine mediam Lutetiam intersecat. 146 in templo Petri & Pauli constructo anno 499 a Clodouæo hortatu istius Geneuefæ, ibi sepultæ anno 521. 147 aliqua.

mina episcoporum a suffragiis[148]; qui lac illud invisentibus non absque munusculo, tantum impartierunt relaxationis[149], quantum ex suo dimenso* largiri possunt. *Me.* Quantum id est? *Og.* Dierum quadraginta. *Me.* Etiam apud inferos dies** est? *Og.* Certe tempus est. *Me.* Vbi totum hoc dimensum semel fuerint elargiti, non superest quod largiantur? *Og.* Minime. Subscatet[150] enim subinde quod dent; ac plane diuersum quiddam accidit heic atque in dolio Danaidum[151]. Illud enim cum continenter impleatur[152], semper tamen inane est[153]: hinc si semper haurias, nihilo tamen minus est in dolio. *Me.* Si centum hominum millibus largiantur quadraginta[154], singuli tantundem habent? *Og.* Tantundem. *Me.* Et si, qui ante prandium acceperunt quadraginta, rursus sub cœnam poscerent quadraginta, præstone esset quod da-

---

148 suffraganeorum, qui suffragia dant. 149 indulgentiæ, veniæ, liberationis in purgatorio. * Id est: ex modo præscripto. Romanus enim Pontifex e dolio promit & tantum relaxationis concedit, quantum velit: Episcopis certus modus præscriptus est. ** Nam ad purgatorium nunc prorogant relaxationes, vbi nullus est dies, & tamen dies vocant. 150 subnascitur, suboritur, paulatim denuo affluit. 151 Dolium Danaidum Prouerbium est in eos, qui operam perdunt & in vanum laborant. Plato quippe scripsit Danai Argiuorum Regis quinquaginta filias, cum vna nocte maritos suos, præter vnam Hypermnestram, quæ Lyncæum maritum seruauit, interfecissent, apud inferos hoc pœnæ genus pendere, vt assidue aquam in dolium pertusum; aquam non sustinentem, vasis itidem pertusis & aquam non tenentibus inferre cogantur. 152 conatu. 153 euentu & effectu. 154 scil. dies relaxationis e purgatorio.

daretur? *Og.* Imo si hora eadem decies [155]. *Me.* Vtinam mihi tale scriniolum esset domi; non optarim nisi tres drachmas, modo sic scateant. *Og.* Quin optas vt totus fias aureus, tantundem accepturus ex voto? Verum ad fabulam redeo. Addebatur & illud pii cuiusdam candoris [156] argumentum: lac Virginis, quod aliis compluribus in locis ostendebatur, satis quidem esse venerandum; hoc tamen cæteris esse venerabilius, quod illa [157] abraderentur a saxis, hoc ex ipsius Virginis vberibus effluxisset. *Me.* Vnde id constabat [158]? *Og.* Oh! narrat hoc virgo Constantinopolitana, quæ lac dederat. *Me.* Et illi fortasse communicarat diuus Bernardus [159]. *Og.* Sic arbitror. *Me.* Cui natu grandi contigit gustare lac ex eadem mamma quam suxit puer Iesus [160]. Vnde miror, illum mellifluum dici potius quam lactifluum. Sed quomodo lac Virginis dicitur, quod non fluxit ex vberibus? *Og.* fluxit & illud, sed saxo, cui forte lactans insidebat, exceptum concreuit [161]; deinde volente Deo sic multiplicatum est. *Me.* Recte. Perge. *Og.* His itaque peractis, dum paramus abitum, obambulantes interim, & si quid offerretur spectatu dignum circumspectantes, rursum adsunt mystagogi; limis * in-

155 scil. poscerent relaxationem, præsto tamen foret. 156 piæ sinceritatis, fidelitatis, ingenuitatis. 157 lactis genera. 158 manifestum, indubitatum erat. 159 Claravallensis Abbas circa annum 1115. clarus, qui multa scripsit stylo suaui, vnde mellifluus dictus. 160 Ironice refert fabulam de Bernhardo. 161 coaluit, coagulauit, inspissatum est. * Id est, oculis obliquis ac semiclausis, quomodo se aspici leones indignantur.

intuentur, digito subnotant [162], accurrunt, abeunt, recurrunt, nutant; videbantur compellaturi [163] si fuisset audaciæ satis. *Me.* Nihil ibi metuebas? *Og.* Imo faciem illis obuerti, sic arridens & intuens, quasi ad compellandum inuitarem. Tandem vnus aggressus, rogat quod mihi nomen esset: edo [164]. Num is essem qui ante biennium affixisset votiuam tabellam litteris Hebraicis? Fatebar esse me. *Me.* Scribis Hebraice? *Og.* Minime; sed isti quidquid non intelligunt, Hebraicum vocant. Mox accersitus, vt coniicio, venit illius collegii πρῶτος ὕστερος [165]. *Me.* Quod istuc dignitatis nomen est? Non habent abbatem? *Og.* Non. *Me.* Cur ita? *Og.* Quia nesciunt Hebraice [166]. *Me.* Non episcopum? *Og.* Nequaquam. *Me.* Quam ob rem? *Og.* Quia Virgo pauperior etiamnum est, quam vt emat pedum [167] ac mitram [168] nimio venalem.

Me.

162 ostendunt, monstrant, indigitant. 163 allocuturi, inuecturi. 164 dico, effero, pronuncio. 165 Sic Autor vocat eum, qui in hoc Collegio Priori erat proximus, Sub-Priorem. Græce est: primus posterus, quasi præposterus. 166 Deriuare velle videtur: *Abbas* ex Chaldaico aut Ebraico Abh & Abba; a radice אָבָה voluit, propensionem habuit; vt Beem. in Origin. Lat. Ling. p. 826. 167 pastoralem baculum, den Bischoffs- oder Hirten-Stab. Etymologiam enim Germanicam vocis: Bischoff Keisersbergius, concionator Argentinensis libentissime ad hoc reuocauit, vt sit quasi bey den Schaaffen; sed cum neque Græca neque Germanica Etymologia mouerentur, vt facere vellent officium, contrariam attulit, vt dicatur Bischoff quasi Beiß die Schaaffe, cum nolint esse Inspectores veri Ecclesiarum vel Pastores & Curatores. Virgil. in Bucolic. *At tu sume pedum,*

Me. Non saltem Præpositum? *Og.* Ne id quidem. *Me.* Quid obstat? *Og.* Quia Præpositus dignitatis est nomen, non sanctimoniæ. Et ideo canonicorum collegia nomen abbatis reiiciunt, Præpositi libenter amplectuntur. *Me.* Atqui πρῶτον ὕστερον antehac audiui nunquam. *Og.* Næ tu magnopere rudis es Grammatices[169]. *Me.* Ὑστερόπρωτον[170] noui in tropis[171]. *Og.* Tenes. Hic qui priori proximus est, *Prior* est *posterior*. *Me.* Suppriorem[172] dicis. *Og.* Is me salutauit satis humaniter. Narrat quantopere sudatum sit a multis, vt versus eos legerent: quot frustra extersa[173] perspicilla. Quoties aduenisset aliquis vetustus[174] Theologiæ aut Iuris doctor, adductus est ad tabellam: alius dicebat esse litteras Arabicas, alius fictitias:

Extremitas enim Baculi Episcopalis virgæ pastoralis incuruaturam definit. 168 Mitra dictio barbara pileum incuruum designat, quo Mæonii, Ægyptii, Syri, Phryges & Lydi vsi, cingulum & fasciam. Hoc loco est tegumentum, seu ornamentum capitis, quo Episcopi, Abbates aliique Ecclesiastici Papicolæ vtuntur. 169 artis Grammaticæ; hospes es in Grammatica. 170 Ὑστερόπρωτον Grammatici vocant, cum in oratione quod natura prius est, posterius referatur. 171 Tropus a verbo τρέπω *Verto* est Rhetoribus elocutio; quæ vocem a natiua significatione conuertit & immutat in alienam. 172 Eum qui proximus est a Priore aut a Primo, qui *sub priore* aut *primo* est. 173 expurgata, detersa. 174 Vetus, id est, qui multis ab hinc annis gradum honoris consecutus erat. *Vetus* est & *vetustum*, quod habet ætatem; *antiquum*, quod Patrum memoriam excessit. Popm. Diff. p. 57. Senes autem sunt, qui ad senilem ætatem peruenerunt; opponuntur iunioribus & iuuenibus; Veteres sunt, qui superioribus temporibus vixerunt, opponuntur modernis. Ita *Senes* sunt; *Veteres* fuerunt, l. c. p. 380.

tias: tandem repertus eſt qui legeret titulum. Is deſcriptus erat verbis ac litteris Romanis, ſed maiuſculis, quæ prima ſpecie videntur referre maiuſculas Latinas. Rogatus deſcripſi ſententiam carminum latine, verbum verbo reddens [175]. Huius opellæ cum præmiolum oblatum conſtanter recuſarem, affirmans nihil eſſe tam arduum [176], quod in Virginis ſanctiſſimæ gratiam non eſſem cupidiſſime facturus, etiamſi litteras iuberet illinc perferre Hieroſolymam. *Me.* Quid opus te grammatophoro; [177] cum illi tot angeli adſint a manibus [178] atque a pedibus [179]? *Og.* Ille protulit e crumena ligni fragmentum defectum e trabe, in qua virgo mater viſa eſt conſiſtere. Odor mirus protinus [180] arguebat, eſſe rem oppido [181] ſacram. Ego vero tam inſigne munus pronus & nudato capite, ſumma cum veneratione terque quaterque exoſculatus, repoſui in crumenam. *Me.* Licetne videre? *Og.* Per me quidem licebit. Cæterum ſi ieiunus non es,

175 Verti verſione adſtrictiori, verbotenus interpretatus ſum. 176 tantum, tam difficile, graue, tanti momenti. 177 tabellario, literarum latore. Gr. γραμματοφόρος ex γράμμα & φέρω perfero, porto, Brieff-Träger/Bothe. 178 *a manu* eſt is, cuius opera & manu ad ſcribendum vtimur, *ad manum*, qui præſto adeſſet imperata facit, Popma. pag. 41. 179 *a pedibus* eſt, qui negotia Domini pedibus exſequitur, *ad pedes*, qui ſtat retro Dominum accumbentem & cœnanti adminiſtrat. Salmaſius tamen differentiam aliquam eſſe, inter ſeruos *ad manum* & *a manu*, *a veſte* & *ad veſtem* diffitetur. l. c. p. 42. 180 confeſtim, ſtatim. 181 perquam, valde, multum. Si Feſto fides habenda, ex ſermone confabulantium Aduerbium: *Oppido*, ortum eſt; quantum nempe quisque frugum feciſſet. Vt enim multitudo ſignificaretur, ſæpe reſpondebatur, quantum *vel oppido* ſatis eſſet.

es, aut ſi nocte proxima fuit tibi res cum vxore, non ſuaſerim vt videas [182]. *Me.* Oſtende: nihil periculi. *Og.* En tibi. *Me.* O te beatum iſto munere! *Og.* Ego, ne ſis inſciens, non permutarim hoc tantillum fragmentulum cum vniuerſo auro Tagi *: includam auro, ſed ſic vt per cryſtallum pelluceat. Tum Hyſteroprotus, vbi me videt tam religioſe geſtientem eo munuſculo, iudicans non indignum, cui maiora quoque committerentur, rogat, num quando vidiſſem ſecreta Virginis. Ea vox me nonnihil commouit; non tamen auſus ſum percunctari quæ diceret ſecreta [183] Virginis. Siquidem in rebus tam ſacris etiam linguæ lapſus non vacat periculo. Nego, me vidiſſe, ſed videndi cupidiſſimum eſſe dico. Inducor iam velut afflatus numine. Accenditur vna atque altera tæda cerata: oſtenditur imaguncula, nec magnitudine, nec materia, nec opere præcellens, ſed virtute pollens. *Me.* Moles non multum habet momenti ad edenda miracula. Vide Chriſtophorum [184] Lutetiæ, non

182 Doctiſſimus Græuius in Lectionibus Heſiodæis: Sapiens illa fœmina, inquit, cum conſuleretur, quando poſt concubitum liceret myſteriis intereſſe? reſpondit: ſi cum tua vxore rem habuiſti, ſtatim; ſi cum aliena, nunquam. Pertinet huc Ebr. XIII. v. 4. ἀμίαντον eſſe τὴν κοίτην. * Tagus inter fluuios auriferos eſſe memoratur. 183 arcana, res ſeparatas & non cuiuis facile patentes. Ludit vero petulanter ad Alberti M. ſecreta mulierum. 184 Chriſtophorus ita dictus, quod Chriſtum humeris tulerit. Proceræ ſtaturæ gigas & vere Poëticus Polyphemus fingitur; ſed Baronius ipſe fatetur nil certi ſe de illo aſſeuerare poſſe, in Martyrol. 25. Iulii p. 453. Quod pertinet ad giganteam ſtaturam, inquiens, qua pingi conſueuit, quid dicam non

non hamaxiæum * aut colossæum **, sed monti iusto parem; nullis tamen illic miraculis nobilem, quod quidem audierim. *Og.* Ad pedes Virginis est gemma, cui nondum apud Latinos aut Græcos nomen inditum: Galli a bufone dederunt nomen [185], eo quod bufonis effigiem sic exprimat, vt nulla ars idem possit efficere. Quoque maius est miraculum, pusillus est lapillus; non prominet bufonis imago, sed in ipsa gemma velut inclusa pellucet. *Me.* Fortassis imaginantur bufonis similitudinem, quemadmodum pueri quid non [186] vident

habeo. Fabulam explicat pie Lutherus T.V. Ienensi Germ. fol. 313. Iuxta Monachorum Legendas originem duxit ex Cananæa altus 12. vlnas cubitosque, Lyciam venit Christum prædicaturus; captus autem a Rege Dagno galea ignita coronandus, virgis cædendus igni imponendus & feruenti oleo perfundendus mirabili modo liberatus est. Iacobus de Voragine refert Christophorum aliquando exulantem ad Eremitam venisse, a quo missus sit ad flumen, vt peregrinanter transportaret; noctu autem puerum venisse, qui se deferri per flumen petierit; quem postquam detulisset ad littus, Christophorum de onere & mole pueri conquestum esse scribit Iacobus de Voragine. Puer autem respondit: Non tibi hoc mirum videatur, siquidem portasti Creatorem totius mundi. Atque his dictis puerum disparuisse ferunt.
* Hamaxiæa Græcis dicuntur prægrandia, quasi quæ plaustri iustum onus sint. ** Colossi dicuntur imagines ad miraculum vsque grandes, vt videantur pares Colosso in portu Rhodiensi olim ex ære fuso & inter septem orbis miracula habito. 185 Krötenstein. Bufonites, cui eam vim esse tradunt, vt omne virus eluat ac curet, obseruante Camerario in Horis succis. Cent. II. p. 35. 186 omne, quid vis, quodcunque, nihil non. Interrogatio enim affirmatiua æquipollet negationi, duplex autem negatio fortius & hoc loco vniuersaliter affirmat.

dent in nubibus? dracones ignem ſpirantes, montes igni candentes, armatos concurrentes. *Og* Imo ne ſis neſciens, nullus bufo viuus euidentius exprimit ſe ipſum, quam illic erat expreſſus. *Me.* Hactenus pertuli fabulas tuas; poſthac alium quære, cui perſuadeas de bufone. *Og.* Nihil mirum eſt, Menedeme, te ſic affectum [187] eſſe. Nec mihi quisquam perſuaſurus erat, etiamſi totus ordo Theologorum aſſeueraſſet, niſi his oculis, hiſce, inquam, oculis vidiſſem, intuitus eſſem, comperiſſem. Sed interim mihi videris ſatis incurius [188] rerum naturalium. *Me.* Quam ob rem? Quia non credo volare aſinos? *Og.* An non vides, quam ludat artifex natura in omnium rerum coloribus ac formis exprimendis, cum aliis quidem in rebus [189], ſed præcipue in gemmis [190]? deinde quam admirandas vires gemmis illis indiderit, prorſus incredibiles, ni cominus experientia faceret nobis fidem? Dic mihi, crediturus eras, chalybem intactum a magnete [191] attrahi, & rurſus ab eodem de-

187 animatum. 188 incurioſus, negligens. 189 Refert Sauerus in Diario Hiſtorico p. 342. mulierem Coburgi in nundinis anno 1554. d. 12. Auguſti vuam emiſſe ſeu Botrum, cuius baccula quædam repræſentauerit ad oculum maiuſculas literas: I. N. R. I. 190 Proſtat Conradi Gesneri de rerum foſſilium lapidum maxime & gemmarum figuris & ſimilitudinibus. Tiguri in 8. 1565. In Technophylacio Viennenſi Cæſareo inæſtimabilis pretii Achatæ natura inſculptum eſſe cernitur nomen & officium Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, cuius delineationem & explicationem Lambecius Tomo I. Commentariorum de Bibliotheca Vindobonenſi inſeruit. 191 De Magnete eiusque mirandis integro fere Cap. XI. lib. VI. Theol. Gentil. agit Voſſius p. 87.

depelli sine contactu, nisi vidisses oculis? *Me.* Profecto nunquam, etiamsi decem Aristoteles mihi deierassent. *Og.* Ne protinus igitur fabulosum clames, si quid audis nondum experimento compertum. In ceraunia [192] fulminis videmus imaginem; in pyropo vivum ignem; in chalazia grandinis & speciem, & rigorem, etiamsi coniicias in medium ignem; in smaragdo profundas ac pellucidas maris vndas: carcinias cancri marini speciem imitatur; echites viperæ, scarites scari piscis; hieracites accipitris; geranites gruis collum effictum exhibet; ægophthalmus caprinum oculum ostendit; est qui suillum, est qui tres simul hominis oculos: lycophthalmus lupi pingit oculum quatuor coloribus, rutilo & sanguineo, in medio nigrum candido cingitur: cyameam nigram si aperias, fabam in medio reperies: dryites truncum arboris effingit, & ligni in modum ardet quoque: cissites & narcissites hederam pingit: astrapias fulminis radios e medio candido seu cyaneo iaculatur: phlegontites incendium intus ostendit, quod non exeat: in anthracitide videas scintillas quasdam discurrere: crocias croci colorem reddit; rhodites rosæ; chalcites æris: aëtites aquilam exprimit, cauda candicante; taos pauonis picturam ha-

192 Ceraunio lapides Brontia, qui creditur in nubibus generari & deiici cum fulminat ac tonat. Nomen a κεραυνὸς & βροντὴ fulmen, tonitru. Donner-Keil. Vlysses Aldrouandus in sec. Ornithologias refert, se quendam denticulatum in Museo asseruare; eum cœli tempestate deiectum fuisse prope quercum in agro Bononiensi defixumque in solo ad tres amplius cubitos; cit. Voss. l. cit. c. XII.

habet; chelidonia aspidis: myrmecites innatam habet formicæ repentis imaginem: cantharias scarabeum totum exprimit: scorpites scorpium mire depingit[193]. Sed quid ego hæc persequor, quæ sunt innumera, cum nulla sit naturæ pars vel in elementis, vel in animantibus, vel in plantis, quam illa veluti lasciuiens non expresserit in gemmis? Miraris in hac gemma bufonem expressum? *Me.* Miror, naturæ tantum esse otii, vt sic ludat omnium rerum imitatione. *Og.* Voluit exercere curiositatem humani ingenii, nosque vel sic ab otio propellere. Et tamen quasi nihil sit, quo fallamus tædium temporis, insanimus[194] in moriones, in aleas, in præstigiarum ludibria[195]. *Me.* Verissima prædicas. *Og.* Addunt quidam non leues[196], hoc gemmarum genus si admoueas aceto, innatare motis etiam membris. *Me.* Cur bufonem addunt Virgini? *Og.* Quia hæc spurcitiem omnem, virulentiam, fastum, auaritiam, & quidquid est terrenarum cupiditatum, vicit, calcauit, extinxit[197]. *Me.* Væ nobis, qui tantum bufonum[198] geramus in pectore!

---

193 Mera hæc nomina sunt ex Græca deriuatione manantia. v. g. Pyropus ex πῦρ, πυρὸς Ignis. Chalazias ex χάλαζα Grando, Smaragdus ex μαρμαίρω splendeo. Carcinias ex Κάρκινος Cancer, Echites ex ἔχις Vipera. Hieracites ex ἱέραξ Accipiter, Geranites ex γέρανος Grus, Ægophthalmus, ab αἴξ, αἰγὸς & ὀφθαλμὸς Caproculus; Cyamea a κύαμος faba, Dryites ex δρῦς Arbor; Cissites ex κισσὸς Hedera; Anthracitis ab ἄνθραξ Carbo. &c. 194 non sine magna insania amamus; Wir sind so thöricht und toll/ so erpicht auf die Narren. 195 Gauckel-Possen / Gauckeleyen / vanarum rerum species & deceptiones. 196 sc. Autores, viri. 197 Est Exergasia. 198 tot bufones.

re! *Og.* Puri erimus, si sedulo colamus Virginem. *Me.* Quomodo gaudet coli? *Og.* Gratissimum illi cultum præstiteris, si fueris imitatus. *Me.* Numero dixisti*; sed istuc perdifficile est. *Og.* Est sane, sed idem pulcherrimum. *Me.* Age; perge quod cœperas. *Og.* Deinde commonstrat aureas argenteasque statuas: *Hæc*, inquit, *mere aurea est, hæc argentea inaurata:* addit singulis pondus, pretium, ac doni auctorem. Cum ad singula mirabundus gratularer Virgini tam beatam opulentiam; mystagogus, *Quoniam*, inquit, *video, te pium spectatorem, non arbitror æquum, vt te quidquam celem; videbis quæ Virginis sunt secretissima:* simulque depromit ex ipso altari mundum rerum admirabilium; cuius singulas partes si pergam recensere, dies hic non suffecerit narrationi. Sic illa sane peregrinatio mihi felicissime cessit. Expletus sum affatim spectaculis; & hoc inæstimabile donum mecum aufero, pignus ab ipsa Virgine datum. *Me.* Nullumne fecisti periculum quid valeat lignum tuum? *Og.* Feci: in diuersorio quoddam ante triduum reperi quendam mente captum, cui iam parabantur vincula: lignum hoc suppositum est illius ceruicali, clam [199] ipso: obdormiit somno profundo pariter ac prolixo: mane surrexit integræ mentis. *Me.* Non fuerat phrenesis, sed parœnia* fortassis. Huic malo solet mederi somnus. *Og.* Cum libebit iocari, Menedeme, fac aliam tibi quæras materiam; *in diuos iocis ludere, nec pium est, nec tu-*

---

* Id est, expedite & compendio. 199 inscio, nescio, ignaro. * Id est, deliratio ex vino, crapula, ebrietas.

tutum. Imo vir ipse narrabat, sibi in somnis apparuisse mulierem admiranda specie, quæ poculum ipsi porrexerit. *Me.* Elleborum opinor. *Og.* Istuc incertum est; illud certissimum, hominem mentis esse compotem. *Me.* Præteristi Thomam[200] Cantuariensem archiepiscopum? *Og.* Minime gentium. Nulla peregrinatio religiosior. *Me.* Audire gestio, nisi molestum est. *Og.* Imo te quæso, vt audias. Cantium[201] dicitur ea pars Angliæ, quæ Galliam & Flandriam spectat. Huius metropolis est Cantuaria[202]. In ea sunt duo monasteria pene contigua, vtrumque Benedictinos habet. Id quod habet diui Augustini titulum, videtur antiquius: hoc, quod nunc appellatur diui Thomæ, sedes Archiepiscopi fuisse videtur, vbi cum paucis electis monachis vitam ageret; quemadmodum & hodie præsules habent ædes ecclesiæ contiguas[203], sed ab ædibus reliquorum canonicorum semotas. Olim enim fere tum episcopi, tum canonici monachi erant. Id arguunt manifesta rerum vestigia. Templum autem diuo Thomæ sacrum[204] tanta maiestate sese erigit[205] in cœlum, vt procul etiam intuentibus religionem incutiat[206]. Itaque nunc suo splendore vicini luminibus officit, & locum antiquitus religiosissi-

200 Ab Angliæ Rege exilio mulctatus & postmodo circa annum 1164. capitali supplicio affectus a Pontificiis inter diuos relatus est. Festum eius recurrit 3. Kal. Ianuar. 201 Cantium vulgo Kent. 202 Cantuaria. Anglis Canterbury. 203 admodum propinquas, vicinas. 204 dicatum, dedicatum, consecratum. 205 altitudine splendida assurgit, eleuatur, erigitur. 206 venerationem, sanctum terrorem iniiciat, inferat.

fissimum velut obscurat. Turres sunt ingentes duæ, procul [207] veluti salutantes aduenas, miroque nolarum ænearum boatu [208] longe lateque regionem vicinam personantes [209]. In vestibulo templi, quod est ad Austrum, stant saxo sculpti tres armati, qui manibus impiis virum sanctissimum [210] trucidarunt: addita sunt gentis cognomina [211], Tusci, Fusci, Berri. *Me.* Cur tantum honoris habetur impiis [212]? *Og.* Videlicet idem honoris habetur iis, quod habetur Iudæ, Pilato, Caiphæ, cohorti militum sceleratorum, quos operose sculptos vides in auratis altaribus. Adduntur cognomina, ne

207 eminus, e longinquo. 208 sonitu, clangore. 209 perstrepentes. 210 Thomam Bechettum, Cantuariensem Archi-Episcopum, qui ab aulicis, quod Regi Henrico II. pervicaci animo pro libertate Ecclesiastica opposuisset, in templo hoc trucidatus est; a Pontifice Rom. ordini diuorum adscriptus 3. Kalend. Ianuar. quotannis festo celebratur. 211 Fingit forte autor hæc nomina. Bakerus in Chronico Angliæ non tres, sed quatuor equites fuisse affirmat, qui hominem Angliam pessimis factionibus turbantem & Pontificem Romanum in Regem suum Promotorem (fuerat quippe Bechettus seu Becketus liberorum Henrici II. pædagogus; mox Cancellarius Regni, post Theobaldi obitum in Archi-Episcopatum surrogatus est) instigantem, gladiis interficerent. Horum nomina sunt: Reinold Fithunse seu Birensoon, Hugh Moruil, Willem Tracy, Richard Britton. 212 Vitio vertit Garzonus Historicis, quod Pausaniæ mentionem vllam fecerint, qui laudatu digni nihil vnquam perfecerit, Philippum Macedonem trucidauerit; quod Herostrati, qui Dianæ templum non aliam ob causam flammis subiecerit, quam vt immortale nomen sibi ex malefacto pararet. Vide Discurs. 38. Piazze vniuers.

ne quis posthac vsurpet gloriæ caussa. Ingeruntur [213] oculis, ne quis aulicus posthac iniiciat manus vel in episcopos, vel in possessiones Ecclesiæ. Nam tres illi satellites a peracto facinore versi sunt in rabiem, nec reddita mens est, nisi implorato Thomæ sanctissimi fauore [214]. *Me.* O perpetuam martyrum clementiam! *Og.* Ingressis aperit sese spatiosa [215] quædam ædificii maiestas. Ea pars quoslibet recipit. *Me.* Nihilne illic visendum? *Og.* Nihil præter structuræ molem, & libros aliquot columnis affixos, in quibus est Euangelium Nicodemi [216], & sepulcrum nescio cuius. *Me.* Quid deinde? *Og.* Cancelli ferrei [217] sic arcent ingressum, vt conspectum admittant [218] eius spatii quod est inter extremam ædem & chori [219], quem vocant, locum. Ad hunc conscenditur multis gradibus, sub quibus testudo quædam [220] aperit ingressum ad latus Septem-

213 Exhibentur, Demonstrantur, Sistuntur, Proponuntur. 214 Hæc iocose narrat. Equites enim illi Thomam necauerant, vt quidam narrant, a Pontifice veniam perpetrati facinoris sunt consecuti; alii vero Scriptores Angliæ scribunt, Henricum post patratum facinus ab illis abhorruisse, omnesque intra triennium misere periisse. 215 perampla, amplissima. 216 Scriptum spurium & Pseudepigraphum in male feriatorum potius ingeniis, quam Pharisæi illius, ex primoribus Iudæorum a Christo instituti, Nicodemi Ioh. III. v. 2. & VII, 50, 51. procusum. 217 Die Gegitter von Eisen/ der eiserne Schrancken. 218 Daß man übersehen kan / vt oculis pateat illud spatium. 219 congregationis locus, vbi corona eorum, qui canendi gratia conueniunt, sistitur. Das Chor/die Cantorey. 220 arcuatum ad modum testudinis ædificium, fornix quidam, opus concameratum; vt fornix seu arcus Fabianus.

ptemtrionale. Illic oſtenditur altare ligneum diuæ Virgini ſacrum, puſillum, nec vlla re viſendum [221], niſi monumento vetuſtatis, luxum hiſce temporibus exprobrante. Illic vir pius dicitur extremum vale dixiſſe Virgini, cum mors immineret. In ara eſt cuſpis gladii, quo præfectus eſt vertex optimi [222] præſulis, ac cerebrum confuſum, videlicet quo mors eſſet præſentior. Huius ferri ſacram rubiginem amore martyris religioſe ſumus exoſculati. Hinc digreſſi ſubimus cryptoporticum *; ea habet ſuos myſtagogos: illic primum exhibetur caluaria martyris perforata; reliqua tecta ſunt argento, ſumma cranii pars nuda patet oſculo; ſimul oſtenditur plumbea lamina, Thomæ Acrenſis [223] titulum habens inſculptum. Pendent ibidem in tenebris induſia cilicina [224], cingula, ſubligariaque [225], quibus antiſtes ille ſubigebat [226] carnem ſuam, ipſo adſpectu horrorem incutientia, nobiſque mollitiem ac delicias noſtras exprobrantia. *Me.* Fortaſſis & monachis ipſis [227]. *Og.* Iſtac de re nec affirmare poſſum, nec negare; nec refert quidem mea. *Me.* Vera narras. *Og.* Hinc redimus

221 ſpectabile, ſpectatu dignum. 222 Imo vero peſſimi; vtpote, qui tentauit Regi illud ius eripere, quod omnibus magiſtratibus Deus ipſe conceſſit, vindictam nempe iuſtam de quibuscunque ſontibus; aliis etiam facinoribus male clarus. * Id eſt, ſubterranea porticus quæ paratur aduerſus æſtum Solis. 223 Acre, Siciliæ oppidum. Hinc Acrenſes populi Siciliæ. Plin. lib. 3. c. 8. & lib. 4. c. 12. 224 ex hircorum vel capellarum pilis facta. 225 ſubligar & ſubligaculum. Ein Nieder-Kleid/ Unter-Kleid. 226 edomabat. 227 ſcil. delicias exprobrantia.

mus in chori locum. Ad latus Septentrionale reserantur [228] arcana: dictu mirum, quantum ossium illinc prolatum sit, caluaria, menta [229], dentes, manus, digiti, integra brachia, quibus omnibus adoratis fiximus oscula; nec erat futurus finis, nisi qui mihi tum comes erat eius peregrinationis parum commodus, interpellasset ostentandi studium. *Me.* Quis iste? *Og.* Anglus erat nomine Gratianus Pullus, vir eruditus ac pius, sed minus affectus erga partem hanc religionis, quam ego volebam. *Me.* Vicleuita [230] quispiam, opinor. *Og.* Non arbitror; etiamsi libros illius legerat, incertum vnde nactus. *Me.* Is offendit [231] mystagogum? *Og.* Prolatum est brachium adhuc carnem habens sanguinolentam [232]; huius osculum exhorruit, ac vultu quoque tædium quoddam præ se ferebat [233]. Mox sua recondidit mystagogus. Hinc spectauimus altaris tabulam & ornamenta, mox quæ sub altari fuerant recondita, opulenta omnia; diceres, Midam [234] & Crœsum fuisse mendicos, si spectares vim

228 recluduntur, aperiuntur. 229 Mentum, ab eminendo, das Kien oder Kinne. Homini tantum est; figurate autem bobus mentum tribuit Virgilius 3. Georg. Maxillæ. Die Kinnbacken. 230 Wiclefitæ in Anglia dicebantur tempore, quo hæc scripsit Erasmus, omnes, qui a dogmatibus Pontificiis deflectebant. Wiclefus autem post longum exilium, carceres & persecutiones in Anglia pie obiit 1387. Ossa eius, iussu Pontificis Romani sepulchro eruta, postquam iam quadraginta annos & vnum fuerant condita, & a carnifice concremata sunt, cineresque in ventos dispersi. 231 ad iram concitauit. 232 cruentatam. 233 prodebat. 234 Midas a Baccho veniam impetrasse fingitur, quicquid vellet petendi, nimiumque auidus petiisse, vt quæcunque

vim auri atque argenti. *Me.* Heic nihil osculorum [235]? *Og.* Non, sed aliud votorum genus tetigit animum meum. *Me.* Quodnam? *Og.* Suspirabam, domi meæ nihil esse talium reliquiarum. *Me.* Sacrilegum votum. *Og.* Fateor; & supplex veniam precatus sum a Diuo priusquam pedem efferrem [236] templo. Post hæc ducimur in sacrarium [237]. Deus bone, quæ illic pompa vestium holosericarum [238], quæ vis candelabrorum aureorum? Ibidem vidimus pedum [239] diui Thomæ. Videbatur arundo lamina argentea obuestita [240], minimum erat ponderis, nihil operis, nec altius [241] quam vsque ad cingulum. *Me.* Nulla crux? *Og.* Nullam vidi. Ostensum est pallium, holosericum quidem, sed crasso filo, nullo auro gemmisue insigne. Aderat & sudarium, sudoris ex collo contracti, manifestasque sanguinis notas retinens. Hæc vetustæ frugalitatis monumenta libenter sumus

contigisset in aurum conuerterentur. Vbi autem cibus & potus aurum fierent & fame laboraret Midas, petiit supplex vt restitueretur. Misertus ergo eius ad flumen Pactolum abire inque eo se abluere Midam Bacchus iussit; quod vbi fecit vis illa efficiendi aurum in fluuium transiit, qui inde aureas arenas voluere dicitur. Ouid. Metamorph. lib. IX. Sic opes Midæ, vt Crœsi, in prouerbium abierunt. 235 datum, fixum est? 236 exirem, egrederer. 237 locum sacrum in templo vbi sacra reponuntur, die Sacristey / oder Kirchen-Geräth-Kammer. 238 omni ex parte, ex toto sericarum. Gantz seyden/Sammet: ex ὅλος, η, ον, Totus, a, um, & Sericus, a, um, quod confectum est ex serico. 239 Episcopale seu Archi-Episcopale. Der Bischoffs-Stab. 240 Ein Rohr / Stab mit Silber beschlagen. 241 Scil. pedum

mus exosculati. *Me.* Ista non ostenduntur quibuslibet? *Og.* Nequaquam, o bone. *Me.* Vnde tibi tantum est habitum fidei, ut nihil arcani celaretur. *Og.* Erat mihi nonnihil notitiæ cum R. P.[242] Gulielmo Waramo archiepiscopo; is me tribus verbis commendauit. *Me.* Ex multis audio, virum singulari præditum humanitate. *Og.* Quin potius dicas, ipsam esse humanitatem, si noris. Iam ea doctrina, ea morum sinceritas, ea vitæ pietas, vt nullam absoluti præsulis dotem in eo desideres. Ab his igitur deducimur ad superiora. Nam post altare summum rursus velut in nouum templum ascenditur. Illic in sacello quodam ostenditur tota facies optimi viri[243] inaurata, multisque gemmis insignita[244]. Heic casus quidam inopinatus pene totam illam felicitatem interturbauit. *Me.* Exspecto quid mali dicas. *Og.* Heic minimum iniit gratiæ comes meus Gratianus. Is a precatiuncula rogauit Mystagogum assessorem: *Heus,* inquit, *bone Pater, verumne est quod audio, Thomam,* *dum*

242 Reuerendo Patre. Hic Guilielmus Waramus sub Henrico VIII. Angliæ Rege Cancellarius & Archi-Episcopus Cantuariensis obiit 1532. Erasmus inscripsit illi dedicationem duarum Euripidis tragœdiarum, Hecubæ & Iphigeniæ in Aulide, quas e Græco Latinas fecerat, vt constat ex editione typis Frobenianis anno 1530. vulgata. Si tamen hominem penitius nosse velis, lege Gilberti Burneti Episcopi Salisburiensis Historiam Reformationis Anglicanæ; qui tantopere, vt Noster, eum non commendat. In Ecclesiaste seu de ratione concionandi lib. I. non titulo, sed re Theologum, iuris vtriusque Doctorem, oculum velut, os & dextram Regis, supremumque totius regni Britannici iudicem vocat.

243 Thomam Cantuariensem designat eiusque faciem.

244 distincta, exornata.

dum viueret, fuisse benignissimum erga pauperes? Verissimum, inquit ille. Cœpitque multa de illius erga tenues beneficentia commemorare. Tum Gratianus: *Non arbitror, eum affectum in illo mutatum esse, nisi forte in melius.* Assensus est mystagogus. Rursum ille: *Cum igitur vir sanctissimus tam liberalis fuerit in egenos, cum adhuc pauper esset, & ipse præsidiis pecuniarum egeret ob corpusculi necessitatem; an non putas æquo animo laturum nunc, cum tam opulentus sit, nec vllius egeat, si qua mulier paupercula, domi habens liberos famelicos aut filias ob dotis inopiam de pudicitia periclitantes, aut maritum morbo decumbentem, omnibusque præsidiis destitutum, precata veniam, detrahat ex his tantis opibus aliquam particulam subleuandæ familiæ, velut a volente*[245] *sumens vel dono, vel mutuo?* Ad hæc cum nihil responderet assessor capitis aurei [246]; Gratianus, vt est vehemens, *Ego*, inquit, *plane confido, sanctissimum virum etiam gauisurum, quod mortuus quoque suis opibus subleuaret inopiam pauperum.* Ibi mystagogus corrugare frontem, porrigere labra [247], Gor-

245 Sic Dionysius Syracusanus Victorias aureas, pateras & coronas, quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur tollebat, & eas se accipere non aufferre dicebat per quam stultum esse argumentando ab his porrigentibus nolle sumere. Val. Max. lib. I. c. 1. 246 Mystagogus ille, qui totam Thomæ faciem inauratam ostendebat, & iuxta assidebat. 247 Indignationis signa sunt, vt Ouid. Metamorph.

Talia dicentem iam dudum lumine toruo
Spectat, & accensæ non fortiter imperat iræ.

Porrigere labra i. e. diducere, die Lippen zerren/rümpffen/ anblecken.

Gorgoneis [248] oculis nos obtueri: nec dubito, quin sputo, conuiciisque [249] nos eiecturus fuerit e templo, nisi cognouisset, nos ab archiepiscopo commendatos. Equidem vtcumque placaui blandis verbis iram hominis, negans, Gratianum quidquam horum ex animo loqui, sed suo more ludere; simulque drachmas aliquot deposui. *Me.* Ego sane tuam pietatem vehementer adprobo. Verum mihi nonnunquam serio venit in mentem, quo colore possint excusari a crimine, qui tantum opum insumunt templis exstruendis, ornandis, locupletandis, vt nullus omnino sit modus. Fateor, in sacris vestibus, in vasis templi, deberi [250] cultui solemni suam dignitatem: volo & structuram habere maiestatem suam. Sed quorsum attinent tot baptisteria [251], candelabra, tot statuæ aureæ? quorsum organorum [252], quæ vocant, immensi sumtus? nec

248 Terrificis, terribilibus, truculentis. Gorgones, scribit Diodorus, fœminas fuisse in Africa bellicosas, aduersus quas Perseus bellum gessit & earum reginam Medusam debellauit ac interfecit. Hinc Gorgoneus, a, um, id est, aspectu formidabilis & atrox visu. 249 verbis contumeliosis, iniuriosis, ignominiosis. 250 tribuendam esse, 251 De Baptisteriis illustrioribus & in specie Lateranensi c. IV. agit Io. Henr. Wetterkampius Ulza Lunæburg. in libello de Baptisteriis Veterum Helmstad. 1703. typis Salom. Schnorrii exscripto, qui prostat ap. Io. Melch. Sustermannum. Lapis nempe Baptisterium est, in templo ad id excauatus, vt aqua baptismali inde perfundi possint. Hospinianus de Orig. Templorum lib. II. c. 4. p. 91. 252 Musicorum, quæ pulsandi ritus ex Græca Ecclesia in Latinam translatus est. Vide August. in Ps. 56. & Isidorum lib. 3. Origin. c. 20. Eorum inuentorem sunt qui Theophilum Imperatorem statuunt; alii autorem prorsus ignorari dicunt. A Vitaliano

nec vnicis interim contenti ſumus: quorſum ille muſicus tinnitus [253], magno cenſu conducendus, cum interim fratres & ſorores noſtræ viuaque Chriſti templa, ſiti fameque contabeſcant? *Og.* In his quidem nemo vir pius ac prudens modum non deſiderat [254]: verum quoniam hoc vitium ex immodica quadam pietate naſcitur, fauorem promeretur, præſertim quoties in mentem venit diuerſus morbus iſtorum, qui templa ſuis opibus ſpoliant. Iſta fere donantur a potentibus ac Monarchis, deterius peritura in aleam ac bellum. Et ſi quid hinc alienes, *primum* habetur pro ſacrilegio: *deinde* contrahunt manus ſuas qui dare ſolent, *inſuper* [255] & inuitantur ad rapinam. igitur harum rerum magis illi [256] cuſtodes ſunt, quam domini. Denique

Papa circa annum 660. ea in templis recepta & per conſonantias humanis vocibus adhibita fuiſſe teſtatur Balæus. Hoſpinianus lib. II. de Templis c. 23. eum in ſabricandis organis luxum cœpiſſe adhiberi, vt Michaël, Imperat. Conſtantinopolit. ea ex auro conflari & abbas quidam Salernitanus fiſtulam in longitudine 88. pedum & in circumferentia IV. ſpithamarum fieri curauerit. 253 Petrus Rabus, Roterod. legit: *binnitus* additus in Notis: Concentum muſicum faſtidioſe *Hinnitum* vocat, qui proprie equorum eſt. Similiter habet Amſtelodam. 1650. Elzeuiriana in 16mo, & Baſileenſ. Froben. 1529. in 8vo. Tinnitum ſubſtituit Baſileenſ. Kœnig. 1707. in 12. **das Klingen**/a tinnio, quod de metallis pulſis & reſonantibus inſtrumentis aliis dicitur. 254 omnis vir pius deſiderat. 255 Notetur hic numerandi ratio per: *Primum, Deinde, Inſuper*; de qualibus enumerationibus exempla affert Turſellinus cap. 137. de Partic. Primum & Primo; & Arnoldus in Ornatu L. L. reg. 344. Cap. IV. de Permutat. Adverbii. 256 Sancti, diui; quibus hæc dedicantur, donantur.

que malim videre templum sacra supellectile luxurians, quam vt sunt quædam, nuda, sordida, stabulis equorum similiora quam templis. *Me.* At legimus olim laudatos episcopos, qui vasa sacra diuendiderunt, eaque pecunia subuenerunt [257] egenis. *Og.* Laudantur & hodie, sed laudantur tantum; imitari nec licet, nec libet, opinor. *Me.* Remotor [258] tuam narrationem. Nunc exspecto fabulæ catastrophen [259]. *Og.* Accipe [260]; paucis expediam. Inter hæc prodit summus ille mystagogus. *Me.* Quisnam? abbas loci? *Og.* Mitram habet, census habet abbaticos; solo nomine caret, & Prior dicitur, ob id, quod Archiepiscopus abbatis loco est. Nam antiquitus quisquis erat eius ditionis Archiepiscopus, idem erat & monachus. *Me.* Equidem vel camelus appellari sustineam, si census [261] esset abbate dignus. *Og.* Mihi quidem visus est vir pius iuxta & prudens, neque Scoticæ Theologiæ rudis. Is nobis aperuit thecam, in qua reliquum sancti viri corpus quiescere dicitur. *Me.* Vidisti, ossa? Id quidem fas non est; nec liceret, nisi admotis scalis: sed auream thecam [262] theca contegit lignea: ea funibus sublata opes

257 opem tulerunt, succurrerunt, subsidio venerunt. 258 Differo, Impedio; remoram inicio, moram necto tuæ narrationi. 259 exitum, euentum, inuersionem, clausulam. Fabula enim omnis in tres partes describitur; in πρότασιν seu initium, ἐπίτασιν seu vehementissimum Dramatis actum, & καταστροφὴν, quæ totius rei exitum aperit & tumultum componit. Ex κατὰ & στρέφω Verto. 260 Habe, Percipe, Sic tibi eam cape. 261 reditus. 262 capsulam, cistulam, capsam.

opes nudat inæstimabiles. *Me.* Quid audio? *Og.* Vilissima pars erat aurum: gemmis raris ac prægrandibus collucebant, nitebant ac fulgurabant omnia, quædam superabant oui anserini magnitudinem. Ibi multa cum veneratione circumstabant aliquot monachi: sublato tegumento adorauimus omnes. Prior candida virga demonstrabat contactu singulas gemmas, addens nomen Gallicum, pretium & auctorem doni. Nam præcipuas Monarchæ [263] dono miserant. *Me.* Oportuit illum esse præditum insigni memoria. *Og.* Recte coniectas; quanquam iuuat & exercitatio; frequenter enim hoc agit. Hinc reducit in cryptoporticum [264]. Illic domicilium habet Virgo mater, sed subobscurum [265], semel atque iterum ferreis cancellis circumsepta. *Me.* Quid meruit? *Og.* Nihil, opinor, nisi fures. Nec enim vnquam vidi quidquam diuitiis onustius. *Me.* Cæcas mihi diuitias narras. *Og.* Admotis lucernis vidimus plus quam regale spectaculum. *Me.* Vincit opibus Pa-

263 Inter alios Ludouicus VII. Gall. Rex anno 1179. septennium post Thomæ trucidationem eo peregrinatus gemmam ingentis pretii, quam Regalem Franciæ appellabant, obtulit cum scypho aureo magni ponderis. Postea Henricus VIII. cum Pontificiam religionem in Anglia aboleret, prædictam gemmam annulo insertam pollice gestauit. Ex spoliis solius monumenti huius Thomæ Cantuar. duæ cistæ repletæ sunt tam capaces vt singulis efferendis vix octo robusti homines sufficerent, anno 1538. 264 occultam porticum, porticum subterraneam, locum concameratum & absconditum. 265 paulo obscuriorem ædiculam, parum lucidam, etwas dunckel/nicht gar lichte.

Parat halaſſiam [266]? *Og.* Specie longe ſuperat, abſtruſa [267] nouit ipſa. Hæc non oſtenditur niſi magnatibus aut præcipuis amicis. Poſtremo reducimur in ſacrarium: illic detractum eſt ſcrinium nigro contectum corio, depoſitum eſt in menſam; apertum eſt; mox omnes flexis genibus adorarunt [268]. *Me.* Quid inerat? *Og.* Fragmenta quædam linteorum lacera, pleraque muci veſtigium ſeruantia. His, vt aiebant, vir pius extergebat ſudorem a facie ſiue collo, pituitam a naribus, aut ſi quid eſſet ſimilium ſordium, quibus non vacant [269] humana corpuſcula. Ibi meus Gratianus rurſum non optimam iniit gratiam. Huic & Anglo, & noto [270], nec mediocris auctoritatis viro, Prior benignus vnum e linteolis obtulit dono, credens, ſeſe munus longe gratiſſimum offerre. Sed Gratianus heic parum gratus, non ſine faſtidii ſignificatione digitis contrectauit vnum, & contemtum repoſuit, porrectis labiis, veluti poppyſmum [271] imitans. Nam hic illi mos erat, ſi quid oſtenderet, quod tamen contemnendum eſſe iudicaret.

Meum

266 Virginem Mariam, quæ eſt in Parathalaſſo, Paraliam. 267 occulta, ſecreta, arcana. 268 Nimirum, ſi tanto in honore habeant mucoſa Thomæ ſudariola aut muccinia? cum ipſe Rex Henricus II. licet miſere ab hoc Thoma exagitatus, vbi Cantuariam acceſſit, paulo poſt eius cædem ex equo ante templum deſcendit, calceos caligasque exuit & nudis pedibus ad ſepulchrum Thomæ arrepſit; &, vt magis mireris vix credibilem in Rege ſuperſtitionem, ibidem ſe virgis cædi a Monachis iuſſit. 269 carent, vacua ſunt. 270 non ignoto. 271 Sibilum, compreſſis labiis acutiorem quendam ſonum edens. Plin. lib. 28. c. 2. fulgetras poppyſmis adorare conſenſus, inquit, gentium eſt.

Meum animum ſimul & pudor, & timor diſcruciabant. Prior tamen, vt eſt homo ſtupidus [272], diſſimulabat [273] hoc factum; nosque poſt oblatum vini poculum humaniter dimiſit, cum [274] rediremus Londinum. *Me.* Quid oportuit, cum iam non procul abeſſes a litore tuo? *Og.* Sic eſt: ſed ego litus illud perquam lubens fugi, magis infame fraudibus ac rapinis, quam vllæ ſunt Maleæ [275] naufragiis. Dicam quod proxima vidi traiectione. Complures a litore Caletienſi [276] ſcalmo [277] deuehebamur ad nauem maiorem. In his erat Gallus quidam iuuenis, pauper ac pannoſus [278]. Ab hoc exigunt dimidium drachmæ. Tantum enim extorquent a ſingulis ob breuiſſimam vectationem [279]. Ille excuſabat paupertatem: iſti per iocum explorant ſcilicet, ac detractis calceis inter ſuppactas [280] ſoleas reperiunt decem aut duodecim drachmas: eas eripiunt palam, ridentes, & conviciis ludentes in ſceleratum Gallum. *Me.* Quid iuuenis? *Og.* Quid aliud? Flebat. *Me.* Num ex auctoritate [281] faciebant iſta? *Og.* Prorſus eadem, qua furantur ſarci-

272 futilis, bardus, craſſus. 273 Ließ ſich nichts mercken / that als verſtünde er nichts / ſtellte ſich tumm / alber. 274 propterea quod, ideo quod, quia. 275 Promontorium eſt Laconiæ naufragiis infame, circa quod propter reflantes ibi ventus periculoſiſſima nauigatio eſt. 276 a Caleto inferioris Normanniæ oppido dictum littus. 277 Scalmus lignum eſt quo remus alligatur; hoc loco minor cymba, aut nauicula Synecdoch. 278 pannis obſitus, zerlumpt. 279 ſcil. per fretum, quod Doueram a Caleto ſeparat. Gall. *Pas de Calais.* 280 fixas, ſuffixas, ſuppoſitas; ex ſuppingo, ſuppegi, ſuppactum, ſuppingere. Untertegen. 281 poteſtate, facultate, venia conceſſa.

cinas hospitum, qua tollunt crumenas, si quando datur oportunitas. *Me.* Mirum est, istos tantum audere facinus, tot testibus consciis. *Og.* Sic assueuerunt [282], vt recte fieri putent. Spectabant e maiore naui complures, in cymba aderant aliquot Angli negotiatores, qui frustra obmurmurabant. Illi velut in re faceta [283] gloriabantur, deprehensum [284] sceleratum Gallum. *Me.* Ego istos maritimos fures ludens ac iocans subigerem in crucem. *Og.* Atqui talibus scatet vtrumque litus. Heic mihi coniecta, *Quid domini faciant, ausint cum talia fures* [285]? Proinde posthac quaslibet ambages [286] malim, quam illud compendium. Ad hæc quemadmodum ad inferos facilis descensus, sed reditus difficillimus; ita per hoc litus ingressus non admodum facilis, exitus difficillimus est. Hærebant [287] Londini nautæ aliquot Antuerpienses: cum illis decreueram me mari committere [288]. *Me.* Ha-

282 consueuerunt; ita mos penes ipsos obtinuit, ita inoleuit. 283 ludicra, iucunda, iocosa, hilari. 284 inuentum, offensum, repertum, detectum. 285 Per *fures* hic intellige *seruos furaces.* Versus est ex Virgil. Ecloga 3. 286 circuitus, diuerticula. 287 Morabantur, Detinenebantur, Expectabant. 288 Ambiguitas est in Phrasi: committere se mari *cum nautis*, dum Præposit. vel comitatum notat & nauigium vel tutamen & præsidium. Sic: *Committere se mari cum DEO.* Hinc statim sequitur quæstio: *an regio ea nautas habet adeo sanctos?* Rabus in Notis ad hæc verba: *Cur nautas Antuerpienses vocat sanctos? an per iocum designat eos esse superstitiosos, quod frequentent oppidum, in quo tot diui coluntur?* Tutissimum erit vocem: *Sanctos*, reddere per: *pios, fidos, fideles, minus rapaces, furaces, quibus tuto credas, fidas*; quod docent sequentia;

Habet ea regio nautas adeo sanctos? *Og.* Vt simia semper est simia, fateor, ita nauta semper est nauta: verum si ad hos conferas qui rapto viuere didicerunt, angeli sunt. *Me.* Meminero, si quando me quoque libido ceperit eam insulam inuisendi. Sed in viam redi, vnde te deduxi [289]. *Og.* Ergo Londinum petentibus, haud procul a relicta Cantuaria, occurrit via vehementer caua simul & angusta, præterea decliuis sic vtrinque abrupto aggere, vt non possis effugere: nec vitari potest, quin hac [290] facias iter. Ad eius viæ læuum latus est mendicabulum [291] aliquot seniculorum: ab iis procurrit aliquis, simul atque sentiunt aduenientem equitem; conspergit aqua sacra, mox offert calcei summam partem [292] obuinctam æreo circulo, in quo vitrum est gemmæ specie. Exosculati dant nummulum. *Me.* In eiusmodi via malim mendicabulum seniculorum quam gregem valentium [293] latronum. *Og.* Gratianus equitabat mihi sinister: propior mendicabulo; conspersus est aqua, tulit [294] utcunque. Vbi porrigeretur calceus, rogabat quid sibi vellet. Ait, calceum esse S. Thomæ. Incanduit homo; & ad me versus: *Quid*, inquit, *sibi volunt hæ pecudes, vt osculemur calceos omnium bonorum virorum? Quin eadem opera porrigunt osculandum sputum, aliaque corporis excrementa?* Mi-

Angeli sunt, si conferas ad hos, qui rapto viuere didicerunt. 289 Est Formula revocationis post factam Digressionem in sermone. 290 per hanc. 291 Locus, quo mendici conueniunt; mendicorum domicilium, habitaculum. 292 Absatz des Schuches/calcei extremitatem calcem versus. 293 robustorum. 294 Passus est, pertulit.

Miserebat me seniculi: datoque nummulo consolatus sum tristem. *Me*. Mea sententia, non omnino præter caussam incanduit Gratianus. Si calcei soleæque seruarentur, vt argumentum frugalis vitæ, non improbarem; cæterum impudens mihi videtur, soleas, calceos, & subligaria cuiquam osculanda obtrudere. Nam si quis id sua sponte faciat ex ingenti quodam pietatis [295] affectu, venia dignum arbitror. *Og*. Præstabat, ista non fieri, ne quid dissimulem: verum ex his rebus, quæ subito corrigi non possunt, soleo, si quid inest boni, decerpere. Delectabat interim animum meum illa contemplatio, *virum bonum esse similem oui*; *malum, noxiæ bestiæ.* Vipera posteaquam periit, mordere quidem non potest, odore tamen sanieque inficit: ouis cum viuit, lacte nutrit, lana vestit, fœtura ditat: mortua porrigit vtile corium, totaque esculenta est. Itidem viri feroces, & huic mundo dediti, dum viuunt, omnibus incommodi sunt, mortui strepitu nolarum, ambitiosa sepultura molesti sunt viuis [296]; nonnunquam & successorum inaugurationibus [297], hoc est, nouis exactionibus: probi vero nulla non ex parte magnam omnibus de se præbent vtilitatem. Velut hic diuus, dum in viuis esset, exemplo, doctrina, monitis ad pietatem [298] inuitabat, consolabatur destitutos, subleuabat egenos: ac mor-

295 Superstitio est non pietas osculari huiusmodi & similes reliquias. Vide Iacobi Herrenschmidt Osculologiam Theologico - Philologicam Quæst. 37. 296 Perditus si in funere vniuersam habuerit ciuitatem nihil lucrabitur. Chrysost. Homil. 61. 297 consecrationibus, initiandi solennibus. 298 ad rebellionem etiam aduersus Regem.

mortui pene maior vtilitas. Exstruxit hoc locupletissimum templum, sacerdotum ordini per vniuersam Angliam plurimum auctoritatis conciliauit. Hoc denique calcei fragmentum alit egenorum conuenticulum. *Me.* Est quidem ista pia contemplatio; sed demiror, te, cum isto sis animo, nunquam inuisisse antrum sancti Patricii [299], de quo prodigiosa quædam vulgo iactant, nec mihi satis verisimilia. *Og.* Imo nulla heic tam prodigiosa potest esse narratio, quin res ipsa superet. *Me.* Ergo illuc quoque penetrasti? *Og.* Enauigaui paludem vere Stygiam, descendi in fauces Auerni [300]: vidi quidquid apud inferos geritur. *Me.* Bearis [301] me si non grauaberis referre. *Og.* Sit hoc colloquii no-

299 Patricius ille anno 433. a Cœlestino Papa in Hiberniam missus plurimos ad Christianam religionem conuertit, regnante Lagerio Nelli filio. Martino Turonensi affinitate coniunctus fuit, & Germani discipulus. Patritium hunc Hibernorum Apostolum ferunt a DEO ardentissimis precibus impetrasse, vt pœnæ & cruciatus, qui impios post hanc vitam manent, ob oculos hic proponerentur, vt insita Hibernis suis peccata & gentilium errores facilius extirparet. Antrum illud in Hibernia insula Purgatorii & Patritii purgatorium nominatur. Vitam Patricii descripsit Beda duobus libris. Si Vincentio credimus 40. diebus vt alter Elias ieiunauit, & Euangelii textum baculumque a Christo in visione accepit; inter conuersos septem Reges sacris baptismi aquis abluit. Obitus eius refertur ad annum Chr. 492. ætatis 130. 300 Auernus lacus est Campaniæ prope Baias sulphureis exhalationibus adeo exitiosus, vt aues superuolantes earum odore necari dicantur. Hinc veteres Plutoni dicatum inferorum limen vocarunt. In Plurali: Auerna, orum, idem est quod Auernus in Sing. 301 Beaueris, beabis, felicem reddideris, reddes.

noſtri procemium [302], ſatis,arbitror,prolixum. Eo domum, vt iubeam adornari cœnam: nam adhuc impranſus ſum [303]. *Me.* Cur impranſus? num religionis,gratia? *Og.* Minime: ſed inuidiæ cauſſa. *Me.* Num inuides ventri tuo? *Og.* Imo rapacibus cauponibus: qui cum nolint quod æquum eſt apponere, tamen non verentur ab hoſpitibus quod iniquum eſt exigere: eos ſic vlciſci ſoleo. Si ſpes datur cœnæ lautioris vel apud notum, vel apud pandocheum paullo minus ſordidum, in prandio laborat [304] mihi ſtomachus. Sin prandium obtulit fortuna quale volo, ſub cœnam incipit dolere ſtomachus. *Me.* Non pudet,videri parcum ac ſordidum? *Og.* Menedeme, qui talibus in rebus pudoris impendium faciunt [305], crede mihi, male collocant ſumtum. Ego meum pudorem aliis vſibus ſeruare didici. *Me.* Iam ſitio [306] reliquum fabulæ: quare me in cœna exſpecta conviuam; ibi narrabis commodius. *Og.* Equidem habeo gratiam, quod vltro temet offers conuiuam, cum multi vehementer rogati pernegent: ſed hæc tibi conduplicabitur gratia, ſi hodie domi cœnes. Nam mihi tempus hoc ſumetur [307] ſalutandæ familiæ. Cæterum habeo [308] conſilium vtrique noſtrum commodius. Cras mihi, vxorique meæ domi tuæ ad-

302 præfamen, præloquium, introitus, initium, exordium. 303 nondum pranſus ſum. 304 languet; ich mag oder kan nicht eſſen/habe keinen Appetit / bin Maul-faul. 305 pudorem inſumunt, collocant. 306 auide cupio, aueo, deſidero. 307 Tempus hoc a me dabitur, inſumetur, impendetur, elocabitur, erogabitur. 308 teneo, calleo, noui, ſuccurrit, ſuppetit.

adornato prandium, tum vel vsque ad cœnam proferentur fabulæ, donec te fatearis iam esse saturum[309]: & si voles, ne in cœna quidem te destituemus. Quid scabis caput? Tu para; nos bona fide veniemus. *Me.* Malim inemtas[310] fabulas. Verum age prandiolum dabitur, sed insipidum, nisi tu bonis fabulis condias[311]. *Og.* Sed heus tu, nonne titillat[312] te animus, vt has peregrinationes obeas? *Me.* Fortasse titillabit, vbi tu perorauesis[313]: nunc vt affectus sum, sat habeo stationes obire Romanas[314]. *Og.* Romanas, qui Romam nunquam videris? *Me.* Dicam. Sic domi obambulo: ingredior conclaue, curoque vt salua sit filiarum pudicitia. Rursus hinc in officinam; contemplor quid agant famuli famulæque: inde in culinam, circumspiciens si quid opus sit admonitu: hinc alio atque alio, obseruans quid agant liberi, quid vxor, solicitus vt omnia sint in officio. Hæ mihi sunt stationes Romanæ. *Og.* At ista pro te curaret diuus Iacobus. *Me.* Vt ipse curem ista, præcipiunt sacræ litteræ[315]; vt diuis committam, nusquam legi præceptum.

IXΘΤΟ-

309 satiatum, exsatiatum. 310 Tanti fabulas emere nolim. Das seyn gar theure/ kostbare Gespräche / Erzehlungen / Fabeln; die Fabeln/ die mich nichts kosten zu stehen kommen/ sind mir lieber/ als die ich mir so erkauffen soll. 311 adspergas, conspergas. 312 rapit, instigat, irritat, stimulat, impellit. 313 Finem narrationi feceris, imposueris. 314 munia domestica. Amts-Geschäffte/ die nicht warten können. Ironice vocat stationes Romanas. Nam veluti militibus iniussu Imperatoris de præsidio & statione decedere non licet; ita nec probo Patrifamilias a statione rerum domesticarum. 315 Ps. 37. v. 3. 1. Tim. V, 8. 1. Cor. VII, 17, 20, 24.

ΙΧΘΥΟΦΑΓΙΑ *a*.
LANIO, SALSAMENTARIVS.

La. Dic mihi, inſulſiſſime Salſamentarie *b*; nondum emiſti reſtim? *Sa*. Reſtim, Lanio? *La*. Ita, reſtim. *Sa*. Cui tandem rei? *La*. Cui, niſi ſuſpendio? *Sa*. Emant alii; me nondum vsque adeo tædet huius vitæ. *La*. At breui tædebit. *Sa*. In vatem ipſum iſta vertat Deus aliquis potius *c*! Sed quid eſt mali? *La*. Si neſcis, dicam. Inſtat tibi tuisque plane Saguntina, quod aiunt, fames *d*, vt res prorſus ſit vobis ad laqueum reditura. *Sa*. Bona verba *e*, Lanio. Iſta ſint hoſtibus noſtris! Vnde nobis ex Lanio repente prodiſti Pythius *f* quispiam, vt diuines tantam calamitatem? *La*. Non eſt diuinatio; ne tibi blandiaris; res ipſa adeſt in foribus *g*. *Sa*. Enecas *h*: ede *i* rem, ſi quid habes. *La*. Edam tuo magno malo. A Romano ſenatu venit edictum, vt poſthac liberum ſit cuique veſci quibus velit. Quid igitur tibi tuoque ordini reſtat, niſi bulimia *k* cum putribus ſalſa-

a Das Fiſch-Eſſen/Fiſch-Freſſen/ ab ἰχθὺς Piſcis & φάγω Comedo, Voro. *b* Saltzwerck Händler/Herings-Krähmer. *c* Ey behüte GOtt/behüte GOtt! das wiederfahre vielmehr einem ſolchen Propheten/Prognoſticanten! *d* Du wirſt noch erhungern müſſen. *e* Tröſte beſſer! Ey nicht doch! *f* diuinator, hariolus. *g* inſtat, imminet, præſens eſt. Germaniſmus falſo ſuſpectus. Die Sache iſt vor der Thür. it. vorhanden. Sic Bernhardus de Conuerſ. ad Clericos cap. XIV. Mors ſenibus quidem in ianuis, adoleſcentibus in inſidiis eſt. *h* Du marterſt mich todt; ich bin des Todes. *i* profer, eloquere, profare, pronuncia. *k* βυλιμία, ingens fames, inſatiabilis eſuries.

ſamentis? *Sa.* Per me quidem vel limacibus, vel vrticis veſcatur, qui volet. At num interdictum eſt cuiquam ne veſcatur piſcibus? *La.* Non,ſed data poteſtas veſcendi carnibus, quibus fuerit collibitum *l.* *Sa.* Siue vana prædicas, tu potius dignus es ſuſpendio: ſiue vera, tibi potius parandus funis. Nam mihi poſthac ſpero quæſtum vberiorem. *La.* Imo prouentum vberrimum, ſed eſuritionis vsque ad ſaturitatem: aut, ſi mauis audire lætiora,poſthac longe mundius viues, neque quod ſoles cubito naſum * emunges pituitoſum,& ſcabie fruticantem *m.* *Sa.* Ohe,venimus ad ſummum *n;* cæcus conuicia iacit in luſcum *o:* quaſi vero quidquam apud laniones purius ſit ea parte corporis quæ dicitur ſemper lotione ſuperior *p.* Vtinam verum eſſet quod annuncias; at vereor, ne me coniicias in falſum gaudium *q.* *La.* Tibi quidem nimium vera nuncio. Sed vnde tibi quæſtum promittis vberiorem? *Sa.* Quoniam eo video recidiſſe mores hominum, vt quod vetitum ſit,impotentius appetant. *La.* Quid dum poſtea? *Sa.* Quia plu-

l volupe,gratum. * Extat iocus Ciceronis in ſalſamentarii filium. Mit der Naſe auf den Ermel fahren/ die Naſe an den Ermel wiſchen. *m* pullulantem, die kräzichte und kupfferne Naſe. *n* De re extremæ impudentiæ. Sic Horatius. Es iſt aufs höchſte kommen. *o* Ein Eſel heiſſet den andern Lang-Ohr! Wir haben einander viel vorzuwerffen! ſcilicet. Claudus loripedem ridet,Æthiopem Maurus, luſcus luſcum, Einer gilt dreyßig/der andere ein halbes Schock/oder zwey Mandeln. *p* Quia ſubinde inquinatur: de quo dictum eſt alias. An dem kein Waſchen was hilfft. Es geht bey denen Fleiſchern ſehr ſchlammicht/garſtig unſauber zu. *q* ne mihi creas vanum gaudium.

plures abstinebunt ab esu carnium, vbi permissa est *r* vescendi potestas, nec vllum erit lautum conuiuium absque piscibus, quemadmodum apud priscos fieri consueuit. Itaque carnium esum permissum gaudeo; vtinam & piscium esus esset interdictus! auidius his vescerentur homines. *La.* Pium mehercule votum. *Sa.* Hoc optarem, si quod tu facis, nihil aliud *s* spectarem quam pecuniæ lucrum, cuius amore tu crassam istam & carniuoram animam diis manibus* deuouisti. *La.* Salsus es totus *t*, cum insulsa *u* sit oratio. *Sa.* Quæ ratio commouit Romanos, vt tot sæculis obseruatam legem carnariam relaxarint? *La.* Nimirum hoc ipsa res iam dudum illis persuasit. Reputant id quod est *x*, per salsamentarios inquinari ciuitatem, infici terram, flumina, aërem, & ignem, & si quod aliud est elementum: corrumpi corpora mortalium: ex piscium enim esu corpus impleri putribus humoribus: hinc febres *y*, tabes, podagræ, epilepsies*, lepræ, & quid non malorum? *Sa.* Dic igitur mihi, Hypocrates, cur in ciuitatibus bene institutis vetitum est intra mœnia mactare tauros ac sues? Rectius etiam consuleretur saluti ciuium, si nec pecudes iugularentur. Cur laniis describitur certus locus, ne si passim viuant, totam

vr-

r data est. *s* ad nihil aliud. * Id est, inferis: sic Decius & Q. Curtius se diis manibus deuouerunt. *t* Du bist ein spitzfündiger superkluger Pursche/ Gast. *u* insipiens, fatua; cum parum satis habeat. Sal enim pro sapientia, vrbanitate & ioco accipitur. *x* nec immerito, haud iniuria. *y* Tabes Græcis φθίσις, morbus originem trahens ex pituita a capite in pulmonem defluente, vnde tussis cum exulceratione. * Epilepsis, morbus comitialis.

vrbem reddant pestilentem? An est vllum fœtoris genus corrupto animantium cruore sanieque pestilentius? *La.* Aromata mera sunt, si ad piscium putorem conferas *z*. *Sa.* Tibi quidem, opinor, aromata mera sunt: at non idem visum *a* magistratibus, qui vos ab vrbe submouent. Porro quam suauiter oleant vestræ istæ laniense *b*, declarant ii, qui naribus obturatis prætereunt: declarant vulgo, qui malunt habere vicinos decem lenones, quam vnum lanionem *c*. *La.* At vobis ad abluenda putria salsamenta nec lacus nec amnes toti sufficiunt: vereque, quod dici solet, inaniter aquam consumitis. Semper enim piscis piscem olet *d*, etiamsi vnguentis oblinas *e*. Quid autem mirum, mortuos sic olere; cum plerique viui mox, vt capti sunt, oleant? Carnes muria* condĭtæ *f* seruantur multos in annos, adeo non putentes, vt aromaticum quiddam redoleant. Rursus vulgari sale conditæ, durant absque fœtore. Duratæ *g* fumo ventoue, nihil molesti odoris contrahunt *h*. Hæc omnia si pariter adhibeas pisci, nihil aliud quam piscem

---

z cum piscium putore, fætore compares, contendas. *a* sc. est, i. e. videtur. *b* officinæ in quibus venduntur carnes. Fleisch-Bäncke. *c* Leno & Lanio Parechesin præbent aut lusum Syllabarum. *d* est Ploce. Fische fischintzen/stincken fischicht/nach Fischen; Fische bleiben Fische. *e* allĭnas, superlĭnas. * h. e. Aqua salsamentorum. Saltz-Wasser/Lake/Pöckel. *f* locatæ, positæ, mersæ. Ostendit differentiam Accentus in vocibus: Condĭtæ & Condítæ. Condĕre muria In Pöckel legen/ Condíre sale. Einsaltzen. *g* Durare & Neutral. & Actiue significat. Dauern/harte seyn/und: härten/harte machen. Fumo ventoue durare, Räuchern/im Rauche hängend haben/abdörren. *h* adsciscunt.

piſcem olebit. Vel hinc *i* coniice, nullum eſſe putorem cum piſcium fœtore conferendum, quod ab his putrefit etiam ipſe ſal, in hoc a natura datus, vt a rebus arceat *k* putrefactionem, dum genuina *l* vi claudit conſtringitque, ſimul & excludens quod extrinſecus noxam afferre poſſit, & humores intus, vnde putrefactio poterat oriri, deſiccans: in ſolis piſcibus ſal non eſt ſal. Noſtras ædes fortaſſis aliquis delicatior præteriens obturat *m* nares; at nemo ſuſtinet in cymba ſedere in qua veſtra ſunt ſalſamenta. Viatori ſi quando occurrunt plauſtra onuſta ſalſamentis, quæ ibi fuga? quæ narium obturatio? quæ ſputa? quæ excreatio? Et ſi qua *n* fieri poſſit, vt ſalſamenta pura in vrbem adueherentur, quemadmodum nos mactatorum boum carnes apportamus, lex non dormiret: nunc quid facias iis *o*, quæ putria ſunt etiam cum comeduntur? & tamen quoties videmus, ab Agoranomis* damnatas merces veſtras coniici in flumen, vobis indicta multa *p*? Id vero ſæpius etiam fieret, niſi illi corrupti per vos, magis ſpectarent priuatum commodum, quam publicam ſalutem. Nec hac tantum par-

---

i Auch nur daher. *k* cohibeat. *l* natiua, ingenita. *m* obſtruit. *n* aliqua ratione, via, ſi qua parte. *o* Facio, Fio & Futurus ſum peculiari ſignificatione eleganter cum Ablatiuo aut Datiuo iunguntur. Rhen. Gramm. Reg. 77. vt: Pati non vultis, mori timetis; quid faciam vobis? Was ſoll ich mit euch machen/angeben? quæ verba audiuit Presbyter in agone mortis conſtitutus ex Iuuene radiantis vultus, teſte Cypriano Serm. 4. de Moral. * Hi ſunt Præfecti foris, in quibus venduntur eſculenta. Marckt-Herren. *p* pœna pecuniaria.

parte nocetis reipublicæ; ſed impia conſpiratione vetatis,ne aliunde piſces recentiores aduehantur in ciuitatem. *Sa.* Quaſi vero nullus vnquam viderit mulcta percuſſum lanionem,quod porcum inſincerum,& linguæ maculis lepræ vitium profitentem *q* vendiderit, aut quod ouem aquis cœnoue ſuffocatam,aut alioqui verminantes armos *r*,lotione & circumlito recenti cruore vitium diſſimularit. *La.* Atqui nullum ex nobis tale exſtat exemplum, quale nuper ex vobis: ex vnica anguilla,cruſto panis incocta *s*,periere nouem conuiuæ. Talibus obſoniis vos inſtruitis menſas ciuium. *Sa.* Caſum narras, qui nemini *t* vitari poſſit, ſi fortuna velit. At vobis pene quotidianum eſt, pro cuniculis altiles *u* feles vendere,pro leporibus canes,ſi per auriculas & pedes hirſutos liceret *x*. Quid autem commemorem artocrea *y* ex humanis carnibus confecta? *La.* Tu,quod in me damnabas, caſus & hominum vitia,mihi opprobras *z* : tueantur iſta qui committunt: ego quæſtum cum quæſtu confero. Alioqui damnentur & olitores, quod interdum imprudentes

q unreines / finnichtes / ausſätziges Schwein. *r* madichte Schöps-Keulen. *s* Ein Aal mit einer Brodt-Rinde / Kruſte Brodts geſotten / abgekocht. *t* a nemine. *u* ſaginatas domi. *x* fieri poſſet, wenn es angienge / ſich thun lieſſe / seyn wolte. Per i. e. propter; der Ohren und ſtachlicht-haarichten Pfoten/Läuffte wegen. *y* Artocreas. Eine Paſtete/cibus eſt pane & carne conſtans, κρέας autem in Accuſatiuo Plur. habet κρέατα, Ion. κρέαα. Attice & Contr. κρέα. Exemplum artocreatum ex humanis carnibus conficiendorum dedit aliquando Cupedinarius quondam Lugduni Batauorum. *z* exprobras, obiicis.

tes pro caule *a* vendant cicutam *b*, aut aconitum *c*: damnentur & pharmacopolæ, quod interdum pro remediis porrigunt venena. Nulla eſt ars tam inculpata, quin iſtæc incidant *d* mala. Vos cum omnes officii numeros *e* impleueritis, venenum eſt quod venditis. Si torpedinem *, ſi hydrum **, ſi leporem marinum *** retibus admixtum cum cæteris venderetis, caſus eſſet, non crimen, nec magis imputari poterat vobis quam medico, qui nonnunquam occidit *f* ægrum quem curat. Ferri poterat hoc malum, ſi menſibus dumtaxat hibernis extruderetis veſtra purulenta; rigor temporis mitigaret peſtilentiam. Nunc æſtatis incendio putrem additis materiam; autumnum, per ſe nocentem, redditis nocentiorem. Cumque iam ſe renouat annus

a Braſſica Kohl, Stengel. *b* Schierling / Witſcherling. Speciem Petroſelini quadantenus refert. Lucretius lib. 5. de Capris ſcribit:

Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quæ eſt acre venenum.

Iul. Cæſ. Scalig. Exercit. 152. Sect. 1. refert, Franciſci Trapalini coquam Hero per negligentem incuriam folia cicutæ pro Petroſelini offæ indidiſſe, quibus paſtus animam efflauerit. *c* Omnium venenorum ocyſſimum eſt aconitum, quo Calphurnium Beſtiam, nobilem Romanum, vxores ſuas dormientes interemiſſe Plinius refert lib. 27. c. 2. & ex eo Cæl. Rhodig. lib. 23. c. 13. Lect. Antiqu. *d* accidant, interueniant, mit unter lauffen / mit neben bey ſich zutragen. *e* partes, particulas. * Torpedo piſcis letalis contactu. ** Hydrus ſerpens aquatilis. *** Lepus marinus piſcis homini præſentiſſimum & immedicabile venenum, & homo piſci, adeo vt hominis contactu ſolo moriatur. *f* interimit, enecat.

nus, & humores conditi *g* ſeſe rurſus proferunt *h*, non abſque corporum periculo, ibi vos totos menſes duos tyrannidem occupatis *i*, & anni renaſcentis infantiam accerſitọ ſenio *k* vitiatis. Cumque hoc meditetur natura, vt corpora ſuccis inſalubribus repurgata, nouis ſuccis repubeſcant *l*, vos ingeritis meros putores, meraſque ſanies; &, ſi quid eſt in corporibus vitii, augetis, malum malo adiicientes *m*, & bonos inſuper corporis ſuccos corrumpentes. Tolerari poterat hoc quoque, ſi tantum corpora vitiaretis: nunc quoniam ex ciborum differentiis vitiantur *n* animorum organa, fit, vt ipſi vitientur animi. Tales fere videas homines iſtos piſculentos, quales ſunt ipſi piſces; pallent, olent, ſtupent, muti ſunt *o*. *Sa.* O nouum Thaletem *p*! Quid igitur ſapiunt qui betis victitant? nimirum quantum ipſæ betæ? Quid ſapiunt qui boues, & oues, & capras deuorant; nimirum quod boues, oues, & capræ? Vos hœdos pro deliciis venditis, & tamen hoc animal, vt eſt morbo comitiali *q* obnoxium, ita gignit eundem *r* morbum in his, qui gaudent eſu carnium. Annon præſtabat ſalſamentis placare latrantem ſtomachum? *La.* Quaſi ſolum hoc mentiti ſint rerum naturalium ſcriptores *s*. Et ſi maxime verum ſit, quod narrant; corporibus mor-

g abſconditi, latentes. *h* promunt, exſerunt. *i* exercetis, tyrannos agitis. *k* veralterten / verlegenen Waaren. *l* repullulent, reiuueneſcant. *m* cumulantes, aceruantes. *n* perduntur. *o* Prouerb. Magis mutus quam piſcis. Stock-stille. *p* Sapientem, Philoſophum. Proprium pro Appellatiuo. Loquitur autem Ironice. Wie klug sind die Leute! Trefflich klug! *q* Epileptico. Der fallenden Sucht. *r* Simile ſimile generat. *s* Hiſtorici naturales.

morbo obnoxiis ſæpe, quæ per ſe optima ſunt, peſſima ſunt: Hecticis * ac phthiſicis ** vendimus hœdos non vertiginoſis ***. *Sa.* Si piſcium eſus tantam perniciem adfert rebus mortalium, cur nobis præſulum ac principum ſententia licet toto anno noſtras merces diuendere, vobis bonam anni partem indictæ ſunt feriæ? *La.* Iſtuc quid mea refert *t*? Fortaſſis hoc procuratum eſt a malis medicis, quo quæſtus ipſis eſſet vberior. *Sa.* Quos malos medicos mihi commemoras, cum nulli ſint piſcibus hoſtes æque capitales *u*? *La.* Ne quid erres, o bone, non faciunt hoc ſtudio veſtri, nec amore piſcium, cum ab his nulli religioſius abſtineant: ſuum aguntnegotium *x*. Quo plures tuſſiunt, languent, ægrotant, hoc illis annona *y* benignior eſt. *Sa.* Medicis heic non patrocinabor *z*, ipſi ſuam vicem *a* vlciſcentur, ſi quando in caſſes illorum incideris. Mihi pro mea cauſſa *b* ſufficit veterum ſanctimonia vitæ, probatiſſimorum auctoritas, epiſcoporum maieſtas, publica Chriſtianarum gentium conſuetudo; quos omnes ſi

---

* Qui perpetua laborant febri, iam in habitum acta. ** Phthiſici, qui tabeſcunt & exareſcunt. *** Vertigo capitis eſt præludium ad morbum comitialem. Hœdus autem dicitur eſſe obnoxius ei morbo, & eius carnes inimicæ ad id propenſis mali. *t* Was kan ich davor? Was geht das mich an? *u* iurati infenſi, ac infeſti. *x* velificantur ſuis commodis. Sie ſchaffen ihren Schaff / thun es zu ihrem Vortheile / Nutzen / umb ihres Nutzens wegen / ſich zu gute. *y* meſſis. Deſto beſſer Zeit / deſto reichere Erndte / Einnahme / Eintünffte haben ſie. *z* Medicorum hic non cauſam agam. *a* Den Hohn / den Tort / die Schmach / den Schimpff rächen / revengiren. *b* Zu meiner Defenſion.

ſi damnabis inſaniæ, malo cum illis inſanire, quam cum laniis eſſe ſobrius. *La.* Tu recuſas patronus eſſe medicis; ego nolim eſſe criminator aut cenſor veterum, publicæue conſuetudinis. Iſta venerari ſoleo, non inceſſere *c*. *Sa.* Iſto quidem nomine cautus es verius *d*, quam pius lanio; niſi te prorſus non noui. *La.* Meo iudicio *e* ſapiunt, qui cauent, ne quid habeant rei *f* cum his, qui fulmen *g* habent in manibus. Attamen quid ex meis Bibliis, quæ populari *h* lingua verſa nonnunquam lego, ſentiam, non tacebo. *Sa.* Vt nunc fies ex lanione Theologus! *La.* Arbitror, primos illos homines ſimul atque ex vda argilla *h* prodierunt, fuiſſe corpore ſalubri ac ſucculento. Id declarat *i* illorum viuacitas. Deinde Paradiſum fuiſſe locum multo commodiſſimum ſitu, cœloque ſaluberrimo *k*. Tali loco talia corpora, vel aëris hauſtu, herbarum, arborum ac florum vndique aſpirantium fragrantia, citra cibum vllum potuiſſe viuere, præſertim cum vltro citra ſudorem hominis affatim tellus effunderet *l* omnia, nec morbus eſſet vllus, nec ſenium. Cultus *m* enim talis horti voluntas erat verius, quam labor. *Sa.* Adhuc veriſimilia *n* prædicas. *La.* Ex tam vario horti feraciſſimi prouentu *o* nihil interdictum eſt præter vni-

c lacerare, lancinare, inſectari, ferire. *d* potius, magis. *e* mea ſententia. *f* zu ſchaffen haben / vorhaben. *g* excommunicationis. *h* vernacula. *h* terra, gleba madida, humida. *i* demonſtrat, probat. *k* ſc. arbitror. *l* produceret, protruderet, elargiretur. *m* Cultura. *n* probabilia, credibilia, veritati conſentanea. *o* reditu, fructu.

vnicam arborem. *Sa.* Veriſſimum eſt. *La.* Idque non ob aliud, niſi vt per obedientiam agnoſcerent dominum & conditorem ſuum. *Sa.* Recte. *La.* Quin & illud arbitror, recentem terram omnia progenuiſſe feliciora meliorisque ſucci, quam nunc gignit ſeneſcens ac propemodum effœta *p*. *Sa.* Eſto. *La.* Idque præcipue in Paradiſo. *Sa.* Haud diſſimile veri. *La.* Illic igitur veſci, voluptatis erat, non neceſſitatis *q*. *Sa.* Au-

p emortua, intermortua, ſterilis. Vulgarem hanc de Seculi noſtri imbecillitate phyſica explodit in Vindiciis M. Chriſtianus Dauid Funceius Tractatu priori; & ἀποτόμως §. 12. p. 37. negat, qualitates rerum naturalium eſſe remiſſiores, naturamque ad inſtar ſenis grandæui pedetentim viribus deficere, atque ad interitum vergere; §. 16. autem loca duo ex libris Symbolicis Eccleſ. Lutheranæ p. 22. & 246. explicat, nec aduerſus ſe pugnare illa oſtendit. p. 53. ſeqq. quæ & alia doctiſſime in medium allata atque congeſta apud ipſum vide. *q* Erat & neceſſitatis propter ordinationem diuinam, quam ſi neglexiſſet homo & per ſeptimanas aliquot ieiunare voluiſſet, peccaſſet; Deus enim de fructibus comedere iuſſit: Ex omni arbore horti libere comedetis. Quorſum vero tot herbæ & ciborum deliciæ datæ fuiſſent, ſi abſque cibo viuere debuiſſet? quis vſus fuiſſet arboris vitæ? Non tamen negamus Deum ſine cibo potuiſſe conſeruare hominem, cumque immortalitate abſoluta donare, ſi viſum ita ipſi fuiſſet. Homines quosdam noſtris quoque temporibus diu absque cibo vixiſſe Rhodiginus obſeruauit Lect. Antiq. lib. XIII. c. 24. Albertus M. de animalibus lib. VII. ſcriptum reliquit, fuiſſe fœminam, quæ ſine cibo dies quandoque viginti transmiſerit, ſæpe & triginta. Conf. M. Rumpelii Diſputat. de Inedia quorundam diuturna Lipſ. 1674. Helvetius quidam Nicolaus Uri annis vixit viginti & vno ſine cibo ac potu; & cum ab Epiſcopo Conſtantienſi adactus

Audiui. *La.* Et abstinere a laniandis animantibus, humanitas *r* erat, non sanctitas. *Sa.* Nescio. Animantium esum a diluuio permissum lego, prius interdictum non lego *s*. Quorsum autem attinebat permittere, si iam permissus erat? *La.* Quare non vescimur ranis? Non quia vetitæ, sed quoniam abhorremus. Qui scis, an Deus illic admonuerit, quem cibum requireret humana fragilitas, non quem permitteret? *Sa.* Non sum ariolus. *La.* Atqui in ipso statim conditi hominis initio legimus; *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animalibus, quæ mouentur super terram.* Quis vsus dominii, si vesci non licet? *Sa.* O crudelem herum! Itane deuoras seruos & ancillas, tuos liberos & vxorem? Quin eadem opera vesceris matula tua, cuius dominus es *t*? *La.* Sed audi vicissim, insulse *u* salsamentarie: E cæteris vsus est, nec est inane dominii nomen. Equus vehit me tergo, camelus gestat sarcinas: e piscibus vero quis vsus, nisi vescaris? *Sa.* Quasi vero non sint innumera ex piscibus remedia. Deinde multa sunt in hoc tantum condita, vt delectent hominem contemplantem, & in conditoris admirationem rapiant. Forte non credes, delphinos hominem tergo vehere. Denique sunt pisces, qui nobis prædicant imminere tempestatem, velut echinus*. An non talem seruum opta-

---

quicquam ederet, in lethalem morbum prolapsus est. Vide Laurenbergii Acerram Philolog. Centur. III. num. 40.
r Menschligkeit/Freundligkeit. *s* Genes. IX. v. 3. I, 29. seq.
t Arguit fallaciam Consequentis. *u* inepte, du ungehobelter/unartiger/grober. * Piscis est spinas habens pro pe-

optares domi tuæ? *La.* Verum vt hoc largiamur, ante diluuium non fuisse fas vesci cibis, præterquam terræ frugibus; nihil magni erat abstinere ab iis, quæ non requirebat corporis necessitas, & habebant laniandi crudelitatem: illud fateris, animantium esum initio *x* permissum ob humanorum corporum imbecillitatem. Frigus induxerat diluuium: & hodie videmus, in regionibus frigidis nasci homines cæteris edaciores: ac terræ prouentum vel extinxerat, vel corruperat inundatio *y*. *Sa.* Esto. *La.* Et tamen a diluuio præteribant *z* annum ducentesimum. *Sa.* Credo. *La.* Cur igitur Deus, quod illis robustis citra exceptionem permisit, post imbecillioribus æuique contractioris adstrinxit ad certa animantium genera *a*, quemadmodum præcepit Moses *b*? *Sa.* Quasi meum sit *c*, eorum, quæ Deus gerit, rationem reddere! Arbitror tamen, hoc tum fecisse Deum, quod solent heri, qui contrahunt *d* indulgentiam in seruos, vbi vident illos abuti lenitate dominorum. Sic equo plus satis ferocienti subducimus fabas & auenam, parcoque fœno pascimus, frenoque & calcaribus aspe-

dibus: hic imminente tempestate affigit se, aut saburrat arenam. *x* primum, demum. *y* Deus, ait Martyr, dedit post diluuium hominibus vinum & carnes, partim vt iram erga humanum genus compensaret, partim quod terra aqua corrupta non vt ante salutares fructus producebat. *z* excedebant, superabant, superuiuebant. *a* Distinxit enim Deus cibos Israelitarum in mundos & immundos, hoc est, licitos & illicitos. *b* Leuit. XVII, 10, 13. Deut. XIV. v. 4, 5, 6. seqq. *c* officium, opus, negotium. *d* coarctant, minuunt, halten ein/ziehen/schrencken ein.

asperioribus subigimus. Excusserat *e* hominum genus omnem reuerentiam, in tantamque licentiam sese effuderat, quasi nullus omnino Deus esset. Hic inuenti sunt legis cancelli, cæremoniarum repagula, minarum ac præceptorum frena, quo vel sic resipiscerent? *La.* Quin igitur manent hodie legis illius repagula? *Sa.* Quia sublata est carnalis seruitutis asperitas *f*, posteaquam per Euangelium adoptati sumus in filios Dei; detractum est *g* præceptis, vbi contigit vberior gratia. *La.* Cum Deus appellet suum testamentum sempiternum, cumque Christus negarit, se soluere legem *h*, sed consummare; qua fiducia *i* posteriores ausi sunt bonam *k* legis partem abrogare? *Sa.* Gentibus ea lex data non erat; & ideo visum est Apostolis *l*, eas nec *m* onerare circumcisionis molestia, ne, quod Iudæi faciunt & hodie, in corporalibus obseruationibus constituerent salutis spem potius, quam in fiducia & caritate erga Deum. *La.* Omitto gentes. Quæ scriptura manifeste docet, Iudæos, si professionem Euangelicam fuerint amplexi, manumissos esse a Mosaicæ legis seruitute? *Sa.* Quoniam id fore prædictum erat a prophetis, qui promittunt testamentum nouum *n*, & cor nouum, indu-

e Deposuerat, abiecerat, exuerat. *f* rigor, durities, acerbitas, vehementia. *g* decessit, derogatum est. *h* Matth. V, 17. *i* audacia, temeritate, confidentia. Was buden sie sich wohl ein / daß sie ꝛc. Wie haben sie sich unterstehen dürffen / daß sie ꝛc. *k* magnam. Germanismus falso suspectus. Ein gut Theil. *l* placuit. Die Apostel habens vor gut angesehen / es hat die Apostel gut gedeucht / es hat denen Aposteln beliebet / gefallen. *m* neque, & non, ne quidem. *n* Ierem. XXXI. v. 31. Ezech. XXXVI, 26.

ducuntque Deum abominantem festos Iudæorum dies, auersantem illorum victimas, detestantem ieiunia, reiicientem donaria, desiderantem populum circumciso corde. Confirmauit illorum promissa Dominus ipse, qui porrigens discipulis corpus & sanguinem suum appellat testamentum nouum. Si nihil aboletur de veteri, cur hoc dicitur nouum? Ciborum Iudaicum delectum non exemplo quidem, sed sententia sua abrogauit Dominus, cum negat, hominem inquinari cibis, qui mittuntur in stomachum, & per secessum repurgantur *o*. Docet idem Petrum conspecta visione *p*; imo Petrus ipse, cum Paulo cæterisque vescens cibis communibus, a quibus lex præceperat temperari. Agit hoc vbique Paulus *q* in suis epistolis; nec dubitatur, quin quod hodie sequitur *r* populus Christianus, ab Apostolis veluti per manus traditum ad nos denique peruenerit. Itaque non tam manumissi sunt Iudæi, quam a legis superstitione, velut a lacte consueto quidem & familiari, sed iam intempestiuo *s* depulsi. Neque lex abrogata est, sed ea pars iussa est cedere, quæ iam erat otiosa. Frondes & flores pollicentur fructum exoriturum: is vbi grauat arborem, nemo flores desiderat. Neque quisquam deplorat perisse filii sui pueritiam, vbi iam ad ætatem maturam peruenit. Neque quisquam requirit lucernas & funalia, vbi se terris deprom-

o Matth. XV, v. 11. 16. 17. *p* Act. X, v. 10, 11, 12. seqq. *q* Rom. XIV, 14. 20. I. Cor. X. v. 25. Col. II. v. 16, 17. seqq. I. Tim. IV, 3. Tit. I, 15. I. Cor. VIII. 8. *r* amplectitur, agnoscit. *s* parum congruo, conducibili, proficuo.

promp$ſ$it ſol *t*. Nec habet quod queratur pædagogus, ſi filius iam puber *u* ſuam libertatem ſibi vendicat *x*; ac pædagogum in ſua viciſſim habet poteſtate. Pignus definit eſſe pignus, vbi promiſſa ſunt exhibita *z*. Sponſa priusquam deducatur ad ſponſum, epiſtoliis ab illo miſſis ſeſe conſolatur, exoſculatur munuſcula ab illo venientia, picturas illum referentes amplectitur: cæterum vbi iam ipſius ſponſi data eſt copia *a*, præ huius amore negligit illa prius adamata. At Iudæi primum ægre diuellebantur a conſuetis, velut ſi puer aſſuetus lacti iam grandis mammam inclamet *b*, cibum ſolidum *c* faſtidiens. Itaque propemodum vi depulſi *d* ſunt ab illis vel figuris, vel vmbris, vel temporariis ſolatiis, quo ſe iam totos conuertant in eum, quem lex illa promiſerat & adumbrarat. *La.* Quis exſpectarat *e* tantum Theologiæ a ſalſamentario? *Sa.* Soleo piſculentum commeatum ſuppeditare *f* noſtræ ciuitatis Dominicano collegio: ita-

---

t exortus eſt terris. *u* adoleſcens, maiorennis, annos natus XIV. der kein Kind mehr iſt / der über ſieben Jahr iſt / mannbahr. *x* arrogat, anmaſſet / annimmt. *z* præſtitata, werckſtellig gemachet / geleiſtet iſt. *a* facultas, poſſeſſio, poteſtas, vſus, libera vſurpatio. *b* Germ. dicit: clamat in mammam, Er ſchreyt auf der Mutter Bruſt loß / nach der Mutter Bruſt / acclamat mammam, ſchreyt die Mutter-Bruſt an. *c* denſum, craſſiorem. *d* abacti, euerſi, auulſi. *e* ſperauerat pro: expectaſſet, ſperaſſet, requiſiuiſſet, wer hätte ſo viel Theologie in einem Saltz-Fiſch-Krämer geſuchet / ſich von ihm verſehen / eingebildet / vermuthet / verſprochen / von ihm erwartet. *f* alimoniam piſculentam pro viatico præbere, inſtruere commeatu Dominicanos. Mit Vorrath von Fiſchen / proviantiren / verſehen / beſchencken; was Fiſche mit auf den Weg geben;

itaque fit, vt illi frequenter prandeant apud me, ego nonnunquam apud illos. Ex eorum conflictationibus *g* hæc decerpsi *h*. *La.* Næ tu dignus es, qui ex salsamentario fias piscium recentium *i* venditor. Verum illud expedi: Si Iudæus esses, (neque mihi satis liquet an sis) & immineret ex fame certum vitæ periculum, vescereris carne suilla, an mortem præoptares? *Sa.* Quid facturus essem, scio: quid mihi faciendum esset, nondum intelligo. *La.* Deus vtrumque vetuit: *Non occides*, &: *Non vesceris carne suilla k.* In tali casu vtrum præceptum vtri par est *l* cedere? *Sa.* Primum non constat, an hoc animo Deus vetuerit vesci suilla, vt mortem vellet oppeti potius, quam esu vitæ consuli. Nam ipse Dominus excusat Dauid, qui contra legis præceptum comederit sacros panes *m*. Et in exsilio Babylonico multa non obseruata sunt a Iudæis, quæ lex præscripserat. Proinde censerem, eam *legem, quam ipsa* quoque *natura tulit*, eoque *perpetua est & inuiolabilis, debere potiorem haberi ea, quæ neque semper fuit, & post erat abroganda n.* *La.* Cur igitur laudati sunt fratres Macchabæi, qui maluerunt duris cruciatibus exanimari *o*, quam carnem

Commeatus enim a commeando, commigrando, comitando est; & meare idem quod itare, abire. *g* disceptationibus, dissertationibus, disputationibus, velitationibus, discursibus, confabulationibus, contentionibus. *h* deprompsi, obseruaui. *i* Salsamentarius igitur vetulorum piscium venditor est. *k* Leuit. XI. v. 7. Deut. XIV. *l* decet, debet. *m* Matth. XII, 4. conf. Exodi XXIX, 33. Leuit. VIII. v. 31. Num. XXVIII, 9. I. Sam. XXI. v. 3. seqq. *n* Præualet vtique lex naturalis atque moralis legi positiuæ, ceremoniali & Leuiticæ. *o* Vide Historiam I. Maccab. VII. v. 3, 4, 5. 6. sqq.

nem guſtare ſuis? *Sa.* Opinor, quoniam hic eſus a Rege præſcriptus complectebatur totius patriæ legis abnegationem, quemadmodum circumciſio, quam Iudæi gentibus obtrudere conabantur, continebat totius legis profeſſionem, non aliter quam arrha *p* data ad vniuerſum contractum præſtandum obligat. *La.* Itaque ſi craſſior illa Legis pars poſt exortam Euangelii lucem recte ſublata eſt, quo conſilio nunc videmus vel eadem, vel his grauiora reuocare, præſertim cum Dominus iugum ſuum appellet ſuaue, & Petrus, in actis Apoſtolorum, Iudæorum Legem appellet duram, quam nec ipſi ferre potuerint, nec patres ipſorum? Sublata eſt circumciſio, ſed ſucceſſit baptiſmus, duriore prope dixerim conditione. Illa differebatur in octauum diem; & ſi quis interim caſus intercepiſſet puerum, votum circumciſionis pro circumciſione imputabatur: nos pueros, vixdum a latebris vteri materni egreſſos, in frigidam aquam, quæque diu in alueo ſaxeo conſtitit, non enim dicam, computruit, totos immergimus *q*; & ſi vel primo die, atque adeo in ipſo partus oſtio perierit, nulla parentum aut amicorum culpa, deditur miſer æter-

p pars ſponſionis. Ein Angeld/Pfand-Schilling Unter-Pfand/Geiſel/Verſicherung/ fidem facit totius ſummæ perſoluendæ.

q In immerſione infantium mire ſibi placent Papiſtæ, quod primæ inſtitutioni fixe inhæreant, dum in reliquis tam longe abeunt, adhibentes ſal, oleum, ſputum & alia. Submerſionis ritus & emerſionis in calidiori plaga poſſibilis, in frigidiori noſtra non perinde, præſertim cum tenellulis infantulis fere ſolis adhibeatur hodie, ob raritatem ac paucitatem adultorum, qui ad Eccleſiam accederent. Vide Epiſt. Cypriani 76. ad Magneſium.

æternæ damnationi *r*. *Sa.* Sic aiunt. *La.* Sublatum eſt ſabbatum; imo non ſublatum eſt, ſed translatum in diem dominicum. Quid refert? Paucorum dierum ieiunia indixit Lex Moſaica; nos illis quantum addidimus numerum? In delectu *s* ciborum quanto liberiores Iudæi nobis; quibus licebat vel totum annum veſci ouibus, capis, perdicibus & hœdis? Illis nullum veſtis genus erat interdictum, præter eam quæ, eſſet lana linoque contexta *t*. Nunc præter tot veſtium præſcriptas, & interdictas formas *u* & colores, acceſſit capitis raſura *x*, eaque varia: ne commemorem interim confeſſionis onus, & conſtitutionum humanarum ſarcinas, decimationes non ſimplices, adſtrictum arctioribus vinculis matrimonium, nouas affinitatis leges, aliaque permulta, quæ faciunt, vt hac parte

---

r Crudelis iſthæc Pontificiorum infantes non baptizatos in limbum quendam ſeu cellam & contignationem relegantium, vbi propter peccatum originale ſint perpetuam damni ſed non ſenſus laturi pœnam, eſt ſententia. Quaſi vero Baptiſmo gratiam ſuam ita alligauerit Deus, vt ſine eo in neceſſitatis caſu nec velit, nec poſſit ſaluare; cum tamen non priuatio, ſed contemptus damnet. *s* Spiridion cum tempore ieiunii peregrino ſuillas carnes appoſuiſſet, hic vero ex aliqua conſuetudine abhorreret, dicens ſe Chriſtianum; ſubiecit: Ideo quod Chriſtianus es, comedere debes & ſcire te oportuit, omnia munda eſſe mundis. Refer huc monitum Apoſtoli Coloſſ. II, 16. 17. *t* Deut. XXII. v. 11. & Leuit. XIX. v. 19. Commendabat nimirum Deus ſymbolice Iſraëlitis ſinceritatem vitæ atque doctrinæ. *u* Modelle / Moden / Trachten; de quibus vide Rudolphum Hoſpinianum. *x* Raſuram capitis Sacerdotibus Deus interdixit Ezech. 44. v. 20. Eſt autem primum inſtituta in Concilio Toletano an. 631.

te non paullo *y* commodior videatur fuiſſe Iudæorum, quam noſtra conditio. *Sa.* Erras tota via *z* Lanio: Chriſti iugum non æſtimatur ad iſtam regulam, quam imaginaris. Pluribus adſtringitur Chriſtianus, & adſtringitur ad difficiliora, denique ad pœnam grauiorem: ſed his adiuncta copioſior vis fidei & caritatis, facit ea ſuauia, quæ natura ſunt grauiſſima. *La.* Atqui cum olim Spiritus, ſpecie linguarum ignearum e cœlo delapſus, copioſiſſimo dono fidei & caritatis locupletarit credentium pectora, cur detractum eſt legis onus, velut imbecillibus ac ſub iniqua ſarcina periclitantibus? Cur Petrus iam afflatus ſpiritu vocat onus intolerabile *a*? *Sa.* Detractum eſt ex parte, ne Iudaiſmus, vt cœperat, obrueret Euangelii gloriam, & ne Legis odio gentes alienarentur a Chriſto; inter quas erant infirmi plurimi, quibus inſtabat duplex periculum: alterum, ne crederent, ſine legis obſeruatione neminem poſſe ſalutem conſequi: alterum, ne potius *b* haberent in paganiſmo manere, quam Moſaicæ legis iugum accipere. Horum imbecilles animos oportebat velut eſca quadam libertatis allicere. Rurſus quo mederentur illis, qui negabant, ex Euangelii profeſſione ſalutis eſſe ſpem citra legis obſeruationem; circumciſionem, ſabbatiſmos, delectus ciborum, aliaque id genus aut prorſus ſuſtulerunt, aut in aliud verterunt. Porro quod

---

y multo, longe. *z* in totum, omni ex parte, prorſus.
a Actor. XV, 10. *ζυγὸν ἀβάςακτον, ὃν οὔτε οἱ Πατέρες ἡμῶν, οὔτε ἡμεῖς ἰσχύσαμεν βαςάσαι.* Iugum inſupportabile, portari neſcium. *b* ſatius, conſultum magis.

quod Petrus negat, se legis onus portare potuisse, non est referendum ad eam personam, quam tum gerebat *c*, cum illi iam nihil esset intolerabile, sed ad crassos & infirmos Iudæos, qui non sine tædio arrodebant hordei tunicam *, nondum gustata spiritus medulla. *La.* Satis tu quidem crasse disseris. Atqui mihi videtur, & hodie non minus esse caussarum, cur *d* obseruationes istæ carnales hactenus tolli debeant, vt arbitrariæ sint, non obligatoriæ. *Sa.* Qui sic? *La.* Nuper in linteo quodam amplissimo vidi totum orbem depictum *e*. Illic didici quantula esset mundi portio, Christi religionem pure sincereque profitens: nimirum Europæ particula vergens ad Occidentem: rursus altera vergens ad Septemtrionem, tertia tendens, sed procul, ad Meridiem: ad Orientem vergentis quartæ postrema videbatur Polonia. Reliquus orbis aut Barbaros habet, non ita multum a brutis animan-

c Imo vero ad Petrum, omnesque Apostolo, Prophetas & Patriarchas referendum est. Si petenda fuisset a lege salus, non autem a sola gratia in Christo Iesu, nullus, neque Apostolus, vnquam salutem consequi poterat. Rom. III. 19, 20. VII, 14. Gal. III. v. 11. * Alludit ad allegoriam parabolæ de quinque panibus hordeaceis. Ioh. VI, 9, 26, 27. Die Schale/ Hülse von Gerste. *d* ob quas, quare, propter quas, de quibus, ex quibus. *e* Den Globum, die Welt-Kugel auf einer Leinwand. Tabulam æneam, cui totius terræ ambitus erat incisus, ab Aristagora, Mileti tyranno ad Cleomenem Lacedæmonium allatam fuisse, refert Herodotus lib. V. De partibus vero Orbis, quas Christiani incolunt euoluendum suademus Edoardi Brerewodi, Angli, Astronomiæ olim Professor. Londini in Collegio Greshamensi Scrutinium Religionum & Linguarum Cap. I, & V.

mantibus differentes, aut ſchiſmaticos *f*, aut hæreticos, aut vtrumque. *Sa.* At non vidiſti totum illud litus Auſtrinum, & ſparſas inſulas Chriſtianis inſignibus notatas? *La.* Vidi, didicique illinc auectas prædas; Chriſtianiſmum inductum non audiui. Cum igitur tam ampla ſit meſſis, videtur hoc eſſe conſultiſſimum ad religionem Chriſtianam propagandam; quemadmodum Apoſtoli ſuſtulerunt onus legis Moſaicæ, ne gentes reſilirent; ita nunc, ad illiciendos etiam imbecilles, tolli quarundam rerum obligationes, ſine quibus initio ſeruatus eſt orbis, & nunc ſeruari poſſet, modo adſit fides & caritas Euangelica. Rurſus audio videoque plurimos eſſe, qui in locis, veſtibus, cibis, ieiuniis, geſticulationibus, cantibus, ſummam *g* pietatis conſtituunt; & ex his proximum iudicant, contra præceptum Euangelicum. Vnde fit, vt cum omnia referantur ad fidem & caritatem, harum rerum ſuperſtitione extinguatur vtrumque. Pro-

f Schiſmatici dicuntur, qui Schiſma ſeu fiſſionem, fiſſuram, diuiſionem & ſciſſionem faciunt in Eccleſia. I. Cor. I. v. 10. XI, 18, 19. Differunt autem Schiſma & Hæreſis in ſenſu Etymologico vt Conſequens & Antecedens, cum Hæreſis, h. e. error intellectus circa fundamentalem fidei articulum cum pertinacia voluntatis affectata & malitioſa coniunctus, antecedat, Schiſma ſeu auulſio membrorum Eccleſiæ inter ſe, & hæretici ab ipſa Eccleſia, ſequatur: in ſenſu autem conſuetudinario promiſcue fere ſumuntur, vt fiſſuras Sionis vocat quasuis heterodoxias Eccleſiam turbantes doctiſſ. Caſpar Caluörius in opere Hiſtorico, quo de Hæreſibus per Septendecim Secula concinne, perſpicue, ſolideque tractat, & cui pium æque ac ingenioſum præfixit in titulo Emblema Eccleſiæ fiſſuras graphice delineans. *g* caput, cardinem.

Procul enim abest a fide Euangelica, qui fidit huiusmodi factis: & procul abest a caritate Christiana, qui ob potum aut cibum, quo recte quis vti potest, exasperat fratrem, pro cuius libertate mortuus est Christus *h*. Quam amarulentas contentiones videmus inter Christianos? quam inimicas calumnias ex veste aliter cincta tinctaue *i*, ex cibo quem porrigunt aquæ, & quem porrigunt pascua? Hoc malum si ad paucos serpsisset, contemni poterat *k*. Nunc videmus, vniuersum orbem ob hæc dissidiis exitialibus concuti. Hæc & huiusmodi si tollerentur, & nos maiori concordia viueremus, neglectis cæremoniis, ad ea tantum contendentes, quæ docuit Christus; & reliquæ nationes citius amplecterentur religionem cum libertate *o* coniunctam. *Sa.* Extra Ecclesiæ domum non est salus *p*. *La.* Fateor. *Sa.* Extra Ecclesiam est *q*, quisquis non agnoscit pontificem Romanum. *La.* Non reclamo. *Sa.* Sed hunc non agnoscit, qui illius præscripta negligit. *La.* Atque ideo spero, futurum, vt hic pontifex nomine Clemens *r*, animo pietateque clementissimus,

h 1. Cor. VIII, 8, 9. sqq. *i* Elegans & sponte nata Paronomasia. *k* posset. Enallage Modi Indicat. pro Coniunct. *o* Ita est, non vult cogi flammis, laqueo, rota, religio, sed per Spiritum mansuetudinis Christi animis instillari. *p* Qui veram Ecclesiam in terris non habet Matrem, nec DEUM in cœlis habet Patrem. *q* Subintellige *Romanam*, salua res est. *r* Est hic Clemens VII, Florentinus, Leonis X. nothus a Cæsareanis post occupatam Romam captus. Testantur de eodem Magistri Parisienses, quod fuerit leno, Sodomita, Geomanticus & omnium scelerum artifex. Moriens, vt Siegebrandus Lubertus refert, se de tri-

mus, quo magis omnes nationes ad Ecclesiæ sodalitatem alliciat, omnia mitiget, quæ hactenus visa sunt aliquot populos a Romanæ sedis fœdere alienare; potiusque habeat Euangelii lucrum, quam suum in omnibus ius persequi. Audio quotidie veteres querimonias de annatis *s*, de condonationibus *t*, de dispensationibus, deque reliquis exactionibus, degrauatis *u* Ecclesiis: sed arbitror, hunc ita moderaturum omnia, vt posthac impudens sit, qui pergat queri. *Sa.* Vtinam idem facerent omnes Monarchæ! Nihil addubito quin res Christiana nunc in arctum coacta felicissime sit proferenda, si gentes barbaræ senserint, se vocari non ad seruitutem humanam, sed ad libertatem Euangelicam; nec ad rapinam expeti, sed ad felicita-

bus certiorem fore dixit, de quibus semper dubitasset: an Deus sit, an anima immortalis, an vita post hanc alia. Epitaphium quispiam ipsi sequens posuit:

Conditus hoc tumulo est Clemens, qui iura fidemque
Perdidit, & miseras Orbis & Vrbis opes.
Nutrix Roma fuit, genitrix Florentia; fleuit
nec tua te nutrix, nec tua te genitrix.

s Annatæ sunt primi fructus vnius anni, sacerdotii vacantis; aut saltem dimidia eorum pars. Iamiam autem tempore Clementis V. qui Pontifex factus anno 1305. huic tyrannicæ exactioni vehementer reclamatum; sed frustra. *t* Pontificiis indulgentiæ vocantur hæ condonationes. Quantum autem sibi malum cacauerit impudentissima indulgentiarum venditione, Pater huius Clementis VII. Leo X. sensit; cum Antagonistam inuenit Lutherum, qui illa occasione Reformationis negotium orsus est. Damnauerat iam anno Christi 1380. schola Parisiensis Indulgentias aut verius Emulgentias istas tubis, campanis & aliis publicis testimoniis, teste Wolfio Cent. 14. p. 572. Lect. mem. *u* quod

citatis & ſanctimoniæ conſortium. Vbi coaluerint, & in nobis mores vere Chriſtianos compererint, vltro plus offerent, quam ab eis vlla vis queat extorquere. *La.* Id breui futurum auguror, ſi peſtilens Ate *, quæ duos potentiſſimos orbis monarchas ** funeſto bello commiſit, abierit ἐς κόρακας ***. *Sa.* Atque ego demiror, iam dudum non eſſe factum, cum Franciſco nihil fingi poſſit humanius, & Carolo Cæſari, arbitror, a præceptoribus inſtillatum *x*, vt quo per fortunam plus *y* acceſſerit imperii finibus, hoc ipſe plus addat clementiæ benignitatiſque. Ad hæc, habere ſolet & ætas ea *z* peculiarem facilitatis ac manſuetudinis dotem. *La.* Nihil eſt quod in vtroque deſideres. *Sa.* Quid igitur remoratur publicum orbis votum? *La.* Adhuc iureconſulti de finibus ambigunt: & ſcis, comœdiarum tumultus ſemper deſinere in nuptias: itidem principes ſuas finiunt tragœdias. ſed in comœdiis ſubito coëunt nuptiæ; hic inter magnos magnis moliminibus res agitur. Et *præſtat, aliquanto ſerius obduci cicatricem, quam mox iterum hulcus erumpere.* *Sa.* An credis iſtas nu-

---

ita degrauatæ ſunt, preſſæ ſunt Eccleſiæ. **Weil die Kirchen ſo überladen / beſchweret und beläſtiget ſind.** Hinc Grauamina centum 1510. Maximilianus I. Imperat. colligi aduerſus curiam Romanam iamiam iuſſerat, quæ 1521. Germaniæ Proceres exhibuerunt. * Dea Homerica, quæ diſſidia ſerit inter Deos homines. Litæ tardæ, Ate velox. ** Franciſcum I. Galliæ Regem & Carolum V. Imperat. *** Id eſt, in malam rem. *x* ſit, fuerit. *y* ſecundum Symboli tenorem: Plus vltra. *z* anno quippe Carolus V. 1500. natus, viceſimum quintum nondum erat egreſſus.

nuptias esse firma concordiæ vincula? *La.* Vellem quidem: sed ex his video fere nasci maximam bellorum partem; & si quod bellum ortum fuerit, dum affinis adest affini *a*, latius se spargit incendium, & difficilius componitur. *Sa.* Fateor, & agnosco, verissimum esse quod dicis. *La.* Sed æquumne tibi videtur, vt ob iureconsultorum rixas & contractuum moras *b* totus orbis tantum perpetiatur mali? Nunc enim nihil vsquam tutum est, & pessimis licet plurimum, dum neque bellum est, neque pax. *Sa.* De principum consiliis non est meum dicere. Verum si quis me faciat Cæsarem, scio quid sim facturus. *La.* Eia, facimus te Cæsarem, simulque Romanum pontificem, si libet. Quid facis? *Sa.* Fac me potius Cæsarem & Regem Galliæ. *La.* Age, esto vtrumque. *Sa.* Protinus concepto pacis voto edicerem *c* per vniuersam ditionem meam inducias *d*, dimissis copiis, denuncians pœnam capitis, si quis vel gallinam alterius attigerit. Ita pacatis rebus meo commodo, vel, vt melius dicam, publico, transige-

a Fere solenne est Principum discordias sopiri interueniente affinitate. Iustin. 26, c. 3. §. 2, XXIV, c. 1. §. 8. Sueton. Aug. c. 62. Nec minus vero frequens, affines Principes rumpere amicitiæ vinculum. v. g. Rex Hisp. Carolus II. & Rex Galliæ Ludouicus XIV. Als Primislaus II. Ottocarus König in Böhmen bey seinem Schwager dem Marggrafen zu Meissen Hülffe wider Ottonem Hertzogen zu Sachsen suchte/ dieser aber ihm solche weigerte/ schickte ihm Primislaus die Schwester zur Rache mit diesen Worten wieder heim: Weil wir nicht Freunde seyn können/ so wollen wir auch nicht Schwäger seyn. Ziegl. Schau-Platz der Zeit. p. 2. *b* dilationes, retardationes. *c* promulgarem, aperirem, denuntiarem, significarem. *d* armistitium.

gerem de ditionis finibus, aut de coniugii conditionibus *e*. *La.* Habesne firmiora fœderis vincula, quam matrimonium? *Sa.* Arbitror. *La.* Imparti. *Sa.* Si Cæsar essem, sic absque mora transegissem cum Rege Gallorum: Frater, malus quispiam genius bellum hoc inter nos excitauit; neque tamen inter nos certamen fuit de capite, sed de ditione *f*. Tu quod in te fuit, fortem ac strenuum bellatorem præstitisti. Fortuna mihi fauit, teque ex Rege fecit captiuum. Quod accidit tibi, mihi potuit accidere; & tua calamitas omnes nos admonet humanæ conditionis. Experti sumus, quam hoc certaminis genus vtrique sit incommodum. Age, diuerso genere inter nos confligamur. Dono tibi vitam, dono libertatem; pro hoste recipio te in amicum. Sit omnium præteritorum malorum obliuio *g*; redi

e compactatis, pactis. Ehe-Packten / Heyraths-Contract.
f Fuisset certe, si Carolus consensisset: Franciscus enim ad singulare certamen eum prouocauerat. Idem fecerunt Ramirus I. Rex Nauarræ & Arragoniæ Garsiam & Ferdinandum pro innocentia nouercæ prouocando ad duellum; Ludouicus VI. Crassus Rex Franciæ bellum gerens contra Heinricum I. Angliæ Regem, quod dum subire recusat Heinricus cladem patitur exercitus. Carolus IX. Suecorum Rex, Daniæ Regem Christianum IV. anno 1611. missis ad ipsum literis ad singulare certamen prouocat, vt, cum præsens in castris sit, innocenti subditorum sanguini parcat, & ipsemet secum, laudabili veterum Græcorum exemplo in arenam descendat & præter duos equites nobiles in campum neminem producat. Quodsi ad prouocationem hanc non comparuerit, pro Rege honesto, fortique milite eum nunquam habiturum. Mercur. Gallo-Belgicus Tom. VI. lib. IV. pag. 954. seq.
g amnestia.

di ad tuos gratis *b* ac liber; habe tibi tua; esto bonus vicinus; & posthac geratur vnum hoc certamen inter nos, vter alterum fide, officiis ac beneuolentia vincat; neque certemus vter altero latius regnet, sed vter sanctius administret suam ditionem. In priori conflictu fortunati laudem tuli: heic qui vicerit, longe splendidius auferet decus. Mihi quidem hæc clementiæ fama plus adferet veræ laudis, quam si vniuersam Galliam meæ ditioni adiunxissem. Et tibi gratitudinis opinio plus decoris conciliabit, quam si me tota Italia depulisses. Noli inuidere mihi laudem quam affecto; ego vicissim tuæ sic fauebo, vt huic amico libenter sis debiturus. *La.* Profecto sic possit adstringi Gallia, imo totus orbis. Etenim si conditionibus iniquis hulcus hoc obducatur verius, quam sanetur, vereor ne mox per occasionem rupta cicatrice pus vetus erumpat maiore cum malo. *Sa.* Quam magnificam, quamque plausibilem gloriam hæc humanitas per vniuersum orbem pararet Carolo *i*? Quæ natio se non lubens tam humano, tamque clementi principi submitteret? *La.* Egisti Cæsarem

---

b nullo soluto λύτρῳ, pretio redemptionis. Ranzion / Löse-Geld. *i* Parauit etiam mansuetudo, clementia, humilitas & modestia Carolo immortalem gloriam, quod variis speciminibus comprobatum legere est in Theatro Historico Theoret. Pract. Christ. Matth. p. m. 725. seq. edit. Amstelodam. Elzeuir. 1648. Conf. Paul Jacob Marpergers Ubersetzung in fol. 827. quamuis facile sit post perspectum rerum euentum reprehendere, quidue satius futurum fuisset, indicare; vnde nec culpatione vacuus relictus est in hoc etiam pacis negotio gloriosissimus Carolus, sed Imprudentia ei obiecta l. c. p. 730. & 829.

rem ſat feliciter; nunc age Pontificem. *Sa.* Perlongum ſit ſingula perſequi: dicam compendio. Sic agerem, vt vniuerſus orbis intelligeret, eſſe principem eccleſiæ, qui nihil aliud ſitiret quam Chriſti gloriam, & ſalutem omnium mortalium. Ea res vere mederetur inuidiæ *k* pontificii nominis, & ſolidam ac perennem pararet gloriam. Sed interim ab aſino *l*, quod aiunt, delapſi, multum aberrauimus ab inſtituto. *La.* Ego te mox reducam in viam. Ais igitur, obligare Pontificum leges omnes, qui ſunt in eccleſia? *Sa.* Aio *La.* Ad pœnam gehennæ *m*? *Sa.* Aiunt. *La.* Etiam epiſcoporum? *Sa.* Sic arbitror; in ſua cuiusque ditione. *La.* Etiam abbatum? *Sa.* Hæreo: nam hi certis conditionibus accipiunt adminiſtrationem; nec poſſunt ſuos grauare conſtitutionibus, niſi ex auctoritate totius ordinis. *La.* Quid ſi epiſcopus iisdem conditionibus accipiat ſuam functionem? *Sa.* Addubito. *La.* Quod epiſcopus conſtituit, pontifex poteſt reſcindere? *Sa.* Opinor. *La.* Quod Pontifex decreuit, nemo poteſt abrogare? *Sa.* Nemo. *La.* Vnde igitur audimus, reſciſſas *n* pontificum ſententias, hoc titu-

k Odio. *l* Duo quidam cum in deſertis aſinum forte nacti contenderent, cuius eſſet; altercando eum iterum amiſiſſe ambo dicuntur. *m* inferni, æternæ damnationis. *n* Ita inter alios Hormiſda Pontifex ex cathedra Pontificali pronunciauit, eſſe nefandum ſemen zizaniæ diabolicæ, ſi quis dicat, vnum ex Trinitate carne paſſum, expellens etiam & damnans locutionis eius defenſores anno 520. Iohannes vero Pontifex anno 534. contrarium e cathedra Pontificali aſſeruit, & contradicentes ab Eccleſiæ communione eiecit. Sixtus V. veterem illam & vulgarem Biblio-

tulo, quod parum recte fuerint edocti; & priorum constitutiones a posterioribus antiquatas *o*, quod a pietate delirarent *p*? *Sa.* Ista subreptitia *q* sunt ac temporaria. Nam & in pontificem, vt hominem, cadit ignorantia personæ factiue. Cæterum quod ex auctoritate concilii vniuersalis proficiscitur, cœleste oraculum est *r*, & pondus habet par Euangeliis, aut certe proximum. *La.* Licetne de Euangeliis *s* dubitare? *Sa.* Bona verba; ne de conciliis quidem rite in spiritu sancto congregatis, peractis, editis & receptis. *La.* Quid si quis dubitet, an hæc competant in concilium, quod obiicitur: quemadmodum audio, Basiliense concilium a nonnullis reiici, nec omnibus probari Constantiense? loquor de his, qui nunc habentur orthodoxi, ne quid dicam de proximo concilio Lateranensi. *Sa.* Dubitent qui velint, suo periculo; ego nolo dubitare. *La.* Petrus igitur habuit auctoritatem condendi nouas leges? *Sa.* Habuit. *La.* Habuit & Paulus cum cæteris Apostolis? *Sa.* Habuerunt in suis quisque ecclesiis, a Petro, seu Christo commis-

rum editionem decreto Concilii Tridentini promulgatam Bulla approbauerat & omnibus sine omni dubitatione sub æternæ damnationis pœna recipiendam mandauerat: Clemens vero VIII. Bullam illam oppressit atque cum probro refixit. *o* abrogatas, sublatas, reprobatas, reiectas. *p* aberrarent, deflecterent, recederent. *q* irreptitia sunt, irrepsere, subrepsere. Diese Dinge haben sich heimlich eingeschlichen/so unversehens mit neben eingefunden/eingetrochen. *r* si consonet atque concordet cum verbo DEI. Es. VIII. v. 20. *s* Nunquid non dubitauerit Leo X. Pontifex, Cardinali Bembo, locum ex Euangelio citanti reponendo: O quantas diuitias nobis peperit ista fabula Iesu Christi.

missis. *La.* Et Petri successoribus par est potestas cum ipso Petro *t*? *Sa.* Quid ni? *La.* Tantundem igitur honoris debetur rescripto Romani pontificis, quantum epistolis Petri; & tantundem constitutionibus episcoporum, quantum epistolis Pauli? *Sa.* Equidem arbitror, etiam amplius *u* deberi, si præcipiant, & legem ferant cum auctoritate. *La.* Sed fasne est dubitare, an Petrus & Paulus scripserint afflatu diuini spiritus? *Sa.* Imo hæreticus sit qui dubitet. *La.* Idem censes de rescriptis & constitutionibus pontificum & episcoporum? *Sa.* De Pontifice censeo; de episcopis am-

t Pontifex Romanus non est Petri Successor, cum Apostolatus extraordinarium fuerit officium in Ecclesiæ successione haud continuatum. Petrus ex pacto, quod iniit cum Paulo, non gentilibus adeoque nec Romanis, sed Iudæis debuit euangelizare. Gal. II, 7. 8. Paulus, qui Romanis scripsit, multos sanctos salutauit & Romæ cum degeret, suorum coadiutorum salutem exteris nunciari iussit, nullibi Petro salutem impertit; quod haud dubie fuisset facturus si Petrus Romæ fuisset constans Episcopus, & per XXV. annos ibidem sedens primatum vniuersalem in omnes Ecclesias firmasset. Iuuat hic sentire cum Oweno, Anglorum Martiale:

An Petrus fuerit Romæ sub iudice lis est;
Simonem Romæ nemo fuisse negat.

Daß Petrus Rom gesehn wird ungewiß gelesen/
Gewisser aber ist/daß Simon da gewesen.

vt Iustus Siberus P. XV. p. 733. Owenum vertit. Si vel maxime autem concederetur Pontificem Petri esse successorem, ille tamen idem ius sibi vendicare haud posset: quia non quiuis, qui in locum succedit, etiam in ius succedit, quandoquidem a loco dignitas separari potest, & duo cum faciunt idem aut tenent, idem non est. *u* Serio hæc non dicit Erasmus, sed per Ironiam; alias horrenda foret blasphemia.

ambigo; nisi quod pium est, de nullo perperam suspicari, ni res ipsa palam clamitet. *La.* Cur spiritus citius patitur errare episcopum, quam pontificem? *Sa.* Quia grauius est a capite periculum. *La.* Si tantum valent præsulum constitutiones, quid sibi vult, quod Dominus in Deuteronomio tam rigide comminatur, ne quis quid *x* addat aut adimat legi? *Sa.* Non addit legi, qui latius explicat quod latebat, qui ea suggerit, quæ spectant ad legis obseruationem: neque detrahit, qui pro viribus audientium legem dispensat *y*, alia promens, alia celans pro ratione temporis. *La.* Non obligabant Pharisæorum ac Scribarum constitutiones? *Sa.* Non arbitror. *La.* Cur ita? *Sa.* Quia docendi habebant auctoritatem, non condendi leges. *La.* Vtra potestas videtur amplior? condendi leges humanas, an interpretandi diuinas? *Sa.* Condendi humanas. *La.* Mihi secus videtur. Etenim cui ius est interpretandi, huius sententia pondus habet legis diuinæ. *Sa.* Non satis assequor quod dicis. *La.* Dicam explanatius. Lex diuina iubet subuenire Parenti; Pharisæus interpretatur, hoc esse datum Patri, quod missum est in corbonam *z*, eo quod Deus sit Pater omnium. Nonne huic interpretationi cedit lex diuina? *Sa.* Ista quidem falsa interpretatio est. *La.* Sed posteaquam illis semel tradita est interpretandi auctoritas, vnde mihi *a* constabit, cuius sit vera

x aliquis, aliquid. *y* proponit, partitur. *z* oblationem, offertorium, donum DEO oblatum. Matth. VII. v. 5.
a Constabit ex sedula diuini auxilii & luminis implora-

ra interpretatio, maxime si ipsi inter se dissentiant? *Sa.* Si minus satisfecit tibi sensus communis, sequere præsulum auctoritatem; id tutissimum est. *La.* Ergo Pharisæorum & Scribarum auctoritas deuoluta est ad Theologos & concionatores? *Sa.* Est. *La.* Sed nullos audio frequentius inculcantes: *Audite, ego dico vobis*, quam eos, qui nunquam versati sunt in palæstris Theologicis *b*. *Sa.* Audies omnes candide, sed cum iudicio, modo ne simpliciter *c* insaniant. Tum enim oportet populum cum sibilo surgere, quo suam agnoscant dementiam. Cæterum quibus contigit titulus doctoris, his oportet fidere. *La.* Verum in his quoque comperio nonnullos multo rudiores ac stultiores *d* illis, qui prorsus sunt illiterati: & inter doctissimos miram video controuersiam. *Sa.* Elige quæ sunt optima; inexplicata *e* aliis relinquito, ea semper amplectens, quæ procerum & multitudinis consensus approbauit. *La.* Scio, istuc esse tutius. Sunt igitur & constitutiones iniquæ, quem-

tione, verborum propriorum ab impropriis distinctione, scopi, circumstantiarum, antecedentium & consequentium diligenti consideratione, atque locorum parallelorum fideique analogiæ collatione. *b* in Theologia. *c* aperte, manifeste. *d* Quanquam quod Vallæ olim in ore fuisse ferunt, plures sint Doctores, quam docti: nec tamen exiguus adeo est numerus eorum, in quibus titulus non fallat. Voss. Epist. 346. ad Vincent. Fabrit. *e* Magnifice & salubriter Spiritus S. ita scripturas sacras modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime alibi dictum reperiatur. August. lib. II. de Doctr. c. 6.

quemadmodum ſunt interpretationes falſæ? *Sa.* An ſint, alii viderint; arbitror, eſſe poſſe. *La.* Annas & Caiphas habebant poteſtatem condendi leges? *Sa.* Habebant. *La.* Num horum quauis de re conſtitutiones obligabant ad pœnam gehennæ? *Sa.* Neſcio. *La.* Puta Annam conſtituiſſe, ne quis reuerſus a foro ſumeret cibum, niſi loto corpore: qui illotus caperet cibum, num crimen gehenna dignum admitteret? *Sa.* Non arbitror, niſi contemtus publicæ poteſtatis crimen exacerbaret *f*. *La.* An omnia præcepta Dei obligant ad pœnam gehennæ? *Sa.* Non opinor. Nam Deus prohibuit omne peccatum, quamlibet veniale *g*, ſi Theologis habenda fides. *La.* Fortaſſis & veniale pertraheret in gehennam, niſi Deus ſua miſericordia ſubleuaret imbecillitatem noſtram. *Sa.* Non eſt abſurdum dictu; affirmare non auſim *h*. *La.* Cum Iſraëlitæ exularent in Babylone, præter alia plurima, quæ lex præſcripſit, in multis fuit omiſſa circumciſio. An omnes hi perierunt *i*? *Sa.* Deus nouit. *La.* Si Iudæus clam

f exaggeraret, augeret, grauius reddat. *g* Nullum enim peccatum ex ſe & ſua natura veniale, ſed ratione Euentus ob intercedentem Chriſti Mediatoris apprehenſi expiationem & ſatisfactionem. *h* Audet Apoſtolus Iac. II. v. 10. Quisquis totam legem ſeruauerit, offenderit autem in vno, omnibus tenetur præceptis. Ergo vel minimum peccatum æternam damnationem meretur; illam autem actu non infert propter vnionem fidelium cum Chriſto. Rom. VIII. v. 1, 33, 34. *i* Sacra multa erant, quæ Hieroſolymis ſolis erant celebranda. Circumciſionem vero neglexerat Moſes Exodi IV. v. 24, 25, 26. ſed ſine graui indignatione DEI; vt & populus Iſraëliticus in deſerto propter itineris moleſtias.

clam fame periclitatus vesceretur carne suilla, committeretne crimen? *Sa.* Mea quidem sententia, necessitas excusaret factum: quandoquidem ore Domini defensus est Dauid, quod contra legis præceptum comederit panes sacros, quos appellant propositionis *k*: nec solum comedit ipse, sed & fugæ comites profanos iisdem pauit. *La.* Si quem ea necessitas constringeret, vt aut pereundum sit fame, aut furtum committendum, vtrum eligeret? mortem, an furtum? *Sa.* Forsitan in eo casu furtum furtum non esset *l*. *La.* Hem quid audio? ouum non est ouum? *Sa.* Præsertim si caperet animo reddendi, placandique dominum, cum primum liceret. *La.* Quid si pereundum esset homini, nisi falsum testimonium ferat aduersus proximum? vtrum eligendum? *Sa.* Mors. *La.* Quid si commisso adulterio possit seruare vitam? *Sa.* Prior erit mors *m*. *La.* Quid si sim-

---

Contemtum autem temerarium sine vrgentissima necessitate admissum capitali pœna puniendum sanciuerat DEVS Genes. XVII,14. Qui itaque fuerint contemptores fœderis DEI, nec seriam egerint pœnitentiam, absque dubio perierint. Confer omnino Meisneri Anthropolog. S. Dec. I. Disp. VII. Quæst. I. p. 201. Si Moses censuisset simpliciter fore damnandos, qui circumcisi non fuissent, cum temporalis vitæ periculo in media peregrinatione eos circumcidi iussisset. *k* Matth. XII. v. 3. 4. Marci II,24,25. Luc. VI,3.4. *l* In extrema necessitate omnia fieri communia merito censent Moralistæ; & irrationabiliter inuitus Dominus pro inuito non habetur, aut censetur pro volente: volenti autem & iniuste nolenti hoc casu non fit iniuria. *m* Nulla tanta potest esse necessitas, quæ cogere possit ad falsum testimonium, scortationem, adulterium, periurium, mendacium, vtpote quæ per se mala sunt nec vlla ratione aut circumstan-

simplici stupro possis effugere mortem? *Sa.* Moriendum potius, vt aiunt. *La.* Cur heic ouum non desinit esse ouum; præsertim si nulla fiat vis aut iniuria? *Sa.* Fit iniuria corpori puellæ. *La.* Quid si periurio? *Sa.* Moriendum. *La.* Quid si simplici nullique noxio mendacio? *Sa.* Docent præoptandam mortem. At ego crediderim, graui necessitate, aut ingenti proposita vtilitate, mendacium huiusmodi aut nullum esse crimen, aut leuissimum, nisi qnod aperta fenestra periculum est, ne discamus & perniciosis mendaciis assuescere. Finge incidisse casum, vt innoxio mendacio possit seruare & corpora & animas totius patriæ suæ; vtrum eliget vir pius? fugiet mendacium? *La.* Quid alii sint facturi, nescio: ego vel quindecim Homerica mendacia non verear dicere, moxque labeculam illam abstergerem aqua sacra. *Sa.* Idem ego facerem *n*. *La.* Igitur non, quidquid Deus præcipit aut interdicit, obligat ad pœnam gehennæ? *Sa.* Non videtur. *La.* Modus igitur obligationis non est ab auctore legis tantum sed ex ma-

tia naturam suam exuunt vt sint non-scortatio, non-adulterium, non-periurium. *n* Non mendacium est veri nominis sed falsum Logicum, quod neque gloriæ diuinæ, neque saluti proximi nostri officit, contra vero salutem vniuersitatis alicuius ita promouet, vt alia ratione nunc quidem & hoc vel isto temporis articulo promoueri non possit. Contradictio autem est in adiecto, mendacium esse & simul innoxium, cum omne mendacium sit noxium, & quicquid non est noxium non sit mendacium. Dicis, non esse faciendum malum vt eueniat bonum? Petis principium, & supponis, quod est in quæstione; neque enim malum est, quod malum dicis. Circulum committis.

materia. Quædam enim cedunt necessitati, quædam non cedunt. *Sa.* Sic videtur. *La.* Quid si sacerdos periclitetur de vita, seruandus, si ducat vxorem? vtrum eliget? *Sa.* Mortem. *La.* Cum diuina lex cedat necessitati, cur hæc lex humana Terminum * agit, nulli dignans concedere? *Sa.* Non lex obstat, sed votum *o*. *La.* Quid si quis vouisset visere Hierosolymam, nec id posset, nisi certo vitæ dispendio? non ibit? an morietur? *Sa.* Morietur, ni voti relaxationem *p* impetrarit a pontifice Romano. *La.* Cur alterum votum relaxatur; alterum minime? *Sa.* Quia alterum solemne, alterum priuatum. *La.* Quid est solemne? *Sa.* Quod solet fieri. *La.* An non igitur solemne & alterum, quod quotidie fit? *Sa.* Fit, sed priuatim. *La.* Proinde monachus si priuatim apud abbatem profiteretur, non esset votum solemne? *Sa.* Nugaris. Ideo facilius relaxatur votum priuatum, quia minore offendiculo soluitur; & is, qui facit, hoc animo facit, vt si commodum sit, mutet sententiam. *La.* Hoc igitur animo vouent qui

* Fabula de Termino Deo, qui nec Ioui voluit concedere, notissima, ex Ouid. lib. II. Fastorum. Litigia nempe rusticorum post exactum Saturnum Terminus diremerat. Augustinus lib. IV. de Ciuit. Dei c. 23. scribit tres DEOS Ioui cedere noluisse: Terminum, Martem & Iuuentam.

o Neutiquam: non enim obligat votum temerarium aut ex coactione nuncupatum contra verbum DEI. Contra vero Coniugium teste Paulo ad Ebr. XIII. v. 4. honorabile inter quosuis habendum est; & ipsi Pontificii matrimonium pro sancto Sacramento habent. *p* Votum deuouendi se ad visendam a DEO abominationi subiectam terram superstitiosum est.

qui priuatim profitentur perpetuam castimoniam? *Sa.* Deberent. *La.* Perpetuum igitur & non perpetuum? Quid si Carthusianum monachum hic constringat casus, vt aut vescendum sit carnibus *q*, aut moriendum? vtrum eliget? *Sa.* Docent medici, nullas esse carnes tam efficaces, quin idem efficiat aurum potabile & gemmæ. *La.* Vtrum igitur conducibilius, gemmis & auro succurrere periclitanti, an earum rerum pretio multos de vita periclitantes seruare, & ægroto dare pullum gallinaceum? *Sa.* Hæreo *r*. *La.* Atqui piscium aut carnium esus *s* non ex eorum numero, quæ vocant substantialia. *Sa.* Carthusianos suo iudici relinquamus. *La.* Dicamus in genere. Diligenter, frequenter, multisque verbis inculcatur in lege Mosis sabbatismus *t*. *Sa.* Verum. *La.* Vtrum igitur succurram vrbi periclitanti violato *u* sabbato, an non? *Sa.* At interim me vis esse Iudæum? *La.* Volo, & quidem recutitum *x*. *Sa.* Istum nodum secuit ipse Dominus. Sabbatum enim hominis caussa est

q Carthusiani per totam vitam carne abstinent etiam in grauissimis & lethalibus morbis, ita quidem vt si quis eadem vesci velit, continuo e monasterio eiiciatur. *r* Dubius sum, anceps, suspensus sum animo. *s* Imo interdictio esûs carnium, Paulo I. Timoth. IV. iudice, est Diabolica. *t* Sanctificatio Sabbathi. Pertinet huc Henr. Ernstii Σαββατισμὸς seu Commentatio de Studiis diebus festis convenientibus Soræ 1601. in 4. impressa. *u* Non violatur tali casu Sabbathum; necessitas imminens non accersita aut ficta, sed per diuinam prouidentiam imposita non habet legem. *x* cute nudatum: per Synecdochen speciei eum designat, cui glans a cute resecta; Apellam; vt Horat. I. Satyr. V. Credat Iudæus Apella.

eſt inſtitutum, non contra. *La.* Iſta lex igitur valebit in omnibus humanis conſtitutionibus? *Sa.* Valebit, niſi quid obſtet. *La.* Quid ſi conditor legis non hoc animo ferat legem, vt quenquam obliget ad pœnam gehennæ, imo ne ad reatum quidem vllum, ſed conſtitutionem nihilo plus velit habere ponderis quam exhortationem? *Sa.* O bone, non eſt in manu conditoris, quantum obliget lex? Vſus eſt ſua poteſtate ferendo legem; cæterum ad quid obliget, aut non obliget, id Deo *y* in manu eſt. *La.* Cur igitur audimus quotidie parochos *z* noſtros e ſuggeſto clamantes, Cras ieiunandum ſub pœna damnationis æternæ; ſi nobis non conſtat, quomodo lex obliget humana? *Sa.* Id faciunt quo magis terreant contumaces: nam ad hos arbitror ea verba pertinere. *La.* Sed interim an contumaces talibus dictis territent, neſcio: certe infirmos vel in ſcrupula vel in periculum coniiciunt. *Sa.* Difficile eſt vtrisque conſulere. *La.* Eadem autem eſt vis conſuetudinis *a* & legis? *Sa.* Aliquando ma-

y Dei. Perinde eſt, ſiue Datiuum legas ſiue Genitiuum.
z concionatores, verbi diuini miniſtros. **Unſere Pfarrer/ Kirchen-Diener/ Prieſter/ Prediger.** *a* Conſuetudines leges ſunt non in charta ſcriptæ, ſed in animo & memoria omnium; & tanto gratiores quanto minus mandata ſunt aliorum, ſed arbitrium potius ſpontaneum & certa quædam libertatis ſpecies: atque adeo eadem communis conſenſio, quæ eas in rempublicam introduxit primum & quaſi vſu ipſo præſcripſit, eſt tenaciſſima; neque vllo modo cedit hic populus, quantumuis malæ ſint. Quamobrem maioris prudentiæ eſt *tolerare* eas, quam penitus tollere. Sauædra in Symb. Polit. p. 160.

maior est consuetudinis. *La.* Proinde tametsi non adest animus consuetudinem inducentibus iniiciendi laqueum cuiquam, tamen obligat volentes nolentes? *Sa.* Arbitor. *La.* Onus imponere potest, tollere non potest? *Sa.* Admodum. *La. Iam itaque vides*, opinor, *quantum sit periculi, nouas leges ab hominibus ferri, si nulla necessitas vrgeat, aut nulla magna inuitet vtilitas.* *Sa.* Fateor. *La.* Dominus cum ait: Nolite omnino iurare; num quemuis iurantem obnoxium facit gehennæ? *Sa.* Non arbitror. Consilium est enim, non præceptum *b*. *La.* At istud vnde mihi liquet, cum vix aliud accuratius aut seuerius interdixerit, quam ne iuremus? *Sa.* Disces a doctoribus. *La.* Et Paulus cum dat consilium *c*, non obligat ad gehennam? *Sa.* Nequaquam. *La.* Cur ita? *Sa.* Quia non vult iniicere laqueum infirmis. *La.* Est igitur in manu condentis, legem obstringere. Et sanctum est cauere, ne quibuslibet constitutionibus illaqueemus imbecilles. *Sa.* Est. *La.* Et, si Paulus heic cautionem adhibuit, multo magis sacerdotibus adhibenda; de quibus incertum, quo spiritu agantur. *Sa.* Fateor. *La.* Atqui paulo ante negabas, esse in manu conditoris, quatenus obstringeret lex. *Sa.* Iam consilium est *d*, non

lex.

b Imo & præceptum. Christus a Pharisæorum corruptelis repurgat præceptum secundum, prohibens iuramenta quæuis per creaturas, vt per cœlum, terram, Hierosolymam, aut per caput Matth. V, v. 34. seqq. & taxans non necessaria in familiaribus colloquiis ex leuitate intercurrentia. *c* Respicit ad locum I. Cor. VII, 25. *d* Consilium sumitur pro sententia animi seu opinione Act. XV, 37. Priori vero Epist. ad

lex. *La.* Nihil eſt facilius, quam commutare vocabulum. *Noli furari*, præceptum eſt? *Sa.* Eſt. *La.* *Noli omnino reſiſtere malo*? *e* *Sa.* Conſilium eſt *f*. *La.* At hoc poſterius magis habet ſpeciem præcepti, quam illud prius. Saltem hoc eſt epiſcopis in manu, vtrum velint eſſe præceptum, quod inſtituunt, an conſilium. *Sa.* Eſt *g*. *La.* At iſtud paulo ante fortiter negabas. Etenim qui non vult, ſuam conſtitutionem quenquam ad vllum crimen adſtringere *h*, nimirum *i* vult eam eſſe conſilium, non præceptum. *Sa.* Verum; ſed non expedit hoc ſcire vulgus, ne protinus clamitent, eſſe conſilium, quod ſeruare non libet *k*. *La.* At quid interim facies tot infirmis conſcientiis, tam miſere confuſis tuo ſilentio? Verum age, dic mihi, nullisne notis *l* docti deprehendere poſſunt, vtrum conſilii vim habeat conſtitutio, an præcepti? *Sa.* Poſſunt, ſicut audiui. *La.* Non *m* licet ſcire myſterium? *Sa.* Licet, niſi velis effutire.

La.

Cor. VII. c. v. 25, 40. habetur γνώμη, quod male vulgata vertit conſiliũ confundens cum βυλὴ, quas voces diſtinctas eſſe docet Ariſtot. lib. VI. Ethic. c. 10, 11. *e* ſc. quid eſt? Matt. V, 39. *f* Imo vero expreſſiſſime vetat, ne nos ipſos vindicemus, aut vim vi repellamus vindicta priuata. *g* Scilicet. Vbi vero hoc ius ipſis conceſſum eſt ex non peccato & licito peccatum, ex peccato illicito non-peccatum ſeu licitum facere? *h* vt conſtitutio ſua quenquam adſtringat, vel: vt ſua conſtitutione quiſquam adſtringatur ad vllum crimen. *i* omnino, vtique, certe, profecto. *k* Quaſi vero opus ſit mendaciis, ſi populus adſtringendus ſit ad obſeruationem præceptorum DEI! Contrarium aſſerit Sirac. c. 34. v. 8. *l* ſignis, characteribus, χαρακτῆρσι. *m* an non, nonne?

La. Ah,pisci * dixeris. *Sa.* Cum nihil audis, nisi: *hortamur, ordinamus, mandamus*, consilium est: cum audis: *iubemus, districte præcipimus*, præsertim si accedant minæ excommunicationis, præceptum est. *La.* Quid si debeam pistori meo, cumque soluendo non sim, refugere malim quam coniici in carcerem; num pecco criminaliter? *Sa.* Non arbitror: nisi desit soluendi voluntas. *La.* Cur igitur excommunicor? *Sa.* Istud fulmen territat improbos, non adurit *m* innocentes. Scis enim & apud priscos Romanos fuisse leges diras ac minaces, sed in hoc ipsum tantummodo latas; qualis illa fertur e duodecim tabulis, de dissecando corpore * debitoris: cuius ideo nullum exstat exemplum, quod non in vsum, sed ad terrorem esset prodita. Iam vt fulmen non agit in ceram aut linum, sed in æs: ita tales excommunicationes non agunt in miseros, sed in contumaces. Et tamen, vt ingenue dicam, in huiusmodi friuolis adhibere fulmen a Christo traditum, propemodum esse videtur, quod veteres dicebant, *in lente vnguentum n.* *La.* Num idem ius patrifamilias in sua domo quod episcopo in sua diœcesi *o*? *Sa.* Arbitror, proportione *p.*

---

* Pisces mutos esse, declarat prouerbium: Magis mutus est, quam piscis. Er ist stock-stille/Mäuse-stille / stille wie ein Mäusel. *m* percellit, ferit, lædit, combúrit insontes. * Vide Aulum Gellium de pœna talionis. *n* Lenticulæ, vili legumini, oleum aut vnguentum odoratum admiscere non conuenit. Das reimt sich/wie eine Faust auf ein Auge / i. e. es schickt sich nicht/ hat keine Art / ist ungereimt. Absonum, absurdum, ineptum est. *o* Ephoria, Episcopatu circulo suo, tractu. Stifft.

p. *La.* Et huius præscripta similiter obli-
it ? *Sa.* Quid ni ? *La.* Edico, ne quis
catur cæpis; quomodo periclitatur apud Deum
non paruerit? *Sa.* Ipse viderit. *La.* Post-
non dicam meis: *præcipio*, sed: *admoneo*. *Sa.*
ies *q*. *La.* Verum perspicio, vicinum meum
ximum esse periculo, & arreptum clam admo-
o, vt sese subducat ab ebriosorum & aleatorum
mmercio: ille monitorem aspernatus, perditius
cipit viuere, quam antea: num heic illum ob-
ingit admonitio? *Sa.* Videtur. *La.* Igi-
r neque consulendo, neque exhortando fugi-
us laqueum. *Sa.* Imo non adfert laqueum
lmonitio, sed admonitionis argumentum. Etenim
frater admonitus, vt crepidis vteretur, neglige-
t, nullo crimine teneretur. *La.* Non heic per-
inctabor, quantum obligent præscripta medico-
im. Votum *r* obstringit ad pœnam gehennæ?
a. Maxime. *La.* Omne? *Sa.* Omnissi-
ium *s*; modo sit licitum, legitimum ac liberum.
a. Quid appellas liberum. *Sa.* Quod nulla extor-
t necessitas? *La.* Quid est *necessitas? Sa. Est metus*
ca-

proportionate, secundum proportionem, pro proportio-
e. *q* Sapienter facies, ages. *r* An & votum reum
eit inferni, si non persoluatur? *s* Raros huiusmodi in-
uetæ Comparationis Superlatiuos collegit M. Elias Ma-
or in lib. de varianda Oratione Cap. I. Sect. II. p. m. 90.
eqq. v. g. geminissimus, taciturnissimus, vnissimus. Bernh.
ib. 5. c. 7. de Considerat. Seruilissimus, parissimus, bonissi-
mus, multissimus, paruissimus, minissimus, postremissimus,
nfantissimus, occisissimus, ipsissimus, sæpissimus, valdissi-
mus.

cadens in constantem virum. *La.* Etiam in Stoicum? quem si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ *t*. *Sa.* Istum Stoicum mihi ostende, & respondebo *u*. *La.* Sed extra iocum; num famis aut infamiæ metus cadit in constantem *x* virum? *Sa.* Quid ni? *La.* Si filia nondum emancipata *y* clam nubat insciis parentibus, nec passuris si sciant; legitimum erit votum? *Sa.* Erit. *La.* An sit, nescio: certe si qua sunt, hoc est vnum ex illorum numero, quæ licet vera sint, tamen ob scandalum imbecillium silenda sunt. Quid si virgo, quæ ex auctoritate parentum contraxit matrimonium cum sponso, clam & inuitis parentibus, voto semet addicat collegio sanctæ Claræ *z*; eritne licitum & legitimum? *Sa.* Si fue-

---

t Verba sunt Horatii ex odis. **Wenn gleich der Himmel einbräche / oder die Welt über einen Hauffen fiele.** *u* Omnes affectus tollere est hominem ex homine tollere velle. Nullus Stoicorum hoc assecutus est. Rectius Psaltes Spiritu omnipotentis imperterritus factus Ps. XLVI, 3. exclamat: ***Deus noster refugium & virtus. Propterea non timebimus dum turbabitur terra & transferentur montes in cor maris***; vt Vulgata habet. Secus ille, cuius Sueton. c. 38. in Vita Neron. Claud. mentionem iniicit, sentiebat: *ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρὶ*, Terra ignibus me misceatur mortuo; cui Nero ex animi truculentia non confidentia: Immo, inquit, *ἐμοῦ ζῶντος*; planeque ita fecit. *x* Seneca in Tractatu de Constantia Sapientis multis argumentis adstruere laborat, in sapientem non cadere iniuriam aut metum. *y* Emancipare est quempiam ex potestate & subiectione missum facere, asserere in libertatem omnimodam. **Aussetzen/ausstatten/** vt elocare, patria potestate soluere filiam. *z* Contradicit Apostolus I. Cor. VII, 39. Vxor alligata est lege, ***quam diu*** viuit vir ipsius. Clara

ierit ſolemne. *La.* Num ſolemne eſt, quod in
ʒro fit, in obſcuro monaſteriolo? *Sa.* Sic ha-
etur. *La.* Si eadem domi paucis teſtibus voto
rofiteatur perpetuam corporis integritatem, non
:it legitimum? *Sa.* Non. *La.* Quam ob
:m? *Sa.* Quia ſanctius votum obſtat. *La.*
adem puella ſi vendat agellum, valebit contra-
tus? *Sa.* Non opinor. *La.* Et valebit ſi
: ipſam dederit in poteſtatem alienam? *Sa.* Si
: Deo dicauerit. *La.* An non & votum priua-
ım dicat hominem Deo? Et qui ſuſcipit ſanctum
oniugii ſacramentum, nonne ſe dicat Deo? Et
ıuos Deus iungit, dicant ſe diabolo? De ſolis con-
ugibus dixit Dominus, Quos Deus iunxit, homo
ıe ſeparet. Ad hæc, cum adoleſcens vix dum pu-
eſcens, aut puella ſimplex, minis parentum, ſæui-
ia tutorum, improbis inſtinctibus monachorum,
ılanditiis & odiis protruditur in monaſterium;
ıum liberum eſt votum? *Sa.* Si ſint doli ca-
ıaces*. *La.* Ea ætas maxime capax eſt doli, vt
ui facillime poſſis imponere. Quid ſi proponam
in

rero Aſſiſienſis, Franciſci coætanea, patre milite, matre hor-
ılana, ſuperſtitioſiſſima muliere nata, inſtinctu Franciſci pa-
entes abſque cauſa deſerens noctu ad Mariam de Portiun-
:ula confugit, vbi a monachis recepta & tonſa ad Pauli tem-
ılum deducitur. Parentes iſtius negotii certiores facti
:um abducere conarentur, arripit illa altare & pertinaciſſi-
ne vitæ monaſticæ adhæret annos 42. Circa annum 1225.
ıouum ordinem pauperum virginum, Nauclero teſte, ere-
ıit, cui Innocentius IV. regulam præſcripſit, quique in Ob-
eruantinas, Reformatas & Vrbaniſſas diſpeſcitur. * Ita
oquuntur Iureconſulti. Alter ex ambiguo iocatur, quaſi
doli capax, qui dolo eſt idoneus.

in animo, diebus Veneris abſtinere à vino, perinde obſtringit propoſitum vt votum? *Sa.* Non arbitror. *La.* Quid intereſt inter certum propoſitum, & votum tacita cogitatione conceptum? *Sa.* Animus obligandi. *La.* Negabas ante, heic valere animum. Propono ſi queam; & voueo, ſiue queam, ſiue non queam? *Sa.* Habes. *La.* Habeo nebulas in pariete depictas, hoc eſt, nihil. Eſt igitur & in propoſito diſpicienda materiæ ratio? *Sa.* Opinor. *La.* Et vt illic a legis, ita heic a voti nomine cauendum? *Sa.* Recte. *La.* Si Romanus pontifex ſtatueret, ne quis iungat matrimonium intra ſeptimum propinquitatis gradum, admitteret crimen, qui duceret cognatam gradu ſexto? *Sa.* Opinor *a*; certe periclitaretur *b*. *La.* Quid ſi epiſcopus ſuis ediceret, ne quis haberet rem cum vxore, niſi die Lunæ, Iouis & Sabbati; committeret crimen, qui clam aliis diebus vteretur vxore? *Sa.* Arbitror. *La.* Quid ſi ediceret, ne quis bulbis * veſceretur? *Sa.* Quid iſtuc ad pietatem? *La.* Quia bulbi prouocant libidinem. Quod de bulbis dico, idem dictum puta de erucis. *Sa.* Hæreo. *La.* Quid hæres? Vnde eſt humanis legibus obligandi vis? *Sa.* Ex dictis Pauli, Obedite præpoſitis veſtris *c*. *La.* Hinc igitur obligat omneis epiſcoporum ac magi-

ſtra-

a Non opinor. *b* concedo, ſi iniuſtam tyrannidem reſpicias, cui ſubiaceret talis maritus ex violentia Pontificia. * Bulbus genus eſt cæpis. Et bulbus, & eruca prouocat venerem: Vnde Ouidius ſalaces vocat erucas. *c* Ebr. XIII, 17. Rom. XIII, 5.

stratuum constitutio? *Sa.* Modo sit æqua, iusta, & legitime lata. *La.* Sed istius rei quis erit iudex? *Sa.* Ipse qui condidit. *Nam eius est interpretari, cuius est condere legem d.* *La.* Ergo citra delectum *e* est obediendum quibuslibet constitutionibus? *Sa.* Opinor. *La.* Quid si præpositus stultus & impius ferat legem impiam & iniquam? ipsius iudicio standum erit; & populus, cui nullum est iudicandi ius, obtemperabit? *Sa.* Quorsum attinet ea somniare quæ non fiunt? *La.* Qui subuenit parenti, non subuenturus nisi lex cogeret, num impleuit legem? *Sa.* Non arbitror. *La.* Qui sic. *Sa.* Primum non satisfacit animo eius qui condidit legem: deinde voluntati impiæ *f* addit hypocrisin. *La.* Qui ieiunat, non ieiunaturus nisi præciperet ecclesia, num satisfacit legi? *Sa.* Mutas & auctorem legis, & materiam *g.* *La.* Confer igitur Iudæum sic ieiunantem diebus præscriptis, vt ni lex huc adigat, non sit ieiunaturus, cum Christiano seruante ieiunium ab hominibus indictum, haudquaquam seruaturo si legem tollas: aut si mauis, Iudæum abstinentem a carne suilla, & Christianum abstinentem a carnibus & lactariis die Veneris. *Sa.* In-fir-

d Optimus interpres verborum quisque suorum. *e* cæca obedientia. *f* Ἐξ ὅλης ψυχῆς quippe DEVS obedientiam sibi secundum legem præstari exigit, Luc. X. v. 27. ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας. *g* Ieiunia Pontificiorum a Romana Ecclesia indicta plane superstitiosa sunt, vtpote quæ pro opere meritorio & satisfactorio habentur, specie diuini cultus; & dierum obseruationibus & superstitioso quorundam ciborum discrimine celebrantur.

firmitati nonnihil reluctandi legi puto paratam esse veniam; certo proposito legem auersanti & obmurmuranti non item. *La.* Atqui fateris, leges diuinas non semper obligare ad pœnam gehennæ? *Sa.* Quid ni fatear *b*? *La.* Nec audes fateri, esse legem humanam, quæ non obligat ad eandem pœnam sed hominem relinquit in ancipiti? Videris igitur aliquanto plus tribuere legibus hominum, quam Dei. Mendacium & obtrectatio suapte natura sunt mala, & a Deo prohibita; & tamen fateris, esse aliquod mendacii & obtrectationis genus, quod non obliget ad pœnam gehennæ; nec audes eum, qui quomodocunque vescitur carnibus in die Veneris, liberare a pœna gehennæ? *Sa.* Non est meum, quenquam absoluere aut damnare. *La.* Si diuinæ leges & humanæ pariter obstringunt, quid igitur interest inter has & illas? *Sa.* Nimirum quod qui violat legem humanam, immediate peccat aduersus hominem, (si mihi concedis scholasticorum flosculis vti) mediate aduersus Deum: qui violat legem diuinam, contra. *La.* Quid refert, utrum prius miscueris, acetum, an absynthium, cum mihi vtrumque sit ebibendum? Aut quid refert, vtrum lapis a me vulnerato repercussus feriat amicum, an ordine verso? *Sa.* Hoc didici *i*. *La.* Et si ex

b Egregiam vero confessionem! cum maledictio promulgata sit omnibus, qui non manserint in *omnibus*, quæ scripta sunt in libro legis, vt ea faciant. Deut. XXVII, 26. Gal. III, 10. *i* percepi, intellexi, assequor. Læditur nimirum Deus vtrinque siue id fiat mediate siue immediate.

materia circumſtantiisque ſumitur obligandi
›dus in vtrisque legibus; quid intereſt inter au-
›ritatem Dei, & hominum *k*? *Sa.* Impia per-
nctatio. *La.* Attamen multi credunt, pluri-
ım intereſſe. Deus tulit legem per Moſen, nec
et violare; idem fert leges per Pontifices, aut cer-
Concilium: quid intereſt inter has & illas? Lex
oſis per hominem, leges noſtræ per homines. Et
dentur minus ponderis habere quæ Deus tulit per
ıum Moſen *l*, quam quæ ſpiritus ſanctus edit per
equens epiſcoporum & eruditorum concilium.
. De ſpiritu Moſis dubitare non licet *m*. *La.*
ıulus in epiſcoporum vicem venit. Quid igitur
tereſt inter Pauli præcepta, & cuiuslibet epiſcopi?
. Quia ſine controuerſia Paulus ſcripſit afflatus
iritu. *La.* Hæc ſcriptorum auctoritas quousque
porrigit? *Sa.* Arbitror, non vltra Apoſtolos,
iſi quod conciliorum eſt inuiolata auctoritas.
. Quare de Pauli ſpiritu dubitare non licet?
. Quia obſtat eccleſiæ conſenſus *n*. *La.* De
piſcopis dubitare licet? *Sa.* De his nihil te-
me-

Reſpondet apposite Sacerdos Heli I. Sam. II, 25. Si
›eccauerit vllus in alterum, iudicabit eum magiſtratus; ſed
in Iehouam, quis oret illum? *l* Blaſphemum eſt con-
liis adſcribere tantum quantum Moſi. Unius concilii
ogmata ab altero conſtat eſſe euerſa; & nihilominus omnia
)EI Spiritu acta? Belle quidem. Ergo ſimul Spiritu
ontradictionis & DEI concilia ſunt habita. Relegantur
adem opera Conſtantienſis, Lateranenſis & Baſileenſis
liorumque Conciliorum Acta ad amuſſim verbo DEI re-
ugnantia. *m* Licebit tamen de Spiritu Pontificis.
& immediata Spiritus S. inſpiratio ſeu Spiritus S. ipſe
ı Pauli Epiſtolis loquens.

mere suspicandum, nisi res ipsa palam clamitet quæstum, aut impietatem. *La.* Quid de conciliis? *Sa.* Non licet, si fuerint rite & per spiritum sanctum congregata, peractaque. *La.* Est igitur aliquod concilium, in quod ista non competunt? *Sa.* Esse potest. Quod ni esset, Theologi nequaquam adderent hanc exceptionem. *La.* Videtur igitur, & de conciliis dubitari posse. *Sa.* Non arbitror, posteaquam fuerint Christianarum gentium iudicio consensuque recepta comprobataque *o*. *La.* Posteaquam excessimus pomœria *, quibus Deus voluit circumscribi sacrosanctam illam & inuiolabilem Scripturæ auctoritatem, videtur mihi & aliud esse discrimen legum diuinarum & humanarum. *Sa.* Quod? *La.* Leges diuinæ *p* sunt immutabiles, nisi si quæ sunt eius generis, vt significandi coërcendiue *q* gratia videan-

o Vniuersalia concilia, si legitima nunquam acropolin salutis oppugnant, licet in leuioribus sæpe hallucinentur. Singuli in concilio sunt infallibiles; singuli vero fallibiles collecti & congregati infallibiles esse nequeunt, sicuti singuli famelici in vnum collecti propterea famelici esse non desinunt. Ecclesia non est Iudex Controuersiarum absolutus sed ad legem diuinam & testimonium Es. VIII, 20. adstrictus. Et notabilis est Ioh. Brentii responsio, quam dedit Ioh. Cochlæo, cum anno 1530. in Comitiis Augustanis in quadam causa religionis assereret: **Man müsse billich dem gehorchen / was die Mutter / die Kirche vor gut befindet.** Dixit enim Brentius: Quid si vero contra mandaret Pater? Zincgref. Apoph. pag. 238. * Id est, limites præscriptos. *p* morales. Matth. V, 18. *q* Vt Ceremonialis Galat. IV, 5. Ephes. II, 14, 15. Coloss. II, 14. & Forensis seu iudicialis Genes. XLIX. 10.

deantur ad tempus datæ, quas & prophetæ desituras iuxta carnalem sensum *r* prædixerunt, & Apostoli iam omittendas docuerunt. Deinde, inter leges humanas existunt nonnunquam iniquæ *s* stultæque *t* & pestilentes *u*; vnde & abrogantur vel auctoritate superiorum, vel consentiente neglectu populi. Tale nihil est in legibus diuinis. Rursus, humana lex suapte sponte cessat, vbi cessarit caussa propter quam lata est: veluti si constitutio iuberet singulos quotannis aliquid conferre in structuram templi, templo absoluto cessat rigor legis. Ad hæc, lex ab hominibus lata, non est lex, nisi fuerit vtentium consensu comprobata. Lex diuina nec expendi debet, nec potest abrogari. Quanquam & Moses legem laturus, suffragia populi collegit, non quod hoc esset necesse, sed vt illos magis haberet obnoxios. Impudens enim est, legem contemnere, quam tuo suffragio comprobaris. Postremo cum leges hominum, quæ fere corporalia præscribunt, pædagogi sint ad pietatem, cessare videntur,

r quod iuxta sensum carnalem sint desituræ. Philippus Melanchthon de Diuortio Regis Angliæ: Tenenda sunt, inquit, hæ Propositiones: (1) ex Lege Mosis nihil ad nos pertinet, sed quædam in lege nos obligant, quia sunt naturalia, (2) Lex Mosis non magis ad nos pertinet, quam ad illos, qui ante legem Mosis fuerunt. *s* vt illa Solonis, teste Plutarcho, qua statuit, filios e meretricibus genitos, suis parentibus alimenta non debere; quam quoque Romani in duodecim Tabb. legibus admiserunt. Vid. Iacobi Martini Polit. lib. I. p. 180. *t* Stulta est lex Indorum, qua iurato obligatur Rex Iaponiæ se effecturum, vt iusto tempore pluat, ne imbres, grandines noceant frugibus. *u* vt Sybaritarum: Nemo nostrum frugi esto.

tur, vbi quis profecit ad ſpiritus robur, vt iam talibus cancellis non egeat, modo pro virili vitetur ſcandalum infirmorum, non malitioſe ſuperſtitioſorum. Velut ſi pater præſcribat filiæ impuberi, ne bibat vinum, quo tutior ſit illius virginitas vſque ad nuptias *x*; cum adoleuerit, iamque viro tradita fuerit, non tenetur præcepto patris *y*. Multæ leges habent inſtar pharmacorum *z*, ea vero mutantur & cedunt *a* pro re nata *b*, ipſis etiam medicis approbantibus: qui ſi ſemper iisdem vterentur remediis a veteribus proditis, plures occiderent, quam ſanarent. *Sa.* Multa tu quidem congeris, quorum nonnulla placent, aliqua diſplicent, quædam non intelligo. *La.* Si lex epiſcopi quæſtum euidenter oleat, hoc eſt, ſtatuat vt ſinguli parochi bis in anno emant aureo ducato ius abſoluendi a caſibus, quos vocant Epiſcopales, quo plus extorqueat a ſuis; obtemperandum cenſes? *Sa.* Cenſeo; ſed interim clamandum aduerſus legem iniquam, excluſa ſemper ſeditione. Sed vnde hic mihi percunctator lanio? *Tractent fabrilia fabri c.* *La.* Huiusmodi quæſtionibus ſæpe torque-

x *Vino formæ perit, vino corrumpitur ætas,*
Vino ſæpe ſuum neſcit amica virum.

Propert. *y* niſi pietate reuerentiali per omnem vitam parentibus debita ſponte obedire velit. *z* φάρμακον eſt vocabulum ἐν τῷ μέσῳ tam pro veneno, quam ſalutifero medicamento poni ſolitum. *a* ſuccedunt, proſunt, conducunt. *b* nachdem es kömmt/ pro caſu, circumſtantiis obuenientibus. *c* ne Sutor vltra crepitam; quam quisque nouit artem in hac ſe exerceat. Strathonicus Citharoedus, natione Athenienſis, Minnaco fabro ſecum de Muſica diſceptanti: Non animaduertis, inquit, te ſupra malleum loqui. Vid. Apophthegm. Eraſmi lib. VI, p. m. 568.

quemur in conuiuiis: interdum diatriba *d* feruescit ad pugnam *e* & sanguinem. *Sa.* Pugnent qui volent: ego censeo, leges maiorum esse reuerenter suscipiendas, & obseruandas religiose, velut a Deo profectas; nec esse tutum, nec esse pium, de potestate publica sinistram concipere aut serere suspicionem. Et si quid est tyrannidis, quod tamen non cogat ad impietatem, satius est ferre, quam seditiose reluctari. *La.* Ista quidem ratione, fateor, bene consultum *f* rebus eorum, qui dignitate pollent *g*; & tecum sentio, nec illis inuideo. Cæterum lubens audiam rationem, qua consulatur & *h* populi vel libertati, vel commodis. *Sa.* Deus non destituet *i* populum suum. *La.* Verum vbi interim illa libertas spiritus, quam Apostoli promittunt ex Euangelio, quam Paulus toties inculcat, clamans: *Regnum Dei non est esca & potus; & quod filii non simus sub pædagogo, nec amplius seruiamus elementis huius mundi k*; aliaque innumera: si tanto pluribus constitutionibus onerantur Christiani quam Iudæi, & si arctius obligant hominum leges quam pleraque a Deo tradita præcepta? *Sa.* Dicam, Lanio. Non in hoc est Christianorum libertas *l*, vt liceat illis facere quæ velint, liberis a con-

d Διατριβὴ Disputatio, dissertatio, discursus. *e* incalescit ad verbera, a verbis deuenitur ad verbera sanguinolenta, cruenta. *f* est, prospectum est, cautum est. *g* Germanus dicit: Die was seyn/die in Ehren/Würden sitzen. *h* insimul, etiam, non minus, æque, pariter, iuxtim. *i* deseret. *k* Gal. II,4. III,23,24,25. *l* Christianorum libertas consistit (1) in liberatione a peccato & morte; (2) a lege morali, non quoad obedientiam, sed necessitatem perfe-

constitutionibus humanis: sed quod ex feruore spiritus ad omnia prompti, lubentes & alacres ea faciunt quæ præscribuntur, nimirum filii potius quam serui. *La.* Expedite: sed erant & sub lege Mosaica filii, & sunt sub Euangelio serui; atque adeo vereor ne maxima pars hominum *m*; si quidem serui sunt, qui lege coacti suum officium faciunt. Quid igitur discriminis inter nouam & veterem *n*? *Sa.* Meo iudicio, multum interest. Quod vetus sub inuolucris *o* docuit, noua sub oculos posuit: quod illa sub ænigmatibus *p* prædixit, hæc dilucidius ostendit: quod illa subobscure promisit, hæc exhibuit maxima quidem ex parte: illa tradita erat vni genti; hæc ex æquo docet omnes salutem: illa paucis prophetis & eximiis viris impartiit insignem illam & spiritualem gratiam; hæc omne donorum genus largiter effudit in omnium ætatum, sexuum, & nationum homines, linguas, sanationes, prophetias, miracula *q*. *La.* Vbi nunc igitur ista? *Sa.* Cessarunt, non interierunt; vel quia non est opus, iam euulgata Christi doctrina *r*; vel quia plerique titulo tantum Christiani, si-

ćte præstandi ad iustitiam consequendam, & quoad rigorem & obligationem ad pœnam; (3) in donatione Spiritus S. vberiori, eximentis miseram cæcitatem, illuminantis prædicatione Euangelii & viuificantis; (4) in liberatione a lege ceremoniali & multo magis traditionibus humanis, cultus gratia institutis, vt & necessitate legalia obseruandi de rebus mediis, qualia sunt delectus ciborum, obseruationes dierum & similia. *m* sc. serui sint. *n* sc. legem, inter Vetus & Nouum Testamentum, fœdus, pactum. *o* sacrificiorum typorumque tegumentis. *p* obscuriis. *q* Ioel II, 28. *r* ex quo iam euulgata, propagata est.

fide, quæ eſt miraculorum architectrix *s*, caremus. *La.* Si propter incredulos ac diffidentes opus eſt miraculis, talium nunc plena ſunt omnia. *Sa.* Eſt incredulitas ſimpliciter errans *t*, qualis erat Iudæorum obmurmurantium Petro *, quod Cornelii familiam recepiſſet ad Euangelii gratiam: qualis erat gentium, quæ religionem, quam a maioribus acceperant, putabant eſſe ſalutiferam, & Apoſtolorum doctrinam eſſe ſuperſtitionem peregrinam: hi conſpectis miraculis conuerſi ſunt. Nunc qui diffidunt Euangelio, tanta luce per vniuerſum orbem coruſcante *u*, non ſimpliciter errant *x*, ſed excæcati malis affectionibus nolunt intelligere, vt bene agant: hos nulla miracula reducerent * ad mentem meliorem. Et ſanandi tempus nunc eſt, puniendi poſt futurum eſt. *La.* Quanquam multa dixiſti ſatis probabiliter; tamen mihi propoſitum eſt, non fidere ſalſamentario; ſed adibo Theologum quendam eximie doctum: quidquid is de ſingulis pronunciauerit, cœleſtis oraculi *y* vice fuerit. *Sa.* Quis iſte? Pharetrius? *La.* Ille ſimpliciter delirat & ante annos *z*, dignus qui concionetur deliris aniculis. *Sa.* Bliteus *a*? *La.* An ego tam

---

s effectrix. **Der wunderthätige Glaube.** Miracula non mouerent, ſi ſolita eſſent; cum mira non eſſent. *t* naturalis & minus affectata. * Act. XI, v. 1, 2. *u* radiante, lucente, diffuſa. *x* incredulitate naturali omnibus congenita. * Eleganter Auguſtinus: Portentum eſt, qui adhuc portenta & miracula ad Euangelii doctrinam confirmandam flagitat. *y* enunciati, effati, eloquii, edicti. *z* iamiam complures. *a* ſc. an iſte Theologus eſt nomine.

tam loquaci sophistæ credam? *Sa.* Amphicholus *b*? *La.* Nunquam ei credam in soluendis quæstionibus, cui meo malo credidi carnes meas. An ille bona fide soluat problemata *c*, qui pessima fide nondum soluit pecuniam? *Sa.* Lemantius? *La.* Non vtor cæcis ad indicandam viam. *Sa.* Quis igitur? *La.* Si scire vis, Cephalus est, virtrium linguarum, & omnis politioris litteraturæ perpulchre gnarus, tum in sacris voluminibus & vetustis Theologis diu studioseque versatus. *Sa.* Dabo rectius consilium. Eas ad inferos; illic invenies Rabinum *d* Druinum, qui Tenedia *e* bipenni dissecabit omnes tuas quæstiunculas. *La.* Tu præi, quo mihi viam appares. *Sa.* Sed extra iocum. Estne verum, quod narras, datam potestatem vescendi carnibus? *La.* Ludebam, te vt vrerem *f*. Et, si Romanus Pontifex id vellet maxime, ordo salsamentariorum moueret seditionem. Deinde mundus est plenus Pharisaicis *g* homi-

b num ille est, quem adibis? *c* proposita ζητήματα die aufgeworffenen Fragen. *d* Rabinus, Magister & Doctor Ecclesiæ Iudaicæ a Rabbi, pro quo nonnulli Ribbi scribunt, quodque in terra Cananæa promotum denotabat, vti is qui extra terram sanctam promotus fuerat Raf nuncupabatur. Vnde Sira cum doceret adhuc in Babylonia Raf, postmodum Hierosolymam vocatus & solenni impositione manuum promotus, Rabbi dictus fuit. *e* Tenedi Rex olim securim gestans lites audire consueuit, causaque iudicata protinus eum, qui fecisset iniuriam, securi percussit. Hinc Tenedia bipenni dissecare dicuntur, qui seuere iudicant aut celeriter expediunt controuersias. *f* cruciarem, diuexarem, torquerem, vellicarem. *g* subdolis, fucatis, hypocritis, Matth. XXIII.

minibus, qui non alia re ſibi poſſunt vendicare ſanctimoniam, niſi talibus obſeruatiunculis: hi nec paterentur ſibi detrahi iam partam gloriam, nec ſinerent minoribus plus eſſe libertatis quam ipſis fuit. Ne in lanionum quidem rem eſſet *b*, permitti liberum quarumlibet rerum eſum. Tum enim varius eſſet euentus noſtræ negotiationis; nunc certius eſt lucrum, & minus aleæ * minusque laborum. *Sa.* Veriſſima prædicas; ſed eadem incommoditas ad nos rediret. *La.* Gaudeo, tandem inuentum aliquid, in quo ſalſamentario cum lanione conueniat *i*. Iam vt incipiam & ipſe ſerio loqui, quemadmodum fortaſſis expediret populum Chriſtianum paucioribus conſtitutiunculis obſtringi, præſertim ſi quæ non multum, aut nihil conducunt ad pietatem, ne dicam officiunt: ita non libet ab iſtis ſtare *k*; qui omnes omnium hominum conſtitutiones reiiciunt, neque *l* flocci faciunt. Imo ob hoc ipſum multa faciunt, quia præceptum eſt ne faciant. Attamen demirari non poſſum in pleriſque rebus præpoſtera mortalium iudicia. *Sa.* Idem nec ego ſatis admirari poſſum. *La.* Cœlum terræ miſcemus *m*, ſi quid periculi ſuſpicamur, ne *n* quid decedat ponderis ſacerdotum con-

---

b Es würde denen Fleiſchhackern auch nicht in ihren Krahm dienen/ recht ſeyn/ zuträglich ſeyn. * Id eſt, minus periculi. *i* Salſamentarius cum lanione conſentiat. *k* facere cum illis, ab illorum ſtare partibus. Es mit denen halten. *l* & ne quidem. *m* nihil non facimus. Es muß alles drüber und drunter gehen / wir wenden alle Mühe/allen Fleiß an. *n* poſt verbum ſuſpicationis periculi *ne* ſignificat: *vt.* Es möchte was abgehen.

conſtitutionibus auctoritatique: & dormitamus, cum imminet euidens periculum, ne tantum tribuamus hominum auctoritati, vt auctoritati diuinæ minus tribuatur quam oportet. Sic a Scylla declinamus, vt non metuamus Charybdim *o*, malum exitiabilius. Debetur epiſcopis ſuus honos; quis negat? præſertim ſi agunt, quod dicuntur *p*. Sed *impium eſt, honores ſoli Deo debitos transferre in homines, & dum impenſe reueremur hominem, parum revereri Deum. Honorandus Deus in proximo, venerandus in proximo; ſed interim adhibenda cautio, ne Deus per hanc occaſionem ſuo fraudetur honore. Sa.* Itidem videmus, multos in tantum fidere corporalibus cæremoniis, vt his freti negligant ea quæ ſunt veræ pietatis, ſuis meritis arrogantes *q* quod eſt diuinæ largitatis, & ibi conſiſtentes vnde gradus erat ad perfectiora *r*, & ex his *s* rebus proximum calumniantes quæ per ſe nec bonæ ſunt, nec ma-

---

o Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdin; de iis dicitur, qui alterum periculum euitaturi in alterum idque maius incidunt; die aus einem Extremo in das andere fallen / übel ärger machen / und aus dem Regen in die Trauffe kommen; vt ſi quis metuens ne prodigus habeatur, in ſordidi hominis notam veniat. Scylla autem nauim elidit, Charybdis immenſa altitudine abſorbet. Virgilius lib. III. Æneid. ſic intonat:

Dextrum Scylla latus, leuum implacata Charybdis
Obſidet: atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſusque ſub auras
Erigit alternos, & ſidera verberat vnda.
At Scyllam cæcis cohibet ſpelunca latebris
Ora exertantem & naues in ſaxa trahentem.

p ab ἐπισκοπεῖν, ab inſpiciendo, a ſuperintendendo. *q* tribuentes. *r* poterat progreſſus fieri, profici, veniri. *s* iis, illis.

malæ *t*. *La*. Quin in eadem re cum duo sunt, quorum alterum altero præstantius, semper deterioris est nobis potior ratio *u*. Corpus, & quæ corporis sunt, vbique pluris fiunt quam ea, quæ sunt animi. Et hominem occidisse, pro graui crimine ducitur, vt est: at pestifera doctrina, vipereis *x* instinctibus corrupisse mentem hominis, ludus est *y*. Si sacerdos alat capillitium *z*, aut vestem sumat hominis profani, rapitur in carcerem, acriter punitur: si bibat in lupanari, si scortetur, si ludat aleam, si vitiet alienas vxores, si nihil attingat sacræ lectionis *a*, tamen columna est ecclesiæ. Non excuso mutatam vestem *b*, sed accuso præposterum iudicium. *Sa*. Imo si non persoluat pensum *c* precum horariarum, paratum est anathema: si fœneretur, si simoniam admittat, impune est. *La*. Si quis videat Carthusianum aliter vestitum, aut vescentem carnibus, quam execratur, quam horret, quam timet, ne terra dehiscens *d* & spectatorem & spectatum absorbeat! idem si videat eum temulentum, mendacibus verbis in famam aliorum debacchantem *e*, manifestis dolis imponentem tenui vicino, nemo perinde abominatur. *Sa*. Veluti si quis videat Franciscanum enodi *f* cingulo cinctum, aut Augu-

t indifferentes, ἐν τῷ μέσῳ positæ, quamuis ratione circumstantiarum declinare possint vel ad turpe vel laudabile & honestum. *u* deteriora sequimur. *x* Satanicis. *y* iocus habetur. *z* Er läst sich das Haar lang wachsen. *a* mit dem Bibel-Lesen nichts zu schaffen haben/gar nicht in der Bibel lesen. *b* i. e. ab ipso esse, quod mutauerit vestem. *c* das obtiegende Stunden-Gebeth ablegen / den Feyerabend verfertigen. *d* hiare incipiens. *e* præ ebrietate furere, truncken Wetterstürmen. *f* nodo carens, glatt/ohne Knoten.

gustinensem non corio, sed lana cinctum, aut discinctum Carmelitam, aut cinctum Rhodiensem: rursus si percalceatum *g* Franciscanum, aut semicalceatum *h* Cruciferum: nonne concitaret *i* Tyria (quod dici solet *k*) maria *l*? *La.* Imo nuper apud nos ex duabus fœminis, quarum vtramque dixisses prudentem, altera abortiit, altera concidit syncope *m*, quod conspicerent Canonicum quendam sacris virginibus præfectum in propinqua vicinia, sed tamen in publico *n*, obambulare, qui vestem lineam non haberet tectam nigro pallio. At eædem crebro viderant aues eiusmodi comessantes, cantillantes, saltitantes *o*, non addam cætera, nec vllam sentiebant nauseam *p*. *Sa.* Sexui fortasse debetur venia. Opinor, tibi notum Polythrescum. Is ægrotabat periculose: phthisis *q* erat. Medici diu suaserant, vt vesceretur ouis & lactariis; sed frustra: eodem *r* cohortabatur Episcopus. Ille cum esset vir non indoctus, & Theologiæ baccalaureus, videbatur citius emoriturus, quam vtriusque medici consilio morem gesturus *s*. Ita visum est medicis & amicis, vt falleretur; parata est sorbitio *t* ex ouis & lacte caprino; dictum est lac amygda-

---

g völlig beschuhet. *h* halb beschuhet. *i* moueret, turbaret, misceret? würde er nicht auffrührisch machen? *k* in proverbio. *l* Pluralis pro Singulari. *m* Die Ohnmacht. Præceps lapsus omnium virium. *n* in platea, in foro. *o* Particip. pro Infinit. comessari, cantillare, saltitare. Singen und Springen. *p* ihnen grauete nicht. *q* corruptio, viscerum exulceratio. Schwindsucht/marcor, tabes. *r* ad idem. *s* obsecuturus. *t* potus sorbendus, sorbenda potiuncula.

gdalinum. Ille lubens comedit, & idem aliquot diebus faciens, cœpit habere meliuſcule, donec puella quædam fucum *u* prodidit. Ibi cœpit quod comederat reuomere. At idem ſuperſtitioſus in lacte *x*, nulla religione commotus eſt *y*, quo minus abiuraret pecuniam mihi debitam. Nam chirographum ſimpliciter exhibitum clam vngui ſciderat. Delatum eſt iusiurandum *z*; ego illi ceſſi. Is vero tam non grauatim recepit *a*, vt optare videretur quotidianas eiusmodi delationes. Quid hoc iudicio peruerſius? Peccabat aduerſus mentem eccleſiæ, qui *b* heic non obtemperarit ſacerdoti & medicis: & in periurio manifeſto firmam habebat conſcientiam, tam infirmus *c* in lacte. *La.* Heic mihi ſuccurrit fabula, quam nuper Dominicanus quidem narrauit in concione frequentiſſima, *d* quo ſermonis amaritudinem (nam in die paraſceues* exponebat mortem Domini) iucundiore narratione dilueret *e*. Virginem ſacram oppreſſerat *f* adoleſcens: vteri tumor arguit factum: conuocatus eſt virginum chorus, præſedit *g* abbatiſſa. Accuſata eſt. Inficiali ſtatui * non erat locus. Argumen-

u fraudem. *x* qui ſuperſtitioſus erat in lacte veſcendo. *y* adeo religioſus non erat, vt non abiuraſſet. *z* iuramentum. *a* adeo ægre non tulit. *b* vtpote qui hic non obſecundauerit. *c* ſcrupuloſus. *d* numeroſiſſima, populoſiſſima. * Dies Veneris Paraſceue eſt, qua crucifixus recolitur Saluator noſter meritiſſimus. *e* temperaret. *f* vitiauerat, ſtuprauerat. *g* præſidem egit. * Is eſt, quum factum negatur. Qualitatis, quum defenditur vt iure factum. Translationis, quum culpa facti transfertur in alium. Zum läugnen war kein Rath.

mentum erat neceſſarium *b*. Confugit ad ſtatum qualitatis, niſi mauis translationis. Oppreſſa ſum a valentiore *i*. At ſaltem exclamaſſes. Feciſſem, inquit, ſed in dormitorio nefas eſt ſoluere ſilentium *k*. Sit hæc fabula; modo fateamur, hoc ſtultiora geri permulta. Nunc dicam quod his oculis vidi. Nomen hominis locique ſilebitur. Habebam affinem Priorem Abbati proximum, ordinis Benedictini, ſed ex eorum numero qui non veſcuntur carnibus, niſi extra locum, quem appellant magnum refectorium. Habebatur doctus, & ipſe volebat haberi, annos natus fere quinquaginta. Certare poculis, & hilareſcere vino, erat illi quotidianum. Duodecimo quoque die adibat thermas publicas: illic dabatur opera purgandis renibus. *Sa.* Erat *l* vnde id fieret? *La.* Poſſidebat annue ſexcentos florenos. *Sa.* O paupertatem optabilem! *La.* Ex vino & venere incidit in phthiſin. Deſperantibus medicis Abbas imperabat eſum carnium, addens illud terribile verbum, ſub pœna inobedientiæ. Ille vix adigi potuit, vt moriens guſtaret carnes, a quibus tot annis non abhorruerat. *Sa.* Prior tali Abbate dignus. Diuino *m* tamen, quos dicas: nam eandem fabulam & ab aliis audire memini. *La.* Diuina. *Sa.* Nonne abbas eſt prægrandi obeſoque corpore, lingua ſublæſa *n*? Prior humiliore ſtatura, ſed erecta, graciIi

b Der Beweiß war da/ und unwiedertreiblich. *i* robuſtiore. *k* vociferari, clamare. *l* ipſi poſſeſſio, ſubſtantia. *m* Aſſequor, Auguror. *n* paululum blæſa, aliquantulum blæſa.

cili vultu? *La.* Diuinasti. *Sa.* Accipe par pari relatum *o.* Audies quod nuper ipse vidi, cuique non interfui solum, verum etiam propemodum præfui. Erant duæ monachæ, quæ visebant cognatos suos. Vbi venissent quo *p* volebant, famulus per *q* obliuionem reliquerat codicem precum iuxta consuetudinem ordinis & loci in quo viuebant. Deum immortalem, quanta illic perturbatio! Non audebant cœnare, nisi dictis precibus vespertinis *r*, nec sustinebant *s* ex alio codice dicere quam ex suo. Interim tota domus cœnaturiebat *t*. Quid multis? *u* Canterio recurrit famulus: sub multam noctem *x* adfert relictum codicem. Dicuntur preces, vixque ad decimam *y* cœnauimus. *La.* Hactenus nihil audio quod sit magnopere reprehendendum *z*. *Sa.* Nimirum dimidium duntaxat audisti fabulæ. Inter cœnandum cœperunt illæ virgines hilarescere vino: tandem risu soluto *a*, iocis parum pudicis perstrepuit conuiuium *b*; sed nemo licentius egit, quam illæ, quæ, nisi di-

o Audi; par pari referam, parile narrabo. *p* quorsum. *q* ex obliuione. Er hatte vergessen. *r* ante, quam dictæ essent preces vespertinæ. *s* volebant, Sie unterstunden / unterfiengen / erkühneten sich auch nicht. *t* cœnare volebant, cupiebant, laborabant, conabantur, omnes domestici. *u* dicam? breuiter. *x* seram noctem, bey später Nacht. *y* horam. *z* culpandum, vituperandum, taxandum. *a* risus solutus est. Es ist an ein Lachen gegangen. *b* in conuiuio perstrepuerunt ioci parum pudici. Man hat im Gastgebothe unkeusche Schertze gehöret; per Hypallagen. Das Gastgeboth ist von unzüchtigen Schertzen erklungen. Man hat gelachet und geschertzet / daß es geklungen hat.

dictis ex ordinis forma precibus, cœnare noluerunt. A conuiuio *c* lusus, choreæ, cantilenæ *d*; reliqua non audeo commemorare. Sed plane vereor, ne quid eanocte patratum sit parum virgineum, nisi me fallebant procœmia *e*, lasciui lusus, nutus & suauia. *La.* Istam peruersitatem non tam imputo virginibus, quam sacerdotibus, earum curam gerentibus. Sed age, fabulam fabula *f* pensabo; quin potius audies oculatam *g* historiam. Hisce diebus aliquot coniecti sunt in carcerem, quod ausi sint die Dominico panem coquere *h*, cum forte *i* deesset. Equidem non damno factum, sed excutio *k* iudicium. Aliquanto post die Dominico, qui vulgo Palmarum dicitur, forte erat *l* cur vicus propinquus mihi esset adeundus *m*. Ibi tum ad horam diei ferme quartam a prandio, obuium habeo *n*, ridiculumne dicam, an miserandum spectaculum; arbitror nulla Bacchanalia plus habuisse turpitudinis. Alii vacillabant *o* huc illuc vino *p*, non aliter quam nauis destituta *q* rectore iactatur ventis & fluctibus. Erant *r* qui complexi brachium alterius sustinebant lapsantem *s*; sed ipsi parum firmi: alii subinde *t* cadebant, ægre-

c peracto, post conuiuium. *d* fuerunt. Es ist an ein Spielen/Tantzen/Springen/Singen gegangen. *e* prolusiones, principia, initia, præludia, exordia. *f* fabulam alteram pensabo altera. *g* oculis visam, quam oculis hisce meis vidi. *h* pinsere, facere, backen. *i* forte fortuna. Ohngefehr. *k* examino, inquiro, perquiro. *l* forte fortuna erat causa. *m* in vicum propinquum mihi fuit eundum. *n* occurrit mihi, obuium deprehendo. *o* titubabant, nutabant. *p* ex, a, præ. Daumeln vom Weine. *q* carens, vacua. *r* sc. aliqui. *s* lapsui imminentem, pronum. Einen halten/daß er nicht falle/ wenn er fallen will. *t* ite-

ægreque *u* surgebant: nonnulli quernis *x* frondibus erant coronati. *Sa.* Magis conueniebat *y* pampineis *z*; tum addendi thyrsi *. *La.* Senior quidam Silenum ** agens, sarcinæ in morem sublimis gestabatur humeris, eo gestu *a* quo solent olim efferri cadauera, pedibus eo porrectis quo ibant; nisi quod pronus baiulabatur, ne vomitu præfocaretur supinus *b*. Is misere conuomebat suras & calcaneos extremorum baiulorum *c*. Nec inter baiulos quisquam erat sobrius; plerique ridebant, sed sic, vt facile diceres mentem abesse *d*. Bacchi furor habebat omnes. Atque hac pompa *e* ciuitatem ingressi sunt, idque clara luce. *Sa.* Vnde collegerant eam insaniam? *La.* In vico propinquo vinum paulo vilius *f* venditur, quàm in vrbe: eo se contulerant aliquot combibones, quo vilius insanirent *g*, sed largius. Non enim minus impensum est pecuniæ, sed plus contractum est dementiæ. Hi si gustassent ouum, velut *h* admisso par-

rum atque iterum, aliquoties, sæpe. *u* & vix, & difficulter. *x* quernea frons. Ein Eichen-Zweig/ Ast. *y* conuenisset, quadrasset, decuisset. *z* frondibus coronari, esse coronatis, esse coronatos. Pampineis frondibus thyrsisque instructus Bacchus, cui operabantur, pingi solet. * Hastæ viteæ, quas gestabant agentes Bacchanalia. ** Silenus apud Virgil. inducitur senex Epicureus: est & Deus comes Bacchi. Einen alten Sauffaus repræsentiren/ agiren / abgeben. *a* ritu, more. *b* si supinus iacuisset. *c* Elegans Hypotyposis, qua viuis coloribus depingitur vino somnoque sepultus & profundissimæ crapulæ immersus. *d* impotes esse mentis. *e* solennitate. *f* viliori pretio. *g* das mit sie desto weniger auf ihre Raserey/ Unsinnigkeit wenden dörfften/ daß sie es wohlfeiler hätten/ aber desto ärger treiben könten. *h* si admisissent parricidium.

parricidio pertracti fuiſſent in carcerem: cum præter omiſſam ſacram concionem *i*, præter neglectas preces veſpertinas *k*, in die tam ſacrato tantum intemperantiæ publicitus eſſet admiſſum; nemo puniit, nemo deteſtatus eſt. *Sa.* Atqui ne iſtuc tantopere mireris, in mediis vrbibus, in popinis templo proximis, diebus quamlibet feſtis, potatur, cantatur, ſaltatur, pugnatur *l* tanto ſtrepitu, tantoque tumultu, vt nec ſacrum peragi, nec ſacra concio poſſit exaudiri. Iidem ſi eodem tempore conſuiſſent calceum, aut ſi in die Veneris guſtaſſent ſuillam, capitis accerſerentur *m*. Et tamen dies Dominicus ob hoc potiſſimum eſt inſtitutus, quo vacaret *n* audire doctrinam Euangelicam: & ideo vetitum conſuere calceos, vt ſit otium concinnandis *o* animis. Annon hæc mira iudiciorum peruerſitas *p*? *La.* Prodigioſa *q*. Iam in ipſo ieiunii præſcripto cum duo ſint, alterum abſtinentia cibi, alterum delectus cibi, nemo neſcit *r*, prius illud præcepti diuini, aut certe iuxta præceptum diuinum eſſe; alterum vero non ſolum humanum, verum etiam propemodum * pugnans cum apoſtolica doctrina, vtcunque hoc excuſamus: tamen heic quoque præpoſtero iudicio, cœnare vulgo impune eſt, guſtaſſe cibũ ab homine vetitum, a Deo permiſſum, & item ab Apo-

---

i omiſſionem ſacræ concionis. *k* neglectum precum veſpertinarum. *l* geſungen/geſprungen/gerungen. *m* accuſarentur. *n* tempus eſſet. *o* ædificandis, exornandis; ad concinnandum animos. *p* Iſt das nicht wunderſeltſam verkehrt geurtheilet? *q* ſc. eſt iudiciorum peruerſitas. *r* nemo eſt, qui neſciat. * Mitigatio hæc per vocem: *Propemodum*, omittenda fuiſſet. Vere pugnat cum Apoſtolica doctrina delectus ciborum.

Apostolis, capitale est. Ieiunium tametsi non constat esse certo s praeceptum ab Apostolis, tamen illorum exemplis ac litteris commendatum est: at interdictum ciborum esum, quos Deus creauit ad vescendũ cum gratiarum actione s, vt tueamur apud iudicem Paulum, quot lemmatis* est opus? Et tamen toto passim orbe cœnatur affatim, nullis offenditur: si valetudinarius gustet pullum gallinaceũ, periclitatur Christiana religio. In Anglia vulgus Quadragesimæ tempore iustam cœnam apparat alternis diebus, nemo miratur: si febri periclitans t tentet attingere ius u pulli, plus quam sacrilegium admissum videtur. Apud eosdem in Quadragesima, quo ieiunio vt nihil antiquius, ita nihil sanctius habitum est apud Christianos, impune cœnatur, vt dixi: si tentes idem extra Quadragesimam die Veneris, nemo feret. Si quæras, quam ob rem? allegant patriæ consuetudinem. Execrantur eum qui regionis negligit consuetudinem: & ipsi sibi ignoscunt, qui negligant vetustissimam totius ecclesiæ consuetudinem. *Sa.* Nec probandus est, qui sine caussa negligit consuetudinem patriæ, in qua viuit*. *La.* Nec ego criminor eos, qui Quadragesimam cum Deo ventreque partiuntur, sed indico præposterum de rebus iudicium. *Sa.* Cum dies Dominicus præcipue legatur institutus, quo populus simul conueniret ad audiendum sermonem Euange-

ge-

s I. Tim. IV, 3, 4. * Id est, argumentis. Sed proprie argumentum facile, Lemma dicitur. t periculose laborans febri. u offam, iusculum. Hühner-Brühe/Suppe. Ius patinæ & iuris sunt nomine iura sub vno. * Si fueris Romæ, Romano viuito more, si fueris alibi, viuito sicut ibi.

gelicum, qui non audit missam*, abominabilis est: qui negligit concionem, malens pila ludere, purus est. *La.* Quantum flagitium admissum existimant, si quis sumat eucharistiam illotis faucibus *u*? quam nihil trepidant, cum idem faciunt illoto animo, peruersisque cupiditatibus sordidato? *Sa.* Quam multi sunt sacerdotes, qui citius mortem oppetant, quam sacrificent calice & patina nondum ab episcopo consecrata, aut quam sacrificent veste quotidiana? At inter hos qui sic affecti sunt, quam multos videmus qui non verentur ad sacram mensam accedere noctis proximæ crapula adhuc temulenti *x*? Quanta trepidatio, si forte contigerint corpus Domini ea manus parte quæ sacro oleo contacta non fuit? Quin *y* eadem religione *z* dispicimus, ne profanus animus offendat Dominum? *La.* Vasa sacra non attingimus, & piaculum *a* admissum arbitramur, si id forte acciderit; & interim viua templa sancti spiritus quam securi violamus? *Sa.* Humana constitutio vetat, ne nothus, claudus, aut luscus recipiatur ad sacra ministeria. Heic quam sumus difficiles? Et tamen interim passim recipimus indoctos, aleatores, temulen-

* In veteri Ecclesia Diaconus non-communicaturos dimittens, clara voce clamabat: Ite, missa est. Hinc Missæ vocabulum inoleuit. *u* labiis. Alias in prouerbio est: illotis manibus aliquid aggredi. Cœna Domini varia nomina in Scriptura & apud Patres sortitur, nempe dicitur: Mensa Domini, Communicatio corporis Christi, Communio, Corpus & Sanguis Domini, Fractio panis, Ἀγάπη, Σύναξις Ἐυχαριστία. *x* a crapula temulenti, ebrii. *y* quî non, cur non? *z* deuotione curamus. *a* piaculare peccatum, eine unverantwortliche Sünde.

lentos milites & homicidas. Dicunt: Latent nos animorum morbi. De occultis non loquor, de his loquor, quæ magis in propatulo sunt, quam vitia *b* corporis. *La.* Sunt & episcopi, qui ex functionibus nihil sibi vendicant, præter rationes, aliaque sordida; concionandi munus, quæ prima dignitas est episcopi, cedunt quamlibet sordidis; haudquaquam facturi, nisi præpostero iudicio tenerentur *c*. *Sa.* Qui festum diem violat *d* ab episcopo quopiam institutum, rapitur ad pœnam; & satrapæ quidam, qui tot constitutionibus pontificum & conciliorum, tot fulminibus fortiter contemtis, impediunt canonicas electiones, opprimunt immunitates ecclesiasticorum, ne his quidem parcentes domibus, quæ fouendis senibus *e*, ægrotis & egenis, ex priorum hominum eleemosynis institutæ sunt, abunde Christiani sibi videntur, si sæuiant in leuissimarum rerum præuaricatores *f*. *La.* Præstat satrapas missos facere *g*, loquique de salsamentis & carnibus. *Sa.* Assentior *h*; redeamus igitur ad ieiunium & pisces *i*. Audiui, Pontificum leges nominatim excipere pueros, senes, ægrotos, inualidos, grauem laborem sustinentes, grauidas, lactantes *k*, ac vehementer tenues *l*. *La.* Idem

&

b næui, defectus. De occultis autem non iudicat Ecclesia. *c* præposterum, peruersum iudicium haberent. *d* profanat. *e* ad curandos senes. *f* Verbrecher / Ubertreter. *g* zufrieden lassen / seyn lassen. Satrapa ein grosser Herr. *h* est Abundans Verbum; dicitur enim & Assentio, assensi. Ich gebe Beyfall / bin einerley Meynung. *i* Est formula Reuocationis. *k* est matris lactare, lactere infantis. *l* die gar sehr jarten kleinen / v. g. die Säuglinge.

& ipse frequenter audiui. *Sa.* Rursus audiui, præcellentem quendam Theologum, opinor Gersoni nomen esse *m*, hoc addere, si quid extiterit caussæ paris momenti, cum his *n* quæ pontificum leges nominatim excipiunt, similiter cessare vigorem *o* præcepti. Sunt enim corporum peculiares habitus *p*, qui reddunt capitaliorem *q* inediam *r* quam morbus euidens; & sunt vitia, morbiue, qui non apparent, cum reuera plus habeant discriminis *s*. Proinde qui sibi notus est, nihil *t* opus habet consulere sacerdotem, quemadmodum infantes non consulunt sacerdotem, quia causa eximit illos a lege. Et qui pueros, aut vehementer senes, aut alioquin inualidos, adigunt ad ieiunium, aut esum piscium, bis peccant: primum aduersus fraternam caritatem; deinde aduersus mentem *u* pontificum, qui nolunt, eos inuolui *x* lege, quibus obseruata *y* perniciem adferret. Christus quidquid instituit, ad sanitatem animi & corporis instituit. Nec vllus Pontifex sibi vendicat *z* tantam potestatem, vt sua constitutione quenquam adigat ad vitæ discrimen. Veluti, si quis ex inedia *a* vespertina contrahat insomniam *b*, & ob insomniam periclitetur pa-

m Gersonis sc. ei nomen esse, nomen ei esse Gersonem, id est, eum vocari Gersonem opinor. De Gersone vide supra. *n* casibus, rebus, caussis. *o* obligationem. *p* dispositiones, peculiaria temperamenta, rationes, Verfassungen. *q* nocentiorem, periculosiorem, mortiferam magis. tödtlich. *r* inedia. Die Nüchternkeit / wenn einer nichts gessen hat / gantz nüchtern bleibt. *s* periculi. *t* non opus habet. *u* sententiam. Sinn und Meynung. *x* obstringi. *y* si obseruaretur. *z* tribuit, arrogat. *a* abstinentia cibi. *b* peruigilium. Schlafflosigkeit / daß einer nicht schlaffen kan. ἀγρυπνία.

paraphronesi*, simul & aduersus ecclesiæ mentem, & aduersus Dei voluntatem, homicida est sui. Principes, quoties commodum est, edita lege minantur supplicium capitale. Quid illis liceat, non definio *c*: illud dicam, tutius facerent, si non infligerent mortem corporis *d*, nisi ob causas in diuinis litteris expressas. In odiosis Dominus longius auocat ab extrema linea *e*, velut a periurio, vetans omnino iurare; in homicidio, prohibens irasci: nos ob humanam constitutionem ad extremam homicidii lineam impellimus*, quam vocamus necessitatem. Imo quoties apparet causa probabilis, caritatis est, vltro hortari proximum ad ea, quæ postulat corpusculi imbecillitas. Et si nulla apparet causa, tamen Christianæ caritatis est benigne interpretari quod recto animo fieri potest, nisi qui comedit, præ se ferat *f* manifestum ecclesiæ contemtum. Contumaciter ac seditiose *g* vescentes recte punit magistratus profanus; at quid quisque domi suæ pro corpusculi sanitate comedat, medicorum est

* Deliratione: id est, leuiore insania; wenn einer verrückt/ verwirrt im Kopffe ist. *c* determino, decido, diiudico, circumscribo limitibus, finibus. *d* mulctarent morte corporis; an Leib und Leben straffen. *e* extremitate, extremo gradu. Von dem äusersten Grade/ von der äusersten Stuffe / Staffel; vor dem was das äuserste und letzte ist. v. g. amoris linea prima est videre, secunda alloqui, tertia contingere, quarta osculari, extrema potiri amasiam. Vel vt Kornmannus in Linea Amoris rem secundum versic. deducit:

Visus, Colloquium, Conuictus, Oscula, Factum.

* impingimus, offendimus, allidimus. *f* ostendat, speciem præbeat manifesti contemptus. *g* ex contumacia & seditione.

est curare, non magistratuum *b*. Quod si quorum *i* improbitas hinc quoque concitet tumultum, ipsi seditionis accersantur, non is qui seruiuit valetudini, nec diuina, nec humana lege violata *k*. Heic certe non in loco prætexímus auctoritatem pontificum, quorum tanta est humanitas *l*, vt vbi cognoint causam haud absurdam, vltro inuitent ad ea quæ postulat valetudo, diplomatis *m* arment aduersus malorum obtrectationes. Denique per vniuersam Italiam patiantur in certis macellis vendi carnes, nimirum illorum saluti consulentes, quos illa lex non adstringit. Quin *n* & in concionibus sacris audiui Theologos paulo minus *o* Pharisaicos dicere: Nihil est quod vereamini cœnæ tempore sumere panem vnum, & heminam * vini cereuisiæue propter imbecillitatem humani corporis. Si tantum sibi sumunt auctoritatis *p*, vt pro cœna cœnulam indulgeant validis, idque contra præceptum ecclesiæ, quæ ieiunium indixit, non cœnulam; cur non audent iustam cœnam permittere iis, quorum imbecillitas hoc requirit, & pontifices expressis causis declararunt sibi placere? Dicitur zelus, si quis durius tractet corpus suum: nam sibi quisque notus est: at vbi pietas, vbi caritas istorum, qui

b opus, officium est, vt curent. *i* quorundam malitia. *k* & nec diuinam, nec humanam legem violauit, transgressus est. *l* quorum humanitas tanta est, quibus tanta est humanitas. *m* & priuilegiis, dispensationibus, bullis muniant, instruant. *n* imo, *o* parum Pharisaicos, non adeo Pharisaïcos. * Mensuræ genus, sextarii dimidium. Halb Nösel. *p* libertatis, potestatis. Wenn sie sich zu viel heraus nehmen.

qui contra legem naturæ, contra legem Dei, contra ſenſum legis pontificiæ, fratrem imbecillem, ſpiritu promtum, corpuſculo infirmum, ad mortem adigunt, aut morbum morte duriorem? *La.* Suggerit mihi tua commemoratio *q* quiddam, quod ante biennium vidi. Erotem *r* noſti, virum iam natu grandem, videlicet ſexagenarium: valetudine plus quam vitrea *s*, tum *t* quotidianis morbis, iisque atrociſſimis, grauiſſimisque ſtudiorum laboribus ſic afflicta, vt vel Milonem *u* poſſint deiicere; ad hæc occulta quadam naturæ proprietate, vel a puero ſic abhorrens a piſcium eſu *x*; & impatiens inediæ, vt nunquam id tentarit absque capitis diſcrimine: poſtremo diplomatis pontificum abunde communitus *y* aduerſus Phariſaicas linguas. Is nuper eo vocantibus amicis, inuiſerat ciuitatem Eleutheropolim *, non omnino ſuo nomini reſpondentem. Erat autem Quadrageſimæ tempus: datus eſt vnus atque alter dies amicorum affectibus. Interim veſcebatur piſcibus, nequem offenderet *z*, cum haberet præter neceſſitatem

q narratio, mentio. *r* Den lieben Freund. Ἔρως enim amor eſt; vnde Ἐρώτης. Eros, Erótis Comœdus fuit, cuius meminit Cicero pro Roſcio. *s* fragili, infirma. Eſt Ablatiuus ſtatum viri deſignans. *t* eo tempore, tunc temporis. *u* robuſtiſſimum, gigantem, validiſſimum. Milo enim Crotoniates athleta, qui taurum in Olympico certamine ictu nudæ dextræ occidiſſe dicitur, & ſine fatigatione per ſtadii ſpatium ſupra humeros portaſſe. *x* erat mox, ſtatim, etiam a pueritia abhorrens & impatiens. *y* inſtructus, armatus erat. * Id eſt, libera ciuitas. Frey-Stadt / Freyheits-Stadt. *z* ſc. Erotes, Er aß Fiſche/damit er niemanden ein Anſtoß seyn möchte / einen Anſtoß gäbe/ärgerte.

tem *a* a pontifice diploma, per quod licebat vesci quibuslibet. Iam præsentiebat morbum imminentem, quem habebat familiarem, sed morte crudeliorem: parat abitum, & res vrgebat, nisi maluisset ibi decumbere. Ibi quidam suspicantes, illum hoc maturius abire, quod non ferret esum piscium, effecerunt, vt Glaucoplutus *b*, vir apprime doctus, & primæ in ea Republica auctoritatis, Erotem inuitaret suum ad ientaculum. Eros iam turbæ satur, quam in publico diuersorio vitare non poterat, assensus est; sed hac lege, ne quid esset apparatûs *c* præter oua duo: quæ stans, vbi comedisset, equum conscenderet. Promissum est ita fore. Vbi eo venit, paratus erat pullus gallinaceus. Eros indigne ferens, præter oua nihil attigit; & abrumpens conuiuium, conscendit equos, deducentibus eruditis aliquot *d*. Eius pulli nidor nescio quo modo peruenerit ad sycophantas *. Ab his rumor sparsus est tam atrox, ac si decem homines fuissent veneno necati. Nec ea ciuitas modo perstre-

---

a zum Uberflusse/noch darzu/ohne Noth/unnöthiger Weise/ex abundanti. *b* Glaucoplutus i. e. diues Glaucorum. Der reich ist/der einen grossen Vorrath an Meerstichlingen hat. Glaucus enim aculeatus piscis est, dorso ceruleo, ventre candidissimo. Plin. lib. IX. c. 16. Glaucus poto melle reuixit. Prov. quoties quis vulgari rumore dictus mortuus denuo prodit in publicum. *c* aliquis esset apparatus, aliquid apparatum esset, daß nicht was zubereitet worden seyn möge; daß nicht etwa eine Zubereitung möchte geschehen seyn. *d* educentibus, comitantibus. * Delatores, calumniatores, suggillatores. Angeber/Zuträger/Blau-Strümpffe. Cum Athenis vetitum esset efferre ficus, qui eos deferebant accusabantque, Sycophantæ dicti sunt.

ſtrepuit hæc fabula; ſed eodem ferme die rumor ad alias ciuitates tranſuolârat, quæ aberant itinere tridui. Atque, vt fit, rumor aliquid veris addiderat, Erotem, ni propere fugiſſet, accerſendum fuiſſe ad magiſtratum. Hoc vt erat falſiſſimum, ita verum erat, Glaucoplutum magiſtratui expoſtulanti ſatisfeciſſe. Iam Eros ſic affectus *e*, vt dixi, ſi vel in publico carnibus veſceretur, quis deberet offendi? Et tamen in eadem ciuitate totam *f* Quadrageſimam, ſed præcipue diebus feſtis, bibitur vsque ad inſaniam, clamatur, ſaltatur, pugnatur, luditur alea proxime *g* templum, vt ſacra concio non poſſit audiri; & nullum eſt offendiculum. *Sa.* Mira iudiciorum peruerſitas *h*. *La.* Accipe fabellam huic non diſſimilem. Iam ferme biennium eſt, quod idem Eros valetudinis ergo viſeret Feruentiam; ego officii gratia comitatus ſum. Diuertit in ædes veteris amici, cuius crebris litteris fuerat euocatus. Is eſt vir præpotens, & illius eccleſiæ procerum vnus. Ventum eſt ad piſces; rurſus Eros cœpit periclitari: agmen morborum erat, febris, cephalalgia *i*, vomitus, calculus. Hoſpes tametſi videret grauiter periclitantem amicum, non auſus eſt tamen carnium micam dare amico. Quam ob rem? Videbat tot cauſas cur liceret, viderat diploma; ſed metuebat lin-

e **Da es mit dem** Erote **ſo beſchaffen/ bewandt war / da es ſo mit ihm ſtand/ausſahe.** *f* per. *g* prope. *h* ſc. eſt. **Die Urtheile ſind ſehr verkehrt.** *i* dolor capitis. Eros hic procul dubio ipſe fuit Eraſmus, qui piſcium vel ſolo odore offendi ſolebat, & tenerrimæ valetudinis vir ſæpius cephalalgia, febri & calculo laborabat.

linguas hominum. Et iam eo profecerat morbus, vt frustra daturus fuerit. *Sa.* Quid Eros? Noui hominis ingenium: emoriatur citius, quam amicorum vlla grauet inuidia. *La.* Inclusit se cubiculo, triduum victitauit suo more. Prandium erat ouum vnum, potus aqua sacchаro decocta. Simulatque se *k* remiserat febris, conscendit equum, secum deferens commeatum. *Sa.* Quem? *La.* Lac amygdalinum in lagüncula *l*, & vuas passas *m* in crumena. Vbi domum rediit, tum aperuit sese calculus, totumque mensem decubuit. Et tamen hunc quoque abitum sæuus, sed vanus, carnium rumor sequutus est, & Lutetiam vsque perlatus, non sine frequenti splendidorum mendaciorum comitatu. Quod tu remedium arbitraris idoneum talibus offendiculis? *Sa.* Vt in illorum capita cuncti suas matulas effundant, & si forte occurrant, obturatis naribus prætereantur, quo vel sic agnoscant suam vesaniam. *La.* Certe hanc Pharisaicam impietatem oportebat acrius Theologorum conuiciis flagellari. De hospite vero illo quid censes? *Sa.* Mihi vir prudens videtur, qui norit quam friuolis de caussis quantas tragœdias interdum excitet populus. *La.* Sit hoc sane prudenter factum, & boni viri metum ciuiliter interpretemur: at quam multi sunt, qui cum in simili casu fratrem mori patiantur, ecclesiæ consuetudinem & po-

k *Se* Pleonastice potest abundare, aut per Ellipsin omitti. Talia Verba sunt: Erumpo, Exæstuo, Emergo; vt: Lis sæpe erumpit se in cædes. Serpens se emergit. *l* lagenula. *m* Kleine Rosinen / Corinthen.

populi scandalum prætexunt; cæterum in vita palam dedecorosa, quam agunt in comessationibus, in amoribus, in luxu, in otio, in summo contemtu sacrorum studiorum, in rapinis, simoniis & fraudibus, nihil formidant populi scandalum! *Sa.* Omnino tales sunt quidam. Quod isti pietatem appellant, immanis & impia credulitas est. Sed illi mihi videntur crudeliores, qui non ex occasione relinquunt hominem in periculo, sed inuentis periculis veluti laqueis, impellunt multos in corporis animique manifestum discrimen, præsertim nulla publica auctoritate pollentes *n*. *La.* Exspecto quid dicas. *Sa.* Ante annos triginta vixi Lutetiæ in collegio, cui cognomen ab aceto. *La.* Sapientiæ * vocabulum audio. Quid vero narras? Vixit salsamentarius in eo collegio tam acido? Non mirum igitur, si tantum tenet quæstionum Theologicarum. Nam illic, vt audio, parietes ipsi mentem habent theologicam. *Sa.* Sic est, vt dicis; ego tamen præter corpus pessimis infectum humoribus, & pediculorum largissimam copiam, nihil illinc extuli. Verum vt pergam, quod cœpi; In eo collegio tum regnabat Ioannes Standoneus, vir in quo non damnasses affectum, sed iudicium omnino desiderasses *o*. Etenim quod ipse memor adolescentiæ, quam cum extrema paupertate transegerat, rationem habebat pauperum, vehementer probari debet. Et

n valentes. * Alludit ad locum *Plautinum*: Habetne acetum in pectore? Et, Acri ingenio, dicimus. *o* Die Meynung war gut/aber es fehlte ihm am Iudicio.

Et si iuuenum inopiam hactenus subleuasset *p*, vt honestis studiis suppeteret rerum vsus *q*, non ad lasciuiam exuberaret copia *r*, laudem merebat. Cæterum quod rem aggressus est cubitu *s* tam duro, victu tam aspero parcoque, vigiliis ac laboribus tam grauibus, vt intra annum prima experientia multos iuuenes *t*, felici indole præditos, ac spem amplissimam præ se ferentes, alios neci dederit *u*, alios cæcitati, alios dementiæ, nonnullos & lepræ, quorum aliquot ipse noui, certe nullus omnium non periclitatus est; quis non intelligat esse crudelitatem in proximum? Nec his contentus, addidit pallium & cucullam, ademit in totum *x* esum carnium. Et huius generis plantaria *y* transtulit in longinquas regiones. Quod si quisque tantum permittat suis affectibus, quantum ille permisit, futurum est *z* vt istorum similes totum occupent mundum. Siquidem a talibus initiis primum orta sunt monasteria, quæ nunc minitantur *a* pontificibus & monarchis. *In proximi ad pietatem resipiscentis lucro gloriari b, pium est; in veste aut cibo gloriam quærere, Pharisaicum est:* proximorum inopiam subleuare, pietas est; prospicere ne liberalitate bonorum abu-

tan-

---

p succurrisset inopiæ, indigentiæ. *q* **daß sie was auffs Studieren hätten wenden dörffen.** *r* vt lasciui facti non fuissent per copiam, abundantiam. **Daß sie nicht wären liederlich worden.** *s* strato, cubili. *t* multorum iuuenum felici indole præditorum. *u* **todt/blind/närrisch/aussätzicht gemacht;** fecerit cæcos, dementatos, leprosos. *x* prorsus sustulit, vetuit. *y* **Pflantz-Gärten.** *z* fiet. *a* formidabiles sunt, formidinem iniiciunt, incutiunt. *b* de lucro sibi placere. **Sich freuen/daß man den Nechsten gewonnen hat.**

tantur ad luxum, disciplina est. Cæterum in morbos in delirationem, in mortem, his rebus impellere fratrem crudelitas est, parricidium est. Abest fortasse voluntas occidendi, at non abest homicidium. Quæ igitur istis debetur venia *c*? Nimirum quæ medico, qui per insignem imperitiam occidit *d* ægrotum. Dicet aliquis; Nullus illos cogit ad hoc vitæ genus: sponte veniunt, rogant admitti *d*, & liberum est abire pertæsis *e*. O Scythicam *f* responsionem! Itane postulant, vt adolescentes rectius perspiciant, quid ipsis conueniat, quam vir doctus, rerum vsu tritus *g*, & ætate prouectus? Sic sese excuset lupo, qui famelicum *h* ostensa esca *i* pellexit in retia. An qui vehementer esurienti apponat cibum insalubrem aut lethiferum etiam, ita semet excusabit pereunti? Nemo te coëgit edere, volens ac lubens deuorasti quod erat appositum. Nonne is iure respondeat? Tu non cibum dedisti, sed venenum. *Telum ingens necessitas, graue tormentum fames k.* Auferant igitur illa magnifica verba: Libera erat electio. Imo magnam vim *l* admouet, quisquis talibus vtitur tormentis. Nec ea sæuitia tantum perdidit tenues *m*; sustulit non paucos diuitum filios, & generosam indolem deprauauit. *Ætatem n lasciuientem moderatis rationibus*

c excusatio. *d* interficit, énĕcat. *d* vt admittantur. *e* si fuerint pertæsi. Wenn sie es überdrüßig haben. *f* barbaram, inhumanam, ferocem, sæuam, agrestem. *g* experientia longa edoctus, subactus. *h* scil. lupum, non esurit. *i* ostendendo escam, inescando. *k* In der Noth isset man / was man hat; saure Holtz-Aepffel. *l* ille, omnis. *m* sed. *n* adolescentiam, iuuentutem.

bus cohibere, paternum est. Cæterum in medio hiemis rigore datur postulantibus paululum panis, potus iubetur e puteo peti, qui aquam habet pestilentem, pestiferam alioqui, etiamsi nihil haberet præter rigorem matutinum. Noui multos, qui valetudinem *o* ibi contractam nec hodie possunt excutere *p*. Erant aliquot cubicula humili solo, putri gypso, vicinia *q* latrinarum *r* pestifera. In his nullus vnquam habitauit, nisi aut mors, aut morbus capitalis fuerit consequutus. Omitto nunc miram flagrorum carnificinam *s*; etiam in innoxios. Sic aiunt dedisci ferociam *t*; ferociam appellant indolem generosiorem, quam studio frangunt, vt eos reddant habiles monasteriis. Quantum ibi deuorabatur ouorum putrium! quantum vini putris hauriebatur! Sunt fortassis hæc iam correcta, sed sero, videlicet iis qui perierunt, aut corpus circumferunt infectum *u*. Neque vero hæc commemoro, quod male velim illi collegio, sed operæ pretium esse *x* iudicaui monere, ne sub vmbra *y* religionis humana sæuitia corrumpat ætatem imperitam ac teneram. Iam quantum ibi discatur ciuilitatis aut veræ pietatis, in præsentia *z* non excutio. Quod si viderem malitiam exuere *a* quicunque cucullam induunt, hortarer omnes ad cu-

o aduersam, ægritudinem. *p* liberari valetudine, quam contraxerant. *q* ex vicinia, propter viciniam. *r* cloacarum. *s* flagra carnificis in morem. Das Hencker-mäßige Geisseln und Peitschen. *t* Frechheit/ Muthwillen/ wilde Art. *u* labefactum, ægrum. *x* dignum esse opera pretium. Es verlohne sich der Mühe / sey der Mühe werth. *y* specie, fuco. *z* nunc, iam. *a* eos.

cucullam. Nunc alia res eſt; proinde non ſunt ad hoc vitæ genus frangendi ſpiritus ſuppullulantis *b* ætatis, ſed animus magis ad pietatem educandus. Mihi vix contigit vllum ingredi monaſterium Carthuſianorum, quin illic offenderim vnum atque alterum aut ſimpliciter mente captum, aut delirantem *c*. Verum iam dudum tempus eſt, vt a tam longa digreſſione redeamus ad inſtitutum *d*. *La.* Imo nullum eſt digreſſionis diſpendium; rem ipſam egimus *e*: niſi ſi quid tibi forte ſuccurrit, quod adiiciendum putes iis, quæ diſſerta ſunt *f* de conſtitutionibus humanis. *Sa.* Mihi quidem nec humanum præceptum implere videtur, qui negligit hoc præſtare, quod *g* ſpectauit is, qui præcepit. Etenim qui feſtis diebus tantum abſtinet ab operibus manuariis *h*, nec interim vacat ſacris, aut audiendis concionibus, violat *i* feſtum diem, negligens id, cuius gratia feſtus dies inſtitutus eſt. Ideo enim interdictum eſt opus bonum, vt fieret melius. Iam vero qui pro ſolitis operis vacant popinis, ſcortis, temulentiæ, pugnis & aleæ, bis violant diem feſtum. *La.* Opinor & precum ſacrarum penſum in hoc præſcriptum ſacerdotibus & monachis, vt hac exercitatione conſueſcerent ſuſtollere mentem in Deum: & tamen qui pen-

b ſuccreſcentis; man ſoll junge Leute nicht zu dieſer Lebens-Art zwingen. *c* diſtinguit mente ſimpliciter captum, der ſimpel/einfältig und blöden Verſtandes iſt & delirantem und einen aberwitzigen/närriſchen/der haſeliret. *d* eſt Reuocatio Rhetorica. *e* inſtituto noſtro conuenienter egimus. *f* prolata ſunt; diſcurſu, colloquio explicata. *g* ad quod ſpectauit, worauf der geſehen hat. *h* labore manuum. *i* profanat.

pensum hoc non absoluit *k*, periclitatur. Qui tantum ore demurmurat voces, nec curat animum ad ea, quæ sonat, colligere, imo ne litteras quidem studet discere, sine quibus quæ sonat intelligi non possunt, vir bonus habetur, ac sibi quoque videtur. *Sa.* Ego multos noui sacerdotes, qui piaculum inexpiabile *l* putant, aliquam partem precum omisisse, aut per errorem dixisse de diua Virgine, cum dicendum esset de sancto Paulo. At iidem pro nihilo ducebant aleam, scortum ac temulentiam, quæ diuinis pariter & humanis legibus vetita sunt. *La.* Nec paucos ego comperi, qui citius mortem oppetissent *m*, quam vel casu gustato cibo, aut dum os proluunt delapsis in stomachum aliquot aquæ guttis, sacrificassent: at iidem fatebantur, esse sibi cum quibusdam simultatem, quos, si daretur opportunitas, occiderent; nec verebantur cum hoc animo ad sacram Christi mensam accedere. *Sa.* Atqui vt ieiuni sacrificent, hominis præceptum est: vt deponant iras priusquam accedant ad sacram mensam, Dei præceptum. *La.* Iam vero de periurio quam præpostere iudicamus! Infamis habetur, qui iureiurando confirmauit, se dissoluisse æs alienum *n*, si conuincatur non dissoluisse: nec periurium obiicitur sacerdoti, qui palam impudice viuit, cum iureiurando publice professus sit castitatem. *Sa.* Quin istam cantionem canis Episcoporum vicariis, qui coram altari deierant *o*, se com-

k Der diesen Feyerabend nicht machet. *l* Vor eine unverantwortliche Todt-Sünde / die sich nimmermehr verbethen lässet. *m* pertulissent. *n* Seine Schulden bezahlen. *o* valde

comperisse omnes, quos offerant initiandos, idoneos ætate, scientia & moribus, cum aliquoties inter hos vix duo tresue sint tolerabiles, plurimi vix ad stiuam * idonei? *La*. Vocatur ad pœnam, qui commotus aliqua caussa peierat *p*; & non puniuntur, qui tertio cuique verbo admiscent periurium. *Sa*. Isti non iurant ex animo. *La*. Eodem colore * patrocineris *q* licebit ei, qui hominem occidit non ex animo. Peierare nec ioco nec serio fas est. Et atrocius crimen foret, si quis ioco necaret hominem, quam si commotus ira. *Sa*. Quid si quis ad eandem trutinam expendat iusiurandum principum, quo inaugurantur *r*? *La*. Et ista cum *s* sint maxime seria, tamen quoniam velut ex more *t* fiunt, non habentur pro periuriis. Eadem est querimonia de votis. Matrimonii votum est iuris sine controuersia diuini; & tamen dirimitur per monasticæ vitæ professionem ab hominibus repertam. *Sa*. Cum nullum votum religiosius sit, quam baptismi, tamen qui vestem mutat, aut locum, perinde quasi patrem veneno necarit, perquiritur, rapitur, stringitur, nonnunquam & occiditur propter honorem ordinis. At quorum tota vita pugnat ex diametro *u* cum professione baptismi, quippe qui to-

iurare. Stein und Bein schwören / hoch und theuer sich vermessen. * Id est, ad aratrum. nam stiua pars aratri. *p* falsum iurat, præstitum iusiurandum contemnit. Falsch schwören / Eydbrüchig oder meynaidig werden. * Color in rhetoricis est ratio defensionis. *Iuuenal.* Dic, Quintiliane, colorem. Et *Seneca* in controuersiis sæpe meminit coloris. *q* patrocinium suscipias, causam agas eius. *r* initiantur, consecrantur. *s* quamuis. *t* consuetudine. *u* Schnurstracks / Schnur-gerade.

toti seruiunt mammonæ, ventri, & huius mundi pompis, habentur in pretio, nec his obiicitur voti violati crimen, nec exprobratur, nec vocantur apostatæ, sed habentur pro Christianis. *La.* Simile vulgi iudicium est de benefactis ac malefactis, deque præsidiis beatitudinis. Quanta infamia sequitur puellam lapsam? at longe grauius crimen est lingua mendax & obtrectatrix, & animus odio liuoreque corruptus. Vbi non grauius punitur quamuis leue furtum, quam adulterium? Nemo lubens cum eo consuetudinem habet, qui semel furti aspersus est infamia: cum eo qui coopertus est adulteriis, pulchrum est habere familiaritatem. Spiculatori *x* publico, qui stipendio conductus seruit legibus, quemadmodum & iudex ipse, nemo dignetur locare filiam: & non detestamur affinitatem militis, qui toties, inuitis parentibus, & vetante nonnunquam magistratu, subduxit sese *y* ad bellum mercenarium; tot stupris, tot raptibus, tot sacrilegiis, tot homicidiis, aliisque facinoribus impurati *z*, quæ vel in ipsa militia, vel in profectione ad bellum, & reditu a bello, committi solent: hunc generum adsciscimus, hunc quouis carnifice peiorem adamat virgo, & interpretamur etiam, nobilitatem quæsitam scelere. Qui nummum tollit, pendet *a*; qui fraudata moneta publica, qui monopoliis, qui vsuris, qui mille technis ac fraudibus tam mul-

x Apparitori. Stadt-Knecht/Raths-Diener. Lictori, ministro Consulis, Pro-Consulis; Præsidis atque Prætoris. *y* contulit, dedit sese. *z* scil. militis. *a* suspenditur ex patibulo, suffigitur.

multos spoliant, inter præcipuos habentur. *Sa.* Qui vni cuipiam venenum porrigunt, veneficii dant pœnas legibus *b*; qui vinis infectis, aut oleo vitiato populum inficiunt, impune faciunt. *La.* Noui quosdam monachos adeo superstitiosos, vt existiment, sese esse in manu diaboli, si vel casu sacra vestis absit, nec metuunt ab vnguibus diaboli, si mentiantur, si calumnientur, si inebrientur, si inuideant. *Sa.* istiusmodi licet inter nos idiotas complures videre: non credunt, domum tutam a violentia cacodæmonis, nisi paratam habeant aquam consecratam, frondes sacras, ac cereum; & non metuunt suis ædibus, in quibus quotidie tot modis prouocatur Deus *c*, & colitur diabolus. *La.* Quam multi sunt, qui magis fidunt præsidio *d* Virginis matris, aut Christophori, quam ipsius Christi! Matrem colunt imaginibus, candelis, & cantiunculis; Christum impia vita fortiter offendunt. Nauta cum periclitatur, Christi matrem, aut Christophorum, aut quemuis diuorum citius inuocat, quam ipsum Christum. Et Virginem se credunt habere propitiam, quod illi sub noctem cantiunculam non intellectam canunt, Salue regina; ac non potius metuunt, ne illa se putet irrideri talibus cantiunculis; cum totus dies, magnaque noctis pars illis *e* transigatur obscœnis sermonibus, temulentiis, & factis non referendis *f*. *Sa.* Ita militi periclitanti citius in mentem venit Georgius aut Barbara,

quam

b werden nach denen Gesetzen der Hexerey / Gifftmischerey gestrafft. *c* ad iram. *d* tutelæ, patrocinio. *e* ab illis, ab ipsis. *f* nefandis, tacendis, non dicendis.

quam Christus. Porro cum nullus sit cultus diuis gratior, quam imitatio factorum, quibus ipsi Christo placuerunt, hanc partem fortiter contemnimus. Et Antonium nobis egregie fauentem fore credimus, si illi porcos *g* aliquot sacros alamus, sique ipsum cum suo porco, igni & tintinnabulo pictum habeamus in foribus ac lateribus ædium: nec metuimus, quod magis erat metuendum, ne ille male velit ædibus, in quibus regnant ea vitia, quæ vir sanctus semper fuit detestatus. Virgini annumeramus rosariola, & salutatiunculas; quin *h* potius annumeramus in illius gratiam coërcitum *i* animi tumorem repressam libidinem, condonatam iniuriam? Huiusmodi cantiunculis delectatur Christi mater, his officiis demerueris vtrumque *k*. *La*. Itidem morbo periclitanti citius in mentem venit sanctus Rochus aut Dionysius, quam Christus vnica salus hominum. Quin & hi qui sacras litteras interpretantur e suggesto *l*, quas nemo sine spiritus afflatu vel intelligere recte, vel docere potest vtiliter, malunt

g Hinc Buchananus:

Diceris, Antoni, porcos pauisse subulcus
Viuus; adbuc monachos lumine cassus alis.

Et post enarratam conuenientiam inter monachos & porcos:

Cætera conueniunt, sed non leuis error in vno;
Debuit & monachis glans cibus esse tuis.

Salsum quoque est illud in Monachos Epigramma:

Credibile est, Circen mutasse potentibus herbis
In Monachosque sues inque sues Monachos.

h cur non. *i* cohibitum, depressum. *k* & Christum & matrem. *l* suggestum, i. N. & suggestus, ûs, pulpitum, Catheder/Cantzel/Predigt-Stuhl.

lunt inuocare Virginis matris auxilium, quam ipſum Chriſtum, aut Chriſti ſpiritum. Et in hæreſeos ſuſpicionem vocatur, qui mutire *m* audet aduerſus hanc conſuetudinem, quam vocant laudabilem. Atqui laudabilior erat veterum conſuetudo, quam obtinuerunt Origenes, Baſilius, Chryſoſtomus, Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, qui ſpiritum Chriſti identidem inuocant, Virginis auxilium nuſquam implorant. Nec in eos ſtomachantur, qui tam ſanctam conſuetudinem, & ex Chriſti & apoſtolorum doctrina, & ſanctorum patrum exemplis deſumtam, auſi ſunt immutare. *Sa.* Similis error habet complures monachos, qui ſibi perſuadent, Benedictum eſſe propitium, donec geſtent illius cucullam & pallium; quanquam non arbitror, eum virum vnquam geſtaſſe tam laciniosam* magnoque emtam veſtem; nec verentur illius iram, quod in vita nihil habeant, cum illo commune. *La.* Franciſci germanus eſt, qui veſtem cinericiam & canabeum *n* cingulum non abiicit: vitam confer; nihil pugnantius. De pleriſque loquor, non de omnibus. Atque hic ſermo per omnes ordinum & profeſſionum formas circumferri *o* poteſt. Ex corruptis iudiciis naſcitur præpoſtera fiducia, & ex iisdem naſcuntur præpoſtera ſcandala. Prodeat Franciſcanus coriacea zona cin-

m hiſcere, muckſen/ in geheim / leiſe ein Wörtlein dawider ſagen.
* Id eſt, ſinuoſam, multique panni: quod tamen primum videtur inuentum quo minus apparerent veſtigia corporis.
n Hänffern/von Hanffe ex cannabe. *o* deduci, amplificari, continuari.

cinctus, qui casu funem suum perdiderit: aut Augustinensis laneum gestans cingulum, aut discinctus, qui cingi soleat: quæ futura est abominatio *p*! quantum periculum, ne mulieres ad hoc spectaculum abortiant *q*! Et ex huiusmodi nugis quanta fraternæ caritatis ruptura *r*? quam acerba odia? quam virulentæ obtrectationes? Aduersus hæc clamat Dominus in Euangelio, nec minus gnauiter Paulus Apostolus; aduersus eadem clamandum esset Theologis & concionatoribus. *Sa.* Esset sane; sed in his multi sunt, quibus expedit *s* talem esse populum, imo tales esse principes, tales episcopos. Et sunt rursus, qui nihilo plus sapiant *t* in his, quam populus; aut si quid sapiunt, dissimulant *u*, suo ventri consulentes potius, quam Iesu Christo. Itaque fit, vt populus vndique corruptus præposteris iudiciis, ibi fidat *x* vbi præsens *y* est periculum; ibi trepidet *z* vbi nihil est periculi; ibi conquiescat vnde progrediendum erat; eo proficiat *a* vnde erat recedendum. Ab his male structis *b* si quid tentes conuellere *c*, clamant excitari seditionem: quasi seditio sit, si quis

p nausea, auersatio, detestatio. *q* abortiantur. Germ. es werde denen Weibern über diesem Anblicke / auf diesen Anblick / dieses Scheusal Spectacul unrichtig gehen. *r* proficiscuntur, enascuntur, sunt, existunt. *s* quorum è re est. Denen es Wasser auf ihre Mühle ist / denen es recht ist / in ihren Krahm dienet / deren Nutzen es ist; denen es wohl zu statten kömmt. *t* intelligant, periti sint. *u* celant. Sie lassen es nicht mercken. *x* bono animo sit, confidat. *y* manifestum, certum, ineuitabile. *z* timeat, metuat, angatur. *a* procedat, progrediatur. *b* malis moliminibus, male dispositis, consultis, institutis. *c* destruere, demoliri, diruere.

quis vitiosum *d* corporis habitum *e*, quem imperitus medicus diu fouerit *f*, ac propemodum verterit in naturam, conetur eximere *g* pharmacis melioribus. Verum abrumpenda est querimonia, quæ finem non habet. Et periculum sit, si senserit populus hoc nostrum colloquium, ne nouum suscitent *h* prouerbium, quod hæc curæ sint salsamentario & lanioni. *La.* Istis ego regeram vetus prouerbium; *Sæpe etiam est holitor i valde opportuna loquutus.* Nuper cum ista differerem super cœnam, malis auspiciis aderat quidam pannosus, pediculosus, luridus, vietus *k*, exuccus *l*, facie cadauerosa *m*; cranium vix habebat tres pilos: quoties loquebatur, claudebat oculos: aiebant, Theologum esse. Is me vocabat discipulum Antichristi, aliaque permulta balbutiebat. *Sa.* Quid ibi tu? mutus *n*? *La.* Ego illi precabar micam sobriæ mentis in tam putido cerebro; si tamen vllum habebat cerebrum. *Sa.* Iuuaret & istam audire fabulam ordine. *La.* Audies, si die Iouis veneris ad prandium. Habebis vitulinam crusto incoctam *o*, contusam, adeoque teneram, vt possis vel

d morbosum. *e* statum. *f* aluerit, sustentauerit. *g* abigere, pellere, depellere, sanare. *h* fabricent, confingant, frequentare incipiant. Sie möchten auffbringen / erfinden / gemein machen / schmieden. *i* olitor. Ein Kohl-Gärtner / Kraut-Gärtner. Aspiratio enim non facit literam; libere autem vel additur vel demitur in huiusmodi quibusdam vocabulis. v. g. harena s. arena. *k* languidus, welck. *l* ohs ne Safft und Krafft. *m* Er sahe aus / wie eine Leiche / der Tod sahe ihm aus den Augen heraus. *n* scil. eras. Sagtest du nichts darzu? warest du gantz stille? *o* Kalb-Fleisch-Pastete / Kalb-Fleisch-Potage.

vel exugere. *Sa.* Polliceor hac lege, ſi die Veneris apud nos prandeas: efficiam vt intelligas, ſalſamentarios non ſemper veſci putribus ſalſamentis.

FVNVS[1].

MARCOLPHVS[2], PHÆDRVS.

Ma. VNde nobis Phædrus? num ex antro Trophonii[3]? *Ph.* Cur iſtuc rogas? *Ma.* Quia præter morem triſtis, horridus, ſqualidus, torvus; in ſumma, nihil minus quam quod diceris[4]. *Ph.* Si, qui diutius verſantur in officinis fabrorum ærariorum, aliquid nigroris ſibi contrahunt; quid miraris, ſi ego tot dies verſatus apud duos ægrotantes, morientes, & ſepultos, ſolito ſum mœſtior; præſertim cum vterque mihi fuerit egregie carus? *Ma.* Quos mihi narras ſepultos? *Ph.* Noſti Georgium Balearicum? *Ma.* Nomine dumtaxat; de fa-

1 Deſcribitur in hoc Colloquio Hiſtoria duorum morientium, ſed longe diuerſa fiducia. Alter non minus diues quam ſuperbus primum incertorum Medicorum, dein ſacrificulorum & monachorum contrariis ſtudiis deluſus, poſt varias & ſollicitas diſpoſitiones de inſana gloria poſt mortem obtinenda & tandem abſolutione, vt vocant, a Sacerdote pronunciata fretus animam efflat. Alter omnem pompam prorſus exoſus atque in vnius Chriſti meritis ſuam ſalutem quærens placide ſpiritum DEO reddit. 2 Marcolphus & Phædrus ſunt nomina pro arbitrio conficta. 3 Trophonius Vates fuit inhabitans ſpecum, quem quicunque ingreſſus eſſet, is poſtea nunquam videbat, ſed triſtis & toruus videbatur. Hinc triſtes ex antro Trophonii venire prouerbium eſt. 4 Nam Phædrus Gr. φαιδρὸς eſt hilaris, alacer, jucundus, facetus.

facie non noui. *Ph.* Alterum scio tibi prorsus ignotum esse. Is erat Cornelius Montius, quicum [5] mihi plurimis iam annis intercessit arctissima necessitudo [6]. *Ma.* Mihi nunquam contigit adesse morienti. *Ph.* Mihi sæpius quam vellem. *Ma.* Sed estne mors res tam horrenda [7], quam vulgo prædicant? *Ph.* Iter ad mortem durius, quam ipsa mors. Quod si quis horrorem [8] illum & imaginationem mortis excutiat animo, magnam mali partem sibi detraxerit. Breuiter, quidquid est cruciabile, vel in ægrotatione, vel in morte, longe tolerabilius redditur, si quis se totum tradat voluntati diuinæ [9]. Nam quod attinet ad sensum mortis, cum iam animus distrahitur a corpore, arbitror aut nullum esse, aut perquam stupidum esse sensum, quod natura, priusquam huc veniatur, consopiat, ac stupefaciat omnes partes sensibiles. *Ma.* Nascimur absque sensu nostri. *Ph.* Sed non absque sensu matris. *Ma.* Cur non itidem emorimur? Cur Deus mortem voluit esse tam cruciabilem? *Ph.* Natiuitatem voluit esse grauem ac periculosam matri, quo ca-

5 quocum, cum quo. 6 affinitas, amicitia. 7 Omnium rerum nihil morte terribilius, nihil acerbius, vt loquitur Aristotel. lib. 3. Ethic. c. 6. 8 metum, timorem. Naturalis est sepulchri horror; si tamen potentior in nobis esset ratio, quam viuendi cupiditas, plurimum vtique lætaremur, quando illi fieremus propinquiores: sicut lætantur, qui thesaurum quærentes mortuorum vrnas inueniunt, certi nimirum optatas opes in iis fore reconditas. Sauædra Symb. 101. p. 786. 9 Christiani non moriuntur sed oriuntur; non consumuntur, sed consummantur; cum mors rodit, cor ridet, & sic læti lethum vident.

carius haberet quod peperisset: mortem autem vnicuique voluit esse formidabilem, ne passim homines sibi mortem consciscerent [10]. Etenim cum videamus & hodie tam multos sibi manus adferre; quid censes futurum, si mors nihil haberet horribile? Quoties vapulasset [11] seruus, aut etiam filius adolescens, quoties vxor indignaretur [12] marito, quoties perisset res, aut aliud accidisset quod ægre esset [13] animo, protinus ad laqueum [14], ad gladium [15], ad flumen [16], ad præcipitium [17], ad venenum [18] currerent [19] homines. Nunc mortis acerbitas vitam nobis reddit cariorem; præsertim cum medici non queant mederi semel vita defuncto. Quanquam vt non omnibus eadem est nascendi sors, ita non est eadem omnibus mortis ratio [20]. Quosdam cita [21] mors protinus liberat; alii lenta morte contabescunt [22]. Lethargici [23], quemadmodum & ab aspide percussi [24], somno consopiti ci-

10 accelerarent, accerserent; ipsi mortem inferrent, sibi manus truculentas iniicerent. 11 plagis exceptus, verberibus dedolatus esset. 12 succenseret, stomacharetur. 13 doleret, dolorem incuteret. 14 quo se suspenderent. 15 quo se iugularent. 16 in quod se immergerent. 17 vnde se præcipites demitterent. 18 quo sibi vitam depellerent, eriperent. 19 properarent, festinarent. 20 idem mortis genus. Mille modis lethi miseros mors vna fatigat. 21 repentina, subita, velox. Ifr. Clauderus in Peric. Epigr. Cent. II. Epigr. 64.

Sit velox, modo sit felix mihi clausula vitæ
Mors felix velox non satis esse potest.

22 absumuntur, conficiuntur. 23 qui veterno, marcore & inexpugnabili dormiendi necessitate laborant. 24 icti, tacti. Solini Polyhist. c. 40. §. 581. & Plin. Hist. nat. Sueton. c. 17. in Aug. de Cleopatra.

citra ſenſum ſui moriuntur. Illud obſeruaui, nullum eſſe mortis genus tam acerbum, quin perferatur, ſi quis obfirmato animo decreuit exire. *Ma.* Vtrius mors viſa eſt Chriſtianior? *Ph.* Mihi quidem Georgii viſa eſt honorificentior. *Ma.* Etiamne mors habet ambitionem ſuam? *Ph.* Ego nunquam vidi duos tam diſpari morte morientes. Si vacat audire, depingam exceſſum [25] vtriusque: tum erit iudicare, vtra mors ſit optabilior homini Chriſtiano. *Ma.* Imo te rogo, ne graueris narrare. Nam ipſe nihil audiero cupidius. *Ph.* Ergo de Georgio prius audi. Vbi mors iam certa ſui ſigna dederat, medicorum chorus, qui diu curarant ægrotum, diſſimulata vitæ deſperatione [26] cœperunt mercedem [27] poſcere. *Ma.* Quot erant medici? *Ph.* Aliquando decem, interim duodecim; cum pauciſſimi, ſex. *Ma.* Satis erat ad occidendum vel valentem [28]. *Ph.* Numerata pecunia clam ſubmonuerunt proximos, non procul abeſſe mortem: curarent ea, quæ pertinerent ad animæ ſalutem; nam de corporis incolumitate

25 diſceſſum, deceſſum, obitum. 26 diſſimulato, quod de vita ægri deſperent, actum eſſe credant, videant. 27 Scilicet iuxta Epigramma Clauderi 35. Cent. VI.

Sors Medici varia eſt: vbi præſto eſt, Angelus audit:
quando iuuat, DEVS eſt: dum petit æra, Satan.

28 Sepulchro Hadriani Imperatoris, Medicinæ nimis ſtudioſi, fuit inſcriptum: Turba Medicorum perdidit Cæſarem. In Menagianis Ægydii Menagii p. 204. hoc quispiam po'uiſſe Medico Epitaphium fertur. Iacet hic, per quem iacent alii. Salſe Martialis de Diaulo Medico:

Nuper erat Medicus, nunc eſt veſpillo Diaulus:
Quod Veſpillo facit, fecerat & Medicus.

re nihil esse spei. Per amicos intimos blande submonitus est & ægrotus, vt corporis curam Deo committeret; ea tantum curaret, quæ pertinerent ad feliciter hinc emigrandum. His auditis, mira toruitate Georgius oculos intendit in medicos, velut indigne ferens, quod ab illis destitueretur. Illi responderunt, se medicos esse, non Deos; quod artis erat, præstitisse: cæterum aduersus fatalem necessitatem [29] nullam valere medicinam [30]. His actis abeunt in proximum cubiculum. *Ma.* Quid? morantur etiam accepta mercede? *Ph.* Inter illos nihil conuenerat de morbi genere: alius aiebat hydropem [31], alius tympanitem [32], alius apostema [33] in intestinis, alius aliud atque aliud malum: totoque hoc tempore, quo tractabant ægrotum, acerrime disceptarunt de morbi genere [34]. *Ma.* O felicem interim ægrotum! *Ph.* Eam litem [35] vt tandem finirent, per vxorem postularunt, vt sinerent exanimati corporis anatomiam [36] fieri: id esse honorificum, & solere vel honoris gratia fieri in magnatibus: deinde rem eam fore saluti multis, id-

29 diuinam voluntatem vitæ nostræ metas ponentem, ineuitabile DEI decretum. 30 Scilicet secundum illud: Non est in Medico semper releuetur vt æger. Et: Contra vim mortis non est medicamen in hortis. 31 aquam intercutem, qua corpus turgescit. Die Wassersucht. 32 Τυμπανίτης species Hydropis est, inflatio ventris intenti & ad percussum palmæ resonantis in modum tympani. 33 Ἀπόστημα abscessus, materiæ collectæ in pus conuersio, species vlceris. Ein Geschwüre. 34 nullo idem censente, ne videatur alter alteri accedere. 35 controuersiam, dissensum, dissensionem componerent. 36 sectionem, dissectionem, apertionem.

idque ad meritorum ipsius cumulum accessurum: postremo pollicentur, suo sumtu se commercaturos [37] triginta missas, cessuras in commodum mortui. Id ægre quidem, sed tandem blanditiis vxoris ac propinquorum impetratum est. His actis subduxit sese statio * medicorum. Negant enim, fas esse, vt qui vitæ solent opitulari, mortis sint spectatores, aut exsequiis [38] intersint. Mox accitus [39] est Bernardinus, vir, vt scis, reuerendus, Franciscanorum custos [40], qui confessionem exciperet. Vix peracta est confessio, iam aderat in ædibus turba quatuor ordinum, quos vulgus appellat mendicantium. *Ma.* Tot vultures * ad vnum cadauer? *Ph.* Deinde vocatus est parochus, qui hominem inungeret, sacrumque symbolum corporis Dominici porrigeret. *Ma.* Religiose. *Ph.* Verum ibi minimum abfuit, quin inter parochum & monachos cruenta pugna fuerit orta. *Ma.* Apud lectum ægroti? *Ph.* Et quidem spectante Christo. *Ma.* Quid excitauit tantos tumultus subito? *Ph.* Parochus vbi cognouit, ægrotum fuisse confessum Franciscano, negauit [40] se vel vnctionis sacramentum, vel eucharistiam, vel sepulturam impartiturum, ni suis auribus audisset ægroti confessionem: se parochum esse, sibi pro sua ouicula reddendam Domino rationem: id non posse, si so-

---

37 coëmpturos. * Id est, Conuentus stati, cœtus. 38 excessui, emigrationi e vita. 39 accersitus. 40 Præpositus, Præfectus. * Præsentiunt cadauera; vnde captatores testamentorum, vultures dicuntur. 40 dixit, fassus, prolocutus est se non.

ſolus ignoraret arcana conſcientiæ. *Ma.* Nonne viſus eſt æquum dicere? *Ph.* Non illis quidem. Nam ſtrenue reclamabant omnes, præſertim Bernardinus & Vincentius Dominicanus. *Ma.* Quid adferebant? *Ph.* Magnis conuiciis inceſſebant parochum, ſubinde vocantes eum aſinum, dignumque qui paſtorem ageret porcorum. Ego, inquit Vincentius, ſum ſacræ Theologiæ baccalaureus formatus [41], mox licentiandus, atque etiam doctoris titulo inſigniendus; tu vix legis [42] Euangelium: tantum abeſt, vt poſſis excutere ſecreta conſcientiæ. Quod ſi libet eſſe curioſum, exquire, quid agat vxor & manzares * tui domi: aliaque permulta, quæ me pudet referre. *Ma.* Quid ille? mutus ad hæc? *Ph.* Mutus? Imo diceres cicadam ala correptam [43]. Ego, inquit, baccalaureos multo te meliores nectam e ſtipulis fabarum *. Auctores & principes ordinum veſtrorum, Dominicus & Franciſcus, vbi didicerunt philoſophiam Ariſtotelicam, aut argumenta Thomæ, aut ſpeculationes Scoti? aut vbi donati ſunt titulo baccalaureorum? Irrepſiſtis in mundum adhuc cre-du-

41 creatus. 42 perlegis, relegis, calles legere. * Iureconſulti manzares vocant ex inceſto natos. 43. Cicadæ alâ correptæ vehementius ſtrident. Hinc Poëta Archilochus cuidam, qui conuicio eum prouocauerat, reſpondit: Cicadam alâ corripuiſti; ſignificans, ſe non tacere velle prouocatum, ſed acrius obſtrepere, & reclamare. * E culmis tritici nectuntur galeri, nonnunquam & pallia aduerſus pluuiam. Faba caules habet grandes, intortos & fragiles, ad nihil minus vtiles quam ad texendum. Eſt vulgo iactatum prouerbium apud Batauos. Ein Stroherner Baccalaureus.

dulum, ſed pauci humiles, quidam etiam docti ac pii: nidulabamini in agris ac vicis, mox in opulentiſſimas quasque ciuitates, & in florentiſſimam ciuitatis partem demigraſtis. Tot ſunt agri qui paſtorem alere non poſſunt; ibi locus erat veſtræ operæ: nunc nusquam adeſtis, niſi in ædibus diuitum. Iactatis nomen pontificum; at veſtra priuilegia nihil valent, niſi cum ceſſat [44] epiſcopus, paſtor, aut huius vicarius. In meo templo nullus veſtrum concionabitur me paſtore incolumi. Non ſum baccalaureus: nec ſanctus Martinus [45] erat, & tamen agebat epiſcopum. Si quid mihi deeſt doctrinæ, a vobis non petam. An creditis etiamnum [46] mundum eſſe tam ſtupidum, vt vbicunque viderit veſtem Dominici aut Franciſci putet adeſſe illorum ſanctimoniam? Num veſtra refert, quid agam domi meæ? Quid vos agatis in latebris veſtris, quomodo tractetis ſacras virgines, etiam populus nouit. Iam quam nihilo ſint vel feliciores vel puriores diuitum domus, quas frequentatis, omnibus & lippis & tonſoribus [47] notiſſimum eſt.

Cæ-

44 cedit, deficit, deeſt, deſinit. 45 Martinus Dalmata, Archi-Epiſcopus Turonum factus anno Chr. 315. cuius vitam deſcripſit Seuerus Sulpitius lectu non iniucundam, ſed pluribus fabulis refertam. Hilarii diſcipulus, poſtquam per quinquennium in militiam a patre gentili protruſus ſub Iuliano militaſſet, Epiſcopatum inuitus ſuſcepit; tanta liberalitate conſpicuus fuit, vt miles adhuc & catechumenus nudum diuiſo pallio tegeret. 46 hodienum, in hodiernum diem. 47 Res lippis & tonſoribus nota pro re vulgo iactata & quæ in ora vulgi abiit dicitur, propterea quod olim in tonſtrinis omnes rumores narrari ſolebant; & lippi, qui ſunt ægri oculis, in iis rumoribus audiendis per otium ſe to-

Cætera, Marcolphe, non audeo referre: omnino patres illos reuerendos minime reuerenter tractanit. Nec erat futurus finis, ni Georgius manu mota signum dedisset, se velle quidpiam dicere. Ægre impetratum est, vt rixa tantisper consilesceret. Tum ægrotus: Sit pax, inquit, inter vos; tibi parocho denuo confitebor. Deinde pro strepitu nolarum, pro cantionibus funeralibus, pro cenotaphio [48], pro sepultura numerabitur tibi pecunia, priusquam exeas hanc domum; neque committam [49] vt vlla in parte de me queri possis. *Ma.* Num parochus recusauit tam æquam conditionem? *Ph.* Non; tantum obmurmurauit nonnihil de confessione, quam ægroto remisit. Quid opus est, inquit, iisdem repetendis [50] fatigare tum ægrotum, tum sacerdotem? Si in tempore [51] mihi confessus fuisset, fortassis sanctius condidisset suum testamentum: nunc vos videritis [52]. Hæc æquitas ægroti pessime habebat monachos, indigne ferentes eam prædæ partem decidi [53] parocho. Et tamen intercessi, fecique vt lis sopiretur [54]. Parochus vnxit ægrotum, dedit corpus Domini, & numerata summa [55] discessit. *Ma.* Sequuta est igitur eam tempestatem tranquillitas? *Ph.* Imo tempesta-tem

tos dedebant. De Tonsorum autem garrulitate complura lectu digna recenset Plutarchus. 48 tumulo honorario, busto inani, monumento memoriæ dicato, in quod corpus illatum non est. Ex κενὸς inanis, & τάφος sepulchrum. 49 Sinam, patiar, efficiam. 50 repetitione facta dicendorum in confessione. 51 prius, ante. 52 curabitis, dispicietis. 53 adiudicari, attribui. 54 sedaretur, componeretur. 55 pecunia.

tem hanc sæuior tempestas protinus excepit [56]. *Ma.* Obsecro quid caussæ? *Ph.* Audies. Confluxerant in ædes quatuor ordines mendicantium [57], his adiunxit sese quintus Cruciferorum [58]. Aduersus hunc ceu nothum [59] quatuor illi magno tumultu coorti sunt: rogabant, vbi vidissent vnquam plaustrum [60] quinque rotarum? aut qua fronte [61] vellent esse plures mendicantium ordines; quam sint Euangelistæ? Eadem, inquiunt, opera [62] adducite huc mendicos omnes e pontibus ac triuiis. *Ma.* Quid ad hæc Cruciferi [63]. *Ph.* Vicissim rogabant, quomodo tum incessisset [64] plaustrum ecclesiæ, cum nullus esset ordo mendicantium; deinde cum vnus esset, postea tres? Nam Euangelistarum, inquiunt, numerus nihilo plus habet affinitatis cum nostris ordinibus, quam cum alea, quæ vndique quatuor ostendit angulos. Augustinenses

---

56 insecuta est. 57 Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinorum & Carmelitarum. In Concilio enim Lugdunensi anno 1273. Gregorius X. abrogauit viginti tres mendicantium ordines per quingentos Episcopos, sexaginta Abbates, mille Prælatos & Præfectos ordinum mendicantium. 58 Cruciferi alii crucem manu, alii gerunt in pectore. Hi regulam obseruant Augustini, inde non mirum, quod hic simul cum Augustinianis irrepant ad agonizantem hunc. 59 spurium, adulterinum, non genuinum. 60 vehiculum, currum. Sie bedörfften ihrer so viel/ als der Wagen des fünfften Rades/ Germanis quoque vsitatum adagium est de re superuacanea & inutili. 61 qua audacia, quo pudore, qua verecundia. Frons olim pudori sacra. Hinc perfrictæ frontis dicitur is, qui est insigniter impudens. 62 facilitate, eodem negotio. 63 regerebant, reponebant, respondebant? 64 motum, vectum esset.

ſes quis allegit in ordinem mendicantium, aut quis Carmelitas? Quando mendicauit Auguſtinus, aut quando Helias? Nam hos faciunt ſuorum ordinum auctores. Hæc, aliaque multa, fortiter quidem illi detonabant [65], ſed ſoli, quatuor exercituum impreſſionem * non ferentes [66], ceſſerunt, dira tantum minitantes [67]. *Ma.* Heic ſaltem effulſit [68] tranquillitas. *Ph.* Imo ſyncretiſmus * ille in quintum ordinem, verſus eſt in pugnam gladiatoriam. Franciſcanus ac Dominicanus contendebant [69], nec Auguſtinenſes, nec Carmelitas eſſe germane [70] mendicos, ſed nothos ac ſuppoſititios. Hæc rixa ſic incruduit, vt plane vererer, ne veniretur ad manus [71]. *Ma.* Hæccine ferebat ægrotus? *Ph.* Non hæc acta [72] ſunt apud lectum: ſed in atrio [73], quod cubiculo adhærebat [74]: voces tamen omnes ad ægrotum permanabant [75]: neque enim muſſabant

65 id eſt, quaſi detonando, valde ſæuiendo proferebant, deproperabant. * Eſt hæc vehemens hoſtium irruptio; impetus. 66 Ne Hercules quidem aduerſus multos. **Viel Hunde ſind der Haſen Tod.** 67 Socrates vt tonitrua pueros imprimis, ita minas ſtultos territare dicebat. Fridericus II. Imperator eundem in modum ſenſit imbelles quorundam minas tonitru eſſe, quod ſine fulmine erumpit. Fridericus autem Rogerius minarum ſtrepitus eſſe dicebat aſinorum crepitus. Nicol. Reuſn. 68 apparuit, orta eſt, nata eſt. * Id eſt, conſpiratio prius diſſidentium in communem hoſtem. Vide Chiliades. 69 defendebant; euincere volebant, ſtudebant; tenebant. 70 ingenue, vere, ſincere. 71 ad pugnam, quæ cominus fieret manibus. **Zum Hand-Gemenge.** 72 geſta, peracta, facta. 73 veſtibulo. 74 proximum, contiguum erat. 75 penetrabant, tranſibant, perueniebant.

bant *, ſed plenis tibiis [76] res agebatur: & ſcis, alioqui in ægrotis aurium ſenſum eſſe acutiorem. *Ma.* Quis tandem exitus belli? *Ph.* Ægrotus per vxorem denunciauit vt filerent pauliſper, ſe compoſiturum hoc diſſidium. Itaque rogauit, vt tum quidem temporis Auguſtinenſes & Carmelitæ diſcederent [77]; hoc illos nullo ſuo damno facturos [78]. Nam tantundem, inquit, eibi mittetur eis domum, quantum heic daretur [79] remanentibus. In funere vero iuſſit omnes ordines adeſſe, etiam quintum, atque vt æqua pecuniæ portio diuideretur ſingulis; ad commune tamen conuiuium [80] non adhiberentur, ne quid turbæ poſſet oriri. *Ma.* Virum œconomicum * mihi narras, qui vel moriens norit tot rerum vndas componere. *Ph.* Phy! multis annis geſſerat militiæ ducem [81]. Ibi quotidianum eſt huiusmodi tumultus ſuboriri inter cohortes. *Ma.* Erat igitur re ſplendida [82]? *Ph.* Admodum. *Ma.* Sed male parta [83], vt fit, rapinis, ſacrilegiis, extorſionibus. *Ph.* Ita quidem vulgo faciunt duces; nec auſim deierare, hunc fuiſſe ab illorum moribus alienum [84]. Si tamen ſatis hominem noui, magis auxit rem ingenii dexteritate, quam violentia. *Ma.* Qui ſic? *Ph.* Callebat arithmeti-

---

* Muſſare eſt tacite loqui. 76 clare, aperte, magna voce, plenis buccis. Sie nahmen das Maul recht voll / ſchrien aus vollem Halſe. 77 abirent. 78 Es ſolle ihr Schade nicht ſeyn; ſe effecturum, vt abitûs ne pœniteat. 79 apponeretur. 80 lugubre; ferale. Das Trauer-Mahl. * Peritum rei domeſticæ ſic vocat. 81 Præfectum. 82 magnis opibus, diuitiis, id eſt, erat diues, opulentus? 83 ſcil. re illa ſplendida. 84 fuiſſe aliter affectum.

ticam. *Ma.* Quid tum postea? *Ph.* Quid tum, apud principem supputabat militum triginta millia, cum vix essent septem millia. Deinde multis militibus nihil numerabat. *Ma.* Næ tu mihi magnificam narras arithmeticam. *Ph.* Deinde bellum arte ducebat*, solitus simul & ab hostium & amicorum vicis & oppidis pecuniam stipulari menstruam; ab hostibus, ne paterentur hostilia: ab amicis, vt illis liceret cum hoste pacisci. *Ma.* Agnosco morem vulgatum militum. Sed absolue narrationem. *Ph.* Bernardinus igitur Vincentius cum aliquo sui ordinis sodalibus remanserunt apud ægrotum; ad reliquos missus est commeatus**. *Ma.* Satin' inter eos conueniebat, qui remanserunt in præsidio? *Ph.* Non vsquequaque. Grunniebant [85] nescio quid de prærogatiuis diplomatum: sed ne non [86] perageretur fabula, dissimulatum est. Heic iam proferuntur cautiones testamentariæ, fiuntque stipulationes [87] accitis testibus, de iis, quæ inter ipsos ante transegerant [88]. *Ma.* Istæc audire gestio. *Ph.* Dicam summatim: nam perlonga est fabula. Superest vxor annos nata duodequadraginta [89], mulier sane proba cordataque: filii duo, alter annum natus vndeuigesimum [90], alter decimumquintum: filiæ totidem, sed impubes [91] vtraque. Testamento sic cautum erat

* Ducunt bellum, qui de industria proferunt: sed gerunt, qui vere bellant. ** Id est, cibus; militare verbum. Et ideo præsidium vocat domum, vnde alios depulerant. 85 *Grunnire* proprie porcorum est. Hîc monachos ait grunnientes, id est, murmurantes. 86 vt, quo. 87 pollicitationes porrecta manu dextra. 88 pacti fuerant. 89 triginta octo. 90 nouendecim natus annos. 91 quæ nondum pubertatis compleuit annos.

erat, vt vxor, quoniam perpelli[92] non poterat vt fieret monacha, sumeret pallium Beghinæ[93]. Id est medium genus inter monachas & laicas; filius natu maior, quoniam nec is induci potuit[94], vt fieret monachus[95]. *Ma.* Vulpes anus non capitur laqueo[96]. *Ph.* mox ab exsequiis Patris properaret Romam, ibique ex relatione[97] Pontificis factus ante legitimam ætatem sacerdos, totum annum singulis diebus sacrificaret in templo Vaticano pro anima Patris; & sacros gradus in Laterano, singulo quoque Veneris die[98], genibus perreptaret. *Ma.* Suscepit hæc libenter? *Ph.* Ne dicam dolo[99], vt asini* solent sarcinas impositas. Filius minor dicaretur[100] S. Francisco, filia maior S. Claræ, minor Catharinæ Senensi. Hoc tantum potuit obtineri[101]: nam Georgii mens erat, quo magis sibi Deum

92 flecti, adigi, permoueri. 93 Sunt qui Beginas a Begga, Pipini Francorum Regis filia dictas volunt, quæ vidua facta, quod vitæ erat residuum sacris insumsit, mortua teste Sigeberto anno 692. 94 dum parens esset in viuis. 95 sc. testamento cautum er[illegible], vt Romam mitteretur. 96 Homo longa ætate & rerum vsu prudentior non facile dolis capitur. **Ein alter Fuchs läßt sich schwerlich / nicht leichte fangen.** Videntur autem hæc interpellando Phædri narrationem esse prolata quasi **ἐν παρενθέσει**, dum Phædrus post interiectum a Marcolpho prouerbium contextum orationis abruptæ continuat. 97 conniuentia, dispensatione, indulgentia, permissione specialissima. 98 quocunque die Veneris, diebus Veneris, quotquot per annum darentur. 99 Vt ingenue, aperte dicam. * Allusit ad illud *Flacci*: Demitto auriculas, vt iniquæ mentis asellus, Qui grauius dorso subiit onus. Satyr. IX. lib. I. 100 consecraretur, nomen daret. 101 impetrari, renitentibus Patri Georgio liberis.

Deum haberet obnoxium, quinque superstites partiri in quinque mendicantium ordines: & acriter quidem adlaboratum est; sed ætas vxoris, filiique maioris, nec minis, nec blanditiis cessit. *Ma.* Exhæredandi genus [102]. *Ph.* Vniuersa hæreditas sic erat diuisa, vt detractis de solido * impendiis funeralibus, vncia** cederet vxori, cuius dimidia victitaret ipsa, dimidium cederet loco, cui se foret addictura; vnde si mutato consilio recederet, tota pecunia resideret penes eum gregem: altera vncia decideretur filio, cui tamen statim numeraretur viaticum, & quod satis esset emendo diplomati ***, parandoque victui annuo Romæ. Qui si [103] mutata sententia recusaret initiari sacris ordinibus, illius vncia diuideretur inter Franciscanos, & Dominicanos. Et id ne fiat, vereor [104], adeo videbatur adolescens a sacris abhorrere. Duæ vnciæ cederent monasterio, quod excepisset filium natu minorem: binæ item monasteriis, quæ excepissent puellas; sed hac lege, vt si illi detrectarent eam vitam profiteri, omnis tamen pecunia penes illos maneret incolumis [105]. Iam vna rursus vncia decideretur Bernardino, tantundem Vincentio: dimidium vnciæ Carthusianis, pro communione [106] bonorum

102 sc. hoc est, & quidem iniustissimum. * Id est, de integra hæreditate, quæ assis dicitur, nondum diuisa. ** Duodecima pars assis. *** Quo liceret consecrari sacerdotem ante tempus legitimum. 103 Et si hic mutaret sententiam & recusaret. 104 Et vereor id futurum, fore; facturum adolescentem, recusaturum opinor. 105 integra, in solidum, in vniuersum. 106 concessione, communicatione, solutione.

rum operum omnium, quæ toto fierent ordine. Vncia & semis[107] quæ superaret, distribueretur occultis pauperibus, *quos* beneficio dignos iudicassent Bernardinus, & Vincentius. *Ma.* Debebas Iureconsultorum more dicere, *quos* vel *quas*. **Ph.** His igitur verbis stipulati[108] sunt, recitato testamento: *Georgi Balearice, viuus & sanæ mentis approbas hoc testamentum, quod dudum ex animi tui sententia condidisti? Approbo. Et hæc est tua suprema, & immutabilis voluntas? Est. Meque, & hunc Vincentium baccalaureum instituis vltimæ tuæ voluntatis executores? Instituo.* Iussus est denuo subscribere. *Ma.* Qui potuit moriens? *Ph.* Bernardinus rexit ægroti manum. *Ma.* Quid subscripsit? *Ph. Sanctum Franciscum & sanctum Dominicum iratos habeat, qui tentarit hinc aliquid immutare.* *Ma.* At non metuebant actionem testamenti inofficiosi[109]? *Ph.* Ista actio non habet locum in his, quæ Deo dicantur; neque quisquam libenter cum Deo litem suscipit. His peractis, vxor & liberi datis dextris ægroto[110], iurant, se seruaturos quod recepissent. Post hæc cœptum est agi de pompa funerali[111], non sine contentione.

Tan-

107 dimidium, dimidia vnciæ pars. 108 postularunt sibi promitti solennibus verbis. Stipulari dicitur & qui interrogat, & qui respondet atque promittit, daturum facturumue. 109 Iustinianus Institut. lib. 2. Tit. 18. de inofficioso Testamento: Quia plerumque parentes sine causa liberos suos exhæredant vel omittunt, inductum est, vt de inofficioso testamento agere possint liberi, qui queruntur aut inique se exhæredatos aut inique præteritos, hoc colore, quasi non sanæ mentis fuerint, cum testamentum ordinarent. &c. 110 stipulata manu. 111 exequiali, funebri.

Tandem hæc vincit sententia, vt ex quinque ordinum singulis adessent nouem, in honorem quinque voluminum Mosis, & angelorum in nouem choros [112] digestorum [113]. Suam quisque ordo crucem præferret, canerentque funebres næniás*. Ad hæc præter cognatos conducerentur triginta (tot nummis erat venditus Dominus) daduchi ** pullati, & honoris gratia ploratores [114] duodecim (hic est numerus ordini Apostolico sacer) comitarentur: a feretro [115] sequeretur equus Georgii pullatus [116], sic ad genua alligata ceruice, vt herum humi requirere videretur. Stragula hinc atque hinc [117] ostenderent insignia. Similiter & vnaquæque tæda & pulla vestis haberet insignia. Reponeretur [118] autem corpus quidem ipsum ad dextram alta-

---

112 Seraphinos, Cherubinos, Thronos, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, Archangelos & Angelos. 113 ordinatorum, relatorum, distinctorum, separatorum. * Proprie cantilenæ funebres. Nonnunquam tamen nugas quaslibet appellamus nænias. ** Tædiferi. 114 Romanis fuerunt *Præficæ* mulieres in funeribus conductæ ad lamentabile carmen canendum. Vide Rosini Antiquitat. & Alex. ab Alex. lib. 3. c. 7. 115 Feretrum a ferendo, idem quod capulus eine Leichen- oder Todten-Bahre / Leichen-Trage / Leichen-Wagen. 116 pulla veste indutus, lugubrem habitum ferens, atratus, qui mos a Lydiis cœptus est. Rhodiginus l. 21. c. 20. ex Græco penu affert sequens: ἵππυς μελαίνας ὐ καλὸν πάντως βλέπειν, ἵππων δὲ λευκῶν ὄψις ἀγγέλων φάσις. Non omnino bonum est videre nigros, atratos, pullatos equos, alborum autem equorum visio angelica apparitio est, faustum spectaculum est. 117 e feretro dependentia vtrinque. 118 Continuatur Stylus relatiuus per Coniunctiuum dependentem ex superius adhibita particula: vt. Vincit sententia, vt adessent; vt præferret; vt canerent; vt

taris summi in tymbo [119] marmoreo, qui prominerет a solo pedes quatuor; ipse in summo recumberet, Pario [120] sculptus marmore, totus armatus a vertice vsque ad calcaneum: nec deesset galeæ sua crista; crista erat onocrotali [121] collum; nec clypeus læuo brachio, in quo insignia hæc erant: *tria capita apri syluestris aurea, in planitie * argentea*; nec lateri gladius inaurato capulo, nec baltheus [122] inauratus ac gemmeis distinctus bullis, nec pedibus aurea calcaria: erat enim eques auratus: sub pedibus haberet leopardum. Oræ [123] sepulcri titulum [124] haberent tali viro dignum. Cor autem separatim [125] recondi volebat in sacello diui Francisci. Intestina mandauit parocho, honorifice sepelienda in sacello quod est Virgini matri sacrum. *Ma.* Funus nimirum honorificum, sed nimio constans. Ve-

---

conducerentur; comitarentur; sequeretur; ostenderent; haberet; reponeretur &c. 119 busto, sepulchro, sepulchreto. 120 Pario marmore, id est, optimo, candidissimo. Virgil. 1. Æneid. 121 Ὀνοκρόταλος auis instar oloris voce absona & fere asinina, vnde ei nomen. κρόταλον enim est crepitaculum. Esel-Schreyer/ Schnee-Ganß. * Data opera fingit insignia vitiosa. nam caduceatorum leges habent, adulterina esse insignia quæ habent metallum super metallum. 122 Baltheus cum & sine aspiratione, cingulum e corio bullis ornatum, Wehr-Gehencke. 123 extremitates, margines. 124 inscriptionem, lemmata. Ouidius: Sculptaque sunt titulo nostra sepulchra breui. 125 Ille mos olim apud Belgas obtinebat, quam hodie, vt nempe alibi cadauer alibi cor & intestina terræ mandarentur. Ita intestina Florentii V. Hollandiæ Comitis Alcmariæ sepulta, corpus vero apud vxorem Beatricem in pago Rhenoburga prope Leidam.

Venetiæ vel cerdoni [126] cuipiam plus haberetur honoris minimo impendio. Feretrum elegans dat sodalitas [127], & vnum comitantur aliquando sexcenti monachorum tunicis palliisue vestiti. *Ph.* Vidimus & nos, risimusque istas pauperum ineptas glorias. Incedunt fullones & coriarii superne inferneque cerdones, in medio monachi; chimæras [128] esse diceres: nec heic alia res erat, si vidisses. Cautum est & illud Georgio, vt Franciscanus, & Dominicanus, inter sese sorte decernerent [129], vtris primus cederet [130] locus in pompa: post hos cæteri quoque sortirentur, ne quid hinc oriretur tumultus. Parochus & huius clerici [131] locum tenerent infimum, hoc est, primum. Nec enim aliud erant passuri monachi. *Ma.* Non acies tantum, sed & pompas ille callebat ordinare. *Ph.* Cautum est & illud [132] vt funebre sacrum, quod apud parochum fieret, modulato musicorum concentu [133] per-

126 plebeio cuiuscunque opificii v. g. Sutori, sartori, alutario, pannifici, textori. 127 illius opificii. **Die Brüderschafft/das Handwerck/die Zunfft.** 128 Chimæra mons Lyciæ igniuomus cuius pars summa leonibus, media igne, ima serpentibus infestatur. Vnde Poëtæ finxerunt esse monstrum triforme. Ouidius Metamorph. lib. 9. Mediis in partibus hircum, Pectus & ora leæ, caudam serpentis habebat. Alius ita describit:

Ante Leo, retroque Draco, mediumque capella est.

Res quæcunque monstrosa portentose conficta chimæra dicitur, 129 coniecta sorte controuersiam dirimerent. 130 obueniret, contingeret. 131 qui sunt partium eius, huius sortis. **Die seines Theils sind.** κλῆρος sors est; selectus quidam e populo. 132 Testamento scilicet ordinatum, institutum est. 133 **Künstl. Trauer-Music.**

perageretur, honoris gratia. Dum hæc aliaque tractantur, inhorruit [134] ægrotus, deditque signa certissima, supremum tempus adesse [135]. Adornatur igitur extremus fabulæ [136] actus. *Ma.* Nondum finis? *Ph.* Recitatur diploma pontificis, in quo promittebatur criminum omnium abolitio, totusque purgatorii metus adimebatur. Ad hæc iustificabantur [137] omnia illius bona. *Ma.* Rapto parta? *Ph.* Certe iure belli ac more militari. Sed forte aderat Philippus Iureconsultus vxoris frater: is in diplomate notauit locum secus [138] positum quam oportuit, & iniecit suspicionem falsi. *Ma.* Haudquaquam in tempore: dissimulandum erat, etiamsi quid inesset erroris, & nihilo peius habuisset ægrotus. *Ph.* Assentior. Et ægrotus sic hac re perturbatus est, vt minimum abesset a desperatione. Ibi Vincentius fortem virum præbuit; iussit Georgium quieto esse animo, sibi esse potestatem corrigendi supplendique, si quid in diplomatibus vel erratum esset, vel omissum. Quod si te, inquit, fefellerit diploma, ego iam nunc hanc animam pro tua suppono anima, vt tua petat cœlos, mea dedatur orco [139]. *Ma.* Accipitne Deus tales animarum permutationes [140]? Et si accipit, num

134 rigere cœpit. 135 vltima passurum, morti se esse vicinum, proximum. 136 Vita nostra fabulæ comparatur. Epictetus c. 23. Enchirid. Actorem esse fabulæ talis qualis magistro probata fuerit; si breuis, breuis; si longa, longæ; si mendicum agere te voluerit, fac eam quoque personam ingeniose repræsentes; ita si claudum, si Principem, si plebeium &c. 137 iusta declarabantur. 138 aliter quam oportuit. 139 infernali barathro. 140 Fratrem nulla

ſatis cautum videbatur Georgio tali pignore? Quid ſi Vincentii anima vel abſque permutatione debebatur [140] inferis? *Ph.* Quod geſtum eſt, narro. Hoc certe perfecit [141] Vincentius; ægrotus viſus eſt animum recipere [142]. Mox recitantur cautiones [143], quibus Georgio promittebatur ſocietas [144] omnium operum, quæ fierent per quatuor ordines, & quintum Carthuſienſium. *Ma.* Ego metuerem [145], ne deprimerer ad inferos, ſi tantum ſarcinæ [146] baiulandum [147] eſſet. *Ph.* De bonis operibus loquor: ea non aliter grauant [148] animam ſubuolaturam, quam plumæ auem. *Ma.* Mala igitur opera ſua quibus legant [149]? *Ph.* Militibus Germaniæ conductitiis. *Ma.* Quo iure? *Ph.* Iure Euangelico: *Habenti dabitur* [150]. Simulque recitatus eſt numerus miſſarum [151] & pſal-te-

modo, ait Pſaltes Pſ. 49. v. 8, 9. redimere poteſt quiſquam, non dare DEO redemptum eius. Moſes pro populo deprecatus Exodi 32, v. 32, 33. Dele me pro populo de libro tuo, quem ſcripſiſti; audiuit a Domino: Eum, qui peccauerit mihi, delebo de libro meo. 140 ſpectabat ad inferos. 141 effecit, conſummauit, ad metam perduxit. 142 colligere vires. 143 leges, conditiones. 144 communio. 145 ſubuererer. 146 molis, oneris. 147 portandum, ferendum, a tergo, humeris. 148 onerant. 149 teſtamento relinquunt, communicant? malorum quos participes reddunt? 150 Alluditur, peruerſo tamen ſenſu, a verbo Chriſti Matth. XIII, 12. XXV, 29. Militibus autem ſatis eſt malorum operum. 151 Miſſa a ſueta Catechumenos, Energumenos & pœnitentes dimittendi, antequam myſterium ſacræ cœnæ auſpicaretur ſacerdos, formula: Ite miſſa eſt. Alii volunt dictam quaſi tranſmiſſam, quod populus per ſacerdotis miniſterium, preces, vota, oblationes DEO tranſmittat.

riorum, quæ defuncti animam essent comitatura, Erat autem immensus. Post hæc iterata est confessio, dataque benedictio. *Ma.* Ita efflauit animam? *Ph.* Nondum. Strata est humi storea [152] iuncis contexta, sic vt ab initio conuoluta ceruicalis speciem ex sese faceret [153]. *Ma.* Quid nunc futurum est? *Ph.* Eam consperserunt cinere [154], sed raro [155]; ibi deposuêre corpus ægroti. Instrata est tunica Franciscana, sed prius consecrata precülis & aqua lustrali [156]. Cuculla supposita est capiti: nam tum indui non poterat [157]; vna cum illa suppositum est diploma cum cautionibus. *Ma.* Noua mortis species. *Ph.* Atqui confirmant, dæmoni nullum esse ius in eos qui sic moriuntur. Sic aiunt præter alios mortuum S. Martinum [158] & Fran-

---

152 Toges seu stragulum, quod humi insternitur, a στορέω sterno. Eine geflochtene Decke von Schilff. 153 fingeret, faciem præberet ceruicalis. 154 Cinis Pontificiis sacer habetur ex κακοζηλίᾳ Iudæorum aliorumque populorum Orientalium, qui in graui luctu sacco se quandoque contegebant & cineres inspergebant. Prouocant autem ad Genes. III. v. 19. sed non agitur ibi de cinere a foco desumto, sed de terræ puluere, ex quo homo formatus, ita, vt inanis hæc ceremonia puluerem potius, quam cinerem requireret. 155 parco, perpauco. 156 vt lustrandi & purgandi vim habeat. In Breuiario inaugurationis monachalis cucullæ precantur DEVM, vt hanc vestem ita sanctificet & benedicat, vt sint arma ad peccata contegenda & munimenta tuta aduersus insultus. 157 ob infirmitatem ægroti. Adde quod cucullus capitis sit tegmen, non vestis totius corporis, Eine Nebel-Kappe / Haube. Legitur autem vbiuis apud Erasmum non cucullus, sed: cuculla. 158 Martinus anno 396. mortuus est, quo superstitio ista nondum innotuerat.

Franciscum [159]. *Ma.* Sed huic morti illorum vita responderat [160]. Obsecro quid tum postea [161]? *Ph.* Porrecta est ægroto crucis imago & candela cerea. Ad crucem porrectam dixit ægrotus, *Soleo in bellis tutus esse meo clypeo; nunc hunc clypeum opponam hosti meo, & exosculatus admouit humero læuo.* Ad ceream vero sacram, *Olim*, inquit, *hasta valui in bellis: nunc hanc hastam vibrabo aduersus hostem animarum.* *Ma.* Satis militariter. *Ph.* Has postremas voces edidit. Nam mox linguam mors occupauit, simulque cœpit animam agere [162]. Bernardinus a dextris imminebat morienti, Vincentius a sinistris, vterque pulcre vocalis [163]. Alter ostendebat imaginem sancti Francisci, alter Dominici. Cæteri sparsi per cubiculum demurmurabant psalmos aliquot voce lugubri. Bernardinus magnis vociferationibus percellebat aurem dextram. Vincentius sinistram. *Ma.* Quid occlamabant? *Ph.* Huiusmodi ferme Bernardinus: *Georgi Balearice, si nunc quoque probas ea quæ sunt acta inter nos, flecte caput in dextrum*; flexit. Vincentius contra: *Ne quid trepides, Georgi; habes Franciscum & Dominicum propugnatores. Esto se-*

159 Quomodo vero Franciscus ita indutus esse, & simul tamen nudus omnibus vestibus exutus, vt promptior cum Diabolo confligeret, ex hac vita migrare? quod ab ipsis Pontificiis memoriæ proditum est. Ridet itaque fabulas, contradictiones meras inuoluentes, Autor noster. 160 Conuenerat, par, conformis, congrua, consimilis fuerat. 161 actum est, contigit? 162 exspirare defungi. 163 stentorea voce, clamosus.

fecurus[164]. *Cogita quantum habeas meritorum, quod diploma; denique memineris, meam animam pro tua oppignoratam, si quid esset periculi. Hæc si sentis & probas, flecte caput in læuum*, flexit. Rursus simili clamore, *Si hæc sentis*, inquiunt, *preme manum meam*; tum manum pressit. Ita huc & illuc flectendo[165] capite & premendis manibus transactæ sunt horæ ferme tres. Cum iam inciperet oscitare Georgius, ibi Bernardinus erectus pronunciauit absolutionem: quam perficere non potuit, quin Georgius efflasset animam. Hæc sub noctis medium[166]; mane peracta anatomia. *Ma.* Quid mali repertum est in corpore? *Ph.* Recte mones; nam exciderat[167]. Fragmentum plumbi inhærebat diaphragmati*. *Ma.* Vnde id? *Ph.* Vxor narrabat, illum quondam ictum sphærula bombardica. Hinc coniectabant medici, plumbi liquefacti particulam resedisse[168] in corpore. Mox corpus lacerum[169] vtcunque conuestitum est amictu Franciscano. A prandio[170] sepultura peracta est, ea pompa qua decretum[171] erat. *Ma.* Nunquam audiui mortem operosiorem[172], nec funus ambitiosius[173]. Verum

164 bono animo. 165 caput & premendo manus. 166 facta. 167 scil. memoria. * Diaphragma est septum transuersum quod separat præcordia, in quibus cor est & pulmo, ab inferiore corporis parte, in qua splen & hepar & renes. 168 remansisse, relictum esse, superasse, residuam hæsisse. 169 sectum, scissum cultro anatomico. 170 post prandium. 171 statutum, constitutum. 172 magis negotiosam, laboriosam. 173 magnificentius, honorificentius. Ambitiosus signat p. multis ambagibus circumductum p. superfluum, p. ambitione laborantem comitatum pompamque funebrem.

rum istam opinor fabulam nolis euulgari[174]. *Ph.* Quam ob rem? *Ma.* Ne quid irridentur crabrones[175]. *Ph.* Nihil est periculi. Etenim si pia sunt quæ narro, etiam ipsorum interest[176], hæc scire populum: sin minus, quotquot inter illos boni sunt[177], mihi gratias agent, qui[178] hæc prodiderim[179], quo pudore correcti quidam desinant similia facere; deinde simplices caueant, ne in similem pertrahantur errorem. Sunt enim & apud istos cordati vereque pii, qui frequenter apud me questi sunt, paucorum vel superstitione, vel improbitate totum ordinem reddi apud bonos inuidiosum[180]. *Ma.* Recte tu quidem, & fortiter. Sed nunc aueo scire, quomodo decesserit[181] Cornelius. *Ph.* Vt vixit nulli molestus, ita mortuus est. Habebat febrem anniuersariam[182], quæ statis temporibus singulis annis recurreret. Ea tum, siue, quia grauabat ætas, (nam annum excesserat sexagesimum) siue aliis de caussis, solito magis vrgebat ho-

---

174 in vulgus notam reddi, percrebescere. 175 ne monachorum & sacrificulorum gregem offendam, aduersus te concitem. Irritare crabrones est prouocare eos, qui commoti plurimum obfuerint. Est enim crabro insecti genus, affine vespis, aculeo venenoso & pestilentissimo. Eine Hornisse/ Wespe. 176 refert. 177 Est Periphrasis voculæ: omnis; omnes boni, omnes omnino, ad viuum omnes, plerique omnes; quantum inter ipsos bonorum est; quidquid, si quid bonorum est. 178 manifestauerim, detexerim. 179 quod, cum, ideo quod. 180 inuisum, odiosum, exosum, male gratum. 181 obierit; defunctus, mortuus sit; discesserit e viuis. 182 vertente anno reuertentem, vt Augustus valetudines quasdam anniuersarias & certo tempore recurrentes expertus est, teste Tranquillo c. 81.

hominem, & viſus eſt ipſe præſentire, diem fatalem[183] imminere. Itaque quatriduo prius, quam moreretur; erat Dominicus dies; templum adiit, confeſſus eſt ſuo parocho, audiuit publicam concionem & ſacrum[184]: a ſacro, reuerenter accepto pignore corporis Dominici, domum ſe recepit. *Ma.* Non vſus eſt medicis? *Ph.* Vnicum duntaxat conſuluit, ſed non minus bonum virum, quam bonum medicum: ei Iacobo Caſtrutio nomen eſt. *Ma.* Noui[185]. Nihil illo ſincerius[186]. *Ph.* Is reſpondit, ſuam quidem operam amico non defuturam, ſed ſibi videri plus eſſe præſidii[187] in Deo, quam in medicis. Cornelius hanc vocem non minus alacriter[188] accepit, quam ſi certiſſimam[189] vitæ ſpem oſtendiſſet. Itaque tametſi ſemper pro ſuis facultatibus[190] fuiſſet perbenignus[191] in pauperes, tum quidquid decidi[192] poterat vxoris & liberorum neceſſitati impartiebatur[193] in egenos, non iſtos am-

183 emortualem, decretorium, diuinitus ſtatutum. Iob. XIV. v. 5. 184 miſſam innuit Papiſticam quam ante cætera ſacra ſacram habent κατ' ἐξοχήν. Vocant etiam *ſacrum venerabile.* 185 ſc. virum, illum, iſtum, de quo dicis, quem mihi nominas. 186 Vir & integerrimus. Superlatiuus per ſuum Comparatiuum adiuncta negandi particula effertur. 187 opis, auxilii. Ierem. III. v. 23. Exodi XV, 26. 188 non minori alacritate, vigore & animi erectione. 189 infallibilem, firmiſſimam, ſolidiſſimam, fundatiſſimam. 190 pro recula ſua, bonorum ſuorum mediocritate, ſortis ſuæ tenuitate. 191 admodum, non parum. Per namque ſignificatum auget, vt: Perabſurdus, perblandus, percontumax. Gar ſehr ungereimt / gar ſehr annehmlich / gar ſehr halsſtarrig / hartnäckicht. 192 detrahi, demi, adimi, abſtrahi, decerpi. 193 diſpertiebatur, diſtribuebat, erogabat, conferebat.

ambitiose [194] mendicos, & nusquam non obuios, sed in probos, qui pro viribus industria laborandi [195] cum paupertate pugnabant [196]. Rogabam hominem vt decumberet [197], & sacerdotem ad sese accerseret potius, quam tenue corpusculum defatigaret. Respondit, hoc sibi semper studio fuisse, vt amicos suos subleuaret potius, si posset, quam grauaret officiis; nec se sui [198] dissimilem esse velle in morte. Ne decubuit quidem nisi postremum diem, & noctis partem [199], qua reliquit terras. Interim ob corpusculi lassitudinem baculo nitebatur [200], aut sedebat in cathedra [201]: raro [202] componebat se lectulo, sed vestitus & erecto capite. Hoc tempore aut mandabat aliquid de curandis egenis, maxime notis aut vicinis, aut legebat e libris sacris [203], quæ prouocant [204] hominis erga Deum fiduciam, quæque illius in nos caritatem declarant. Si per lassitudinem ipse minus poterat, audiebat amicum prælegentem. Frequenter [205] miro affectu hortabatur familiam ad mutuum amorem

194 studiose, malitiose, affectate, validos, improbos, nefarios. 195 gnauiter, impigre laborando. 196 contendebant, decertabant, committebant, conserebant. 197 lecto se daret, cubitum se conferret. 198 Ille sui similis, mores qui seruat eosdem. 199 Accusatiuus Temporis ad Quæstionem: *Quam diu?* subintellecta Præpositione: ***Per.*** 200 fulciebatur, se fulciebat. 201 sede sublimiori, sella paululum edita. 202 leuiori, tenui, exili. 203 scil. ea. Supprimitur nempe Pronomen *is*, aut *ille* per Ellipsin, ante Relatiuum: Qui, quæ, quod; sic: Noui, quæ fecisti pro: ea, quæ fecisti. Curtius lib. 3. c. 2. Hæc vociferantem, quibus erat imperatum, iugulant; ii nempe. 204 gignunt, generant. 205 Grebro, assidue, iugiter.

rem & concordiam, atque studium veræ pietatis; solicitosque de morte ipsius amantissime consolabatur. Identidem [206] admonebat suos, ne quid æris alieni præteriretur [207] indissolutum. *Ma.* Non condiderat testamentum? *Ph.* Iam pridem sanus ac valens id curarat. *Negabat* enim *esse testamenta, quæ fierent ab agentibus animam, sed deliramenta potius.* *Ma.* Nihil legarat monasteriis aut egenis? *Ph.* Ne teruncium [208] quidem. *Ego*, inquit, *pro mea portione dispensaui facultatulas* [209] *meas; nunc vt earum possessionem aliis trado, ita trado & dispensationem. Et confido, meos sanctius dispensaturos, quam ipse feci.* *Ma.* Non accersebat ad sese pios homines, quemadmodum fecit Georgius? *Ph.* Ne vnum quidem: præter familiam & duos intime [210] amicos nullus aderat. *Ma.* Demiror, quid senserit. *Ph.* Negabat se morientem pluribus molestum esse velle, quam fuisset nascens. *Ma.* Exspecto finem istius fabulæ. *Ph.* Mox audies. Venit dies Iouis. Ille

206 Pariter, Eundem in modum, Consimiliter, Parili negotio. 207 Neutra quoque eleganter in Passiuam refingi possunt formam, ita quidem vt Verbum impersonaliter ponatur. Sic Florus lib. 3. c. 21. Mox in vrbem quadruplici agmine intratur. pro: mox intrant; vt hoc loco: ne quid præteriretur pro: præterirent sui, vel: ne quid prætermitteretur, ne quid prætermitterent. 208 nummum perexiguum, obulum, a tribus vnciis dictum, quod sit libellæ quarta pars, quomodo & quadrans assis. 209 exiguas facultates, quantulascunque, quales quales facultates. 210 Eleganter in concursu duorum Nominum Adiectiualium prius aut aptius commutatur in Aduerbium. v. g. male sedulus, clare doctus, pie eruditus, intime amicus, pro malus sedulus, clarus doctus, pius eruditus, intimus amicus.

Ille stratum non reliquit, sentiens extremam corpusculi lassitudinem. Accitus parochus impartiit extremam vnctionem [211], ac rursus porrexit corpus Domini, sed citra confessionem. Negabat enim quidquam scrupuli resedisse in animo. ibi parochus agere cœpit de sepultura qua pompa, quoue loco sepeliri vellet. *Sepeli*, inquit, *me quomodo sepelires infimæ sortis Christianum* [212]: *nec mea refert, vbi seponas hoc corpusculum, æque inueniendum* [213] *in extremo die vbicunque condideris. Pompam*

211 Vnctio olim in Ecclesia Christi adhibita ægrotis ad sanationem miraculosam Marci VI. v. 13. Iac. V, 14. Cum autem cessarit donum miraculosæ sanationis, frustra retinetur sine effectu ille ritus. 212 Frontinus vetuit extrui sibi monumentum: Impensa, inquiens, monumenti superuacua est: memoria nostri durabit, si vita meruimus. Plin. lib. IX. Epist. 19. Conradus III. Imperat. Rom. cum graue videretur copiis in Palæstinam Turcam contra duci & procul a patria occumbere remotis, ait: Vbicunque quis fuerit sepultus, honesta eius sepultura est, qui Christi causa vitam amiserit. Zincgr. Apophthegm. Nat. Germ. p. 29. 213 Iobi XIX. v. 23, 26. Equidem ego noui Redemptorem meum viuere, & posteriorem super puluerem resurrecturum: Et postquam vermes confoderint istud, euigilante me; tum carne mea me visurum esse Deum. Iohannes Stigelius Gothanus Poëta, vnus e primis Academ. Ienensis Professoribus, qui obiit anno Chr. 1562. Febr. 11. ætat. 47. tale sibi posuit Epitaphium, referente Backio in Psalm. VI. p. 113.

Stigelius iacet hic: nemo scit; quid tum? licet omnis
Ignoret mundus; scit tamen ipse DEVS.

Alia mens fuisse videtur Laurentio Florentino nobili sculptori, qui gauisus, quod Romæ sortiretur sepulchrum, tumulo inscribi voluit sequens elogium:

Roma mihi tumulum tribuit, Florentia vitam,
Nemo alio vellet nasci & obire loco.

pam funeris nihil moror. Mox iniecta mentio de sonitu campanarum [214], de tricenariis [215], & anniuersariis [216], de diplomate, de communione meritorum emenda. Tum ille; *Mi pastor, nihilo peius habebo, etiamsi nulla sonet campana. Si me vel vno funebri sacro dignaberis, plus satis erit. Aut si quid aliud*

Huic consonum est Hermolai Barbari Epicedium:
Vrbs Venetum vitam; mortem dedit inclyta Roma,
Non potuit nasci nobilinsue mori.
214 Campanæ repertæ circa annum Chr. 400. a Paulino Episcopo Nolano in Campania, aut saltem vsum earum ethnicum & profanum ad pia munia transtulit. Iam olim vero, si quis e vita excessisset, æra campanasque pulsata, quod eo sono auerti credebantur spectra & Dæmonum ludibria, peruetus Theocriti Scholiastes prodidit, notante Salmutho ad Tit. IX. lib. II. Guidonis Pancirolli. Et hodienum vsus Campanarum sequentibus versiculis descriptus circumfertur in Papatu:
Laudo DEVM verum, plebem voco, congrego Clerum,
Defunctos ploro, pestem fugo, festa decoro.
Præcipit amor in charissimam patriam, vt data hac occasione obiter hic inseram versiculos duos Germanicos Campanæ anno 1707. in turri ad Crucem Christi suspensæ Hilschero, Gebhardo atque Günthero (seniore Ioachimo) Consulibus infusos:
Ich heisse Jung und Alt/ die Sünder und die Frommen/
In dieses GOttes-Hauß zum Creutze Christi kommen.
De Vsu Campanarum sacro atque profano Exercitium academicum in illustri Noricorum Altdorfina concinnatum dedit 1665. Heinricus Arnoldus Stockflethus, Hannoueranus Saxo, quem vide si vis. 215 Tricenarium est funebre sacrum, quod per triginta dierum post habitas exsequias spatium continue celebratur. 216 Supple: missis, vel precibus singulis annis recurrentibus, & in commodum mortui cessuris.

aliud est, quod ob publicam ecclesiæ consuetudinem citra scandalum infirmorum omitti vix potest, id tuo permitto arbitratui. Nec est animus, cuiusquam vel preces commercari, vel meritis quenquam suis spoliare[217]. *Satis meritorum exuberat*[218] *Christo: & confido totius ecclesiæ preces ac merita mihi, si modo viuum sum membrum, profutura. In duobus diplomatibus mihi tota spes est. Alterum est peccatorum meorum, quod princeps pastorum*[219] *dominus Iesus aboleuit, affigens illud cruci*[220]; *alterum quod ipse suo sacrosancto sanguine scripsit & obsignauit, quo nos certos reddidit de salute æterna, si totam fiduciam nostram in ipsum transferamus*[221]. *Absit enim vt instructus meritis ac diplomatibus prouocem Dominum meum, vt in iudicium veniat cum seruo, certus quod in conspectu eius non iustificabitur omnis viuens*[222]. *Ego ab illius iustitia appello ad eiusdem misericordiam, quoniam immensa est & ineffabilis*[223]. His dictis abiit parochus. Cornelius, veluti magna spe salutis concepta, gaudens & alacer, iubet sibi quædam recitari e sacris voluminibus, quæ confirmant spem resurrectionis & præmia immortalitatis: velut illud ex Esaia de morte Ezechiæ dilata[224], vna cum cantico: deinde cap. 15. epistolæ Paul.

217 priuare, nudare. 218 affluit, abundat, redundat, suppetit. I. Cor. I. v. 30. 219 Ἀρχιποιμὴν I. Pet. V, 4. Ebr. XIII. v. 20. 220 Loquitur ex Coloss. II. v. 14. 221 Respicere videtur Rom. III. v. 21, 22. 23. 24. 25. 26. Rom. V, 8. 9. Ephes. I. v. 7. Col. I, 14. 19, 20. I. Pet. I, 18, 19. I. Ioh. I. 7. Apoc. I, 5. V. v. 9. 222 Alludit ad verba Dauidis Ps. 143. v. 2. 223 Thren. III. 22. Dan. IX. 18. Psal. 108. v. 4. 224 Esaiæ 38. & II. Reg. XX.

Paul. ad Corinth. prioris: de morte Lazari ex Ioanne [225]: sed præcipue historiam Christi passi ex Euangeliis. Quam hic animo deuorabat [226] singula ad quædam suspirans ad alia compositis manibus gratias agens, ad quædam hilarescens ac gestiens, ad nonnulla preculas quasdam breues eiaculans [227]! A prandio cum paululum temporis obdormisset, iubet recitari caput ex Euangelio Ioannis duodecimum, vsque ad historiæ finem. Heic dixisses hominem plane transfigurari, afflarique nouo spiritu. Iam dies vergebat ad vesperam; accersit vxorem ac liberos: ibi erecto quantum licuit corpusculo, sic affatus est suos: *Carissima coniux, quos Deus ante coniunxerat, idem nunc separat, sed corporibus dumtaxat, idque ad breue tempus: curam, caritatem, pietatem, quam antehac partiri soles in me & dulcissima pignora, totam in istos transfer. Ne putaris, te vllis modis posse magis demereri vel Deum, vel me, quam si istos, quos Deus dedit nobis coniugii fructum, sic educes, foueas & instituas, vt Christo digni habeantur.* In hos igitur conduplica pietatem

225 Iohannis XI. cui capiti explicando D. Polycarpus Lyserus immortuus est ante annos octo & nonaginta, cum Harmoniam Euangelicam Chemnitianam a se continuari coeptam vsque ad illa Christi verba produxisset: Lazare, veni foras! certissima fiducia fretus, idem de se quoque futurum, Christo dicturo: Lysere, veni foras! 226 auide deglutiebat, hauriebat, imbibebat ardentissime; quanta voluptate capiebat; quam attenta mente obseruabat omnia. 227 Hinc preces iaculatoriæ. Stoß-Gebete / Stoß-Seuffzer / de quibus peculiari Dissertatione Regiomonti 1708. pie doctissimeque egit Dominus Godofredus Wagnerus SS. Theol. D. & PP. Ordin. Concionat. Aulicus Regius Secundarius.

tem tuam, & meam portionem in te translatam existima. Id si feceris, vt acturam confido, non erit cur videantur orphani. Quod si repetas matrimonium. Ad hanc vocem vxor erupit in fletum, cœpitque deierare, se nunquam de repetendis nuptiis cogitaturam. Heic Cornelius: *Soror in Christo mihi carissima, si Dominus Iesus largiri dignabitur tibi propositum istud ac robur spiritus, ne desis dono cœlesti. Erit enim hoc tibi pariter ac liberis commodius. Sin alio vocabit carnis infirmitas, scito, quod mors mea te liberat a iure coniugii* [228]*, sed non liberat a fide, quam meo tuoque nomine debes curandis communibus liberis. Quod ad matrimonium attinet, vtere libertate, quam tibi permisit Dominus. Tantum hoc te rogo moneoque, vt virum tibi deligas iis moribus, tuque te illi talem præbeas, vt possit, vel suapte bonitate ductus, vel tua commoditate prouocatus, amare priuignos. Proinde caue, ne cui voto* [229] *te obstringas. Serua te liberam Deo & liberis nostris; quos sic institues ad omnem*

---

228 Rom. VII,2. Si mortuus fuerit vir, mulier liberata est a lege viri. Confer I. Cor. VII. v. 8,9,32,34,35,39. 40. Luc. II. v. 37. Quæ vno contentæ matrimonio fuerant, pudicitiæ corona honorabantur apud Romanos. Existimabant enim eum præcipue matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui depositæ virginitatis cubile pudicum egredi nesciret; multorum matrimoniorum experientiam quasi illegitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse credentes. Val. Max. lib. II. c. 1. Valeria nobilis Romana, Seruio viro suo mortuo nulli nubere volebat perhibens, primum maritum adhuc per amorem sibi viuere in corde. Anthusa Ioh. Chrysostomi parens marito orbata anno 28. ætate suæ reliquum vitæ tempus vidua transegit omne. 229 alicui voto, Deut. XXIII,21. 22. 23.

omnem pietatem, vt caueas, ne se cupium addicant instituto, donec per ætatem & rerum vsum constiterit, ad quod vitæ genus sint idonei [230]. Deinde versus [231] ad liberos, exhortatus est ad studium pietatis, ad obediendum Matri, ad mutuam inter ipsos caritatem & concordiam. His peroratis, dedit osculum vxori [232]; liberis, facto signo crucis [232], precatus est bonam mentem, & Christi misericordiam. Post hæc intuens omnes qui aderant; *Sub crastinam*, inquit, *auroram* [233] *Dominus, qui diluculo reuixit pro sua misericordia dignabitur hanc animulam ex huius corpusculi sepulcro* [234], *eque huius mortalitatis tenebris euocare in lucem suam cœlestem. Nolo teneram ætatem excubiis inanibus* [235] *fatigari. Cæteri quo-*

230 Pertinent huc Epicteti cap. 35,36. de eligendo vitæ genere præclara monita. De statu vitæ deligendo & religionis ingressu autem ex instituto disputat quæstionibus XII. Leonardus Lessius in Disputatione Antuerpiæ 1613. ex officina Plantin. euulgata. Explicat nimirum qua ætate adolescens vel puella ingredi possit religionem quæst. I. an expediat iuuenes ingredi quæst. II. an votum a puero emissum de ingredienda religione sit validum quæst. III. sed omnia more suo, hoc est, Iesuitico. 231 conuersus, vertens se. 232 De Augusto Suetonius c. 100. Repente in osculis Liuiæ & in hac voce defecit: Liuia nostri coniugii memor viue ac vale! sortitus exitum facilem & qualem semper optauerat. 232 Vtebantur signo crucis veteres non ad adorandum, sed ad externam quandam professionis tesseram. 233 De miris mortis Præsagiis euoluendus Ioh. Frid. Stockhausen Tract. Sect. V. p. 22. vbi ad Exempl. Pauli 2. Tim. IV. 6. 2. Pet. I. 14. ipsius Petri; Ambrosii, Henrici IV. Roberti Bellarmini & aliorum prouocat. 234 σῶμα σῆμα, Corpus sepulchrum animæ quidam dixerunt. 235 nil profuturis.

quoque vicissim dormiant, mihi satis est vnum adesse vigilem, qui recitet sacram lectionem. Transacta nocte sub horam quartam, cunctis præsentibus, iussit recitari psalmum totum, quem Dominus orans recitauit in cruce [236]. Eo finito, iussit exhiberi cereum, & crucem. Et cereum accipiens, dixit: *Dominus illuminatio mea & salus mea; quem timebo?* Crucem exosculatus, dixit: *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo* [237]. Mox manus super pectus in supplicantis gestum composuit, & oculis in cœlum erectis dixit, *Domine Iesu, accipe spiritum meum* [238]. Et protinus clausit oculos veluti dormiturus; simulque leui flatu emisit spiritum [239]: dixisses, illum obdormisse, non exspirasse. *Ma.* Nunquam audiui mortem minus operosam. *Ph.* Talis fuerat in omni vita. Vterque fuit amicus [240]. Fortasse non æque diiudico, vter decesserit Christianius: tu qui integer [241] es, rectius dispicies [242]. *Ma.* Ita faciam, sed per otium.

ECHO.

236 Psalm. XXII, XXXI. 237 Psal. XXVII. v. 1. 238 Verba Stephani sunt Proto-Martyris, cum lapidatus animam efflaret, Act. VII. v. 59. 239 placidissime, lenissimeque expirauit, cito ac nullo cruciatu, nulloque alienatæ mentis signo defunctus est, obiit, decessit. 240 Vterque defunctorum, defunctus & Georgius Balearicus & Cornelius Montius. 241 ab omni partium studio remotior. 242 iudicium feres.

ECHO[1].

IVVENIS, ECHO.

Iu. CVpio paucis te consulere, si *vacat.* *Ec.* *Vacat.* *Iu.* Et si venio tibi gratus iu*ueni*. *Ec.* *Venis.* *Iu.* Sed potesne mihi & de futuris dicere verum, *Echo?* *Ec.* Ἔχω*. *Iu.* Et Græce nosti? quid istuc *noui?* *Ec.* *Noui.* *Iu.* Qualia tibi videntur Musarum stu*dia?* *Ec.* Δῖα**. *Iu.* Censes igitur terendos auctores, qui conducunt ad bonas li*teras?* *Ec.* *Teras.* *Iu.* Quam igitur mentem habent isti, qui hæc studia linguis traducunt *suis?* *Ec.* *Suis.* *Iu.* Sed vtinam harum cultores similiter essent & pietatis studi*osi!* *Ec.* *O si!* *Iu.* Nunc quorundam improbitas omnes reddit inu*sos.* *Ec.* Ἴσως***. *Iu.* Et multis[2] hominum peccatum confertur in nomen eruditi*onis.* *Ec.* Ὄνοις*. *Iu.* Atqui vulgo videntur non in*fimi.* *Ec.* *Fimi.*

Iu.

---

1 Echo Gr. ἠχὼ sonus est reciprocus, qui in aliquod corpus concauum impingens non secus ac pila repellitur ibique auditur toties, quoties in diuersa eiusmodi corpora concaua incidit. Fabulam Echûs, Nymphæ vocalis, & artificiosissimum eius cum Narcisso lusum, apud Nasonem vide lib. III. Metam. fab. V. Echonem vero non ligata tantum, sed & soluta oratio admittit. Lucret. lib. IV. v. 571. seqq.

Pars solidis allisa locis reiecta sonorem
reddit, & interdum frustratur imagine verbi.
Sex etiam aut septem loca vidi reddere voces,
Vnam cum iaceres; ita colles collibus ipsis
Verba repulsantes iterabant dicta referre.

* Id est, possum. ** Id est, sacra. *** Id est, scilicet, vtique. 2 a multis quidem. * Id est, asinis.

Iu. Quid facere censes eos qui terunt ætatem in sophistico doctrinæ gen*ere?* *Ec. Nere.* *Iu.* Fortassis telas arane*arum*[3]. *Ec. Harum*[4]. *Iu.* At Penelopes telas texunt ac re*texunt*[5]. *Ec. Texunt.* *Iu.* Cui suades vt me dem vitæ insti*tuto?* *Ec. Tuto.* *Iu.* Erit auspicatum, si vxorem du*xero?* *Ec. Sero.* *Iu.* Quid si mihi veniat vsu, quod his qui incidunt in vxores parum pudicas, parumque frugi*feras?* *Ec. Feras*[6]. *Iu.* Atqui cum talibus morte durior est *vita.* *Ec. Vita*[7]. *Iu.* Siccine[8] in rebus humanis dominari fort*unam?* *Ec. Vnam.* *Iu.* Magis fortassis expedit, vt aliquis præ coniugio monachi institum e*ligat.* *Ec. Ligat*[9]. *Iu.* Quid superest remedii, vbi quem adstrinxerit iam nodus insolu*bilis?* *Ec. Bilis*[10]. *Iu.* Attamen miserum est homines viuere *solos.* *Ec.* ὅλως*. *Iu.* Cuiusmodi censes horum temporum plerosque mon*achos?* *Ec.* Ἄχθος**. *Iu.* Quid igitur istos mouet, qui suspiciunt

3 Aranearum telas nere vel texere est in re friuola nulliusque frugi anxium locare laborem. 4 Aspiratio in medio deficiens ab initio in talibus Homœoteleutis non illegitime additur. vt pro: *arum*, respondeat: *barum.* 5 Vxor Vlyssis Penelope procos acerrime instantes hac conditione delusit, vt tum se promitteret nupturam, vbi telam, quam habebat in manibus, absoluisset. Sed callidissima mulier, quod interdiu texuisset, id nocte retexebat. Homericos versus ita vertit Erasmus:

Illa diurna quidem ingentem contexere telam,
Verum eadem admotis soluebat nocte lucernis.

Est ergo multum & operose agendo nihil agere & frustra laborare. 6 Perferas. Ferendum, quod mutari nequit. Feræ tales sunt, bestiæ, bruta. 7 Caue. 8 scil. est. 9 obligat, vincit, stringit. 10 Ira. * Id est, omnino. ** Id est, perniciem, pestem.

ciunt[11] illos vt semi*deos*? *Ec.* Δέος*. *Iu.* Quid captant plerique qui ambiunt ſacer*dotium*? *Ec.* *Otium.* *Iu.* Præterea nihil habet ſa*cerdos*? *Ec.* Κέρδος**. *Iu.* Quid bonæ rei contigit illis qui fiunt epiſ*copi*? *Ec.* Κόποι***. *Iu.* At nulli magis viuunt in *ocio*. *Ec.* *Scio*[12]. *Iu.* Quæ res illos admonere poterit, vt intelligant, quantum ſuſtineant *onus*? *Ec.* ὁ νȣ̃ς*. *Iu.* Ergo res præclara ſacerdotium, ſi quis ſe in eo gerendo qualem oportet præ*beat*? *Ec.* *Beat*. *Iu.* Quid fructus erit ſi me conferam in aulam eorum, qui præcellunt monarchica digni*te*? *Ec.* *Ate***. *Iu.* At non paucos video qui ſolent illinc ſibi præclaram felicitatem ario*lari*[13]. *Ec.* Λάροι*. *Iu.* At interim dum incedunt holoſericati, vulgo videntur homines magni*fici*. *Ec.* *Fici*[14]. *Iu.* Foris igitur aureos, intus ficulneos homines dicis, ſi quis inſpiciat *cominus*? *Ec.* *Minus*. *Iu.* Nihil igitur præclari ſunt, quos pro diis veneramur byſ*ſinos*[15]. *Ec.* Σῖνος*. *Iu.* Nec militare genus magno æſtimabis fort*aſſe*. *Ec.* *Aſſe*. *Iu.* Magnum quiddam pollicentur qui e ſideribus & futura prædicunt Aſtro*logi*. *Ec.* Λόγοι**. *Iu.* At ſtrenue laborant Gramma*tici*. *Ec.* Εἰκῆ***. *Iu.* Non placent,

11 venerantur, admirantur. * Id eſt, timor. ** I. e. lucrum. *** Id eſt, labores. 12 Sunt, qui: *Scio* & *Otio* pronuntiant, vt *tſchio*, *Otſchio*; alii vt: *zio*, *ozio*. * Id eſt, mens. ** Id eſt, calamitas. vide Chiliades. 13 polliceri, promittere, augurari, ominari. * Id eſt, ſtupidi. Eſt λάρος auis marina & rapax. vide Chiliad. 14 homines ficulnei, bardi ac ſtupidi, fungi, trunci. 15 Byſſo ornatos, lini genere, quo olim delicatulis mulierculis conficiebantur veſtes ſubtiliſſimæ. * Id eſt, noxa. ** Id eſt, fabulæ. *** Id eſt, fruſtra.

cent, opinor, leguleii[16] homines ſemper fame*lici*. *Ec.* Λύκοι*. *Iu.* Qualis ero, ſi fiam opi*fex? Ec. Fex.* *Iu.* Itane nihil præterea adferunt artes boni aut *mali? Ec. Ali. Iu.* Fuerone beatus, ſi perſeuerauero in bonis litt*eris*? *Ec. Eris. Iu.* Sed quæ res dabit, vt adſit pi*etas? Ec. Ætas. Iu.* Decem iam annos ætatem triui in Cicer*one. Ec.* Ὄνε**. *Iu.* Vnde tibi ſubit me aſinum di*cere*? *Ec. E re. Iu.* Fortaſſis hoc dicis, non ſic huic incumbendum vt alios[17] rel*inquam. Ec. Inquam. Iu.* Non placet igitur is, qui ſe per omnem vitam tantum in hoc torqueat[18], vt fiat Ciceroni*anus? Ec.* Ἄνες[19]. *Iu.* Quid ſupereſt natu grandibus, quorum ætas ad hæc diſcenda non eſt tempe*ſtiua*? *Ec. Stiua*[20]. *Iu.* Facun-

16 qui legum ſtudiis incumbunt. * Id eſt, lupi. ** Id eſt, aſine. 17 ſc. Latinos Autores. Magnus eſt M. Tullius. Teſtor inuidiam ipſam teſtem. Sed ſolus eſt imitandus? repugno. An enim ſpurius Cæſar? an nothus Quintilianus? an illegitimus Salluſtius? nunquam heroibus iſtis vir dignus indignisſimam calumniam inuſſerit. Martinus Bergmann/Louanienſis, in Orat. qua ſolum Ciceronem imitandum eſſe negatur. Non omnis ille nec omnia proba habet, vt Balbinus in Veriſimil. c. III. & in Notis ad c. III. Veriſimil. docet. 18 Lazarus Bonamico maluit loqui poſſe vt Cicero, quam eſſe Pontifex, quod de ipſo refert Lexic. vniuerſ. Hiſtor. Buddei P. I. p. 401. 19 id eſt, *amens.* Muretus Orat. 15. p. 334. ſeq. enectum quoddam & famelicum & dilutum eloquentiæ genus extitiſſe dicit, poſtquam homines fuerint, qui exiſtimarent, bene dicendi laudem in eo poſitam eſſe, vt ne vllum vocabulum ponas, quod non ex Cicerone ſumſeris, quamuis fatue atque inſulſe loquaris, ſine vlla vi, ſine vllo acumine, ſine vllo pondere ſententiarum, dummodo vnum illud obſerues, ipſius te Ciceronis fraterculum fore. 20 Aratrum, per

cundior esses, opinor, si longius ab*essem*. *Ec.* *Essem*. *Iu.* Non me delectant sermones dissyll*abi* [21]. *Ec.* *Abi*. *Iu.* Cœpi prior; video non posse vitari, quin posterior de*sinas*. *Ec.* *Sinas*. *Iu.* Iam igitur tibi videor satis instructus ad ea probe gerenda, quæ sunt in *vita?* *Ec.* *Ita*. *Iu.* Proinde si me voles abire, dic*ito*. *Ec.* *Ito*.

ΠΟΛΥΔΑΙΤΙΑ [1].

DISPAR CONVIVIVM.

SPVDVS, APITIVS [2].

Sp. HEus heus, Apiti. *Ap.* Non audio. *Sp.* Heus, inquam, Apiti. *Ap.* Quis hic est

Synecdoch. Partis pro toto. ein Pflug/Pflug-Sterze/Handhabe des Pflugs. 21 duarum Syllabarum, quibus nimirum respondebat Echo, cum detur Echo Romæ extra portam D. Laurentii in via Appia, quæ ob Cæciliæ Metellæ Mausoleum quaternis vicibus & pluries successiue sine interpellatione perfecte & particulatim repetit omnia verba, quæ pronuntiantur, nempe totum adeo versum, vt illum: *Arma virumque cano, Troia qui primus ab oris.* Nusquam gentium eiusmodi Echo auditur, quæ ideo tanto exeitata esse artificio dicitur, vt in funere huius Cæciliæ plorantium eiulatus, exclamationes & planctus funebres in immensum multiplicarentur. Vide Epist. ad Voss. 297. Ernesti Brinck Harderuici anno 1640. d. 8. Iulii scripta. Cardanus lib. 18. de Subtilit. affert Echonem, quæ decies & ter vocem reddat. Conf. Plinii Hist.nat. lib.36. c.13. de Echone Heptaphone.

1 *Πολυδαιτία* a *πολὺς* multus & *δαίτη* Epulum, qs. varium aut multifarium conuiuium. Lepidum profecto Colloquiũ in quo varia ad vrbanitatem & bonos mores spectantia docte tractantur. 2 Apta personarum nomina;

est tam molestus[3] interpellator? *Sp.* Est seriæ rei quiddam[4], quod te volo[5]. *Ap.* At ego ad rem seriam propero. *Sp.* Quonam? *Ap.* Ad cœnam. *Sp.* Hac ipsa de re tecum volebam agere*. *Ap.* Non vacat nunc actoribus[6] operam dare, ne actum agam[7]. *Sp.* Nihil feceris dispendii; comitabor te quo properas. *Ap.* Age dic, modo tribus verbis. *Sp.* Magno studio molior conuiuium, in quo nulli displiceam conuiuarum, placeam omnibus. Eius artis quoniam tu principatum tenes, ad te velut ad oraculum confugio. *Ap.* Responsum accipe, & quidem iuxta veterum morem, ἔμμετρον*: *Nulli vt displiceas, nullum inuitare memento.* *Sp.* Atqui solemne est epulum; multos excipiam oportet. *Ap.* Quo plures inuitaris, hoc pluribus displiceas oportet. *Quæ fuit vnquam tam bene vel conscripta, vel acta fabula, vt toti placuerit theatro?* *Sp.* Sed age, Comi ** delicium

alter enim *Spudus* quasi Σπουδαῖος. Bonus, diligens & probus; alter Apitius, qui omnium helluonum fuit princeps. 3 parum modestus, importunus. 4 Elegans Verbi Periphrasis, vt in illis: Est, vt velit; erit vt liceat; est, vt præponere cures; pro: Vult, licebit, præponere curabis. 5 scil. adire, tecum colloqui. **Daß ich zu dir will / warumb ich dich sprechen will / daß ich deiner begehre /** quod te cupio, conuenio, accedo. * Agere est *iudicio persequi*: inde actores, causarum patroni, relatiuum est ad reum; est vero etiam communiter: *loqui*, vel *tractare*. 6 Putat Apitius Spudum actorem esse velle in iudicio accusando. 7 nihil agam. Τὸ πεπραχθὲν μὴ πράξῃς, a iudiciorum consuetudine sumptum prouerbium est, qua fas non est causam iterum agere, de qua sit pronunciatum. * Id est, metricum, numeris constans. ** Comus Deus est comessationis & gulæ. Dictum est

cium Apiti, subleua me tuo consilio; habebo te posthac numinis loco. *Ap.* Sit igitur hoc primum consilium; *Ne conare quod fieri non potest.* *Sp.* Quidnam? *Ap.* Vt conuiuator omnibus placeas. Tanta est palatorum varietas. *Sp.* At saltem vt paucioribus displiceam. *Ap.* Voca *paucos.* *Sp.* Non licet. *Ap.* Voca *pares*, & ingeniis congruentes. *Sp.* Ne id quidem mihi liberum est. Vitari non potest, quin & multos vocem, & dissimiles, denique nec eiusdem linguæ neque nationis homines. *Ap.* Næ tu mihi vere *conuicium* narras, non *conuiuium*; in quo facile possit talis exoriri lusus, qualem Hebræi narrant accidisse in structura Babel, vt petenti frigidum aliquis porrigat calidum. *Sp.* Opitulare, te quæso; gratum experieris ac memorem. *Ap.* Age, quando electio non est tui arbitrii, in re mala dabo bonum consilium. Haud parui refert ad hilaritatem conuiuii, quo quisque loco sedeat. *Sp.* Verissimum. *Ap.* Ea res vt tibi cedat prospere, fac vt sortibus distribuantur accubitus. *Sp.* Pulcre mones. *Ap.* Deinde ne sic paulatim a summo ad imum procedant patinæ, vt sigma litteræ* vel serpentis potius imaginem pingant, aut vltro citroque reciprocent, quemadmodum olim in conuiuiis myrtus [8] tradi solet. *Sp.* Quid igitur? *Ap.* Sed ad singulas conuiuarum tetradas * appone pati-

autem delicium Comi, vt homines elegantioris ingenii delitias Musarum appellamus. * C Græcum. 8 Olim, qui in conuiuiis canere iubebatur, myrteum ramum accipere solitus erat, ab eo qui ante cecinerat; atque is finita cantione tradebat ei, quem vellet post se canere. * Quaterniones.

tinas ternas, sic vt quarta media promineat, quemadmodum pueri tribus nucibus imponunt quartam; in singulis sit aliud atque aliud cibi genus, quo quisque quod libet [9] eligat. *Sp.* Placet. Sed quoties mutabo patinas? *Ap.* Quot partibus constat oratio rhetorica? *Sp.* Quinque, ni fallor. *Ap.* Quot actibus constat fabula? *Sp.* Apud Horatium legi: *Ne sit quinto productior actu.* *Ap.* Toties mutabis patinas, vt procemium sit iusculentum, conclusio vel epilogus ex variis bellariorum generibus conflatus. *Sp.* Quem probas in patinis ordinem? *Ap.* Eundem quem Pyrrhus in acie. *Sp.* Quid ais? *Ap.* *Quemadmodum in oratione, ita nec in conuiuio decet procemium esse elaboratum.* Rursus epilogus varietate commendetur potius quam apparatu. In tribus itaque mediis seruanda Pyrrhi disciplina, vt in vtroque cornu sit aliquid eximium, in media acie vulgarior apparatus. Hoc pacto fiet, vt nec sordidus videare, nec fastidiosa copia sis molestus. *Sp.* Satis expedite de cibis; superest, vt, quomodo bibendum, doceas. *Ap.* Nulli omnium cyathum appones, sed pueris dato negotium, vt vbi percunctati didicerint quo quisque vini genere delectetur, alacriter ad nutum cuique quod volet porrigant. Ea ex re duplex erit commodum. Nam & parcius bibetur, & iucundius; non solum ob id, quia subinde recens dabitur potus, verum etiam quod nemo bibet nisi sitiens. *Sp.* Optimum pro-

---

9 quam velit, quod velit, quantum velit; was er will / so viel als er will.

profecto consilium. Sed qui fieri poterit, vt hilarescant [10] omnes? *Ap.* Id vt fiat, partim in te situm est. *Sp.* Quinam [11]? *Ap.* Tenes illud: *Ante omnia vultus accessere boni* [12]. *Sp.* Quorsum istud? *Ap.* Vt conuiuas comiter excipias, fronteque hilari compelles, sermonem ad cuiusque ætatem, affectum, ac mores attemperans. *Sp.* Accedam, vt dicas melius. *Ap.* Nosti linguas [13]. *Sp.* Propemodum omnium. *Ap.* Vt sua quemque lingua subinde appelles, vtque conuiuium fabulis amœnioribus hilarescat, varias misce materias de rebus, quarum quisque libenter meminit, & [14] nullius dolore audiuntur. *Sp.* Quas dicis huiusmodi materias? *Ap.* Sunt peculiares ingeniorum differentiæ [15], quas ipse melius perspicies; ego generatim attingam aliquot. *Senes* gaudent ea memorare, quæ multorum fugiunt memoriam [16], admiratores temporum in quibus ipsi floruerunt. *Matronis* dulce est refricari [17] memoriam eius temporis, cum a procis ambirentur. *Nautæ*, quique diuersas ac longinquas mundi regiones inuiserunt, libenter ea narrant, quæ, quia nemo vidit,

10 hilares fiant, hilari reddantur, occipiant lætari, exhilarari omnes. 11 Qua ratione, quo pacto, quomodo id vero? 12 Ex Ouidii Metamorphosi desumptum, vbi Iupiter & Mercurius a Bancide & Philemone hospitio excipiuntur. Fabulam lege lib. 8. - - - - *Super omnia vultus Accessere boni, nec iners pauperque voluntas.* 13 Calles linguas, linguarum peritus es. 14 quæ. 15 characteres, propensiones, procliuitates. 16 multi tradiderunt obliuioni, multis memoria exciderunt, quorum multos cepit obliuio. 17 renouari, recoli, reuocari.

dit, mirantur omnes. *Est & ante actorum malorum*, iuxta prouerbium, *iucunda recordatio, si modo eius sint generis, vt cum probro coniuncta non sint, veluti militiæ, profectionum, naufragiorumque discrimina.* Postremò de sua cuique arte grata est confabulatio, deque hisce rebus, quarum vsu callet[18]. Hæc sunt ferme generalia. Peculiares affectus singulatim describi non queant: sed exempli caussa: Est aliquis laudis appetentior, alius vult haberi doctus, alius gaudet videri diues: est hic loquacior, ille pauciloquus: nonnullos reperies tetricos[19]; alios contra blandiores. Sunt qui nolint videri senes; cum sint: sunt rursus qui volunt haberi grandiores quam sint; affectantes hoc esse mirandi[20], quod belle portant[21] ætatem: sunt fœminæ quæ sibi de forma placent, sunt aliæ putidulæ[22]. His cognitis affectibus, haud difficile est miscere sermones vnicuique gratos[23], vitatis his, qui moro-

18 Spectat huc notissimum distichon:

Nauita de ventis, de tauris narrat arator;
Enumerat miles vulnera, pastor oues.

Recte etiam Seneca: Quod fuit durum pati, meminisse dulce est. 19 morosos, austeros, seueros. 20 vt hoc, per hoc, sint mirandi. 21 ferunt, pro grandi ætate satis formæ & virium est. 22 nec amabiles, nec suaues; aliquantum putidæ **übel riechend; es reucht nicht wohl umb sie.** 23 Est hoc assentari & passionibus cuiusque dominantibus, quas vocant moderni Philosophi, velificari; quod ipsum non conuiuatorem solum sed quemuis in vita alium gratum atque acceptum reddere solet, iuxta illud Clauderi ad assentatorem Epigramma Cent. V.

Est, vbicunque bene est, si patria; patria certe
Sic fuerit quauis in regione tibi.

rorem afferunt. *Sp.* Næ tu perpulcre tenes artem conuiuatoriam! *Ap.* Phy *! si tantundem temporis & operæ mihi consumtum esset in vtroque Iure, Medicina ac Theologia, quantum impensum est huic arti, iam dudum & inter Iureconsultos, Medicos ac Theologos Doctoris & titulum & lauream tulissem. *Sp.* Credo. *Ap.* Sed heus tu, ne quid erres, heic cauendum est, ne fabulæ [24] sint nimium prolixæ, aut ne exeant in temulentiam. *Quemadmodum enim vino nihil iucundius, si modice sumseris; contra nihil molestius, si supra quam sat est hauseris: ita vsu venit in fabulis.* *Sp.* Vera

præ-

Sed noxium quoque bonis moribus venenum non raro est assentatio & omnibus ad os loquendi iisque placendi studium; videlicet iuxta Alani de Complac. nat.

Lingua assentatrix vitium peccantis acervat,
Et delectatum crimine laude ligat;
Nulla sit vt lapso reparandæ cura salutis,
Blanditur sonti, dum male suasit honor.

Leuit. XIX, 16. verborum DEI: ***non comedas placentas in populo tuo,*** sensus est: non parasiteris, non agas adulatorem, delatorem & obtrectatorem ventris & cibi causa. Fagius in h. l. Rabbi Salom. annotare obseruat, moris fuisse, vt qui delectaretur adulatoribus & delatoribus, conuiuiis illos exceperit, delicatosque cibos apposuerit, quo promptiores essent ad detrahendum proximis suis. Hinc Parasitus a ***παρὰ ad, apud & σιτίον cibus.*** **Ein Teller-Lecker.** Bene Parmenion Macedo:

Μισῶ πλοῦτον ἄνουν, κολάκων τροφὸν· οὐδὲ παρ' ὀφρὺν,
Στήσομαι· οἶδ' ὀλίγης δαιτὸς ἐλευθερίην.
Diuitias odi stolidas fastusque potentum
Et nutus: modica cum dape liber agam.

* Interiectio despicientis. **Je! Phy/Pfy.** 24 conuiuia, quæ cum fabulis seu histrioniis, vt Publ. Syrus Mimus vocat, comparat.

prædicas, Sed huic incommodo quodnam ostendis remedium? *Ap.* Vbi senseris suboriri τὴν ἄοινον μέθην *, per occasionem interseca [25] sermonem, & argumentum diuersum intersere [26]. Frustra, opinor, te monerem, ne cui suus dolor in conuiuio refricetur [27], vtcunque [28] Plato iudicat, in conuiuiis quibusdam vitiis esse medendum, vino discutiente tristitiam, & offensæ [29] memoriam abolente [30]. Verum illud te monitum oportuit [31], ne nimium crebro salutes conuiuas; tametsi probo [32], vt interdum obambulans, nunc hos, nunc illos comiter appelles: oportet enim conuiuatorem bonum motoriam [33] agere fabulam. Nihil autem inciuilius, quam ibi commemorare, quod cibi genus sit, qua coctum arte, quanti emptum. Idem de vino dictum puta. Quin extenuandum [34] etiam modice quod apponitur. Alioqui nimis diligens extenuatio apparatus, idem agit quod ostentatio [35]. Satis est bis aut ad summum ter dixisse, *Boni consulite* [36]. *Si parum lautus est apparatus, animus certe lautissimus est.* Interdum sales asper-

---

* Id est, sine vino ebrietatem, non ex vino ortam. 25 interpella, interrumpe. 26 interpone, interiice, intermisce. 27 ne dolor cuiquam denuo reuocetur in mentem. Translatum a vulneribus, quæ fricando renouantur. 28 quomodocunque, prout, quemadmodum. 29 offensionis, læsionis, iniuriæ, lapsus, incommodi. 30 retundente, repellente, abigente. 31 sc. esse pro: moneri; illud monendus eras. 32 non improbo, vitupero. 33 in qua motus assiduus. 34 verbis derogandum, sermone detrahendum, imminuendum illi. 35 contra illud: *Nec te laudabis, nec te culpaueris ipse.* 36 Contenti, quæso, sitis. **Sie nehmen vorlieb / vor willen / den guten Willen vor die That.**

aſpergendi ſunt, ſed qui nihil habeant dentis [37]. Profuerit & illud, ſubinde ſua quemque compellare lingua, ſed paucis. Dicendum erat initio, quod mihi nunc tandem venit in mentem. *Sp.* Quidnam? *Ap.* Si non placet ſortito [38] dare locos, cura vt tres ex omnibus eligas natura feſtiuos, minimeque mutos, quorum vnum collocabis in capite menſæ, alterum e regione, tertium in medio, qui ſilentium ac triſtitiam cæterorum diſcutiant [39]. Quodſi perſpexeris, conuiuium vel ſilentio triſtius eſſe, vel clamoribus tumultuoſum, aut etiam ad rixas tendere [40]. *Sp.* Hoc crebro fit apud nos: quid tum faciendum? *Ap.* Accipe rem mihi multo vſu compertam. *Sp.* Exſpecto. *Ap.* Inducito duos mimos [41], ſiue γελωτοποιὺς*, qui ſine voce ridiculum aliquod argumentum geſticulatione repræſentent. *Sp.* Cur ſine voce? *Ap.* Vt par ſit omnium voluptas, aut nihil loquantur, aut lingua loquantur omnibus æque ignota; geſtibus loquentes [42], omnes pariter intelligent. *Sp.* Quod ar-

---

37 mordacitatis, aculeati, acerbitatis ingratæ. 38 per ſortem, adhibita ſorte. 39 diſpellant. 40 Interrumpitur ſermo dicentis; ſed continuatur poſt interiecta Spudi verba. 41 imitatores hiſtrioniei ſunt, geſticulatores. Pickelheringe. Pro hiſce talibus Imperator Auguſtus aretalogos, Philoſophos circulatores, qui in conuiuiis de vitiis & virtutibus diſſerebant, interpoſuit epulis ſuis. Suet. c. 74. * Id eſt, riſus excitatores, fictos moriones. Luſtigmacher / verſtellte Narren. 42 Non incongrue hic commendabuntur doctiſſimæ Dan. Guiliel. Molleri Prof. Altdorf. de Oculiloquio, Manuloquio & Pediloquio Disquiſitiones. Ouidius lib. I. Amor. Eleg. 4.

argumentum mihi narras, non satis intelligo. *Ap.* Sunt innumera, puta vxorem decertantem cum marito de principatu, aut simile quippiam e media vita. Quo magis erit ridicula saltatio, hoc plus erit omnibus voluptatis. Hos oportet esse semifatuos; alioqui qui plane fatui sunt, quædam interdum effutiunt imprudentes, quæ lædunt. *Sp.* Ita tibi precor semper propitium Comum [43], vt mihi dedisti fidele consilium. *Ap.* Addam coronidem [44], quin potius repetam, quod initio dixeram, ne nimium sis anxius, vt placeas omnibus [45], non heic tan-

Verba supercilijs sine voce loquentia dicam:
Verba leges digitis, verba notata mero.

Talismodi gesticulatores nutum pro sermone, manum pro ore, digitos habent pro voce; quo in more illustres fuere Æsopus & Roscius ludicræ artis peritissimi viri. 43 Deum comessationum, nocturnarumque saltationum Præsidem. Est autem formula votiua, vt illa apud Terentium in Heautont. Act. V. Sc. 4. v. 7. Ita mihi atque huic sis superstes, vt ex me natus es. 44 rei apicem, mantissam, colophonem, vltimam manum, finem. 45 Nec vdus aut sudus Iupiter omnibus placet. Cogitandum crebriusque voluendum ac reuoluendum est animo & ore illud Poëtæ:

Omnibus haud placeo, causa est: mihi non placet omnis,
Sed placeo tantum, non malus ipse, bonis.

Seneca Epist. 28. Quæ ego scio, non probat populus; quod probat populus ego nescio. Quis enim placere potest, cui non placet virtus? Malis artibus popularis fauor acquiritur. Similem te illis facias oportet; alioquin non probabunt, nisi agnouerint. Crucius Epist. I. lib. I. Merc. Belg. Displicere malis veræ virtutis signum est, & contemni a non laudatis laus. Fridericus I. Ænobarba sæpissime; præstare, inquiebat, vni probo, quam decem placere improbis. Apud Gellium doctus dicit; Cui non est inimicus, illi nec amicus est.

tantum, ſed in omni vita: atque ita fiet, vt citius placeas omnibus; optimum enim in vita, *Ne quid nimis*[46].

DE REBVS AC VOCABVLIS[1].

BEATVS, BONIFACIVS.

Be. Saluus ſit Bonifacius. *Bo.* Etiam atque etiam ſaluus ſit Beatus. Sed vtinam eſſemus vterque quod dicimur, tu diues, ego formoſus[2]. *Be.* Itane parum tibi videtur, habere nomen magnificum? *Bo.* Mihi quidem minimi momenti, niſi res adſit[3]. *Be.* At plerique mortales aliter affecti ſunt[4]. *Bo.* Fieri poteſt vt mortales ſint iſti[5]; homines eſſe non credo. *Be.* Et homines ſunt, o bone, niſi putas, etiam nunc ſub hu-

Vir pius eſt cœli, malus eſt telluris alumnus:
Quos igitur cœlum diligit, odit humus. Cal. I, 10.

46 Terent. Andr. Act. I. Sc. I. Id arbitror apprime in vita eſſe vtile, vt ne quid nimis. Horat.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines;
Quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum.

1 Taxat Autor quorundam male ſanas opiniones, qui non recte de rebus aut earum nominibus iudicant. 2 Quaſi diceretur Bonifacius a *bona facie*. 3 Socrates hanc viam proximam ad gloriam & compendiariam eſſe dicebat, ſi quis, qualis videri vellet, talis etiam eſſet. Val. Max. lib. VII. c. 2. Cic. Offic. lib. II. c. 13. Cornelius Sylla, iudice Solino in Polyhiſt. c. VII. dictus potius eſt, quam fuerit felix. 4 animati ſunt, ſentiunt, tenent, perſuaſum habent, cenſent. 5 nam & beſtiæ ſunt mortales, quamuis vulgo de hominibus hoc dicatur.

humana ſpecie camelos & aſinos obambulare[6]. *Bo.* Hoc citius crediderim, quam homines eſſe, qui pluris nomen faciant, quam rem. *Be.* In certis rerum generibus, fateor, plerique malunt rem quam nomen; in multis contra. *Bo.* Hoc quid ſit, non ſatis aſſequor. *Be.* Atqui penes nos ipſos exemplum eſt. Tu Bonifacius diceris & habes quod diceris: ſed ſi eſſes alterutro * ſpoliandus, vtrum malles habere malam faciem, an pro Bonifacio dici Cornelius? *Bo.* Equidem malim vel Therſites[7] dici, quam habere prodigioſam faciem: an bonam habeam, neſcio. *Be.* Item ego ſi diues eſſem, & aut res, aut nomen eſſet deponendum, malim Irus * dici, quam re ſpoliari[8]. *Bo.* Aſſentior vera loquenti. *Be.* Idem vſu veniet, opinor, in his qui ſunt proſpera valetudine, aut aliis corporis præditi commodis. *Bo.* Probabile eſt. *Be.* At quam multos videmus, qui mallent nomen eruditi piique viri, quam eſſe docti bonique[9]! *Bo.* Plurimos iſtiuſmodi noui.

---

6 Diogenem inter ipſos homines quæſiuiſſe accenſa de die candela homines accepimus. * Nomine ſc. aut re. 7 qui, vt Homerus nugatur, omnium, quotquot ad obſidendam Troiam venerant, Græcorum vultu fœdiſſimus. * Irus apud Homerum mendici pauperis nomen. 8 Diſcordant rebus nomina ſæpe ſuis. Omnibus eſt nomen, non nominis omnibus omen. 9 Plures ſunt, quod Vallæ olim in ore fuiſſe ferunt, Doctores, quam docti. Voſſ. Epiſt. 346. Sigismundi Polon. Regis coniux altera Bona nominata Mediolanenſis hos a natione Polonica impetrauit verſiculos:

Qui tibicunque Bone, ſacris dum tingeris vndis,
Impoſuit nomen, omnibus impoſuit.

M. Abrahami Saueri Diar. Hiſtoricum. p. 419.

ui. *Be.* An non apud nos plus habet momenti nomen, quam res? *Bo.* Videtur. *Be.* Iam si quis nobis adesset Dialecticus, qui scite definiret, quid sit Rex, quid Episcopus, quid Magistratus, quid Philosophus; fortassis & heic inueniremus qui mallent nomen, quam rem. *Bo.* Ita profecto, si Rex est, qui legibus & aequitate populi commodum spectat, non suum: si Episcopus, qui totus inuigilat gregi Dominico: & si Magistratus est, qui ex animo consulit Reipublicae: & si Philosophus est, qui neglectis fortunae commodis, tantum studet bonae menti parandae. *Be.* Heic vides, quantum huius generis exemplorum possim aggerere [10]. *Bo.* Sane plurimum [11]. *Be.* An hos omnes negabis esse homines? *Bo.* Vereor ne nos ipsi citius nomen hominis amittamus. *Be.* At si homo est animal rationale, quantum abest hoc a ratione, vt in *corporis* commodis verius quam bonis, & in externis, quae fortuna dat simul & eripit cum libet, *rem* malimus, quam *nomen*; in veris *animi* bonis *nomen* pluris faciamus, quam *rem*? *Bo.* Praeposterum mehercule [12] iudicium, si quis attendat. *Be.* Eadem autem est ratio in contrariis. *Bo.* Exspecto quid dicas. *Be.* Idem iudicandum de nominibus rerum fugiendarum, quod dictum est de vocabulis expetendarum. *Bo.* Apparet. *Be.* *Magis* enim *horrendum est esse tyrannum*,

10 congerere, congregare, cumulare, aceruare. 11 exemplorum coaceruas, i. e. plurima exempla. 12 profecto, certe, sane. De Ethnicismo styli superius dictum. Conf. Eliae Maioris de Var. Orat. libellus in Appendice Sect. X. p. 724.

num, quam tyranni nomen: & si malus Episcopus, iuxta sententiam Euangelicam, fur est & latro, non tam hæc nomina sunt nobis detestanda, quam ipsa res. *Bo.* Conuenit sane. *Be.* Tu de cæteris similiter colligito. *Bo.* Prorsus intelligo. *Be.* Nonne fatui nomen aduersantur omnes? *Bo.* Et quidem maxime. *Be.* Nonne fatuus esset qui aureo piscaretur hamo [13], qui vitrum anteponeret gemmis, qui cariores haberet equos quam vxorem ac liberos? *Bo.* Is esset quouis Corœbo * stultior. *Be.* An non tales sunt qui *procurrunt in militiam*, spe lucri non admodum magni, corpus & animum exponentes periculo: qui *student congerendis opibus*, cum animum habeant omnium bonarum rerum egenum: qui *vestes & ædes exornant*, cum animus neglectus ac squallidus iaceat: qui *corporis valetudinem anxie tuentur*; animam tot capitalibus morbis laborantem negligunt: denique qui *fugacissimis huius vitæ voluptatibus cruciatus merentur æternos?* *Bo.* Ipsa ratio fateri cogit, plus quam fatuos esse. *Be.* Atqui his fatuis cum plena sint omnia, vix inuenias qui ferre possit fatui vocabulum, cum adeo non abhorreant a re. *Bo.* Sic est profecto. *Be.* Age, scis quam sint apud omnes inuisa vocabula mendacis ac furis. *Bo.* Sunt inui-

13 Aureo piscatur hamo, qui mediocris commodi cupiditate periculum adit, vt maximarum rerum iacturam faciat. Abrupti enim damnum nulla captura pensari posset; vt Augustus aiebat, teste Sueton. c. 25. Reti aurato tamen piscari solitum fuisse Neronem, idem Tranquillus autor est c. 30. in Ner. * Corœbi viri stultitia prouerbio locum dedit, qui vndas maris numerare voluisse fertur, cum vltra quinque prosequi supputationem nequiret.

uisſiſſima, nec ſine cauſſa. *Be.* Fateor. Sed vt ſtuprare coniuges alienas ſit furto ſceleratius; tamen adulteri cognomine quidam etiam gloriantur, ad furti conuicium illico ſtricturi gladium. *Bo.* Ita res habet apud complures. *Be.* Ita cum multi ſcortis vinoque perditiſſimi ſint, & ſint libenter ac palam, tamen ad ganeonis [14] nomen offenduntur. *Be.* Hi nimirum rem ſibi gloriæ ducunt, cum vocem rei debitam horreant. *Be.* Sed vix aliud nomen auribus noſtris videtur intolerabilius, quam mendacis. *Bo.* Noui qui hoc conuicium cæde ſint vlti. *Be.* Sed vtinam pariter abominentur rem! Nunquam accidit tibi, vt, qui promiſerat ſe mutuum ad certum diem redditurum, falleret [15]? *Bo.* Frequenter; etiam cum id deieraſſet; neque id ſemel, ſed iterum atque iterum [16]. *Be.* Fortaſſe non erant ſoluendo [17]. *Bo.* Imo erant, ſed commodius eſſe ducebant non reddere creditum [18]. *Be.* An hoc non eſt mentiri? *Bo.* Planiſſime [19]. *Be.* Auderes iſtiuſmodi creditorem ſic compellare: *Cur mihi toties mentiris?* *Bo.* Non, niſi paratus eſſem ad pugnam [20]. *Be.* An non

14 qui ganeas ſeu proſtibula frequentat. 15 non ſtaret promiſſis, fidem non ſeruaret. 16 ſæpius, aliquoties, pluries. 17 non poterant ſoluere. Senſus verbi Poſſum eleganti Phraſi Elliptica efferri poteſt per Verbum Subſtantiuum, cui duo Datiui alter Participii h. l. *ſoluendo*, alter Nominis h. l. ſubintellecti: *debito*, adiectus ſit. Symmachus *lib. 9. Epiſt. 103. Cum prioribus officiis tuis adhuc ſoluendo non ſim, denuo aliquid poſco, quod debeam.* Subintelligitur autem in his ſimilibus formulis Adiectiuum: *Aptus, Par, Idoneus, ſufficiens.* El. Mai. de var. Orat. p. 265. 18 acceptum, mutuo ſibi datum. 19 Vtique, omnino, manifeſtiſſime. 20 certamen, litem, luctam.

non ſimili modo quotidie verba dant Iatomi* , fabri aurifices & veſtiarii [21], pollicentes ad certum diem, nec tamen præſtantes, etiamſi magni referat tua? *Bo.* Mira impudentia! ſed adde his aduocatos pollicentes operam. *Be.* Potes addere ſexcenta nomina [22]: nemo tamen horum laturus [23] ſit mendacis vocabulum. *Bo.* Hoc genere mendaciorum plena ſunt omnia. *Be.* Itidem furis nomen nemo tolerat, cum a re non perinde [24] omnes abhorreant. *Bo.* Exſpecto vt dicas clarius. *Be.* Quid intereſt inter eum qui rem tuam tollit e ſcrinio, & inter eum qui depoſitum abiurat? *Bo.* Nihil, niſi quod ſceleratior eſt, qui ſpoliat etiam fidentem. *Be.* At quam pauci ſunt, qui depoſitum reddunt; aut ſi reddunt, non dant integrum? *Bo.* Opinor eſſe perpaucos. *Be.* Nemo tamen iſtorum ferat furis vocabulum, cum rem non horreant. *Bo.* Admodum. Be. Iam mihi reputa, quid vulgo fiat tractandis pupillorum bonis, in teſtamentis ac legatis, quantum hæreat digitis tractantium? *Bo.* Frequenter [25] totum. *Be.* Furtum amant, vocabulum deteſtantur. *Bo.* Maxime. *Be.* Quid agant, qui res fiſci * tractant,

---

* Lapicidæ. 21 ſartores atque ſutores aliique opifices. 22 innumera nomina; innumeros alios. Ponitur numerus certus pro incerto & nomen pro Perſona, nomen gerente, per Metonymiam. Sic: Nomen amici inimicum, id eſt, inimicum amicum, φίλον ἄφιλον; Nomen Cæninum, id eſt, Cæninenſes; nomen Albanum, id eſt, Albani. 23 paſſurus ſit. 24 adeo, ita, æque, ſimiliter. 25 Non raro, ſæpe.
* Fiſcus hinc nomen habet, quod olim in fiſcellis, hoc eſt, ſportulis, pecunias colligebant.

ſtant, qui monetam publicam cudunt deteriorem, qui nunc aucta, nunc diminuta nummorum æſtimatione, priuatorum rem accidunt[26], fortaſſe nobis non admodum liquet[27]: de his, quæ quotidie experimur, loqui fas eſt. Qui ſumit mutuum, aut qui conflat æs alienum[28] hoc animo, vt reddat, ſi liceat, nunquam, quantulum abeſt à fure? *Bo.* Cautior[29] fortaſſe dici poteſt; melior nequaquam. *Be.* At horum cum ingens vbique ſit numerus, nemo tamen tolerat furis nomen. *Bo.* Animum ſolus Deus nouit: proinde apud homines obærati[30] vocantur, non fures. *Be.* Quantuli refert, quo nomine dicantur apud homines, modo[31] ſint fures apud Deum? certe ſuus cuique notus eſt animus. Ad hæc qui, cum debeat multum, quod obtigit pecuniæ nequiter prodigit; qui, poſteaquam decoxit in vna ciuitate, deluſis[32] creditoribus fugit in aliam, hoſpites quærens quibus imponat[33], idque facit crebrius[34]; nonne ſatis declarat quo ſit animo? *Bo.* Satis ſuperque. Sed tamen iſti ſolent fucare[35] colore[36] quod faciunt. *Be.* Quonam[37]? *Bo.* Multum multiſque debere[38], prædicant ſibi cum magnatibus, atque adeo Regibus, eſ-

26 Accidunt penultima producta ex Cædo; minuunt, **beſchneiden/ verringern/ geringer machen.** 27 manifeſtum, cognitum eſt; patet. 28 debita contrahit. 29 aſtutior, verſutior, callidior. 30 debitores. 31 ſi, quodſi, qui. 32 deceptis. 33 quos fallat. 34 plus vice ſimplici. 35 incruſtare, affricare, colorare, fucum inducere. 36 Illud, hoc. 37 colore, fuco ſolent? 38 Enallage Infinitiui pro Accuſatiuo: ***multa multiſque debita prædicant ſibi cum magnatibus eſſe communia.***

esse commune; eoque [39] qui sunt hoc ingenio præditi, fere nobilitatis opinionem affectant [40]. *Be.* In quem vsum? *Bo.* Dictu mirum [41], quantum equiti [42] licere velint. *Be.* Quo iure? quibus legibus? *Bo.* Haud aliis quam quibus præfecti maris vendicant sibi quidquid eiectum est naufragio, etiamsi extet [43] dominus: quibus [44] alii suum esse volunt, quidquid apud furem aut prædonem deprehenderint. *Be.* Istiusmodi leges possent ipsi fures condere. *Bo.* Et facerent, si queant tueri; & haberent quod excusarent, si bellum indicant [45] prius, quam furentur. *Be.* Quis hoc iuris dedit equiti potius, quam pediti? *Bo.* Militiæ fauor. Sic enim exercentur ad bellum, quo promtiores sint ad spoliandum hostem. *Be.* Sic, opinor, Pyrrhus [46] exercebat suos ad bellum. *Bo.* Non, sed Lacedæmonii *. *Be.* Abeant in malam crucem [47] cum suo exercitio. Sed vnde nomen hoc tantæ prærogatiuæ [48]? *Bo.* Quibusdam obuenit a maioribus, alii mercantur ære [49], qui-

39 atque hoc ipso, per illud, hoc ipsum. 40 ambiunt, capiunt, aucupantur. 41 scil. est. 42 nobili. 43 adsit, adstet, præsto sit; præsente Domino. 44 quam illis legibus quibus alii. 45 inserant, denuntient, indicerent. 46 Epirotarum Rex, qui ipse rei militaris peritissimus suos ad miraculum in eadem disciplina instructissimos habuit. * Autor Xenophon in Rep. Laced. licuisse furari quæcunque vellent, exceptis quæ legibus essent prohibita. Et quo quam elegantissime & cautissime furarentur, iubebat lex in furto deprehensum loris cædi. 47 εἰς κόρακας, ad coruos, ad patibulum, in furcam, ad laqueum, in malam rem. 48 excellentiæ supra alios, priuilegii, vt equites sint & libere aut impune furentur. 49 nummis, pecunia.

quidam adſciſcunt [50]. *Be.* An licet adſciſcere cuilibet? *Bo.* Licet, ſi mores reſpondeant. *Be.* Qui [51]? *Bo.* Si nihil bonæ rei gerat, ſi ſplendide veſtiatur, ſi incedat annulatus, ſi gnauiter ſcortetur, ſi aleam ludat aſſidue, ſi certet chartis, ſi compotationibus ac voluptatibus ætatem abſumat, ſi nihil loquatur plebeium, ſed arces, pugnas, ac bella mera crepet [52], Thraſonica [53] omnia. Iſti ſibi permittunt bellum, cui velint, indicere [54]; etiamſi, pedem vbi ponant, non habeant. *Be.* Equites mihi narras equuleo* dignos. *Bo.* Atqui tales habet non paucos Sicambria [55].

CHA-

---

50 per ſe & ſponte ſua ſibi arrogant. 51 ſc. mores illi ſunt. 52 ſtrepat. 53 arrogantia, ferocia, ſesquipedalia verba. Thraſo enim apud Terent. in Eunucho ſe ſuaque immodice iactat, oſtentator inſulſus, & vecors gloriator, ἀπὸ τῦ θρασεος pro θάρσους per Metatheſin, id eſt, ab inſolentia, & audaci temeritate. 54 Sie nehmen ſich heraus Krieg zu führen / Händel anzufangen / mit wem ſie ſelber wollen.
* Iocus eſt in dictione equuleo, quod & paruum equum & tormenti genus ſignificat. 55 Sicambri, Sigambri a Tiberio Cæſare a Germania in Galliam traducti, nomine etiam penitus extincto. Ante illa tempora ex toto Trans-Rhenani Vbiis fuere proximi incolentes Weſtphaliæ magnam partem, comitatum Marchienſem totum & Cliuiæ partem trans-Rhenanam. Hodie Sicambri fere dicuntur obærati nobiles.

CHARON[1].

CHARON, GENIVS, ALASTOR *.

Ch. QVid ita properas gestiens, Alastor? *Al.* Opportune tu quidem, o Charon. Ad te properabam. *Ch.* Quid nouæ rei? *Al.* Nuntium fero, tibi Proserpinæque lætissimum futurum. *Ch.* Effer [2] igitur quod fers, teque exonera. *Al.* Furiæ non minus gnauiter quam feliciter gesserunt suum negotium, nullam orbis partem non infecerunt malis tartareis, dissidiis, bellis, latrociniis, pestilentiis, adeo vt plane iam caluæ * emissis colubris sint, & exhaustæ venenis obambulent, quærentes quidquid vsquam est viperarum & aspidum, quando tam glabræ sunt quam ouum, & pilum non habent in capite, neque quidquam in pectore succi efficacis. Proinde tu fac, cymbam ac remos appares [3]. Mox enim ventura est tanta vmbrarum

1 Toruus ille senex, inferorum portitor, qui defunctorum animas cymba per Stygem & Acherontem transuehit. Scripsit Erasmus hoc Colloquium fere eo tempore, quo Carolus V. Imperator grauissima bella gerebat aduersus Franciscum I. Galliæ Regem. * Malus genius, infestus dæmon, qui terris calamitates immittit. 2 Paregmenon adhibet & simul ludit æquiuocatione vocabuli, quod significat *eloqui, proloqui*, & *efferre, exportare*. * Alludit ad fabulam Eumenidum, quæ pro coma angues nutrire dicuntur. 3 id est, appara, para. Est Periphrasis verbi cum Ellipsi pro: fac vt appares, facito vt appares. Pluribus enim Modis Imperatiui possunt immutari: v. g. Volo, velim appares, vt appares; velim te apparare. Age para; agedum, agesis; age age para; eia age para; obsecro pa-

rum [4] multitudo, vt verear ne non [5] sufficias omnibus transmittendis [6]. *Ch.* Ista nos non fugerant [7]. *Al.* Vnde rescieras? *Ch.* Ossa * pertulerat ante biduum. *Al.* Vt illa Dea nihil est velocius [8]! Sed quid tu igitur heic cessas relicta cymba? *Ch.* Ita nimirum res ferebat [9]. Huc profectus sum, vt mihi compararem validam aliquam triremem [10]. Nam mea cymba * iam vetustate putris ac sutilis [11] non suffecerit huic operi, si vera sunt quæ narrauit Ossa. Quanquam quid opus erat Ossa? Res ipsa compellit. Nam naufragium feci. *Al.* Nimirum totus distillas [12]; suspicabar, te redire a balneo. *Ch.* Imo enataui e Stygia [13] palude. *Al.* Vmbras vbi reliquisti? *Ch.* Natant cum ranis [14]. *Al.* Sed quid narrauit Ossa?

Ch.

---

ra, vt pares, quin para; oro & obsecro vt pares. Amabo, amabo te, para, paraueris. Si me amas para; amabo te, velim pares; precor, quæso, oro, sodes, vide vt pares. 4 Manium, occisorum, interfectorum, defunctorum. 5 id est, vt. **Du werdest nicht.** Addita enim particula ***non*** voculæ: ***ne***, post verendi verbum affirmatiue significanti, negationem reddit. 6 transportandis, traiiciendis, transfretandis. 7 noueramus. * Fama dea est, apud Homerum. 8 iuxta illud tritum: ***Fama malum, quo non aliud velocius vllum.*** 9 Secus fieri nequibat. 10 sc. nauem, tribus remis instructam. **ein dreyrudericht Schiff.** * Charon enim apud inferos animas defunctorum per Stygem & Acherontem transuehere dicitur. 11 a suo. **Ich flicke/** ex Supino: sutum. Cymba sutilis **Ein löchrichter Kahn / der geflicket werden solte / der des Anrichtens bedarff.** 12 mades. **du bist / daß du treiffest und seugest.** 13 infernali. 14 Aristophanes fingit in Stygia palude multas esse ranas.

Ch. Tres [15] orbis Monarchas capitalibus [16] odiis in mutuum exitium ruere, nec vllam orbis Christiani partem immunem [17] esse a belli furiis: nam tres illi reliquos omnes pertrahunt in belli consortium. Omnes esse talibus animis, vt nemo velit alteri cedere, nec Danum, nec Polonum, nec Scotum: nec vero Turcam interim esse in otio, moliri dira: pestilentiam vbique sæuire, apud Hispanos, apud Britannos, apud Italos, apud Gallos. Ad hæc nouam esse luem ex opinionum varietate natam, quæ sic vitiauit omnium animos, vt nulla vsquam sit sincera amicitia, sed frater fratri diffidat, nec vxori cum marito conueniat. Spes est, hinc quoque nascituram olim magnificam [18] hominum perniciem, si res a linguis & calamis ad manus peruenerit. *Al.* Hæc omnia verissime narrauit Ossa. Nam ipse plura vidi his oculis, assiduus comes & adiutor Furiarum, quæ nullo tempore magis declararunt se suo dignas nomine [19]. *Ch.* Atqui periculum est, ne quis dæmon [20] exoriatur, qui subito adhortetur ad pacem; & sunt mortalium animi mutabiles. Nam audio, apud superos esse Polygraphum * quendam, qui calamo suo non desinit in-

15 Nempe Carolum V. Henricum VIII. Angliæ & Franciscum Valesium I. Galliæ Regem. 16 exitialibus, mortiferis. 17 liberam, vacuam. 18 ingentem, copiosam. Sic decet Charontem verba facere. 19 a furendo & sæuiendo furiæ dictæ. 20 bonus scilicet, mali enim ad pacem quomodo queant hortari? Talia sunt Subiecta, qualia permittuntur esse a suis Prædicatis. * Qui multa scripsit. Sic autem se ipsum vocat hic & alibi, ob multa a se scripta, & pacis etiam querelam.

insectari [21] bellum, & ad pacem cohortari. *Al.* Ille iam pridem surdis canit [22]. Olim scripsit *pacis profligatæ querimoniam*; nunc eidem *exstinctæ scripsit epitaphium*. Sunt alii contra, qui non minus iuuent rem nostram, quam ipsæ Furiæ. *Ch.* Quinam isti? *Al.* Sunt animalia quædam pullis & candidis palliis, cinericiis tunicis [23], variis ornata plumis; hæc nunquam recedunt ab aulis principum: instillant in aurem amorem belli, hortantur eodem proceres ac plebem: in Euangelicis illis [24] concionibus clamitant, bellum esse iustum, sanctum, ac pium. Quoque magis mireris hominum fortem animum, clamitant idem apud vtramque partem [25]. Apud Gallos concionantur, *Deum stare pro Gallis, nec vinci posse qui Deum habeat protectorem.* Apud Anglos & Hispanos, *hoc bellum non a Cæsare geri, sed a Deo*; *tantum præbeant se viros fortes: victoriam esse certam.* *Quod si quis in-*

---

21 propulsare, infestare, dissuadere. 22 Sie hören auff ihn nicht; kehren sich an ihn nicht/er mag singen / sagen und schreiben was und wie er will. 23 Monachos describit, de quorum vestitu & forma & colore supra in Colloquio Πτωχοπλούσιοι Franciscani, dicto, egerat & alibi passim. *Animalia* autem contemtim vocat, non *homines*; vt Darius Alexandrum apud Curt. lib. 5. Alexander vnum animal est, & si quid mihi creditis temerarium & vecors. 24 vel quasi, scilicet: es seyn die rechten / saubern Evangelischen Predigten. Propter hunc sensum Ironicum Pleonastice inserebatur ab Autore Pronomen. Euangelium est lætus nuncius, quem apportantes Angeli Luc. II. exclamabant: ἐπὶ τῆς γῆς εἰρήνη; & in terra pax. 25 Gallos ex vna Anglos & Hispanos ex altera parte. Inierat quippe Henricus VIII. cum Carolo V. Hispaniarum Rege arctissimum fœdus contra Gallos.

interciderit, eum non perire, sed recta subuolare in cælum, sicut erat, armatum. *Ch.* Et habetur istis tanta fides? *Al.* Quid non potest simulata religio? Accedit huc iuuentus, rerum imperitia, gloriæ sitis, ira, animus, ad id quo vocatur, natura propensus. His facile imponitur, nec difficile perpellitur plaustrum suapte sponte propendens ad ruinam. *Ch.* Ego istis animalibus lubens aliquid boni fecero [26]. *Al.* Appara lautum conuiuium. Nihil potes gratius. *Ch.* Ex maluis *, lupinis, & porris. Nam apud nos non alia est, vt scis, annona. *Al.* Imo ex perdicibus, capis, & phasianis, si vis esse gratus conuiuator. *Ch.* Sed quæ res istos mouet, vt tantopere promoueant bellum? aut quid hinc metunt commodi? *Al.* Quia plus emolumenti capiunt e morientibus, quam ex viuis. Sunt testamenta, parentalia, bullæ, multaque alia non aspernanda lucra. Denique malunt in castris versari, quam in suis alueariibus [27]. Bellum multos gignit episcopos, qui in pace ne teruncii quidem [28] fiebant. *Ch.* Sapiunt. *Al.* Sed quid

26 Est Germanismus tacito suspectus. **Ich wolte ihnen gerne was gutes/ etwas zu gute thun.** Vorstius c. 9. de Latinitate falso suspecta p. m. 107. Vt nos dicimus, inquit, **einem gutes thun**; ita Latini: alicui bona facere. Plautus in Prologo Amphitruonis: Mos illic nunquam fuit Patri meo, vt exprobraret quod bonis faceret boni. Terent. Heautont. Act. IV. Sc. 3. Faciam tibi boni aliquid pro ista re. * Malua & porrum inferorum victus est: & lupinos si non maceres commode, mirum quam amarescant. 27 monasteriis, claustris. Alueare est in quo apes habitant suasque cellulas habent. 28 nummi perexigui & vilis; ne crepitu quidem digiti æstimati sunt, habiti, reputati sunt.

quid opus est triremi? *Ch.* Nihil, si velim in media palude rursus naufragium facere. *Al.* Ob multitudinem? *Ch.* Scilicet. *Al.* Atqui vmbras vehis, non corpora. Quantulum autem ponderis habent vmbræ? *Ch.* Sint tipulæ *, tamen tipularum tanta vis esse potest, vt onerent cymbam. Tum scis, & cymbam vmbratilem esse. *Al.* At ego memini videre me [29] cum esset ingens turba, nec cymba caperet omnes, a clauo tuo tria millia vmbrarum pendere nonnunquam, nec tu pondus vllum sentiebas. *Ch.* Fateor, tales esse animas, quæ paulatim demigrarunt e corpore phthisi aut hectica * tenuato. Cæterum quæ subito reuelluntur [30] e crasso corpore, multum corporeæ molis secum ferunt. Tales autem mittit [31] apoplexia *, synanche **, pestilentia, sed præcipue bellum. *Al.* Non opinor Gallos aut Hispanos adferre [32] multum ponderis. *Ch.* Multo minus quam cæteri; quan-

* Tipula vermiculus de aranearum genere leuissimus, vt quæ supra aquam currant. Wasser-Spinnen. 29 Memini semper pro Præterito Verbi sequentis requirit Præsens Infinitiui; ***memini me facere, me videre, audire***, dicere debemus, non: ***memini me fecisse, vidisse, audiuisse.*** Nam ***memini*** sermo est totus Præteriti Temporis, qui ante factam rem in Præsens reuocat; & si dixeris: ***Memini me fecisse***, duo Præterita simul iungis. Vide Georgii Fabritii Chemnicens. Grammaticorum veterum de Proprietate & differentiis sermonis Latini p. 49. Agrætii nimirum illa obseruatio est. * Febris species paulatim conficiens corpus. 30 abripiantur, abstrahuntur, rapiuntur. 31 transmittit. * Intemperantia mater apoplexiæ. Der Schlag. ** Latinis angina; itidem causam habet plenitudinem. Die Bräune. 32 portare, ferre, apportare.

quanquam & horum animæ non omnino veniunt plumeæ. Cæterum e Britannis, e Germanis belle pastis, veniunt aliquoties tales, vt nuper periclitatus sim decem duntaxat vehens, & nisi iacturam fecissem *, perieram vna cum cymba, vectoribus & naulo [33]. *Al.* Ingens discrimen [34]. *Ch.* Quid interea censes fieri, cum accedunt crassi satrapæ, thrasones & polymachæroplacidæ [35]. *Al.* Ex his qui pereunt in iusto bello, nullos arbitror ad te venire. Nam aiunt eos recta [36] subuolare in cœlum. *Ch.* Quo [37] subuolent, nescio: vnum illud scio, quoties bellum est, tot ad me veniunt saucii lacerique, vt demirer, vllum superesse apud superos [38]. Nec solum veniunt onustæ crapula [39] & abdomine [40], verum etiam bullis [41], & sacerdotiis, aliisque rebus plurimis. *Al.* At ista non deferunt [42] secum, sed nudæ veniunt ad te. *Ch.* Verum; sed quæ recentes [43] veniunt, somnia talium rerum secum adferunt. *Al.* Itane grauant somnia? *Ch.* Grauant cymbam meam; quid dixi grauant? iam de-

---

* Faciunt iacturam nautæ, quum ob periculum euitandum exonerant nauem, eiectu eorum quæ pretiosissima sunt. 33 Pretium, quod soluitur pro vectura in naui seu cymba das Schiff-Geld/Fähr-Geld/der Schiffer-Lohn. 34 periculum. 35 *Polymachæroplacidæ.* Vox de industria sic conficta ex πολὺ multum, μάχαιρα gladius breuis, & placeo, q. d. qui sibi multum placent pugionibus vt Hispani solent. 36 via, semita. 37 Quorsum. 38 in terris, apud viuentes supra terram. 39 nube, ex contracta ebrietate. 40 luxu & intemperantia, fartis visceribus, obesitate. Feistigkeit / Dicke/Fettigkeit. 41 diplomatibus, capsulisque ceræ sigillatæ. 42 deportant, afferunt descendentes. 43 nuperæ.

demerſerunt [44]. Poſtremo tot obolos [45] putas nihil habere ſarcinæ? *Al.* Equidem arbitror, ſi ferant æreos. *Ch.* Proinde certum eſt mihi, proſpicere de naui quæ ſufficiat oneri. *Al.* O te felicem! *Ch.* Quid ita? *Al.* Quia propediem diteſces. *Ch.* Ob multitudinem vmbrarum? *Al.* Næ. *Ch.* Si quidem ſuas opes ſecum adferant. Nunc [46] qui in cymba deplorant, ſe apud ſuperos reliquiſſe regna, præſulatus, abbatias, auri talenta innumera, ad me nihil adferunt præter obolum. Itaque quod iam annis ter mille mihi corraſum eſt, id totum eſt effundendum in vnam triremem [47]. *Al.* *Sumtum faciat oportet, qui quærit lucrum.* *Ch.* Atqui mortales, vt audio, felicius negotiantur, qui fauente Mercurio * diteſcunt intra triennium. *Al.* Sed iidem decoquunt nonnunquam. Tuum lucrum minus, ſed certius. *Ch.* Neſcio quam certum: ſi quis Deus nunc exoriatur, qui res principum componat, ſors hæc tota mihi perierit. *Al.* Iſta quidem de re iubeo, vt me ſponſore in vtramque aurem dormias [48]. Intra decennium totum nihil eſt quod pacem metuas. Vnus Romanus pontifex

44 Eſt Correctio cum Paradiaſtole. 45 quos ſingulæ mortuorum vmbræ ſecum afferunt pro naulo. 46 Aſt, atqui vero, ſed enim. 47 ſcil. nauem. Sæpiſſime enim vox hæc ſubintelligitur: vt ſoluere, conſcendere, inſcendere ſc. nauem. Appulit ad portum ſc. nauem. Sic Nauis deeſt in celox, liburnica, prætoria, roſtrata. Scioppii Grammat. Philoſoph. c. XIII. de Ellipſi Nominis p. m. 101, 114.
* Mercurius Deus lucri, & mercatorum præſes. Ethnica dicendi formula. 48 Quod hoc attinet, iubeo te, me exiſtente ſponſore, ſecurum eſſe. De me, de familia, de Epicu-

ſex ſedulo quidem hortatur ad concordiam; ſed laterem lauat *. Murmurant & ciuitates tædio [49] malorum: conferunt ſuſurros populi neſcio qui, dictitantes *iniquum vt ob priuatas iras aut ambitionem duorum triumue res humanæ ſurſum deorſum miſceantur:* ſed vincent, mihi crede, quamlibet recta conſilia, Furiæ. Cæterum quid opus erat hac gratia [50] petere [51] ſuperos? An apud nos non ſunt fabri? Certe Vulcanum [52] habemus. *Ch.* Pulchre, ſi quæram nauim æream. *Al.* Minimo accerſetur aliquis [53]. *Ch.* Ita eſt, ſed deficit nos [54] materia. *Al.* Quid audio? nihil illic ſiluarum? *Ch.* Etiam nemora, quæ fuerant in campis Elyſiis, abſumta ſunt. *Al.* In quem tandem vſum? *Ch.* Exurendis hæreticorum vmbris; adeo vt nuper coacti ſimus e terræ viſceribus carbones [55] effodere. *Al.* Quid? an iſtæ vmbræ non poſſunt minore ſumtu puniri [56]? *Ch.* Sic viſum eſt Rhadamantho [57]. *Al.* Vbi [58] triremem mercatus eris, vnde remiges parabuntur? *Ch.* Meæ partes ſunt [59] tenere clauum; remigent [60] vmbræ, ſi velint traiicere. *Al.* At ſunt

ro, id eſt, quod me, familiam, Epicurum attinet. Mai. de var. orat. c. III. Sect. 9. p. 422. de Ellipſi Verborum. * Lauat laterem, qui inanem operam ſumit. Vide Chiliades. 49 ex, præ faſtidio, nauſea, pœnitudine, ægritudine. 50 de hac gratia, hac de cauſa, hanc gratiam. 51 rogare, flagitare. 52 Deorum fabrum, & fabrorum Deum. Der Schmiede-Gott. 53 ſcil. faber. 54 deeſt nobis. 55 Stein-Kohlen/carbones petræ. 56 affligi, plecti, excruciari, torqueri. 57 ſeueriſſimo inferorum iudici & tortori. 58 Cum, Poſtquam, Ex quo, Poſteaquam. 59 Mearum partium, meum officium eſt. 60 Remiges agant, ſint; remum agant.

ſunt quæ non didicerunt remum agere. *Ch.* Apud me nullus eſt eximius*, remigant & Monarchæ, remigant & Cardinales ſuam quiſque vicem, non minus quam plebeii tenues, ſiue didicerint, ſiue non didicerint. *Al.* Tu fac dextro [61] Mercurio feliciter mercere [62] triremem; ego non te remorabor amplius. Orco [63] lætum adferam nuntium. Sed heus heus, Charon. *Ch.* Quid eſt? *Al.* Fac matures [64] reditum, ne te mox obruat [65] turba. *Ch.* Imo iam plus quam ducenta millia offendes in ripa, præter illas quæ natant in palude. Properabo tamen quantum licebit [66]. Dic illis, me mox adfuturum.

SYNODVS [1] GRAMMATICORVM.

ALBINVS, BERTVLPHVS, CANTHELVS, DIPHYLVS, EVMENIVS, FABVLLVS, GADITANVS [2].

Al. Estne quiſquam in hoc numero, qui didicit Arithmeticen [3]? *Be.* Cui tandem rei [4]? *Al.*

* Qui ex aliis dignitatis gratia exceptus ſit; exemptus.
61 fauente, propitio, annuente. 62 emas, vt merceris, mercare tibi. 63 Orcus aliquando pro inferorum ſede; aliquando pro ipſo Plutone, qui & DIS dicitur, Poëtis vſitatus eſt. 64 Beſchleunigen. Fac quam maturrime redeas. 65 opprimat, tibi incumbat. 66 fieri poterit, pro viribus, pro virili, pro virili mea, pro virili parte mea.

1 Congreſſus litteratorum, Conuentus, Concilium. Perſtringit Autor, vt ipſe docet in Diſſertat. de Colloquiorum vtilitate, ſtudium Carthuſiani, qui cum in Græcas literas ſolitus eſſet ſtolidiſſime debacchari, nunc libro ſuo Græcum titulum præfecerat; ſed ridicule, *Anticomaritas* dicens, quos appellare poterat *Anti-Marianos* vel *Antidico-Marianos*,

Al. Qui certum doceat quot conuenerimus grammatici. *Be.* Istuc quidem citra calculos * vel digiti nostri nobis dicere poterunt. Te[5] pono in pollice, me[6] in indice, Canthelum in medio, Diphylum in anulari, Eumenium in minimo. Nunc ad læuam[7] transeo; illic in pollice pono Fabullum, in indice Gaditanum. Itaque, ni fallor[8], septem sumus. Sed quorsum attinet[9] istuc scire? *Al.* Quoniam audio septenarium[10] reddere legitimum concilium. *Be.* Quod concilium mihi narras? *Al.* Est res seria quæ me diu multumque torsit; neque me tantum, verum multos etiam viros neutiquam[11] indoctos. Eam proponam in medium, vt huius synodi auctoritate semel finiatur[12] quæstio. *Ca.* Eximium quiddam sit oportet, quod tu vel ignores, Albine, vel animum tuum perspica-

qui fuerunt inepte de Maria Christi matre sentientes Apollinaristarum superfœtura seu παρθένφυσις, ab Heluidio Heluidiani dicti. 2 Nomina mere ficta, ex quorum significatione nihil ad materiam faciens exsculpi facile queat; nisi quod Dephylus, Eumenius & Fabullus aliquam interpretationem ferrent. 3 Arithmeticam sc. artem, seu τέχνην ἀριθμητικὴν, artem numerorum, numerandi scientiam, peritiam. 4 scil. inseruiat; quem in vsum? * Nam veteres olim calculis supputabant, vt nunc in quibusdam regionibus nummis æneis. 5 Albinum, 6 Bertulphum. 7 manum. 8 fortasse, forte. 9 quid prodest, iuuat. 10 scil. numerum. Numerus tertius, septimus & nonus sacri erant Romanis. vid. de Numero septenario Chassan. Catal. Gl. M. P. XII. Consid. 37. & Drusius in Iosuæ VI, v. 4. Bibl. Critic. p. 1560. 11 Adiectiuum significationis contrariæ adiuncta particula negandi æquipollet vsitato Positiuo, ac si dixisset: viros doctos. 12 decidatur, terminetur.

cacissimum diu multumque torserit [13]. Quare cupimus & ipsi nosse quid istuc sit rei. Nam vnus omnium nomine respondeo. *Al.* Ergo heic estote omnes, aures simul adhibentes & animos. *Plus vident oculi quam oculus.* Estne quisquam vestrum, qui nobis explanare possit, quid significet hæc vox: *Anticomarita?* *Be.* Nihil facilius. Sonat enim betæ genus, quam prisci natatilem appellabant; caule contorto nodosoque, mire fatua, tetri odoris [14] si contingas; posset cum Anagyri * contendere. *Ca.* Natatilem narras betam, imo cacatilem bestiam [15]. Quis vnquam audiuit aut legit antehac nomen natatilis betæ? *Be.* Imo hoc dilucide docet *Mammetrectus* vulgo corrupte dictus, cum vero nomine dicatur *Mammothreptos*, quasi dicas *auiæ alumnum.* *Al.* Quid istuc est tituli? *Be.* Vt intelligas, in libro nihil inueniri præter meras delicias [16]; quod *mamma*, hoc est, *auiæ* [17], soleant indulgentius habere nepotes, quam matres liberos suos. *Al.* Plane deliciosum opus mihi narras. Nuper enim cum in hunc codicem incidissem, minimum abfuit, quin risu dissilierim [18]. *Ch.* Vbi tu nactus es eum codicem, qui rarissimus inuentu [19] est?

---

13 diuexauerit. 14 est, deprehenditur. * Herbæ species, quam si contingas manibus, pessime olet. Vide prouerbium: Anagyrim mouere. **Das besudelte Höltzchen/ den Stinckbaum kriegen/sich einstäncken/** in eos, qui sibi ipsis malum accersunt inque suam ruunt perniciem. 15 Lepide ludit ex Paronomasia & barbaros barbara allusione ridet. 16 Ironice. 17 Gr. *μάμμη*; quo nomine infantuli matres fere balbutiunt. 18 effusus sim, ruptus in partes; quin rumperentur ilia risu. 19 ad inueniendum per Archaismum

est? *Be.* Abbas diui Bauonis[20], nomine Liuinus, a prandio Brugis[21] duxit me in bibliothecam suam peculiarem, quam homo senex, cupiens aliquod sui monumentum posteris relinquere, non mediocri[22] sumtu parabat[23]. Nullus erat liber, qui non esset manu descriptus, idque in membranis, nullus qui non variis picturis ornatus, ac foris bysso[24] auroque tectus. Quin & ipsa codicum spatiosa moles nescio quid maiestatis præ se ferebat[25]. *Al.* Quinam erant[26]? *Be.* Oh præclari omnes, Catholicon, Brachylogus[27], Ouidius per allegorias expositus, aliique innumeri; inter quos & lepidissimum Mammothreptum reperi. Inter eas delicias inueni *Natatilem Betam.* *Al.* Cur vocant *natatilem?* *Be.* Referam quod legi: penes auctorem fidei periculum esto. *Quoniam,* inquit, *prouenit in locis humidis putribusque, nec vsquam felicius prouenit, quam in cœno aut sterquili-*

Ciceroni ipsi non infrequentem, vt docet Elias Maior de Variatione Supini posterioris in U. p. 417. c. III. Sect. VIII.
20 Bauo hic, teste Miræo, etiam Alcuuinus dictus, Agilulphi in Hasbanta Comitis filius abdicata singulari militia per Amandum Episcopum Traiectensem ad vitam monasticam adductus Gandaui, cuius vrbis & Patronus est, in monasterio Petri a se fundato anno 630. obiit secundum Sigebertum.
21 Brugæ, Belgis: Brugge / vrbs Flandriæ nobilissima.
22 maximo, ingenti, prægrandi. 23 adornabat, instruebat, colligebat. 24 Atlaß / Taffend / Sammet. 25 exhibebat, ostendebat. 26 illi libri. 27 Nomina commentitia. Βραχυλόγος qui breuis est in sermone. Hinc Βραχυλογία Λακωνικὴ tandem peperisse & admirationem Iulio Cæsari, teste Platone, dicitur.

linio; honos ſit auribus [28]. *Al.* Itane grauiter olet? *Be.* Sic vt nec oletum [29] vllum peius oleat. *Al.* Eſtne iſtius oleris vllus vſus? *Be.* Imo in deliciis eſt. *Al.* Fortaſſe porcis aut aſinis, aut bubus Cypriis * *Be.* Imo hominibus, & quidem delicatis. Pelinorum [30] gens eſt, apud quam conuiuia viciſſim in longam ducuntur periodum [31]: extremam compotationem vocant ſua lingua Reſumtam, quaſi nos dicamus bellaria [32] aut tragemata [33]. *Al.* Quam bella bellaria! *Be.* Eius compotationis hæc lex eſt, vt liberum ſit conuiuatori quidquid volet apponere, nefas autem ſit conuiuis quidquam reiicere, ſed omnia boni conſulere. *Al.* Quid ſi apponeret cicutam*, aut cramben recoctam [34]? *Be.* Quidquid apponitur, deuorandum [35] ibi eſt tacite. Domi tamen licet quod ederint reuomere [36]. Nam heic fere ponunt natatilem Betam, ſiue Anticomaritam: nihil enim refert vtro nomine dixeris: res eadem eſt. Admiſcent aliquid querni corticis, & allii plurimum. Ita moretum* abſoluunt. *Al.* Quis perſuaſit legem

28 ſit venia verbis; ſalua venia. 29 Oletum hic ſignificat locum, quo aluum exoneramus, vel ipſum ſtercus. * Boues Cyprii ſtercore victitant. Vide prouerbium. 30 Pelini vox ficta. 31 circuitum. 32 Friſch Obſt/ Confect. 33 Triſenet. Tragea, ſeu Tragema (τραγήματα τὰ bellaria) puluis eſt intro aſſumendus ex ſpeciebus & ſimilibus pulueribus ſimplicibus cum ſaccharo confectis ue ad ſaporem gratum commixtis. * Cicuta venenum eſt. Crambe recocta mors. 34 bis coctam. 35 Deuorare idem eſt quod patienter ferre, in ſich freſſen/ verbeiſſen/ mit Gedult vertragen. 36 iterum euomere, eructare, exſpuere. * Paſtilli ſeu placentæ genus, quod variis herbis conſtat.

gem tam barbaram? *Be.* *Consuetudo* [37], *quouis tyranno potentior.* *Al.* Tragicam * periodum mihi narras, quæ tam inamœnum habeat exitum. *Be.* Dixi meam vicem [38], nulli præiudicans, si quis quid habet rectius. *Ca.* At ego comperi, priscis fuisse piscem, quem vocant Anticomaritam. *Be.* Dic auctorem. *Ca.* Codicem exhibere possum; nomen auctoris non possum dicere. Scriptus est Gallice, sed formulis Hebraicis. *Be.* Quam speciem habet piscis anticomarita? *Ca.* Cætera nigris squamis est, solus venter albet. *Be.* Palliatum quempiam Cynicum [39], opinor, nobis ex pisce facies. Qui sapor? *Ca.* Nihil insuauius. Quin pestilens est. Nascitur in putribus lacunis, interdum & in cloacis, iners [40], limosus: solo gustu pituitam gignit grauem, quam vix vomitu leues. Frequens est in regione quam Celtithracen [41] appellant. Nam illic [42] in deliciis est, quod [43] gustasse carnes detestabilius sit homicidio. *Al.* Infelix regio cum suo anticomarita. *Ca.* Tantum [44] habeo quod dicam: nemini præiudicatum velim mea sententia. *Di.* Quid opus est huius vocis enarrationem ex Mammothreptis aut Hebræis schedis petere, cum ipsa dictionis etymo-

lo-

37 Tyrannus monosyllabus: mos. * Comœdia lætam habet, Tragœdia semper *tristem* catastrophen. 38 partem, quoad me, quæ mearum esse partium duxi. 39 sordidum & caninis moribus impudentem Philosophum, Diogenis sectatorem. 40 torporem afferens. 41 Vox ficta, qua designat regionem, in qua Monachi non minus feroces sunt, quam Thraces, prohibentes carnium esum. 42 ibi piscis ille. 43 cum, propterea quod. 44 Hoc & nil amplius.

logia [45] præ ſe ferat, *anticomaritas* dici *puellas parum feliciter coniugatas* [46], *vtpote maritis vetulis* [47]? Nec enim nouum eſt quod ſcribæ *quo* verterunt in *co*, cum ſint litteræ cognatæ *c*, *q*, & *k*. *Eu.* Erat aliquid quod dixit Diphylus, ſi conſtaret, dictionem eſſe Latinam. Mihi videtur eſſe Græca, e tribus conflata, ex ἀντὶ, quod eſt *contra*, & κώμη, quod ſonat *pagum*, & ὀαρίζειν, quod eſt *muliebriter garrire*: hinc per ſynalœphen eliſa [48] *o*, dictus eſt anticomarita, qui ruſticana garrulitate cunctis obſtrepit. *Fa.* Sedulo quidem meus dixit Eumenius. At mihi videtur ex tot dictionibus conflata [49] vox, quot habet ſyllabas. Nam ἀν, ſonat ἄνους· τι, τίλλων· κω, κώδια· μα, μάλα· ρυ, ῥυπαρά. (perperam enim ſcribitur per ι·) τα, τάλας. Ex his conficitur, *amens ac miſer, vellens pilos putrium tergorum.* *Al.* Tali opificio cibus congruit beta natatilis, de qua modo dixit Bertulphus. *Be.* Nimirum anticomarita anticomaritæ. *Ga.* Sedulo quidem dixiſtis omnes; at mihi videtur vxor viro male morigera dici *anticomarita* per ſyncopen, *antidicomarita*, quod ſemper aduerſetur marito. *Al.* Si recipimus tales tropos, facile ex *foria* * fient *fora*, & *cuniculus* fiet *cuculus*. *Be.* Atqui Albinus, qui conſul eſt in hoc ſenatu, nondum dixit quid ipſe cenſeat. *Al.* Ex me quidem quod adferam non ha-

45 originis ratio, euolutio. 46 nuptas, elocatas, matrimonio iunctas. 47 decrepitis, ſenioribus, ætate grandibus, grandæuis; qſ. *antiquomaritas.* 48 vocali, ſono extruſo. 49 compoſita, colligata. * Foria pluraliter, autore Nonio, ſtercora ſunt liquidiora.

habeo; haud tamen grauabor in medium adferre, quod ab hoſpite meo nuper didici homine linguaciſſimo. Sæpius variabat in loquendo ſermonem, quam luſcinia cantionem. Is aſſeuerabat, vocem eſſe Chaldaicam, e tribus compoſitam. Apud illos enim, vt aiebat, *anti* ſonat peruerſum ac cerebroſum: *comar*, petram: *ita*, ſutoriam. *Be.* Quis vnquam petræ tribuit cerebrum? *Al.* Nihil abſurdi, ſi modo mutes genus [50]. *Ca.* Prorſus in hac ſynodo euenit, quod vulgo dici ſolet: *Quot homines, tot ſententiæ* [51]. Quid igitur actum eſt? Sententiæ numerari poſſunt; diuidi [52] non poſſunt, vt pars maior [53] vincat minorem. *Al.* Vincat igitur melior deteriorem. *Ga.* Atqui ad hoc ipſum opus eſſet alia ſynodo [54]. Nam ſua cuique ſponſa videtur pulcherrima [55]. *Al.* Iſtuc

ſi

50 Vt fiat ex: petra, Petrus; ex: petræ, Petro. 51 Quot capita tot ſenſus; quod ſic effert Perſius: *Velle ſuum cuique eſt nec voto viuitur vno.* Et Homerus ita Latine redditus: *Namque aliis aliæ res arridentque placentque.* 52 diſtribui, diuelli. 53 plurima vota valent, ex communi canone. 54 Andr. Dudithius Epiſt. ad Maximil. II. Imperat. *Quid profici poterat in illo Concilio* (loquitur autem de Tridentino) *in quo numerarentur, non ſuis momentis ponderarentur ſententiæ? Quodſi cauſa, ſi ratione pugnandum fuiſſet, ſi pauci quidem ſocii nobis adfuiſſent, viceramus, quamuis nos pauci, magnas aduerſariorum copias. Sed cum numerus tantum prodiret in aciem, in optima cauſa victores diſcedere non potuimus.* Quorum tam inſignium verborum per accommodationem hic meminiſſe non pigebit. 55 Suum cuique pulchrum. Quiſquis amat ranam, ranam putat eſſe Dianam. Dicta hæc in eos competunt, quibus ſua non tam vero iudicio, quam animi quadam propenſione placent; in re enim propria cæcutimus, in aliena plus ſatis oculati.

ſi verum eſſet, minus haberemus adulteriorum. Sed habeo conſilium expeditum [56]. Fabis ſortiamur; ex hoc numero cui ius ſit, vt ex omnibus ſuffragiis probet quod volet. *Ca.* At iſtæc in te cudetur faba [57]. Num vera dixi [58]? *Al.* Mihi prima & poſtrema magis arridet. *Ca.* Aſſentimur omnes, vt vnus pro omnibus reſpondeam. *Al.* Age, ſit igitur hoc inter ea, de quibus dubitare fas non eſt. *Ca.* Maxime. *Al.* Si quis diſſentiat, quid erit pœna? *Ca.* Maiuſculis [59] ſcribetur HÆRETICVS IN GRAMMATICA. *Al.* Adiiciam: BONIS AVIBVS, quod mihi non negligendum videtur. Id ex medico quodam Syro acceptum amicis communicabo. *Be.* Quid iſtuc? *Al.* Si natatilem betam, gallam [60] e quercu, & ſutorium atramentum in mortario contuderis, deinde aſperſis copri [61] ſex vnciis miſcueris in malagma, præſentaneum eſſe remedium aduerſus caninam ſcabiem, & porcorum pruriginem. *Be.* Sed heus, Albine, qui nobis omnibus de *Anticomarita* negotium faceſſis, in quo tandem auctore legitur iſtuc vocabulum? *Al.* Dicam, ſed in aurem, & vni. *Be.* Accipiam, ſed hac lege, vt ego viciſſim vnus vni in aurem dicam [62]. *Al.* At repetita henas

---

56 in promptu. 57 Id eſt, in te malum hoc recidet. Es wird über dich hinaus gehen / es wird dich treffen; du wirſt es gethan haben/thun müſſen. 58 ſorte nimirum tactus fuerat Albinus; quare eum exagitat Canthelius. 59 literis. 60 Gall-Aepffel. 61 ſtercoris. 62 Appoſite Iſraël Clauderus Epigr. 21. Gent. VI.

Eſſe cupis quicquid tacitum, ne dixeris vlli:
Si tibi ſecretus non eris, alter erit?

nas*, tandem fit chilias. *Be.* Verum dicis; vbi semel ex henade reddideris dyadem, iam non est tibi in manu sistere fluxum dyadis. *Al.* *Quod pauci norunt, celari potest; quod multi, nequaquam*, trias autem ad multitudinem pertinet. *Be.* Probe, qui tres simul haberet vxores, multas habere diceretur, sed qui tres haberet pilos in capite, aut dentes in ore, multosne an paucos habere diceretur? *Al.* Sophista, admoue aurem[63]. *Be.* Quid ego audio? Istuc non minus absurdum est, quam si Græci ciuitatem, cui expugnandæ tot classes ducebant, suo nomine non possent nominare, pro Troia dicentes Sutrium[64]. *Al.* Atqui hic Rabinus est nuper e cœlo delapsus, qui nisi præsens numen succurrisset rebus humanis, iam dudum quæreremus vbinam essent homines, vbi pietas, vbi philosophia, vbi litteræ. *Be.* Næ iste inter Moriæ[65] proceres primas meretur[66], dignus qui posthac vocetur *Archimorita**, cum suis *Anticomaritis*.

ΑΓΑ-

* Vnitas: chilias millenarius numerus est, dyas dualis, trias ternarius. 63 ex more, quo receptum est, vt res silendas etiamsi duo sint soli, tamen qui loquitur, id in aurem dicat, vel submissa voce. 64 Insusurrauerat Antidico-Marianos vel Anti-Marianos significari debere. Troia à. Ilion alio nomine dicitur. 65 stultitiæ. 66 scil. partes, vices. * Stultus stultorum: hoc est, stultorum princeps.

ΑΓΑΜΟΣ ΓΑΜΟΣ[1], siue CONIVGIVM IMPAR.

PETRONIVS, GABRIEL.

Pe. VNde nobis Gabriel tam tetrica fronte? Num ex antro Trophonii *? *Ga.* Imo a nuptiis. *Pe.* Nunquam vidi vultum minus nuptialem. Nam qui nuptiis interfuerunt, totos postea sex dies solent hilariores amœnioresque videri, senes etiam reiuuenescere ad annos decem. Quas igitur tu mihi nuptias narras? Mortis, opinor, cum Marte [2]? *Ga.* Imo iuuenis [3] generosi cum puella sedecim annos nata, in qua nihil desideres siue formam spectes, siue mores, siue genus, siue fortunam. Quid multis? Ioue marito digna videri poterat. *Pe.* Hui! tam teneram puellam tam vetulo [4]? *Ga.* Reges non senescunt.

Pe.

1 Per Oxymoron, quo idem acute negatur de se ipso, inuoluit contradictionem in adiecto. qs. dicas: Nuptiæ nonnuptiæ, nuptiæ cælibes. Depingit Autor nuptias bellatulæ puellæ cum fœdissimo homuncione, trunco naso & alteram tibiam trahente; perstringens insaniam parentum quorundam in elocandis filiabus meliori fato connubioque dignis. * Qui ex antro Trophonii prodeunt, tristissimi sunt. Lege prouerbium. 2 Eleganter ex Paronomasia *Martem* coniungit & *Mortem*. 3 Vtitur ironia dum generosum vocat iuuenem. 4 Iupiter enim tot retro seculis Deorum hominumque Pater a Poëtis dictus, admodum senex nunc esse censebitur. Innuit autem impar esse coniugium si decrepitus senio de ponte deiiciendus iungatur puellæ sedecim

Pe. Vnde igitur iſtæc triſtitia? Fortaſſe ſponſo inuides, qui tibi captatam prædam victor præripuit. *Ga.* Phy! nihil minus. *Pe.* Num tale quid accidit, quale memorant de conuiuio Lapitharum*? *Ga.* Nequaquam. *Pe.* Quid? an defuit Bacchi liquor [5]? *Ga.* Imo ſupererat. *Pe.* Non aderant tibicines? *Ga.* Et fidicines, & lyricenes, & tubicines & vtricines [6]. *Pe.* Quid igitur? Non aderat Hymenæus [7]? *Ga.* Fruſtra tot vocibus ciebatur. *Pe.* Nec Charites? *Ga.* Ne muſca quidem Charis [8], nec pronuba Iuno, nec aurea Venus, nec Iupiter Gamelius*. *Pe.* Næ tu mihi nuptias loqueris prorſus inauſpicatas & ἀθέ-

---

annorum; de quali Iohannes Matheſius crebro vſurpaſſe fertur ſequentes rhythmos:

Ein harte Nuß/ ein stumpffer Zahn/
Ein junges Weib/ ein alter Mann/
Die reimen sich gewiß nicht wohl/
Seins gleichen ieder nehmen soll.

Zinegref. P.III. Apophthegm. p. 190. Conf. in hanc ſententiam Kornmannum cap. VI. pag. 46. de Virginitatis iure.
* Cruentæ fuerunt nuptiæ Lapitharum, vt refert Ouid. Metamorph. lib. 12. 5 vinum. Sir. XXXI. v. 32. Quid vita hominis ſine vino? Conf. XXXIX. v. 31. 1. Timoth. V, 23.
6 Suetonius Vtricularios vocat in Nerone c. 54. canunt tibiis infixis vtriculo. Sack-Pfeiffer. Mera ſunt ex inſtrumentis Muſicis & canendi verbo nomina: fidicen, lyricen, tubicen. 7 Nuptiarum Præſes, qui & Hymen dicitur. Sunt qui Hymenæum virum Atticum fuiſſe volunt, qui raptas a latronibus virgines Parentibus intactas reſtituit; ideoque nuptiis eius nomen inuocari tanquam defenſoris virginitatis perhibent. 8 Nulla omnino Gratia. * Dæmonia ſunt quæ nuptias auſpicatas & felices reddere credita ſunt.

ἀθέους*, seu potius ἄγαμον γάμον**. *Ga.* Magis dicas, si vidisses. *Pe.* Non igitur saltatum est? *Ga.* Imo misere claudicatum. *Pe.* Nullum ergo numen prosperius istas hilarabat [9] nuptias? *Ga.* Nullum omnino illic adorat, præter vnam Deam, quæ Græcis dicitur Psora*. *Pe.* Pruriginosas, opinor, nuptias dicis. *Ga.* Imo rubiginosas & purulentas. *Pe.* Sed quid est, mi Gabriel, quod hæc commemoratio tibi lacrymas etiam excutit [10]? *Ga.* Hæc res, Petroni, vel filici possit extundere lacrymas. *Pe.* Credo, si silex vidisset. Sed obsecro te, quidnam est hoc tantum mali? Ne cela, nec meum animum diutius suspendito [11]. *Ga.* Nosti Lampridium Eubulum? *Pe.* Quo [12] non alius in hac vrbe vir melior aut beatior. *Ga.* Quid? eius filiam Iphigeniam [13]? *Pe.* Florem huius ætatis nominasti. *Ga.* Sic est. At scis cui nupserit? *Pe.* Sciam, si dixeris. *Ga.* Nupsit Pompilio Blenno*. *Pe.* Eine Thrasoni, qui neminem non solet occidere [14] suis gloriosis fabu-

---

* Id est, impias. ** Id est, non nuptias siue infaustas. 9 lætificabat. * Scabies & pruritus. 10 exprimit, elicit, extundit. 11 discruciato, diuexato. 12 Hoc. 13 Iphigenia Clytemnestræ filia, quam Vlysses astu a matre abduxit Achilli eam nupturam simulans. Timantes luctuosum immolandæ Iphigeniæ sacrificium referens cum mœstum Vlyssem, clamantem Aiacem, lamentantem Menelaum circa aram statuisset; caput Agamemnonis Patris inuoluendo summi mœroris acerbitatem arte exprimi non posse confessus est; vt habet Val. Max. lib. VIII. c. II. ex. 6. Sumitur autem hic Iphigenia pro filia Parentum vnica, commiseratione dignissima. * Blennus, ignauus & fatuus: aliquando & mucosus. 14 cædere, iugulare, enecare.

bulis? *Ga.* Huic ipsi. *Pe.* At is iam olim celebris est in hac vrbe duabus potissimum rebus, *mendaciis* ac *scabie*, quæ nondum suum habet nomen, quum ipsa tam multorum * habeat nomina. *Ga.* Superbissima scabies est, quæ nec lepræ, nec elephantiasi[15], nec lichenibus[16], nec podagræ, nec mentagræ[17] cedat, si res veniat in certamen. *Pe.* Ita prædicant medicorum filii. *Ga.* Quid ego nunc, Petroni, depingam puellam tibi non incognitam, quanquam plurimum gratiæ addidit ornatus natiuo decori? Mi Petroni, dixisses Deam quampiam esse. Nihil illam non decebat. Interim prodiit nobis beatus ille sponsus, trunco naso, alteram trahens tibiam, sed minus feliciter quam solent Suitseri[18]; manibus scabris, halitu graui, oculis languidis, capite obuincto; sanies & e naribus, & ex auribus fluebat. Alii digitos habent anulatos; ille etiam in femore gestat anulos. *Pe.* Quid parentibus accidit, vt talem filiam tali portento[19] committerent? *Ga.* Nescio, nisi quod hodie plerisque videtur ademta mens. *Pe.* Fortasse prædiues est. *Ga.* Est affatim, sed ære alieno.

Pe.

* Dicitur enim morbus Gallicus, morbus Neapolitanus, scabies Hispanica. Hinc Owenus:

Itala terra mihi patria est, Gallique parentes;
Gallicus, in dubio est, Italicusne vocer.

15 Elephantiasis species lepræ multo perniciosior, quam Græcorum lepra ab Elephantis dicta, quia cutem reddit elephantis corio similem. 16 λειχὴν summa cutis asperitas cum pruritu. 17 Mentagra ex Lat. *mentum* & Gr. ἄγρα conflatum vocabulum est, qs. menti captura & dolor. 18 Heluetios designat eorumque affectatum incessum ridet. 19 monstro.

Pe. Si puella veneno sustulisset ambos auos & auias, quod grauius supplicium de illa sumi poterat [20]? *Ga.* Si minxisset* in patrios cineres, satis pœnarum datura fuerat, tali monstro vel osculum dare coacta. *Pe.* Accedo [21]. *Ga.* Mihi sane factum hoc crudelius esse videtur quam si illam nudam obiecissent vrsis*, aut leonibus, aut crocodilis. Nam aut feræ pepercissent tam insigni formæ, aut subita mors finisset cruciatum. *Pe.* Vera prædicas. Mihi plane videtur hoc factum Mezentio dignum, qui *mortua*, vt inquit Maro, *iungebat corpora viuis, Componens manibusque manus, atque oribus ora.* Quanquam nec Mezentius, ni fallor, tam immanis erat, vt tam amabilem puellam cadaueri iungeret; nec vllum cadauer est, cui non iungi malis, quam tam putido cadaueri. Siquidem hoc ipsum quod spirat merum est venenum; quod loquitur, pestis est; quod contingit, mors est [22]. *Ga.* Iam tu mihi cogita, Petroni, quid voluptatis habitura sint illa suauia, illi complexus, illi nocturni lusus, ac blanditiæ? *Pe.* Theologos nonnunquam audiui loquentes de impari coniugio. Istuc demum optimo iure dici potest impar coniugium, quasi gemmam inseras plumbo. Sed interim demiror teneræ virginis audaciam. So-

20 grauius plecti non poterat. * Id est, grauius aliquod flagitium commisisset. 21 scil. sententiæ, id est, assentior, consentio. * Apud veteres damnati obiiciebantur aliquando feris. 22 Non abs re Brucknerus in Decisionibus Iuris matrimonial. p. 600. §. 29. propter morbum Gallicum vxoris marito aliam vxorem & vicissim vxori alium maritum permissum esse iungi statuit.

lent enim tales puellæ ad lemuris [23] aut laruæ conſpectum tantum non exanimari, an hæc audebit tale cadauer amplecti noctu? *Ga.* Habet puella quod excuſet auctoritatem parentum, importunitatem amicorum, ætatis ſimplicitatem [24]. Ego parentum veſaniam ſatis mirari non poſſum. Quis enim filiam habet tam infelici forma, quam collocare velit homini leproſo? *Pe.* Nullus, opinor, ſi modo vel vnciolam habeat ſanæ mentis. Mihi ſi luſca eſſet, eademque clauda, nec minus deformis, quam fuit Therſites Homericus, poſtremo indotata, recuſarem iſtiusmodi generum. *Ga.* At hæc lues eſt omni lepra tum tetrior, tum nocentior. Nam citius ſerpit, & ſubinde recurrit, ac frequenter occidit [25]; cum nonnunquam lepra ſinat hominem ad extremam vsque ſenectutem viuere. *Pe.* Fortaſſe latebat [26] parentes ſponſi morbus. *Ga.* Imo pulchre nouerant. *Pe.* Si tam male volebant filiæ, quin potius inſutam culeo* proiecerunt in Scaldam [27]? *Ga.* Profecto leuior fuiſſet inſania. *Pe.* Quæ dos commendabat illis ſponſum? præcellit arte quapiam? *Ga.* Permultis: ſtre-

23 Vox *lemures*, vmbræ ſeu ſpiritus nocte infeſti, raro in Singul. Num. reperitur. 24 *Excuſare aliquid* eſt, afferre in excuſationem id, quod peccandi cauſam præbuit. Zur Entſchuldigung vorwenden/ über etwas klagen; pro: excuſare ſe aliqua re. Sich mit etwas entſchuldigen. 25 perimit, interficit. 26 fugiebat; id eſt, neſciebant parentes ſponſi morbum. * Saccus eſt quo obuoluti parricidii rei proiiciebantur in profluentem. Val. Max. lib. I. c. 1, 13. 27 Scaldis ſeu Scalda fluuius in Picardia prope Abbatiam Martini ex monte profluens & Cameracum, Tornacum, Gandauum, Antuerpiam aliasque vrbes alluens. Die Schelde.

ſtrenuus eſt aleator, potator inuictus, ſcortator improbus, nugandi mentiendique artifex maximus, prædator non ſegnis, decoctor eximius, comeſſator perditus. Quid multis? cum ſcholæ non profiteantur niſi ſeptem artes liberales, hic habet plus quam decem illiberales. *Pa.* Aliquid tamen fuerit oportet, quod illum commendarit parentibus. *Ga.* Nihil aliud quam glorioſum equitis nomen. *Pe.* Qualis eques, cui per ſcabiem vix in ſella ſedere licet? Sed fortaſſe habet luculentas poſſeſſiones [28]. *Ga.* Habuit mediocres; ſed ex proteruia [29], quam fecit, nihil ſupereſt præter vnam turriculam, vnde excurrere ſolet ad prædam, eamque tam belle inſtructam [30], vt nolis illic porcos tuos ali. Sed interim nunquam non habet arces in ore, & feuda [31], aliaque magnifica nomina: nusquam non affigit ſua inſignia. *Pe.* Clypeus quod habet ſymbolum? *Ga.* Tres elephantos, in ſpacio phœniceo [32]. *Pe.* Scilicet elephas elephanti congruit *. Oportet autem hominem eſſe ſanguinarium [33]. *Ga.* Imo vinarium [34]. Nam rubro vino mirum in modum delectatur; ſic tibi ſanguino-

28 bona immobilia ſplendida, ampla. Schöne / anſehnliche Güter / Ritter-Sitze. 29 ſuperba petulantia, petulantique ſuperbia. 30 adornatam. So ſchön meubliret / ausſtaffirt. 31 Feudum genus eſt clientelæ, qua vel dignitas vel vectigal, vel prædium aliquod ea lege alicui datur, vt ipſe & hæredes poſterique ipſius beneficii autorem ſemper agnoſcant & pro Patrono colant. Lehn. 32 purpurei coloris. * Hoc dicit ob id, quod qui ſcabie Gallica laborant, ab elephantiacis non multum forma diſtant. 33 ſanguinis ſitibundum, ſitientem, ſanguinolentum. 34 vini auidiſſimum, ſitientiſſimum.

nolentus est. *Pe.* Ad hauriendum igitur vtilis est illi proboſcis [35]. *Ga.* Maxime. *Pe.* Itaque inſignia declarant magnum ac ſtolidum nebulonem, vini gurgitem. Neque enim ille color ſanguinis eſt, ſed meri; & aureus elephas indicat, quidquid auri nactus eſt, vino abſumi. *Ga.* Sic eſt. *Pe.* Quid igitur dotis hic Thraſo conferet [36] ad ſponſam? *Ga.* Quid? maximam. *Pe.* Qui maximam decoctor? *Ga.* Sine [37] me loqui; maximam [38], inquam, peſſimamque ſcabiem. *Pe.* Emoriar [39], ni malim filiam meam equo nuptam [40], quam tali equiti. *Ga.* At ego vel monacho nuptam malim. Imo [41] hoc non eſt homini nubere, ſed hominis cadaueri. Hoc ſpectaculum ſi vidiſſes, die mihi tenuiſſesne lacrymas? *Pe.* Qui potuiſſem, qui vix iſta ſine lacrymis audio? Adeon' [41] parentes ad omnem naturalis pietatis affectum obſurduiſſe, vt filiam vnicam, puellam tali forma, tali indole, tam amabilibus moribus, tali monſtro in ſeruitutem traderent, propter mendacem

---

35 roſtrum elephanti. Elephantina olfacere proboſcide, promuſcide, idem eſt ac præſagire. 36 afferet, apportabit. 37 Patere, permitte. 38 Repetitur per Anadiploſin, occurrente ſimul Parrheſia dum ingratum prima fronte in fine redditur gratum. 39 Diſpeream, ne viuam. Iurandi formulæ. Sic Martial. Epigr. 12. lib. 10.

Nec viuam, niſi te, Domiti, permitto libenter,
Grata licet ſine te ſit mihi nulla dies.

Cic. Epiſt. 13. lib. 16. ad Attic. ait: ne ſaluus ſim. 40 deſponſatam. 41 Profecto, certe. 41 Propter affectum indignantis tollitur per Apoſtrophum Vocalis & omittitur: *æperunt*, aut: *oportuit.* Sic: Noſtin' mores mulierum? dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt. Terent.

cem clypeum? *Ga.* Atqui facinus hoc, quo nihil inuenias nec immanius, nec crudelius, nec magis impium, hodie magnatum etiam ludus est; quum expediat, eos qui Reipublicæ tractandæ nascuntur, esse quam prosperrima valetudine. *Corporis enim habitus animi vim afficit.* Certe hic morbus quidquid est homini cerebri solet exhaurire. Ita fit vt Reipublicæ præsideant, qui nec animo bene valeant, nec corpore. *Pe. Non solum integra mentis ac prospera valetudine conuenit esse qui Reipublicæ gubernaculis assident, verum etiam forma dignitateque corporis præcellentes. Quanquam enim prima principum commendatio sint sapientia & integritas; tamen non nihil refert, qua specie corporis sit, qui cæteris imperat* [42]. *Nam si sæuus est, multum inuidiæ addit corporis deformitas: Sin probus & pius, Gratior est pulcro veniens e corpore virtus* [43]. *Ga.* Recte. *Pe.* Nonne deplorant [44] earum infelicitatem, quarum coniuges post peractas nuptias in lepram aut morbum incidunt comitialem [45]? *Ga.* Merito sane. *Pe.* Quæ igitur dementia est, vltro filiam plus quam leproso tradere? *Ga.* Plus quam demen-

---

42 Æthiopes & nonnulli Indiæ populi eos in Regem eligunt, quos formæ dignitas potissimum commendat; vti & apiculæ eam, quæ ex omni numero grandior est & coloris splendore præcellit aliis. 43 Forma eximium naturæ priuilegium est, suauis affectuum Domina, atque animi optime dispositi indicium. Sauædra in Symb. Polit. p. 21. 22. Versus Autori depromptus est ex Virgil. lib. 5. Æneid. num. 344. 44 Deflent, dolent, miserantur. 45 Herculeum, sacrum; interrumpebantur enim comitia, quo die aliquis concidisset. Schwere Noth/fallende Sucht.

mentia est. Si satrapes [46] paret [47] tollere [48] catulos, quæso num ad generosam fœminam [49] admittet scabiosum & ignauum canem? *Pe.* Imo magna cura dispiceret [50], vt vndiquaque [51] generosum adiungeret, ne nascantur hybridæ *. *Ga.* Et si dux augere velit equitatum, num ad eximiam equam admitteret morbidum aut degenerem [52]? *Pe.* Ne in commune quidem stabulum reciperet morbidum, ne qua [53] serpat malum ad alios. *Ga.* Nec interim referre putant, quem admittant ad filiam, & vnde nascantur liberi, non tantum in hæreditatem omnium facultatum successuri, verum etiam rempublicam moderaturi [54]? *Pe.* Ne rusticus quidem quemuis taurum admittit ad iuuencam [55], nec quemuis equum iungit equæ, nec quemuis porcum scrophæ [56]; quum taurus gignatur [57] aratro, equus rhedæ, porcus culinæ. *Ga.* Vide quam peruersa sint hominum iudicia. Si quis plebeius patriciæ [58] puellæ osculum obtrudat, iniuriam pu-

46 potestate & opulentia conspicuus. Ein grosser Herr. Satrapa & Satrapes. 47 intendat, studeat. 48 suscipere. 49 canis fœmina. Canis enim cum sit commune Genere Epicæno hic adhibetur, vt euitetur ingrata eiusdem Substantiui repetitio. Sic Piscis mas, Piscis fœmina. Der Milchner / die Rogenere. 50 prouideret. 51 omnino, prorsus, penitus penitusque. * Catuli qui ex parentibus diuersæ naturæ & studii nascuntur; vt ex venatico & gregario. Bastarte / unächte / unartige Geburthen. 52 scil. equum. 53 Qua, id est, per quem, per aliquem; ne qua sc. ratione, via. 54 gubernaturi, recturi, administraturi. 55 scil. vaccam. 56 porcæ, sui, quæ fœtus causa alitur. Alte Sau / Schweins-Mutter. Scribitur & Scrofa. 57 generetur, nascatur. 58 Senatoriæ, nobili, præcipuæ dignitatis.

putant bello vindicandam. *Pe.* Acerrimo [59]. *Ga.* Et ipſi volentes, ſcientes, prudentes, id quo nihil habent carius dedunt abominando portento [60], & priuatim impii [61] in ſuam gentem, & publice in ciuitatem. *Pe.* Si ſponſus ſubclaudicat [62], alioqui ſanus, quam abhorretur a coniugio? hoc tantum malum non imputatur in ſponſalibus. *Ga.* Si quis filiam elocauit Franciſcano [63], quanta abominatio, quanta deploratio male collocatæ virginis? [64] at illa veſte detracta [65] virum habet membris validis [66]; iſta totam ætatem tranſigit cum ſemiuiuo [67] cadauere. Si qua nubit ſacerdoti, ludunt [68] in vnctum; at hæc * peius vncto [69] nupſit. *Pe.* Vix hoc faciunt hoſtes puellis bello captis, vix piratæ faciunt ſcelere abductis; & hoc faciunt parentes vnicæ filiæ [70], nec illis datur a magiſtratu curator.

Ga.

---

59 ſc. bello vtique putant vindicandam. 60 monſtro. **Ungeheuer/Ebentheuer.** 61 ſcil. exiſtentes, cum ſint. Participium namque Verbi Subſtantiui: Sum, in oratione elegantiore nunquam expreſſe vſurpatur, ſed ſubintellectum ſermoni haud parum conciliat gratiæ, idque per omnes Caſus. Sic Quintil. lib. V. c. 7. Quem (ſcil. Domitium Afrum) adoleſcentulus (ſcil. ens, exiſtens, cum eſſem) ſenem colui. 62 aliquantulum, tantillum, paululum claudicat; **ein klein wenig.** SVB in Compoſit. Adiectiu. & Verborum minuit ſignificat. 63 cui vxorem ducere apud Pontificios nefas eſt. 64 male collocatam eſſe virginem, quod male elocata virgo fuerit. 65 depoſita, exuta. 66 virili robore. 67 ſemanimi, ſemimortuo. 68 iocantur. * Alludit tacite ad vnguenta & cataplaſmata illorum qui Gallica ſcabie ſunt infecti. 69 qui peſſime vnctus eſt. 70 Facio vel cum Ablatiuo omiſſa aut adiecta Præpoſitione: DE, vel cum Datiuo conſtruitur, vt: Quid hoc homine facias? id eſt, de hoc homine, &: huic homini? **Was wolteſt du mit dem**

Ga. Quomodo medicus ſuccurret phrenetico, ſi ipſum habeat [71] phreneſis? *Pe.* Atqui mirum eſt, a principibus, quorum munus eſt proſpicere Reipublicæ, dumtaxat in his quæ ad corpus pertinent, cum in hoc genere nihil prius ac potius ſit bona valetudine, heic nullum excogitari remedium. Tanta peſtis bonam [72] orbis partem occupauit, & illi interim ſtertunt [73], quaſi nihil ad rem pertineat. *Ga.* De principibus, Petroni, religioſe loquendum eſt. Sed admoue aurem, inſuſurrabo tria verba. *Pe.* O miſeriam! vtinam falſa prædicares! *Ga.* Quot morborum genera naſci putas ex vinis corruptis ac mille [74] modis infectis [75]? *Pe.* Innumera, ſi qua medicis fides [76]. *Ga.* Num heic vigilant ædiles? *Pe.* Plane vigilant in exigendis vectigalibus. *Ga.* Quæ ſciens nubit morbido, fortaſſe digna eſt ſuo malo, quod adſciuit ipſa ſibi: quanquam ſi principatum gererem, vtrumque ſemouerem ab vrbano commercio. Cæterum ſi qua nupſiſſet huic obnoxio lui [77], qui ſe ſanum mentitus eſſet, ſi quis mihi ſummum pontificium [78] deleget [79], di-

---

Menſchen machen/anfangen/ angeben? Wie wolteſt du mit ihm umbgehen / verfahren? Vide Rhenium Reg. 77. & Maior. de var. orat. Cap. VII. Sect. IV. p. 659. 660. ſeqq. 71 ipſe laboret Phreneſi; habeat Phreneſin per Hypallagen; vt dare claſſibus Auſtros pro: dare auſtris claſſes. 72 magnam. 73 dormiunt in vtramque aurem. 74 Synecdochice determinatus numerus pro indeterminato exprimitur; id eſt, innumeris, plurimis, permultis. Sic Plautus Trinumm. Act. II. Scen. I. v. 29. mille modis amor ignorandus eſt. 75 inquinatis, pollutis. 76 habenda venit. 77 malo, contagio, peſti. 78 Pontificatum. 79 demandet, committat.

dirimerem hoc coniugium, etiamsi sexcentis tabulis sponsalibus* contractum esset. *Pe.* Quo colore[80]? Nam coniugium rite contractum ab homine non potest dirimi[81]. *Ga.* Quid[82]? tibi videtur rite contractum, quod dolo malo contractum est? Non valet contractus, si puella decepta[83] seruo nupsit, quem putabat liberum. Hic cui nupsit[84] seruus est miserrimæ dominæ Psoræ[85]; atque hoc infelicior est seruitus, quod illa neminem manumittit, vt seruitutis miseriam aliqua libertatis spes consolari[86] possit. *Pe.* Sane colorem reperisti. *Ga.* Ad hæc[87] non est coniugium, nisi inter viuos. Heic mortuo nubitur. *Pe.* Repertus est alter color. Sed sineres, opinor, scabiosas scabiosis nubere, iuxta vetus illud adagium, Ὅμοιον πρὸς ὅμοιον*. *Ga.* Si hoc mihi liceret, quod expediret Reipublicæ, sinerem quidem iungi, sed iunctos exurerem[88]. *Pe.* Tum tu quidem Phalaridem ageres[89], non principem. *Ga.* An tibi Phalaris vi-

* Scripti codicilli initi matrimonii de pacto & legato, vt aiunt. 80 prætextu. 81 diuelli, rumpi, solui, dissolui. 82 sc. ais, dicis? 83 cum decepta sit. 84 sc. puella, virgo. 85 Scabiei. Plin. lib. 31. c. 9. de natura salis eiusque medicinis: Lepras idem & furunculos & lichenas, & psoras emendat cum passa vua, exempto eius ligno & feuo bubulo atque origano ac fermento vel pane, maxime Thebaicus. 86 leuare, lenire, mitigare. 87 Deinde, post id, adde quod; accedit, quod; adiice quod. * Id est, Simile simili gaudet. 88 cremarem. 89 ostenderes te pessimum tyrannum. Fuit enim Phalaris Agrigentinorum tyrannus, qui homines æneo tauro a Perillo conflato inclusos subiecto igni viuos vstulabat, vt pro eiulatu humano mugitum ederent; qua de re Claudianus lib. I. in Eutrop.

videtur medicus, qui ſecat digitos aliquot, aut inurit corporis partem, ne totum pereat? Mihi non videtur iſta crudelitas, ſed miſericordia. Quod vtinam initio naſcentis mali fuiſſet factum! Tum enim paucorum exitio, totius orbis ſaluti conſuli poterat. Et huius facti reperimus exemplum in Gallorum annalibus. *Pe.* At mitius erat, illos caſtrari, ac ſummoueri [90]. *Ga.* Fœminis porro quid faceres? *Pe.* Adderem fibulas [91]. *Ga.* Ita quidem proſpectum eſſet, ne ex malis coruis naſcantur mala oua *: ſed fatebor hoc eſſe mitius, ſi tu fatearis, illud eſſe tutius. Nam pruriunt [92] & exſecti [93]; nec vno modo tranſilit [94] malum, ſed oſculo, ſed colloquio, ſed contactu, ſed compotatiuncula ſerpit ad alios. Et videmus, huic ***malo*** fatalem [95] quandam ***malitiam*** adiunctam, vt quisquis eo tenetur, vel nullo ſuo commodo [96] gaudeat quam plurimis ſuam affricare [97] ſcabiem. Iam ſubmoti [98] poſſunt vel noctu, vel ignotis imponere: a mortuis vero nihil eſt periculi. *Pe.* Tutius, fateor; ſed haud ſcio, an conueniat Chriſtianæ

Sic opifex tauri tormentorumque repertor
Qui funeſta nouo fabricauerat æra dolori
Primus inexpertum Siculo cogente tyranno
Senſit opus, docuitque ſuum mugire iuuencum.

90 in aliam quandam regionem deportari. 91 quibus pudenda clauderet, ne ad coitum poſſent admitti. * Vide prouerbium, Mali corui malum ouum. 92 Venerem appetunt. 93 caſtrati. 94 propagatur, tranſit, inficit. 95 exitialem, pernitioſiſſimam. 96 etiam ſine vllo ſuo commodo, & præter vllum ſuum commodum. 97 allinere, inferre. 98 in aliam regionem reiecti, relegati, proſcripti.

næ mansuetudini. *Ga.* Dic age mihi, vnde plus periculi, a simplicibus furibus, an ab istis? *Pe.* Fateor, pecuniam multo viliorem bona valetudine. *Ga.* Et tamen hos Christiani[99] suffigimus in crucem; nec appellatur crudelitas, sed iustitia; & si Rempublicam spectes, pietas est. *Pe.* Verum ibi plectitur[100] qui damnum dedit. *Ga.* Hi scilicet lucrum adferunt[101]! Sed demus[102] hoc malum multis nulla sua culpa contractum; quum tamen paucos reperias, quibus eam luem non conciliarit nequitia, Iureconsulti docent, interdum innoxios recte occidi, si id magnopere intersit Reipublicæ. Quemadmodum Græci post euersam Troiam occiderunt Astyanactem Hectoris filium, ne per illum bellum instauraretur. Nec putant impium*, post extinctum tyrannum, & liberos[103] innoxios trucidari. Quid quod[104] nunquam non bellamus Christiani, neque tamen nescimus, in bellis maximam malorum partem ad eos redire, qui nihil commeruerunt? Idem vsu venit in *repressalibus**, quæ vocant. *Qui læsit in tuto est: & spoliatur negotiator, qui ne factum quidem audiuit; tantum abest vt in culpa fuerit.* Quod si talibus remediis vti-

99 scil. qui sumus, cum simus. 100 punitur, pœnas luit. 101 Ironica Exclamatio. **So höre ich wohl diese bringen Nutzen.** Damnum dare, lucrum afferre. **Nutzen bringen/ Schaden bringen.** 102 fingamus, concedamus, faciamus, ponamus. * Vnde prouerbium: Stultus qui patre cæso liberis pepercerit. 103 tyranni. 104 Adde quod, adiice quod, super hæc. * Est potestas qua creditori in sua patria, contra debitorem in aliena, ius suum persequi licet, & pari vi repetere ablata non solum ab iis ipsis, qui eripuerunt, sed etiam ab omnibus & singulis eiusdem gentis aut regionis.

vtimur in rebus non ita magni momenti, quid censes faciendum in re omnium atrocissima? *Pe.* Vincor veris[105]. *Ga.* Tum illud mihi perpende. Apud Italos vt primum[106] scintillare[107] cœpit pestilentia, occluduntur ædes: qui laboranti[108] inseruiunt, submouentur a publico. Hoc quidam appellant inhumanitatem, cum summa sit humanitas. Siquidem hac vigilantia fit, vt paucis funeribus sopiatur[109] malum. At quanta est humanitas, tot millium vitæ consuli? Sunt qui parum hospitale putant, quod Itali in rumore pestilentiæ, tempore vespertino hospitem portis submouent[110], coguntque sub dio[111] noctem agere: at pietas est, paucorum incommodo, maximo Reipublicæ bono prospicere. Quidam sibi valde fortes videntur & officiosi, quod ausint ad quemuis pestilentia laborantem accedere, etiamsi nihil illic habeant negotii[112]. At dum reuersi domum inficiunt vxores, liberos ac totam familiam, quid ea fortitudine stultius, quid officio inofficiosius[113],

vt

105 Concedo veritati, victas dabo manus. Es ist wahr/ 106 simul ac, simul atque, statim vt, pariter cum. So bald/als; Gleich als/nachdem/da. 107 emicare, primum apparere, prodere, exserere se. 108 ægrotanti, decumbenti. 109 mitescat, cesset, supprimatur, restinguatur. 110 arcent, prohibent, abigunt. 111 aëre frigido, sine tecto. 112 etiamsi ea cura illis non incumbat. 113 Variando Superlatiuo: *stultissima* fortitudo, *inofficiosissimum* officium, schema interrogationis adhibetur, vt Val. Max. lib. 2. cap. 1. extr. *Quid hoc splendidius, quid etiam vtilius certamine?* pro: *Certamen hoc splendidissimum & vtilissimum est.* Interrogatio autem affirmatiue concepta æquipollet Propositioni neganti: *Nihil est splendidius, nihil est vtilius.*

vt salutes alienum [114], tibi carissimos in præsens vitæ discrimen [115] adducere [116]? Heic tamen quanto minus [117] est periculi a pestilentia,quã ab hac scabie? Rarius afflat propinquos, nec fere senes attingit; & quos attigit, aut cito liberat, aut restituit sanitati, puriores etiam [118] quam antea fuerant. Hæc quid aliud quam perpetua mors est, vel, vt verius dicam, sepultura? Obuoluuntur linteis & vnguentis more cadauerum. *Pe.* Verissima narras. Saltem idem curæ dandum erat huic tam exitiali malo, quod datur leprosis. Aut si hoc quoque nimium est, nemo barbæ siluam [119] patiatur sibi demeti [120], aut sibi quisque tonsorem præstet. *Ga.* Quid si vterque claudat os? *Pe.* Afflant naribus malum. *Ga.* Est & isti malo remedium. *Pe.* Quodnam? *Ga.* Vt, quod solent Alcumici [121], addant personam [122] quæ per vitreas fenestellas præbeat

114 extraneum, non domesticum. 115 periculum. 116 præcipitare, dare præcipites. 117 Circumscribitur Comparatiuus per Aduerbia hæc Comparandi & interrogandi; id est: non tantum est periculi, multo minus, tanto minus est periculi; scabies hæc est periculosior, quam pestilentia. 118 scil. factos, redditos. 119 Silua refertur inter ea Nomina, quæ multitudini describendæ inseruiunt, vt sunt: nubes, exercitus, caterua, grex, essedum, plaustrum. Syluam nempe seu Siluam dicimus quamcunque congeriem & collectionem maxime lignorum & pilorum. Hinc ***multam syluam gestare*** de Phormione hirsuto quodam milite densisque pilis obsito vsurpatur. Suetonius autem c. 24. in fine de clar. Grammat. Marcum Valerium Probum non-mediocrem syluam Obseruationum sermonis antiqui ex priscis Grammaticis reliquisse scribit. 120 Continuat metaphoram a Sylua, barbæ tonsuram innuens. 121 Alcumistæ. 122 laruam, faciem apposititiam.

beat lumen oculis, ori naribusque respirationem, cornu a persona per axillas in tergum porrecto. *Pe.* Belle, si nihil metuendum est a contactu digitorum, linteorum, pectinis, & forcipis. *Ga.* Optimum igitur, barbam vsque ad genua demittere [123]. *Pe.* Ita videtur. Deinde fiat edictum, ne quis idem sit tonsor & chirurgus. *Ga.* Ad famem relegas [124] tonsores. *Pe.* Minuant sumtus [125], & aliquanto pluris radant [126]. *Ga.* Esto. *Pe.* Tum feratur lex, ne quis cum alio poculum habeat commune. *Ga.* Istam [127] vix recipiat [128] Anglia. *Pe.* Neue duo misceantur eodem lecto, præter vxorem & maritum. *Ga.* Placet. *Pe.* Ad hæc in diuersoriis ne quis hospes indormiat linteis [129], in quibus alius indormiit. *Ga.* Quid facies Germanis; qui vix lauant [130] bis in anno? *Pe.* Exstimulent [131] lotrices. Præterea tollatur mos quamuis vetustus salutandi osculo. *Ga.* Etiamne in templis? *Pe.* Tabellæ [132] suam quisque opponat manum. *Ga.* Quid de colloquio? *Pe.* Vitetur illud Homericum: ἄγχι σχὼν κεφαλήν*, & vi-

123 sinere vt crescat, alere. 124 damnas, condemnas. Die Barbire müssen erhungern; So werden die Barbire schmahle Bissen zu beissen haben. 125 Non tantum insumant, consumant. Sie müssen nicht so viel daraufgehen lassen/ sparsam haußhalten. 126 sich das Barthscheeren theurer bezahlen lassen. 127 sc. legem, conditionem. 128 Coniunctiuus pro Futuro per Enallagen Temporum & Modorum in sententia incerta & modestiæ causa. 129 dormiat in linteis. 130 sc. linteamina & stragula. 131 vrgeant, impellant. 132 quæ nimirum in solenni celebratione Missæ sacrificulis & reliquo popello exosculanda præbetur. * Id est, propius admovens caput. Ὀδυσσ. α.

vicissim qui auscultat, comprimat labra. *Ga.* Vix istis legibus suffecerint duodecim tabulæ[133]. *Pe.* Sed quid consulas interim infelici puellæ? *Ga.* Quid? nisi vt libenter sit misera, quo sit minus misera; & suauio coniugis opponat [134] manum; tum armata cum illo dormiat. *Pe.* Quonam hinc properas? *Ga.* Rectà in museum. *Pe.* Quid facturus? *Ga.* Pro epithalamio *, quod postulant, scripturus Epitaphium.

IMPOSTVRA[1].

LIVINVS, PHILIPPVS.

Ph. SAlue, Liuine. *Li.* Saluebo, si vis ita: sed a me tibi caue. Nam est animus imponere tibi, nisi caues. *Ph.* *Non est admodum metuendus hostis qui periculum denunciat*[2]. Sed age, falle si potes. *Li.* Ecce iam fefelli, nec sentis adhuc. Iterum caue. *Ph.* Cum præstigiarum[3], opi-

133 Excerpta erant ex Solonis legibus, quæ axibus ligneis continebantur, quibus boni æquique iussa, praui delictorumque depulsio, tum iudiciorum ordo & bene viuendi norma pœnæque ac præmia constituta sunt. 134 Horatius Mæcenati suo Epod. III. Precor, manum puella suauio opponat tuo. * Carmen quod in nuptiis decantari consueuit. Epitaphium, inscriptio sepulchri.

1 Deceptio, fallacia inscribitur Colloquium, quia alter alterum fallit loquendo, carmine ita pronunciato, vt nisi gnauiter attendatur, non possit sentiri. 2 Tuta frequensque via est per amici fallere nomen; tela præuisa minus nocent. 3 Præstigiæ sunt illusiones Magicæ, quæ agilitate manuum fiunt; vanæ rerum species, quibus spectatores il-

opinor [4], artifice mihi res eſt. Nihil enim ſentio impoſturæ. *Li.* Rurſus aduerte mentem tuam ni velis decipi, ſicuti falſus [5] es non ſemel. *Ph.* Heic ſum, incipe. *Li.* Iam dudum mihi, quod iubes, peractum eſt. *Ph.* Quid actum, aut quid peractum? Nihil ſentio doli. *Li.* Iam toties admonitus ſaltem adhibe attentum animum. *Ph.* Nouum præſtigiarum genus. Ludor, vt ais, neque quidquam artis ſentio, cum obſeruem & oculos, & manus, & linguam tuam. Sed age, rurſus incipe. *Li.* Iterum atque iterum incipio, atque adeo toties facio, neque tu aſſequeris laqueos. *Ph.* Qua re mihi laqueos tendis? *Li.* Hæc tibi, inquam, lingua dolos parat, nec auribus, ſentis, nec oculis vides. Nunc ſaltem habe attentos oculos & aures. *Ph.* Non poſſum magis, etiam ſi de capite ageretur [6]. Sed falle rurſum. *Li.* Iterum ecce feſelli, neque deprehendis artem. *Ph.* Enecas [7]. Quæſo dic quodnam eſt hoc præſtigiarum genus? *Li.* Hactnus ſum tibi locutus carmine, atque adhuc loquor. *Ph.* Nihil minus ſenſi quam iſtuc. *Li.* Primum [8] tibi reſpon-

---

luduntur, daß ſie bey ſehenden Augen blind ſeyn/ daß ſie ſehen und doch nicht ſehen. 4 vt opinor, vt credo, vt arbitror. Videtur eſſe Ellipſis Particulæ Similitud. *Vt.* Niſi enim hæc vocula ſubintelligatur dicendum ſit: *rem eſſe opinor.* Vide Mai. de var. orat. Cap. V. Sect. X. p. 557. 5 deceptus. 6 wenns meinen Kopff/ Halß/ mein Leib und Leben koſten ſolte. 7 obtundis, excrucias, torques me, moleſtus mihi es, angis me. 8 Notentur hic Aduerbia ordinis ſeu connectendi per totum contextum nouem membris conſtantem: *Primum, deinde, mox, poſthæc, deinde, adhæc, rurſum, mox, poſtremo.* Conf. Mai. de var. Orat. pag. 508. Cap. V. Sect. III. Claſſe V.

ſpondi duobus trimetris iambicis [9]: deinde trochaico tetrametro catalectico. Mox meris Creticis ſum locutus. Poſt hæc Phalæcio hendecaſyllabo [10]. Deinde meris choriambis [11]. Ad hæc meris anapæſtis. Rurſum tribus Sapphicis. Mox Sotadico [12]. Poſtremo Trochaico tetrametro. *Ph.* Deum immortalem! quiduis ſuſpicabar potius, quam iſtud. Si vixero, aliquando vicem reponam. *Li.* Huc ſi quid potes. *Ph.* Ecce bis par pari retuli, nec dolum percipis. *Li.* Hui tam cito? *Ph.* Minatus ſum tibi iambico tetrametro [13] catalectico [14]; mox addidi creticos [15] quin-

9 Sunt illi: *Saluebo, ſi vis ita: ſed a me tibi caue*; eſt prior Iambicus ſenarius. Poſterior eſt: *Nam eſt animus imponere tibi niſi caues.* 10 Verſus Phalæcius hendecaſyllabus, ſeu vndecim Syllabis conſtans, proferebatur hic:

Iam dudum mihi quod iubes peractum eſt.

11 Pedes Choriambici meri ſunt ſequentes: *Iam toties admonitus ſalt' adbib' attent' animum.* Eſt enim Choriambus Pes Tetraſyllabus, id eſt, quatuor Syllabis conſtans, quarum prima & poſtrema longæ ſunt, ſecunda & tertia breues (-◡◡-) 12 Verſus Sotadicus ita appellatur a Sotade Poëta, alio nomine *Ionicus a maiore* dictus, qui pes eſt quatuor Syllabarum, duabus prioribus productis, poſterioribus correptis conflatus. Fuit autem Sotades Cretenſis Maronita; qui Iamborum libros laſciuiſſimos & impuros conſcripſit lingua Ionica. 13 Verſus τετράμετρος eſt quatuor metrorum ſeu dimenſionum & pedum. Sic Iambicus Tetrameter eſt octonarius, qui octo Iambos vel in regionibus imparibus loco Iambi Spondeum habet admixtum. 14 Catalecticus verſus eſt, cui in fine deeſt Syllaba. 15 Pes Creticus ſeu Amphimacrus conſtat tribus Syllabis prima & vltima longa, media breui.

quinque. *Li.* Prorsus accidit, vt video, quod dici solet, Cretensis incidit in Cretensem *. *Ph.* Sic est; sed illud precor vtrique nostrum, ne nobis vnquam occurrat impostura nocentior [16].

CYCLOPS, SIVE EVANGELIOPHORVS *.

POLYPHEMVS, CANNIVS.

Ca. QVid hic venatur Polyphemus? *Po.* Quid vener, rogas, sine canibus & venabulo? *Ca.* Forte nympham aliquam hamadryadem [1]. *Po.* Pulchre diuinasti. En tibi rete venatorium. *Ca.* Quid ego video? Bacchum in exuuio [2] leonis, Polyphemum cum codice? γαλῆ κροκωτόν *. *Po.*

* Cretenses nebulones & mendaces notati sunt. Ein Schelm über den andern. 16 damnosior, noxia magis, noxiosior, vt Petronius in Superlatiuo habet: noxiosissimus.

* Id est, Euangelium ferens. Voluit autem perstringere eos, qui Euangelium semper habent in ore, nec tamen digne viuunt Euangelio. 1 Nymphas Hamadryades Poëtæ Syluarum Deas appellarunt, quas vna cum arboribus nasci & mori fingebant. 2 *Exuuium* non facile reperitur, sed: *Exuuiæ, arum*, quæ significant spolia tum hominibus tum bestiis detracta. Vnde pro pelle sæpius ponitur. Tale est Præstigium pro: *Præstigiæ, arum*, quod Gellius habet. Forte Exuuium per Ellipsin Substantiui: Corium, Vestimentum pro: Exuuiis scil. vestibus, pellibus ipsi positum est. Dicitur autem indutus leonis exuuium ille, qui suscipit negotium facultate maius, quique se magnificentius gerit, quam pro sua conditione. * Id est, Feli crocotum, siue vestimentum. Matronis nobilibus quondam vsitatum. Dicitur quoties honor additur indigne.

Po. Non croco[3] tantum pinxi libellum, ſed etiam minio[4] laſurioque[5]. *Ca.* Non loquor de croco, ſed Græce dixi quiddam. Militaris videtur libellus; nam nodis[6], laminis & circulis æreis armatus eſt[7]. *Po.* Introſpice. *Ca.* Video. Sane perquam bellus eſt: ſed nondum ornaſti ſatis. *Po.* Quid deeſt? *Ca.* Sileni[8] caput e dolio proſpiciens. Sed quid tractat? artem potaticam[9]? *Po.* Vide ne quam imprudens effutias blaſphemiam. *Ca.* Quid igitur? eſtne ſacri quippiam? *Po.* Eſt, quo nihil ſacratius, Euangelium. *Ca.* Ἡράκλεις*! Quid Polyphemo cum Euangelio? *Po.* Quin ita rogas, quid Chriſtiano cum Chriſto? *Ca.* Neſcio, niſi quod te talem magis decet halbardacha[10]. Nam ſi quis mihi iſta ſpecie ignotus occurreret in mari, piratam eſſe crederem: ſi in nemore, ſicarium. *Po.* Atqui hoc ipſum nos docet Euangelium, ne quem iudicemus iuxta faciem. Quemadmo-

3 Saffran. 4 Zinnober. 5 Nonnunquam de induſtria facit Autor confabulatores barbaros barbare loquentes: nam laſurium adhibet pro colore cæruleo vel glauco. Laſurius lapis enim eſt cæruleus, Sapphirinusque flammantibus punctulis interdiſtinctus, vnde paratur a pictoribus color vltra marinus Laſur blau. Eſt autem vel Orientalis vel Lotharingicus ille lapis. 6 Buckeln. 7 mit Meßing beſchlagen/oder mit ſilbernen Ecken und Clauſuren. 8 Silenus Bacchi nutritor & Pædagogus aſino vehi ſolitus, de quo Virgil. Ecloga VI. 9 potatoriam. * Id eſt, Hercules! admirandi aduerbium apud Græcos. 10 Barbare loquitur Cannius. Intelligit per Halbardacham ſecurim vel bipennim Romanam. Eine Hellebarde / kurtz Gewehr/ ex vtraque parte aciem habentem.

modum enim ſæpenumero ſub tunica cinericea latet animus tyrannicus, ita nonnunquam attonſum caput, circumtorta barba, torua ſupercilia, truces oculi, vertex plumam ventilans, ſagum militare [11], caligæ interſectæ, tegunt Euangelicum animum. *Ca.* Quid ni? nonnunquam & ſub pelle lupina latet ouis; &, ſi qua fides apologis [12], ſub exuuio leonis latet aſinus [13]. *Po.* Imo ego noui qui ouem [14] geſtat in vertice, vulpem in pectore: cui libens optarim, vt quam habet nigros oculos, tam habeat candidos amicos, tamque probe inauretur, quam colorem habet inauraturæ congruum. *Ca.* Si ouem geſtat in vertice, qui pileum geſtat ouillum, quam tu incedis onuſtus, cum ouem ſimul & ſtruthiocamelum geſtes in capite? Tum an non abſurdius facit, qui auem portat in capite, aſinum in pectore? *Po.* Mordes. *Ca.* Sed belle res habuerit, ſi quam tu decoraſti variis ornamentis Euangelium, tam te viciſſim exornet. Ornaſti *coloribus*; vtinam exornet te bonis *moribus* [15]!

Po.

11 Sagum ſine addito iam eſt indumentum militare, vt Toga ciuile. Abundat ergo per Pleonaſmum Epitheton: militare; niſi Proprietatis cauſa appoſitum eſſe velis, vt Epitheta Diſcretionis, Proprietatis, Ornatus cauſa addi ſolent obſeruante Donato in Eunuch. II, 3. 12 fabulis. 13 Æſopus ita narrat: Aſinus indutus pelle leonis, vagabatur reliquiſque animalibus terrorem incutiebat & vulpem conſpectam quoque terrere conabatur. Hæc autem (forte enim vocem eius audiuerat) ad ipſum: Atqui ego etiam, certe ſcias, inquit, timuiſſem te, niſi rudentem audiuiſſem. 14 Intellige per *ouem* pileum e lana ouilla & per *ſtruthiocamelum* plumas ex illius auis pennis adornatas; idque Metonymice & Synechdochice. 15 En Paronomaſiam ſponte natam.

Po. Curabitur. *Ca.* Vt soles. *Po.* Sed omissis conuiciis; itane damnas eos qui circumferunt codicem Euangelicum? *Ca.* Minime gentium. *Po.* Quid? an tibi videor minimus [16] gentium, vel asinino capite te procerior? *Ca.* Non arbitror tanto, si asinus arrigat auriculas. *Po.* Certe bubalino. *Ca.* Placet collatio; sed ego Minimè dixi, non Minime [17]. *Po.* Quid interest inter ouum & ouum [18]? *Ca.* Quid interest inter medium digitum & infimum? *Po.* Medius est longior. *Ca.* Scite. Quid interest inter asininas auriculas, & lupinas? *Po.* Lupinæ sunt breuiores. *Ca.* Rem tenes. *Po.* At ego longa breuiaque palmo [19] & vlna metiri soleo, non auribus. *Ca.* Age, qui Christum gestauit, dictus est Christophorus: tu qui Euangelium portas, pro Polyphemo dicendus es Euangeliophorus.

---

16 Ambiguitas vocis *minime* excitat iocum, quam Cannius Aduerbialiter dixerat cum Genitiuo: ***gentium***, pro: ***Nequaquam, neutiquam, nullatenus***; Polyphemus autem intellexit, quasi Vocatiuum. 17 Tacite monet Erasmus, Aduerbia cum eleuatione vltimæ Syllabæ ad differentiam Nominum pronunciari debere. Hinc est quod plerique Grammatici Aduerbia, quæ cum Casibus Nominum confundi poterant, addito Accentu signare pro imperitorum memoria & recordatione consueuerint. 18 Ouum & ouum Casibus differre possunt. Quamuis enim Neutra habeant similes Casus, simile tamen non est idem. ***Ouûm*** pro: ***Ouorum*** quoque per Genitiuum Syncopatum dici poterat. Differunt & oua quantitate seu longitudine. 19 Palmus mensuræ genus. **Die flache Hand Breite** / Spithama; **eine Spanne** / seu Dodrans conficit Palmum maiorem; minor est quatuor digitorum, dempto pollice.

rus. *Po.* An ſanctum non putas, portare Euangelium? *Ca.* Non, niſi tu fatearis eſſe ſanctiſſimos aſinos. *Po.* Qui ſic? *Ca.* Quia vnus ſufficit geſtandis tribus iſtiusmodi codicum millibus; nec te crediderim futurum imparem oneri, ſi probe ſis clitellatus [20]. *Po.* Nihil abſurdi ſic aſino tribuere ſanctimoniam, quia geſtauit Chriſtum. *Ca.* Iſtam ſanctimoniam tibi non inuideo. Et, ſi vis, donabo tibi reliquias illius aſini, cui Chriſtus inſedit, vt exoſculeris. *Po.* Dabis munus gratiſſimum. Nam aſinus ille contactu corporis Chriſti conſecratus eſt. *Ca.* Sane Chriſtum contigerunt, & qui illi impegerunt alapas. *Po.* Sed age dic ſerio; nonne pium eſt circumferre codicem Euangelicum? *Ca.* Pium, ſi abſit hypocriſis, ſi vere id fiat. *Po.* Abeat hypocriſis ad monachos; quid militi cum hypocriſi? *Ca.* At primum expedi mihi quid ſit hypocryſis. *Po.* Cum aliud præ te fers [21], quam lateat in animo. *Ca.* Sed quid præfert [22] circumlatus Euangelii codex? Nonne vitam Euangelicam? *Po.* Opinor. *Ca.* Ergo vbi vita non reſpondet codici, nonne hypocriſis eſt? *Po.* Videtur. Sed quid eſt, vere codicem Euangelicum circumferre? *Ca.* Quidam circumferunt manibus, quemadmodum Franciſcani Franciſci regulam: idem poſſunt & baiuli Lutetiani, & aſini & cantherii [23]. Sunt qui circumferant ore, nihil crepantes niſi Chriſtum & Euangelium: hoc eſt Phariſaicum. Quidam circum-

20 clitellis oneratus. 21 ſimulas. 22 oſtentat. 23 equi caſtrati. Die Wallachen/gewallachten Pferde.

cumferunt animo. Proinde vere circumfert, qui & manibus, & ore, & corde portat Euangelium. *Po.* Vbi sunt isti? *Ca.* In templis diaconi, qui portant codicem, pronunciant populo, & tenent corde. *Po.* Tametsi non omnes sancti sunt[24], qui animo gestant Euangelium. *Ca.* Ne mihi sophistam agas. Non gestat animo, nisi qui medullitus[25] amat. Nemo penitus amat, nisi qui moribus exprimit Euangelium. *Po.* Istas subtilitates non assequor[26]. *Ca.* At dicam crassiore Minerua[27]. Si lagenam vini Belnensis[28] gestes humeris, quid aliud est quam onus? *Po.* Nihil aliud. *Ca.* Si teneas faucibus, ac mox exspuas? *Po.* Haud profuerit; quamquam id quidem non soleo. *Ca.* Sin, vt soles, affatim haurias? *Po.* Nihil diuinius[29]. *Ca.* Concalescit omne corpus, rubescit facies, hilarescit frons. *Po.* Prorsus. *Ca.* Tale quiddam est Euangelium: in animi venas demissum innouat totum hominis habitum[30]. *Po.* Videor igitur tibi parum Euangelice viuere? *Ca.* Istam quæstionem nemo te dissoluerit rectius. *Po.* Si bipenni res agatur. *Ca.* Si quis in os[31] te vocet menda-

24 Non omnes sancti qui calcant limina templi. 25 Pro illo quod Latinitati prolapsæ est: *cordicitus, animitus, oculitus*; aut probatæ dicitur: *impense, sincere, candide, sine fuco, intime, penitissime, oppido, planissime, insigniter, efflictim, eximie.* 26 percipio, intelligo, capio mente. 27 id est, indocte & simpliciter, non arte exquisita nec diserte. 28 Belna vrbs Burgundiæ, vnde vina generosissima. 29 præstabilius, optabilius, amœnius. Das ist excellent/ stattlich/ vortrefflich. 30 statum. 31 faciem.

dacem aut ganeonem, quid facias? *Po.* Quid faciam? sentiret pugnos meos [32]. *Ca.* Quid si quis tibi impingat colaphum? *Po.* Amputarem illi collum pro colapho. *Ca.* Atqui codex tuus docet [33], vt pro conuicio referas benignum sermonem, & ferienti [34] maxillam dextram porrigas & sinistram. *Po.* Legi; sed exciderat [35]. *Ca.* Oras, opinor, frequenter. *Po.* Istuc est Pharisaicum *Ca.* Pharisaicum est, prolixe precari [36], sed fucate. At tuus codex docet semper [37] orandum, sed ex animo [38]. *Po.* Attamen oro nonnunquam. *Ca.* Quando? *Po.* Cum venit in mentem, semel aut bis in hebdomade. *Ca.* Quid tum oras? *Po.* Precationem Dominicam. *Ca.* Quoties? *Po.* Semel. Nam vetat Euangelium battologiam * eadem iterantem. *Ca.* Potes attentus [39] absoluere precationem Dominicam? *Po.* Nunquam id tentatum est. An non satis quod voce pronuntio? *Ca.* Nescio, nisi quod [40] Deus non audit nisi cordis vocem. Crebro ieiunas? *Po.* Nunquam. *Ca.* At tuus codex probat precationem & ieiunium. *Po.* Probarem & ego, nisi aliud fla-

---

32 percuterem ipsum. 33 Matth. V, 44, 39. Rom. XII, 14, 17. Luc. VI; 27, 28, 29. 34 verberanti, tundenti. 35 non succurrebat, non recordabar. 36 Matth. VI, 7. 37 Luc. XVIII, 1. I. Thessal. V, 17. Ephes. VI, 18. 38 Rom. XII, 11, 12. Ioh. IV, 24. * Inanis est multorum verborum effusio, a Batto quodam dicta, cui hoc solenne fuit. Battologiam damnat Christus nominatim apud Matth. c. VI. v. 7. προσευχόμενοι δὲ μὴ βαττολογήσητε. 39 cum attentione mentis. 40 præterquam quod, excepto quod, si discesseris ab hoc, quod.

flagitaret venter. *Ca.* At Paulus negat, eos seruire Iesu Christo, qui ventri seruiunt [41]. Vescēris carnibus quouis die? *Po.* Cum dantur [42]. *Ca.* Atqui ista gladiatoria [43] laterum firmitas vel fœno arborumque corticibus poterat ali. *Po.* Sed Christus dixit [44], non coinquinari hominem his quæ intrant in os. *Ca.* Ita, si modice, si præter offendiculum. At Paulus Christi discipulus mauult fame mori, quam fratrem infirmum offendere suo cibo [45], nosque ad suum hortatur exemplum, vt omnibus per omnia placeamus [46]. *Po.* Paulus est Paulus; ego sum ego. *Ca.* At Ægonis [47] est capras pascere. *Po.* Malim esse [48]. *Ca.* Pulchre tibi precaris: caper citius fies, quam capra. *Po.* *Esse* dixi, pro *edere*. *Ca.* Eleganter. Libenter succurris [49] pauperibus? *Po.* Non est quod dem [50]. *Ca.* At esset, si sobrie viueres, si gna-

41 Philipp. III, 19. 42 suppetunt, apponuntur, cum habeo. 43 validissima. 44 Matth. XV, 11. 45 I. Cor. IIX, 13. 46 I. Cor. IX, 22. 47 Captat ambiguitatem in vocibus *Ego* & *Ægo*, respiciens ad illud Virgilii Ecloga III. *Cuium pecus? an Melibei? non verum Ægonis.* Ægo ab αἴξ, αἰγός, capra Ein Ziegen-Hirte / Ziegen-Treiber. Succurrit hic ipsius Poëtarum Principis Epitaphium, quod morti vicinus sibi erexit respiciens ad libros de Bucolicis, Georgicis & Æneidos, quos conscripserat:

Pastor, *Arabs*, *Eques*. paui, *colui superaui*,
Capras, *Rura*, *Hostes*, fronde, *ligone*, *manu*;
De capris pastis, *de Rure suto*, *Hoste subacto*,
Nec lac, *nec segetes*, *spolia nulla tuli.*

48 Alter dixerat: *est*, a verbo: *sum*; hic dicit *esse*, pro *edere*. 49 opitularis, opem fers, auxiliaris. 50 elargiar, erogem.

gnauiter laborares. *Po.* Dulce est otium. *Ca.* Seruas præcepta Dei? *Po.* Graue est. *Ca.* Agis admissorum pœnitentiam? *Po.* Christus pro nobis dependit[51]. *Ca.* Vnde igitur declaras, te amare Euangelium! *Po.* Dicam. Franciscanus quidam apud nos non desinebat e suggesto deblaterare in Nouum Testamentum Erasmi: conueni hominem priuatim, læuam inieci capillis, dextra pugilem egi, suggillaui[52] illum magnifice, totamque faciem tuber[53] reddidi. Quid ais? non est hoc fauere Euangelio? Deinde absolui illum a commissis, hoc ipso codice ter in verticem impacto, fecique tria tubera, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.[54] *Ca.* Satis quidem Euangelice. Istuc nimirum est Euangelium Euangelio defendere. *Po.* Occurrit alter eiusdem sodalitii, qui nullum neque modum, neque finem faciebat debacchandi[55] in Erasmum. Accensus Euangelico zelo, minis[56] hominem adegi, vt vtroque genu flexo rogaret veniam, fatereturque, se quæ dixerat instigante diabolo dixisse: ni[57] fecisset, iam halbardacha erat in ceruicem vibrata[58]. Vultus erat qualis esse solet Martis irati. Hoc gestum est coram aliquot testibus[59]. *Ca.* Miror hominem non fuisse protinus exanimatum. Sed

51 soluit, satisfecit. 52 Sugillare aliquem est ita verberare, vt cutis liueat ex nimio ictu. 53 ita vt tota facies esset vnum tuber tuberosum feci. 54 Ingens nominis diuini abusus & profanatio, vere blasphema. 55 vehementer declamandi & detonandi. 56 comminationibus. 57 nisi, quod si non. 58 conuersa, mota, intentata. 59 spectantibus, spectatoribus.

Sed vt pergamus. Viuis caste? *Po.* Id fortasse fiet, vbi senuero[60]. Sed vis tibi verum fatear, Canni? *Ca.* Non sum sacerdos: si confiteri libet, alium quære. *Po.* Deo soleo confiteri; sed tibi fateor, me nondum esse perfectum Euangelicum, sed vnum e populo. Habemus quatuor Euangelia, nos Euangelici quatuor res potissimum venamur: vt ventri bene sit; ne quid desit iis, quæ sub ventre sunt; tum vt sit vnde viuamus; postremo vt liceat, quod lubet, agere[61]. Hæc si suppetant, inter pocula clamamus; Io triumphe, io Pæan[62]: viuit Euangelium, regnat Christus.

Ca.

60 grandæuus factus fuero. 61 Perstringit eos, qui solo Euangelicorum nomine contenti, indigne viuunt Euangelio, secundum illud Pauli Rom. X, 16. admonitionem ad Philipp. I. v. 27. negligentes, in quos diuino zelo accensus animaduertit 2. Thessal. I. v. 8. Apostolus. Bene Ambrosius: Actio, inquit, congruat nomini, ne sit nomen inane & crimen immane, honor sublimis & vita decliuis. Scilicet, vt Augustinus lib. de Doct. Christ. scribit: Si Christianum te esse delectat, quæ Christianitatis sunt gere, & merito tibi Christianorum nomen assume; ita & nos: Si Euangelicum te esse delectat, quæ Euangelii sunt, gere & merito tibi Euangelicorum nomen assume. Vt itaque supersedere potuisset glossemate suo Petrus Rabus: *Ridet Lutheranos*, inquiens, *qui se Euangelicos vocari volunt*; quasi vero non darentur & inter Caluinianos, qui se Reformatos vocari volunt, plurimi curantes nil nisi ventrem & cuticulam, quique parum formatis moribus esse deprehenduntur. 62 Imperatori triumphanti apud Romanos, dum per vrbem in Capitolium curru veheretur acclamari a militibus solitum: *Io Triumphe, Io Paean.* Est enim vox: Io! plaine exultantium; vnde Ouidius lib. 2. de Arte amandi:

Dicite Io Pæan, *&* Io *bis dicite* Pæan:
Decidit in casses præda petita meos.

Ca. Ista quidem Epicurea[63] vita est, non Euangelica. *Po.* Haud inficior[64]. Sed scis, Christum omnipotentem esse; potest repente vertere nos in alios homines[65]. *Ca.* Potest & in sues; quod quidem procliuius[66] arbitror, quam in bonos viros. *Po.* Vtinam non essent peiores in mundo suibus[67], bubus[68], asinis[69], & camelis[70]. Multos videas leonibus[71] truculentiores, lupis rapaciores[72], passeribus[73] salaciores, canibus[74] mordaciores, viperis[75] nocentiores. *Ca.* At iam tempus est, vt ex animante bruto in hominem incipias verti. *Po.* Recte mones. Nam horum temporum prophetæ dicunt instare supremum[76] mundi diem. *Ca.* Tanto magis properandum.

Po.

Et IV. Trist. Eleg. 2. de Triumpho Germanici agens:

Tempora Phœbeo lauro cingentur IOQVE
Miles, IO, *magna voce*, Triumphe, *canet*.

Est autem *Pæan* hymnus quilibet, maxime in Apollinem vel Deum aliquem gentilem aut verum dictus. 63 luxuriosa, dissoluta; quia Epicurus, male a vulgo intellectus, summum bonum in voluptate consistere docuit. 64 nego. 65 non secundum omnipotentiam absolutam, sed potentiam ordinatam verbi resistibilem in conuersionis negotio Christus nobiscum agit. 66 facilius. 67 De quibus 2. Pet. II. v. 22. 68 Esaiæ I. v. 3. Psalm. XXII, 13. 69 Ezech. XXIII, 20. 70 Ierem. II, 24. 71 Psalm. X, 9. Sir. IV, 35. XIII, 23. 72 Ioh. X, 12. Ezech. XXII, v. 27. Actor. XX, 29. 73 vitulis. Ier. XXXI, v. 18. De Passeribus constat vel septies in hora coire. Nec solum salaces sunt; sed etiam, qui iis vescuntur, salaces reddunt. Vossius lib. III. de Orig. & Progr. Idololatr. c. 86. p. 1199. Salax autem est, qui libidine prurit, vel a sale vel a saliendo. 74 Psal. XXII, 17. 75 Ps. 140. v. 4. 76 extremum, nouissimum, vltimum.

Po. Exſpecto Chriſti manum [77]. *Ca.* Vide vt tu manui ceream [78] præbeas materiam. Sed vnde colligunt, in propinquo eſſe mundi finem? *Po.* Quoniam, inquiunt, idem nunc faciunt homines quod faciebant imminente diluuio: epulantur, potant, comeſſantur, ducunt, nubunt, ſcortantur [79], emunt, vendunt, & fœnerantur, ædificant: Reges belligerantur [80], ſacerdotes ſtudent augendis cenſibus, Theologi nectunt ſyllogismos, monachi per orbem curſitant, populus tumultuatur, Eraſmus ſcribit colloquia: denique nihil malorum abeſt, fames, ſitis, latrocinia, bellum, peſtilentia, ſeditio [81], rerum bonarum inopia. An non hæc arguunt adeſſe finem rerum humanarum? *Ca.* Ex hoc malorum aceruo quod tibi eſt moleſtiſſimum? *Po.* Diuina [82]. *Ca.* Quod crumenam tuam obſident araneæ *. *Po.* Diſpeream [83], niſi rem acu tetigiſti. Nunc venio recens [84] a compotatione: alias ſobrius tecum diſputabo, ſi voles, de Euangelio. *Ca.* Quando te videbo ſobrium? *Po.* Cum fuero. *Ca.* Quando eris? *Po.* Cum videris. Interim, mi Canni, ſis felix. *Ca.* Tibi viciſſim opto vt ſis quod diceris [85]. *Po.* Ne me vin-

77 ductum, operationem. 78 flexilem, ductilem. Ita apud Horat. imberbis iuuenis dicitur *cereus in vitium flecti, monitoribus aſper*. 79 Matth. XXIV, 38. 80 belligerant. Eſt inter abundantia, de quibus Etymologia Grammat. 81 Marci XIII, 7, 8. 82 hariolare, coniecta, coniice. * Et apud Catullum hic iocus eſt de ſacculo araneis pleno, id eſt, vacuo nummis. 83 Emoriar. 84 proxime, modo iam. 85 Nam πολύφημος multum celebrem, de quo multa dicuntur, ſignificat.

vincas officio, precor ne Cannium vnquam destituat vnde cognomen * sortitus est.

ΑΠΡΟΣΔΙΟΝΥΣΑ [1].
siue
ABSVRDA.

ANNIVS, LEVCIVS.

An. AVdio te interfuisse nuptiis Pancratii & Albinæ. *Le.* Nunquam antehac infelicius nauigaui, quam hoc tempore. *An.* Quid ais? tantam fuisse hominum frequentiam? *Le.* Nec vnquam mihi vilior fuit vita, quam id temporis. *An.* Vide quid faciant opes. Ad meas nuptias pauci conuenirent, idque [2] tenues. *Le.* Vix fueramus ingressi pelagus, ortus est ingens turbo [3]. *An.* Narras deorum cœtum. Totne aderant viri principes, tot matronæ nobiles? *Le.* Boreas dissecuit velum, dissectumque dissipauit. *An.* Desponsam [4] noui. Nihil fingi potest venustius. *Le.*

* Germani siquidem trullam vinariam, eine Kanne vocant.

1. Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον Nihil ad Bacchum, nihil ad rhombum, ad rem præsentem; nihil ad chordam οὐδὲν πρὸς τὴν χορδὴν; de his qui longe discrepant ab eo, quod spectatur. Alter nimirum in hoc Dialogo loquitur de cepis, alter de allio respondet: Annius de Nuptiis, Leucius de Nauigatione. 2 iique. Pleonasmus Pronominis: Ille & Is; pro: pauci conuenirent tenues. 3 procella, ventus cum frigore maximo deturbans omnia ac prosternens, ein Sturm-Wind/Wirbel-Wind/Wind-Wirbel. 4 Desponsatam, nuptam, Sponsam.

Le. Mox fluctus reuulsit[5] clauum[6]. *An.* Idem videtur omnibus. Nec sponsus admodum illi cedit, vt aiunt, formæ gratia. *Le.* Quid animi censes nobis illic fuisse? *An.* Sane rarum nunc est virgines nubere. *Le.* Remigandum nobis erat. *An.* Dotem vix credibilem narras. *Le.* Ecce mox aliud malum. *An.* Cur puellam impuberem commiserunt tam feroci? *Le.* Apparuit piratarum[7] nauis. *An.* Profecto sic est; *in multis nequitia supplet ætatem.* *Le.* Ibi nobis geminum fuit bellum, alterum cum mari[8], alterum cum prædonibus. *An.* Hui tantum donariorum[9]? Interim pauperibus nemo dat festucam[10]. *Le.* Quid? cederemus? Imo desperatio vitæ[11] addebat animos. *An.* Vereor ne sint steriles nuptiæ, si vera prædicas. *Le.* Imo iniecimus harpagones[12]. *An.* O rem nouam! ante nuptias grauida? *Le.* Si spectasses eum conflictum[13], fateretis, me non esse fœminam. *An.* Vt audio, coniugium hoc non solum ratum[14] est, sed etiam consummatum. *Le.* Insiluimus in nauim piraticam. *An.* At demiror, te vocatum alienum, me præterito, qui tertio propinquitatis gradu sponsæ

5 refixit, abstulit, abegit, rupit, fregit. 6 gubernaculi fustem. *Claua* ferit; *clauus* firmat; *clauisque* recludit. 7 Prædonum. 8 pelago, æquore. 9 donorum, munerum nuptialium, gameliorum, anacalypteriorum. **Hochzeit-Geschencke.** 10 rem leuissimam, cassam nucem, **nicht ein Fäselein / nicht einen Faden / Strohhalm / taube Nuß.** 11 de vita. 12 perticas adunco ferro præmunitas, quibus nauis tenetur. **Schiff-Hacken / oder Haken.** 13 illud certamen, luctam eam. 14 firmatum, firmum.

ſæ patrem contingo. *Le.* Ipſos in mare præcipites dedimus. *An.* Vera prædicas; *infelicium nulli ſunt affines*[15]. *Le.* Quidquid erat prædæ, inter nos partiti ſumus. *An.* Expoſtulabo cum puella primo quoque tempore[16]. *Le.* Mox exorta eſt ſubita tranquillitas: dixiſſes eſſe Alcedonia*. *An.* Si illi res eſt, mihi eſt animus[17]. Nihil moror illius beneuolentiam. *Le.* Ita pro vna duas naues in portum deduximus. *An.* Indignetur, qui alit. *Le.* Quo eam[18] rogas? in templum, veli partem dicaturus diuo Nicolao[19]. *An.* Hodie non

---

15 Spectat huc Ouidii illud lib. 1. Triſt. Eleg. 8.

Donec eris felix, multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

16 proxime, quam primum fieri poterit. **Je eher/ie beſſer/ ehiſtens/mit nächſtem/ehiſter Tage.** Expoſtulare vero eſt querelam apud eum ipſum deponere, de eo ipſo, qui fecit iniuriam. **Sich über einen hermachen/ beſchweren / einem etwas vorhalten/ unter Augen ſtellen / verweiſen.** * Dies ſunt ſereni, quibus mare tranquillum & pacatum eſt. 17 **Hat er Geld/ ſo hab ich** Courage, **Hertz im Leibe.** 18 ire velim, parem, abeam. 19 rei maritimæ Patrono, cuius collega eſt Chriſtophorus ille gigas. Laudatur a beneficentia in pauperes, & mare intempeſtum pacaſſe fertur aliquando in Hiſtoria Lombardica. Sed ſi id fecit non ex ſua ſed Chriſti virtute, cui ſoli omnis poteſtas data eſt in cœlo atque terra, & cui ventus obedit & mare Matth. VIII, 27. id præſtitit; vnde nec ipſi ſed Chriſto omnis cultus, honor & gloria debetur. Celebris erat Nicolaus eodem, quo Martinus Turonenſis Epiſcopus, quarto nimirum Myræ in Lycia, & marſupium pecunia turgens in cubiculum cuiusdam ciuis egeni noctu per feneſtram immiſiſſe fertur, quo filias tres quarum corporibus alias quæſtum facere decreuerat, honeſte poſſet elocare. Vnde manauit conſuetudo, vt ſingulis annis munuſcula perſonatus Nicolaus diſtribueret; quod obiter notaſſe hic ſufficiat.

non eſt liberum mihi: nam ipſe domi conuiuas exſpecto; alias non excuſabo.

ΙΠΠΕΥΣ ΑΝΙΠΠΟΣ*, ſiue *EMENTITA NOBILITAS.*

HARPALVS**, NESTORIVS.

Ha. POtes me tuo leuare[1] conſilio? Senties me hominem non immemorem, nec ingratum. *Ne.* Dabo expeditum[2], vt ſis, quod eſſe velis. *Ha.* At nobis in manu[3] non eſt, vt naſcamur nobiles. *Ne.* Si non es, enitere benefactis[4], vt a

* Id eſt, Eques ſine equo. ** Rapacem ſonat; nomen ſeruuli apud Plautum. 1 Iuuare. 2 Expediam, efficiam. Sunt enim verba Periphraſi & variationi eleganter inſeruientia, & inter hæc volo, do, eo, curo, reddo, de quibus vide ſæpius laudatum Eliæ Maioris de var. orat. librum poſthumum c. III. Sect. I. p. 333. ſeqq. 3 poteſtate, viribus; penes nos non eſt, οὐκ ἐςιν ἐφ' ἡμῖν, vt ſæpiſſime in Enchiridio dicere amat Epictetus, v. g. cap. ſtatim I. & II. 4 Eleganter Boëthius: Splendidum te, ſi tuam non habes, aliena claritudo non efficit. Quod ſi quid in nobilitate bonum, id eſſe arbitror ſolum, vt impoſita nobilibus neceſſitudo videatur, ne a maiorum virtute degenerent. Antonius Burgundio in Lydio lapide vanitatis mundi fumo ex igne nato adſcribit: Clari parentis obſcura progenies; Vide Ioh. Mich. von der Ketten Apell. Symbol. p. 235. Mea ſententia, inquit Æneas Syluius Epiſt. 114. nemo eſt nobilis, niſi virtutis amator. Non miror aureas veſtes, equos, canes, ordines famulorum, lautas menſas, marmoreas ædes, villas, prædia, piſcinas, iuriſdictiones, ſyluas. Nam hæc omnia ſtultus aſſequi poteſt; quem ſi quis nobilem dixerit, ipſe fiet ſtultus.

a te initium capiat nobilitas. *Ha.* Perlongum eſt. *Ne.* Exigua ſumma tibi vendet Cæſar. *Ha.* Vulgo ridetur emticia nobilitas[5]. *Ne.* Cum nihil ſit magis ridiculum quam ementita nobilitas, quid eſt vt tantopere affectes nomen equitis? *Ha.* Sunt cauſſæ, nec leues; quas tibi non grauabor indicare, ſi mihi commonſtraris rationes, quibus nobilitatis opinionem mihi parem[6] apud vulgus. *Ne.* Nomen absque re[7]? *Ha.* Atqui cum res abeſt, proximum eſt opinio. Sed age, conſule, Neſtori; vbi cauſſas audieris, fateberis operæ pretium. *Ne.* Quando ita vis, dicam. *Primum fac procul te abducas a patria*[8]. *Ha.* Memini. *Ne.* *Ingere te in conuictum iuuenum vere nobilium*[9]. *Ha.* Intel-

5 Cum Sigismundus Imperator præſtantiſſimum illum Iure-Conſultum D. Georgium Fiſcellinum Equeſtri Ordinis inſignibus donaſſet; & ille Baſileæ in celebri ordinum conventu animi dubius hæreret, vtrum nobilibus an Iure-Conſultis ſeſe coniungeret, tandemque ad Equites velut honoratiores concederet: ***Stulte agis***, inquit Imperat. ***quod literis militiam præfers. Nam Ego mille Equites vno die crearim; Doctorem vero vnum mille annis non fecerim.*** Matth. Theatr. Hiſtor. p. m. 679. edit. Amſtelodam. Elzeuir. Conferantur qui de vera Nobilitate ſcripſerunt, Simon Simonius, Ioh. Caſelius & Matthias Nizolius, aliique paſſim. 6 acquiram, comparem. 7 Horat. lib. 2. Sat. 1. Et genus & virtus, niſi cum re, vilior alga eſt. 8 Nullus Planetarum in domo ſua propria exaltatur, ſed in alienis, etſi non absque detrimento ſuo atque incommodo. Sauædra Symb. 66. p. 533. 9 Facillime in optimam partem cognoſcuntur ii, qui ſe ad claros & ſapientes viros contulerunt, quibus cum ſi frequentes ſunt, opinionem afferunt populo ſe ſimiles eſſe aut fore eorundem. Cic. Offic. lib. II. Scilicet: Noſcitur ex ſocio, qui non cognoſcitur ex ſe. Cum apud Arragones Ferdi-

telligo. *Ne.* Hinc primum orietur suspicio te talem esse cum qualibus victitas. *Ha.* Sic est. *Ne.* *Vide ne quid habeas plebeium*[10]. *Ha.* Quidnam? *Ne.* De cultu loquor. Ne *vestis* sit lanea, sed aut serica, aut, si deest qui [11] emas, fustanea [12], denique vel canabea potius, quam pannea. *Ha.* Recte. *Ne.* Vide ne quid sit integrum, sed disseca pileum, thoracem, caligas, calceos, vngues, si potes; *neue quidquam humile loquaris.* Si quis ex Hispania veniat hospes, roga quomodo conueniat Cæsari [13] cum Pontifice, quid agat affinis tuus Comes [14] a Nassauen [15], quid cæteri congerrones tui. *Ha.* Fiet. *Ne.* *Sit anulus in digito cum gemma signatoria* [16]. *Ha.* Si quidem loculi fe-

---

nandus puer cum Ximenio deambularet, Rex Ferdinandus auus e fenestra palatii eum conspicatus, voce exclamauit interiori suspiriis intercepta: Euge! nepos, tali comite. Schupp. Dissertat. Prælimin. de Opinione p. m. 47. 10 Pythagoræ monitum est: *Per viam publicam non ito*; non vt eam incessu vitemus, sed vt sensu, moribus, vita. Drexel. Aurifod. P. I. c. 10. p. m. 85. 11 quo, vnde, quomodo. 12 pro gossypio dicitur fustanum vel fustagium. Hinc fustaneus. Baum-Wollen. it. pro bombycino, quod cum serico sæpe confunditur. 13 Grauia enim dissidia eo tempore, quo Erasmus hæc scripsit, intercesserant Carolo V. & Pontifici Clementi VII, ita quidem vt ductu Borbonii Roma armata manu capta, misere direpta & Pontifex a militibus summis probris affectus fuerit. 14 Comes eidem quod assecla; dignitatis nomen inde factum, quod Cæsares comitabantur. 15 Præcipui in aula Cæsaris Caroli V. fuerunt Comites illi, eique inter intimos amicos. *Nassau* autem sunt, qui dictum putant quasi *Natgau* von: Naß madidus, a, um, &: gau oder gou, lata via, quæ aquas dirimit; atque ita quasi a locis humidis vel palustribus campis. 16 De Gemmarum

ferant [17], *Ne.* At paruo constat anulus æreus inauratus, cum gemma facticia [18]. Sed adde clypeum cum insignibus [19]. *Ha.* Quænam mihi sua-

Sculpturis annulisque signatoriis veterum vid. Abrahami Gorlæi Antuerpiensis Dactyliotheca cum Explicationibus Jacobi Gronouii. Prodiit Lugd. Batav. 1695. in 4. plag. 21. & figur. æneanum plag. 73. Succurrit hic non intempestiue illud Poëtæ Germanici:

Der Adel sey dein Gold/die Tugend dein Sapphir/
So trägst du einen Ring von grossem Preiß an dir.

Conf. quoque Georgii Longi Mediolanensis Bibliothecarii de Annulis signatoriis antiquorum Tractatus, curante Ruheo Arnstadiensi recusus 1709. Alex. ab Alex. Genial. dierum lib. I. c. 26. & lib. II. c. 19. donari annulo apud Persas maximi fœderis vinculum ac intimæ amicitiæ, plenariæque quiduis agendi scribendiue potestatis signum fuisse scribit. Esther. c. III. Ahasuerus Mardocheo, vt suam in eum voluntatem declararet, annulum signatorium digito suo detractum tradidit, summoque eum apud se loco esse, palam hac tessera confirmauit. Nonnisi ingenuis etiam viris annulum gestare licuit aureum, quo veluti indice ipsorum libertas monstraretur & equestris ordo a seruorum turba distingueretur. T. Liuius lib. 3. decad. 3. scribit, neminem posse, nisi equitem aureum annulum habere. 17 crumena, marsupium sufficiat, patiatur; Wo es der Beutel nur aussiehet / ertragen kan. 18 spuria, artefacta, adulterina. Ein falscher/ durch Kunst zubereiteter Edel-Stein. 19 Iosephi annulum crucis signum; Dauidis leonem; Augusti Sphyngem; Galbæ canem sese prora proclinantem; Pyrrhi Apollinem & Musas; Seleucii Anchoram familiæ natiuam; Epicureorum Epicuri imaginem magistri retulisse accepimus. Veterum Christianorum sigilla referebant columbam, vel piscem, vel nauem, quæ celeri cursu a vento fertur, vel lyram musicam, vel anchoram nauticam. Meum qualecunque, vt id hoc loco addam, signaculum exhibet IESVM crucifixum aperto latere, cui aduolat cor alatum, in clypeo; arboris

suades[20] deligam? *Ne.* Duo mulctra, si velis, & cantharum cereuisiarium. *Ha.* Ludis: age dic serio. *Ne.* Nunquam fuisti in bello? *Ha.* Ne vidi quidem. *Ne.* At interim, opinor, decollasti anseres & capos rusticorum. *Ha.* Persæpe, & quidem fortiter. *Ne.* Pone machæram argenteam, tria anserum capita aurea. *Ha.* In quo solo[21]? *Ne.* Quo nisi sanguinolento? monumentum fortiter effusi cruoris[22]. *Ha.* Quid ni? rubet sanguis anserinus æque atque humanus. Sed perge, obsecro. *Ne.* Hunc igitur clypeum pro foribus[23] omnium diuersoriorum, in quibus forte versatus es, affigendum curato. *Ha.* Quid addetur galeæ? *Ne.* Recte submones. Eam facies ore dissecto[24]. *Ha.* Quam ob rem? *Ne.* Vt spires, deinde vt congruat vestitui. In vertice quid eminebit? *Ha.* Exspecto. *Ne.* Caput ca-

---

truncum excauatæ effrondescentis vtrinque, cui insidet auicula quædam siue columbula, pro galea, circumscriptis in circulum Pentametri, Symbolum indicantis, vocibus: Iesu Perfossum Grata Latebra Latus. Vberiorem vero explicationem sculpturæ dabit deuotum pii Ioh. Heermanni lib. I. Epigramma ad Iesum, quod adscribere non grauabor:

Arboris aut latebra, turtur, vel rupe cauata,
Falconis rapido tutus ab vngue latet.
Accipiter Satan est; ego turtur flebilis, vnco
Quem quærit rostro dilaniare suo.
Rima tuum latus est, truculento a milite fissum:
Ad lateris latebras, qua vehor, ala Fides.
Hic ego tutus ero contra Cacodemonis astus;
Qui latet in Christi vulnere tutus ouat.

20 vt. 21 campo, in qua planitie, in cuius coloris plano. 22 ille color est. 23 ad fores, supra fores. 24 hiante aperto.

canis demissis auribus. *Ha.* Vulgatum est. *Ne.* Adde duo cornua: rarum hoc est. *Ha.* Placet. Sed quæ bestiæ sustinebunt clypeum? *Ne.* Ceruos, canes, dracones, gryphes occuparunt principes; tu ponito duas harpyias[25]. *Ha.* Optime consulis. *Ne.* Restat cognomen. Heic illud in primis cauendum, ne plebeio more te patiaris vocari Harpalum Comensem, sed Harpalum a Como: hoc enim nobilium est, illud sordidorum Theologorum. *Ha.* Sic memini[26]. *Ne.* Habesne quidquam cuius te posses appellare dominum? *Ha.* Ne haram quidem. *Ne.* In vrbe celebri natus es? *Ha.* In obscuro pago: *non enim fas est ei mentiri vnde petis medicinam*[27]. *Ne.* Recte est. Sed ei pago nullus est vicinus mons? *Ha.* Est. *Ne.* Et habet alicunde rupem? *Ha.* Habet præruptam. *Ne.* Ergo sis Harpalus *eques ab aurea rupe*. *Ha.* Atqui mos est magnatum, vt suum quisque symbolum habeat vocale: quemadmodum Maximilianus habebat, *Tene mensuram*: Philippus, *Qui volet*: Carolus, *Vlterius*: item alius aliud. *Ne.* Tu adscribito, *Omnis iacta sit alea*[28]. *Ha.* Næ tu percommode dicis. *Ne.* Iam quo firmior sit hominum opinio, *fingito litteras a magnatibus ad te missas*, in quibus identidem appelleris Eques clarissimus; magnarumque rerum fiat mentio, de feudis, de arcibus, de multis florenorum millibus, de præfecturis, de matrimonio

25 monstra alata vultu virgineo. 26 existimaui, rebar, ratus sum. 27 consilium. 28 Omne fiat periculum. Was taugt unversucht; man muß alles probiren / versuchen.

nio opulento. *Curabis, vt huiusmodi litteræ tibi velut elapsæ, aut per obliuionem relictæ veniant ad aliorum manus.* *Ha.* Istud quidem erit mihi commodum: nam & litteras noui, & hanc facultatem multo vsu paraui, vt cuiusuis manum facile effingam [29]. *Ne.* *Interdum insue*[30] *vesti, aut relinque in crumena, vt quibus sarciendi negotium dederis illic reperiant. Illi non silebunt; & tu, simul at resciueris, compones vultum ad iracundiam ac mæstitiam, quasi doleat casus.* *Ha.* Et istuc iam pridem meditatus sum, vt faciem tam facile mutem, quam [31] personam. *Ne.* Ita fiet, vt nec fucus [32] suboleat [33], & res cum fide spargatur. *Ha.* Curabitur sedulo. *Ne.* Deinde sodales aliquot adsciscendi sunt, aut etiam famuli, qui tibi cedant loco, & apud omnes te *Ioncherum* [34] appellent. Nec est, quod heic sumtum metuas; sunt plurimi iuuenes, qui vel gratis [35] cupiant hanc agere fabulam. Adde huc, quod hæc regio scatet iuuenibus eruditulis [36], qui mira tenentur scribendi libidine, ne dicam scabie*. Nec desunt famelici [37] quidam typographi, nihil non audentes, si spes quæstus affulserit. Ex his aliquot suborna, qui in libellis suis te prædicent patriæ procerem [38], idque subinde re-

---

29 exprimam, imiter. 30 inde, conde. 31 laruam, faciem appositaitiam. 32 fraus, dolus. 33 aduertatur, obseruetur. 34 Ioncker qs. Ionck vel jung/ & herr, jung Herr/ Iuuenis Dominus. 35 nullo persoluto pretio. 36 qui eruditionis famam captent, sed tantum quodammodo eruditi sunt. * Alludit ad hoc Iuuenalis: Tenet insanabile multos scribendi cacoëthes. 37 auari & pauperes. 38 Rarius inuenias: *Procerem.* *Proceres* autem

repetatur litteris maiusculis. Hac via [39] vel in Bohemia [40] celebrabunt procerem patriæ. Et citius enim & latius discurrunt libelli, quam voces, aut quamlibet [41] loquaces famuli. *Ha.* Nec ista displicet ratio. At famuli sunt alendi. *Ne.* Sunt: at non ales famulos ἀχεῖρους * & ob id ἀχρεῖους. Mittantur huc & illuc, inuenient aliquid [42]. Scis, varias esse talium rerum occasiones. *Ha.* Desine: teneo rem. *Ne.* Supersunt artes. *Ha.* Aueo scire. *Ne.* Ni sis bonus aleator, probus chartarius, scortator improbus, potator strenuus, profusor audax, decoctor & conflator æris alieni, deinde scabie ornatus Gallica, vix quisquam te credet equitem. *Ha.* In istis quidem iam pridem exercitatus sum. Sed vnde sumtus? *Ne.* Mane; istuc ibam. Est tibi patrimonium? *Ha.* Perpusillum. *Ne.* Postquam apud multos confirmata fuerit nobilitatis opinio, facile reperies fatuos qui tibi credant; quosdam etiam pudebit negare, quidam metuent. Iam vt ludas creditores, mille sunt artes. *Ha.* Earum quidem rudis non sum. Sed tandem vrgebunt, vbi perspexerint nihil esse nisi verba. *Ne.* Imo nulla est commodior ad regnum via, quam debere quam plurimis. *Ha.*

Qui

Plur. num. proprie sunt extantia trabum capita. Hinc Metaphorice ciuitatis principes appellantur *proceres*, quod ita in ciuitate eminent, vt illa in ædificiis. 39 ratione, hoc modo, ita, hoc pacto. 40 Böhmer-Land pro quauis regione procul dissita ponitur. Est autem Germaniæ portio vltra Danubium. 41 quantumlibet, quantumuis. * Id est, sine manibus. ἀχρεῖους, inutiles. 42 quod scilicet furentur.

Qui sic? *Ne.* Primum creditor obseruat te non aliter quam obligatus magno beneficio, vereturque ne quam præbeat ansam amittendæ pecuniæ. *Seruos nemo magis habet obnoxios, quam debitor suos creditores;* quibus si quid aliquando reddas, gratius est, quam si dono dones. *Ha.* Animaduerti. *Ne.* Illud tamen caueto, ne cum tenuibus habeas commercium. Nam hi ob paruulam summulam ingentes excitant tragœdias [43]. Placabiliores sunt, quibus lautior est fortuna; cohibet illos pudor, lactat spes, deterret metus, norunt quid possint equites. Postremo, cum inundauerit æris alieni magnitudo, fictis caussis alio demigra, atque inde rursus alio. Nec est, quod huius rei te pudeat. Nulli magis obærati sunt, quam magni principes. Si quis rusticus vrgeat, finge offensum improbitate animum. Interdum tamen aliquid reddito, verum nec totum, nec omnibus. Illud vbique curandum, ne cui suboleat, tibi prorsus exhaustos loculos. Semper ostenta. *Ha.* Quid ostentet qui non habet? *Ne.* Si quid amicus apud te deposuit, ostenta pro tuo; sed artem dissimula, cura vt casus videatur. In hunc vsum interdum sumito pecuniam commodato, quam mox reddas. Ex loculo nummis æreis distento profer aureos duos ibi sepositos. Cætera ex te ipso conijcito. *Ha.* Intelligo. At tandem obruar oportet [44] ære alieno. *Ne.* Scis quantum apud nos liceat equitibus. *Ha.* Nihil non, & quidem im-

43 tumultus cum tristi exitu, ein groß Spiel / Lermen; 44 opprimi me oportebit, succumbam,

impune. *Ne.* Ergo famulos ale non segnes, aut etiam sanguine propinquos, qui alioqui forent alendi. Occurret negotiator quem obuium spolient. Reperient aliquid in diuersoriis, aut in ædibus, aut in nauibus incustoditum[45]. Tenes? Meminerint, non frustra datos homini digitos. *Ha.* Si quidem tuto[46]. *Ne.* Cura vt habeas pulchre vestitos, cum insignibus. Committe litteras fictitias ad summates[47]. Si quid clam sustulerint, nullus audebit illos insimulare: etiamsi quid suspicentur, timebunt equitem dominum: sin vi prædam extorserint, bellum vocabitur. His progymnasmatibus * ad bellum præluditur. *Ha.* O felix consilium! *Ne.* Iam illud equestre dogma semper erit tuendum: *Ius fasque esse equiti, plebeium viatorem exonerare pecunia.* Quid enim indignius, quam ignobilem negotiatorem abundare nummis, cum interim eques non habeat, quod impendat scortis & aleæ? Fac semper te adiungas magnatibus, vel ingeras potius: ne quid[48] pudeat, perfricanda frons est[49], sed præsertim hospitibus: eoque præstat in celebri quopiam loco vitam agere, puta in thermis, frequentibus diuersoriis. *Ha.* Istuc ipsum erat in animo. *Ne.* Heic sæpenumero fortuna prædam obiicit. *Ha.* Qui? rogo.

Ne.

45 parum custoditum, minus, non satis custoditum. 46 meminerint, fecerint. 47 optimates, primores.
* Progymnasma est præexercitamentum & quasi rudimentum aliquod. Habent omnes artes peculiaria quædam rudimenta, quibus cognitis facilior nobis aditus ad ipsas artes datur. 48 qua in re, aliqua in re. 49 pudor, verecundia, rubor deponendus, exuendus.

Ne. Puta, hic aut ille reliquit crumenam, aut oblitus reliquit clauim in sera [50] promptuarii. Cætera tenes. *Ha.* At. *Ne.* Quid metuis? de sic culto, de tam magnifice loquente, de equite ab aurea rupe, quis audebit suspicari? Et, si quis forte tam improbus exstiterit, quis erit tam audax, vt te appellet? Interim suspicio deriuabitur in aliquem hospitum, qui pridie discesserint. Turbabuntur famulitia cum pandocheo. Tu tranquillus tuam personam agito. Hoc si acciderit homini modesto, cordatoque, silebit, ne simul cum damno lucrifaciat pudorem, qui rem suam indiligenter seruauerit. *Ha.* Non absurde dicis; nam nosti, opinor, *Comitem a vulture albo.* *Ne.* Quid ni? *Ha.* Apud hunc diuersatus est, vt accepi, Hispanus quidam, specie cultuque sane quam liberali. Is abstulit florenos sexcentos: nec vnquam Comes ausus est queri [51]. Tanta erat hominis maiestas. *Ne.* Habes exemplum. E famulis tuis interdum aliquem emandes [52], in bellum scilicet. Is spoliatis templis aut monasteriis quibuslibet, redibit onustus præda bello parta. *Ha.* Hoc quidem est tutissimum. *Ne.* Est & alia ratio conflandæ pecuniæ. *Ha.* Narra, obsecro. *Ne.* In bene nummatos finge causas irarum, præsertim in monachos aut sacerdotes, qui nunc apud omnes fere summa laborant [53] inuidia. Alius irriserit aut conspuerit clypeum tuum, alius parum honorifice de te sit locutus, alius scripserit aliquid, quod in ca-

50 Schloß / claustro. 51 conqueri, mouere querelas. 52 emigrare iubeas. 53 premuntur.

calumniam detorqueri valeat. His per feciales* tuos ἄσπονδον πόλεμον ** denuntia. Sparge minas atroces, excidia, exitia, πανωλεθρίας *** meras: territi venient ad componendam [54] litem. Ibi fac magno æstimes tuam dignitatem, hoc est, iniquum petas, vt æquum feras. Si postules tria millia, pudebit minus offerre, quam ducentos aureos. *Ha.* Aliis minitabor leges. *Ne.* Istud propius quidem accedit ad sycophanticam: sed tamen iuuat & hoc in partem. Sed heus, Harpale, pene exciderat quod dictum in primis oportuit: puella quædam bene dotata in matrimonii nassam [55] illaqueanda est. Habes apud te philtrum *, iuuenis es, candidulus [56] es, lepidus nugator es, rides blandum [57]. Sparge [57], te magnis promissis ascitum in aulam Cæsaris. Amant puellæ Satrapis [58] nubere. *Ha.* Noui quibus hoc bene cesserit [59]. Cæterum quid si fucus tandem erumpat, & insiliant [60] vn-

---

* Sacerdotes legati, per quos olim Romani fœdera cum hostibus sanciebant, & res repetebant, bellumque denunciabant. ** Id est, irreconciliabile bellum. *** Id est, omnium rerum destructiones, omnimodas perditiones. 54 finiendam. 55 rete ex viminibus contextum. Translata locutio a piscatoribus. Fisch-Reuse. Pisces extra nassam positi intrare, intra eam conclusi exire cupiunt. Stobæus. Die Vögel ausser dem Gebauer wären gerne hinein, die in dem Gebauer gerne heraus. * Illectamentum amatorium, poculum venereum, fascinum. 56 id est, bene candidus gar fein weiß. 57 blande, blandus, freundlich, annehmlich. Græcis Adiectiua Neutra Singularis & Plural. Numeri Aduerbiascunt; quod imitantur in quibusdam Latini. 57 Diuulga, Euulga. 58 Magnatibus. 59 euenerit. 60 prosiliant, surgant, insultent.

vndique creditores? Irridebor perſonatus[61] eques. Nam id apud iſtos turpius eſt, quam ſi templum ſacrilegio ſpolies. *Ne.* Heic oportet meminiſſe perfrictæ frontis. Illud in primis, quod nullis vnquam temporibus magis licuit audacia pro ſapientia vti, quam hodie. Comminiſcendum eſt aliquid quod excuſes. Deinde nunquam deerunt candidi[62], qui faueant tuæ fabulæ, nonnulli ciuiliores diſſimulabunt intellectum fucum. Poſtremo, ſi nihil aliud, profugiendum eſt aliquo in bellum, in tumultum. Quemadmodum κλύζει θάλασσα πάντα τῶν ἀνθρώπων κακά*: ita bellum operit omnium ſcelerum ſentinam[63]. Nec enim habetur hodie bonus belli dux, niſi tali tirocinio præparatus acceſſerit. Hoc erit extremum aſylum[64], ſi cuncta feſellerint. Verum omnis mouendus erit tibi lapis[65], ne huc veniatur. Vide ne te ſecuritas opprimat; *oppidula minuta fuge, in quibus*

---

61 fictus, commentitius & ementitus. 62 vere fidi, boni, qui facile decipiuntur, ſecundum illud: οἱ ἀγαθοὶ εὐαπάτητοι. I. Ianus Gruterus Prof. Hiſt. & Biblioth. Heidelberg. crebro iactabat, quoties quis eſſet deceptus: Bonus vir ſemper tyro. Charitas quippe non ſuſpicatur. I. Cor. XIII. v. 4. & ſimplicitas nihil pati ab aliis formidat, quod ſe feciſſe non meminit. Man ſuchet niemanden hinter dem Strauche/ man habe denn vorher ſelbſt darhinter geſteckt. Liuius Finck deceptus cum ab altero irrideretur: An neſcitis, inquit, faciles eſſe deceptu, qui ad decipiendum alios ſunt difficiles: teſte Zincgref. Apophthegm. P. II. pag. 87. * Id eſt, Eluit mare omnium hominum mala. 63 lernam, colluuiem. 64 refugium. 65 Sumtus dicendi modus ab iis, qui in littore cancros venantur; nam hi plerumque ſub ſaxis latent. Omnia experiendum, nihil intentatum relinquendum,

bus ne pedere quidem licet, ni populus sciat: in magnis ac frequentibus ciuitatibus plus est licentiæ, nisi si qua sit Massiliæ similis [66]. Dissimulanter expiscare [67] quid quisque de te loquatur [68]. Vbi senseris huiusmodi voces increbrescere, *Quid agit? cur heic tot annos moratur? cur non reuisit patriam? cur negligit arces suas? vnde ducit imagines? vnde tantæ profusioni facultates?* Hoc genus, inquam, voces, vbi cœperint magis ac magis gliscere [69], tum mature tibi de migrando [70] cogitandum est: sed sit fuga leonina [71], non leporina [72]. Adsimula, te vocari in aulam Cæsaris ad res magnas, breui te adfuturum cum exercitu. Non audebunt in absentem hiscere quibus est quod nolint amittere. Sed in primis tibi censeo cauendum genus istud hominum *poëticum, irritabile, nigrumque. Illinunt chartis, si quid illos habet male. subitoque per orbem spargitur quidquid illeuerint* [73].

Ha.

66 Massilia frequens quidem & ampla, sed seuera, nec improbæ farinæ homines facile perferens. Valer. Max. testatur, ipsos nullos Mimos in scenam admisisse, ne parum pudicis fabularum argumentis, ciuium mores inficerentur, nec eos, qui religionis prætextu vitam inertem & otiosam sectarentur, intra portas recepisse. Germanorum Prouerbium est: **Grosse Städte grosse Sünden / kleine Städte kleine Sünden.** 67 explora, inquire, percontare. 68 male an bene de te quisque opinetur. 69 augeri, inualescere. 70 abitu, discessu. 71 fuge impauidus & perge recta via. 72 Lepores dum canes fugiunt, sæpius respiciendo pereunt. 73 Bene hanc in rem Chassanæus P. X. Catat. Glor. Mundi Considerat. 45. p. m. 664. circa fin. *Merito*, inquit, *nos admonet Socrates Platonicus, vt diligenter caueamus, ne Poëticum hominem quempiam nobis infensum habeamus.* Vnde charus fuit Scipioni Africano Ennius, Alexandro Cherilus, Augusto Virgilius; Horatium amauit Mæcenas, Tibullum

Ha. Dispeream, ni mihi vehementer placet tuum consilium. Efficiam, vt intelligas te nactum docile ingenium, & iuuenem minime ingratum. Equum quem primum te dignum nactus in pascuis fuero, tibi dono mittam. *Ne.* Nunc superest, vt quod pollicitus es, vicissim præstes. Quid est, cur tantopere affectes falsam opinionem nobilitatis? *Ha.* Nullam aliam ob caussam, nisi quod his omnia licent impune. An hoc tibi leue videtur momentum? *Ne.* Vt pessime cedat, mors vna debetur naturæ, etiamsi vixisses in Carthusia [74]. Et *leuius moriuntur in rota, quam qui moriuntur calculo, podagra aut paralysi.* Nam militare est, credere, nihil hominis superesse [75] post mortem, præter cadauer. *Ha.* Sic opinor.

Messalla; Papinium Domitianus; Ausonium Gratianus; quorum ille aureo Palladio coronatus, hic consulatu ab Imperatore decoratus est. Alexander hinc Pindari inter Lyricos Poëtas præstantissimi familiæ ac penatibus, cum Thebas euerteret, parci iussit: Πινδάρου τοῦ μουσοποιοῦ τὴν στέγην μὴ καίετε. ***Pindari Poëtæ tectum ne cremate.*** Aretinus Poëta ob mordacitatem styli, qua perstrinxit viros Principes, ***Principis Flagellum*** appellatus, annuas a Solymanno, Barbarossa Prædone, & Carolo V. pensiones nactus est, tantum vt calamo ipsis faueret. Pythagoras aiebat, id quod esset colore candido ad boni naturam pertinere; quod atro, mali. Vnde & felicia alba dicimus; infames & facile irritabiles nigros. Horatius Satyr. IV. lib. I.

Hinc niger est; hunc tu, Romane, caueto.

74 Carthusia locus montibus asper & vepribus infrugiferisque arboribus incultus prope Gratianopolin vrbem in Gallia Celtica, vbi Bruno Coloniensis, ordinis Carthusiani institutor circa annum 1084. monasterium erexit. 75 Ouidius hac

ΑΣΤΡΑΓΑΛΙΣΜΟΣ[1], sive *TALORUM LUSUS.*

CAROLUS, QUIRINUS.

Qu. Disce, inquit Cato[2], sed a doctis[3]. Cupio itaque, mi Vtenhovi[4], te magistro discere,

---

de re suam sententiam expromit:

Si tamen e nobis aliquid nisi nomen & umbra
Restat; in Elysia valle Tibullus eris.

1 Ἀστράγαλος Spondylus, vertebra, ossiculum prope quadratum intra infimos tibiæ & suræ processus comprehensum, ut neque videri neque tangi possit, instrumenti lusorii quoque genus est, Latinis itidem Talus. Hinc: Astragalismus. Das Würffel-Spiel/ Ludus Talorum, qui quaternis fiebat talis. Suetonius in Augusto: *Animi laxandi causa modo piscabatur hamo, modo talis aut ocellatis, nucibusque ludebat cum pueris minutis.* 2 Sub cuius nomine prodierunt Disticha moralia seu de Moribus ad Filium, quæ ex mente Ios. Scaligeri & Casp. Barthii Germanice expressa sunt a Martino Opitio & Notis brevioribus adiectisque lemmatibus illustrata Ioh. Sturmii. Non fuit ille M. Portius Cato, sed Dionysius quidam, qui, qua ætate vixerit, non constat. Commodi aut Severi temporibus recentiorem Scaliger non credit. 3 Est hoc lib. IV. distichon 23. *Disce sed a doctis: indoctos ipse doceto:* Den lehre der nichts kan/ Gelehrte laß dich lehren. *Propaganda etenim rerum doctrina bonarum.* Man soll die Wissenschafft der guten Dinge mehren. Cic. in Orat. pro Flacco Rhetorem Heraclidem adolescentes quosdam locupletiores dimidio reddidisse stultiores, quam acceperat, autor est. Contra Valerium Catonem peridoneum visum esse Præceptorem, maxime ad Politicam tendentibus, testatur Suetonius c. XI. de illustr. Grammat. Si aquilam instrueret noctua, non oculos doceret in solem in-

:e,quam ob rem prisci illi religionis antistites edi-
:erint,vt clerici *talaribus tunicis* vterentur, hoc est,
vsque ad talos demissis. *Ca.* Duabus, opinor,de
:aussis. Primum *verecundiæ gratia*, ne quid nudi
pateret[5] oculis. Nam olim nec hoc caligarum ge-
nus fuit repertum,quod nunc ab ilibus[6] vsque ad
mos pedes corpus tegit,neque subligaribus[7] aut
emoralibus vulgo vtebantur. Eadem de caussa
urpe est fœminis breuioribus vti vestimentis, quo
nagis consultum sit sexus pudori. Deinde vt non
olum moribus, verum etiam habitu *differrent* a
opulo, in quo vt quisque[8] est profanissimus, ita
reuissimis[9] tunicis vti gaudet. *Qu.* Non dissimi-
: veri est quod narras. Cæterum ex Aristotele,
'linioque didici,nulli hominum esse talos,sed tan-
ım quadrupedibus, non tamen omnibus, sed bi-
ılcis[10] plerisque,nec rursus his nisi in tibiis poste-
oribus[11]. Vnde igitur vestis dici talaris potest,
quam

ndere,non altas cedros velatu transcendere ; imago ma-
stri discipulus est, quodque parum nouit, nemo docere
oteſt. 4 Carolus Vtenhouius Gandauensis, Dominus
erhegemii, vir multæ doctrinæ, inter præcipuos Erasmi
ltores & amicos erat. 5 conspiceretur, palam fieret.
Ilia, Genit. ilium. Plural. partes sunt imi ventris inter
xas & pubem positæ, die dünne/ weiche oder leere Seite.
subligaculis. Schürtz; vestis genus,quo pudenda tegun-
r. Femoralia a femore dicta itidem verendorum tegmi-
. Hosen / Bein-Kleider / die biß an / auff / die Hüfften ge-
ı. 8 quo quis est profanus magis. 9 eo bre-
oribus, curtis magis. 10 quæ vngulas habent scissas.
Plinius hoc habet ex Aristotele. Astragalum tamen seu
um in homine inueniri indicat anatome, atque id in Epi-
lis Seneca & Herodotus affirmat.

quam gestat homo, nisi fuerunt homines olim quadrupedes, iuxta fabulam Aristophanis? *Ca.* Imo, si credimus Oedipo, & quadrupedes, & tripedes, & bipedes inueniuntur homines; nec raro nobis e bello redeunt vnipedes, interdum apodes*: sed quod ad *tali* vocabulum attinet, rectius mireris, si legas Horatium, qui fabulis quoque talos attribuit. Sic enim, opinor, scribit in Arte poëtica[12]:

Securus, cadat, an recto stet fabula talo.

Qu. Poëtis licet, vt libet, loqui: apud quos Tmolus[13] *habet aures, & naues* loquuntur, & saltant quercus.* *Ca.* Quin & Aristoteles tuus hoc te docere poterat, esse talos dimidiatos, quos ille vocat ἡμιαστραγάλους[14], quales tradit esse lyncum[15] generi. Addit, leonibus inesse quiddam vice[16] tali, sed *anfractuosum*, quod ille vocat λαβυρινθώδες, Plinius vertit *tortuosum*[17]. Denique vbicunque committuntur[18] ossa ossibus ad flexus commoditatem, caua prominentibus inter se respondent, vtrinque lubrica

ca

* Sine pedibus. Auiculæ item sunt in genere hirundinum apodes dictæ. 12 Non habetur, sed in Epistola ad Augustum, cuius exordium est: *Cum tot sustineas* &c. lib. Epist. 2. *Recto* autem *talo stare*, hoc loco significat, *cum applausu spectatorum, bene agi.* 13 Lydiæ mons; quem Ouidius lib. XI. Metamorph. consedisse refert ad audiendum cantum Panis cum Apolline certantis. * Argo fuisse vocalem, autores sunt poëtæ, qui Argonauticam scripserunt. Orpheus & Amphion saxa & arbores cithara mouisse dicuntur. 14 semitalos, semiastragalos. 15 Lynx animalium genus acutissimo visu. 16 loco, instar. 17 quod multis flexibus tortum est. 18 coniunguntur, connectuntur, inseruntur, conduntur.

cartilagine [19] communitis, ac velut incrustatis tibus, ne mutuo attritu sese lædant, vt idem do- Aristoteles. In his fere est aliquid quod a tali ilitudine pariter & vsu non discrepat; velut in ı tibia iuxta calcaneum, vbi totius pedis flexus , prominet quiddam talo simile, quod Græci υρὸν appellant. Rursus in flexura genu, quod, fallor, ἰχίον appellant, quidam vertebrum. [20] nile quiddam videmus in coxendicibus, in hu- ris; postremo in commissuris digitorum, pedis, nanus. Quod ne tibi mirum videatur, Græci lunt ἀστραγάλȣ vocabulum apud probatos au- res tributum etiam ossibus, quibus spina con- litur, præsertim in ceruice. Citant etiam hoc men:

Ἐκ δέ μοι αὐχὴν ἀστραγάλων ἐάγη.*

oniam autem Aristoteles tradit, priores tibias manti datas ad celeritatem, & ob id carere talis; teriores ad stabilitatem, quod in eam partem gat [21] pondus corporis, quemadmodum ad ro- iis, quæ calcibus feriunt: Flaccus dum signifi- e vult, fabulam non eiectam [22], sed ad finem vs- peractam [23], dicit, illam *stetisse fixo talo*: nec ali- tribuit fabulæ *talum*, quam nos libro tribuimus *em*, & volumini *vmbilicum* [24]. *Qu.* Næ tu pro-

Cartilago medium quoddam inter carnem & os, qualis uris. der Knorpel. 20 vertebras. * Id est, Effra- mihi ceruix est extra talos, ex nodis. 21 feratur, incli- 22 quasi immaturo partu abactam & exclusam, de- peratam. 23 bene actam, consummatam. 24 Li- m aliquem ad *calcem*, id est, ad *finem*, ad *vmbilicum*, id est, *dimidiam partem* perducere, absoluere. *Vmbilicus* est,

impune. *Ne.* Ergo famulos ale non ſegnes,aut etiam ſanguine propinquos, qui alioqui forent alendi. Occurret negotiator quem obuium ſpolient. Reperient aliquid in diuerſoriis, aut in ædibus, aut in nauibus incuſtoditum [45]. Tenes? Meminerint,non fruſtra datos homini digitos. *Ha.* Si quidem tuto [46]. *Ne.* Cura vt habeas pulchre veſtitos, cum inſignibus. Committe litteras fictitias ad ſummates [47]. Si quid clam ſuſtulerint; nullus audebit illos inſimulare: etiamſi quid ſuſpicentur, timebunt equitem dominum: ſin vi prædam extorſerint, bellum vocabitur. His progymnaſmatibus * ad bellum præluditur. *Ha.* O felix conſilium! *Ne.* Iam illud equeſtre dogma ſemper erit tuendum: *Ius faſque eſſe equiti, plebeium viatorem exonerare pecunia.* Quid enim indignius, quam ignobilem negotiatorem abundare nummis, cum interim eques non habeat, quod impendat ſcortis & aleæ? Fac ſemper te adiungas magnatibus, vel ingeras potius: ne quid [48] pudeat, perfricanda frons eſt [49], ſed præſertim hoſpitibus: eoque præſtat in celebri quopiam loco vitam agere, puta in thermis, frequentibus diuerſoriis. *Ha.* Iſtuc ipſum erat in animo. *Ne.* Heic ſæpenumero fortuna prædam obiicit. *Ha.* Qui? rogo. *Ne.*

45 parum cuſtoditum, minus, non ſatis cuſtoditum. 46 meminerint, fecerint. 47 optimates; primores. * Progymnaſma eſt præexercitamentum & quaſi rudimentum aliquod. Habent omnes artes peculiaria quædam rudimenta, quibus cognitis facilior nobis aditus ad ipſas artes datur. 48 qua in re, aliqua in re. 49 pudor, verecundia, rubor deponendus, exuendus.

Ne. Puta, hic aut ille reliquit crumenam, aut oblitus reliquit clauim in sera [50] promptuarii. Cætera tenes. *Ha.* At. *Ne.* Quid metuis? de sic culto, de tam magnifice loquente, de equite ab aurea rupe, quis audebit suspicari? Et, si quis forte tam improbus exstiterit, quis erit tam audax, vt te appellet? Interim suspicio deriuabitur in aliquem hospitum, qui pridie discesserint. Turbabuntur famulitia cum pandocheo. Tu tranquillus tuam personam agito. Hoc si acciderit homini modesto, cordatoque, silebit, ne simul cum damno lucrifaciat pudorem, qui rem suam indiligenter seruauerit. *Ha.* Non absurde dicis; nam nosti, opinor, *Comitem a vulture albo.* *Ne.* Quid ni? *Ha.* Apud hunc diuersatus est, vt accepi, Hispanus quidam, specie cultuque sane quam liberali. Is abstulit florenos sexcentos: nec vnquam Comes ausus est queri [51]. Tanta erat hominis maiestas. *Ne.* Habes exemplum. E famulis tuis interdum aliquem emandes [52], in bellum scilicet. Is spoliatis templis aut monasteriis quibuslibet, redibit onustus præda bello parta. *Ha.* Hoc quidem est tutissimum. *Ne.* Est & alia ratio conflandæ pecuniæ. *Ha.* Narra, obsecro. *Ne.* In bene nummatos finge causas irarum, præsertim in monachos aut sacerdotes, qui nunc apud omnes fere summa laborant [53] inuidia. Alius irriserit aut conspuerit clypeum tuum, alius parum honorifice de te sit locutus, alius scripserit aliquid, quod in ca-

50 Schloß / claustro. 51 conqueri, mouere querelas.
52 emigrare iubeas. 53 premuntur.

calumniam detorqueri valeat. His per feciales* tuos ἄσπονδον πόλεμον ** denuntia. Sparge minas atroces, excidia, exitia, πανωλεθρίας *** meras: territi venient ad componendam [54] litem. Ibi fac magno æſtimes tuam dignitatem, hoc eſt, iniquum petas, vt æquum feras. Si poſtules tria millia, pudebit minus offerre, quam ducentos aureos. *Ha.* Aliis minitabor leges. *Ne.* Iſtud propius quidem accedit ad ſycophanticam: ſed tamen iuuat & hoc in partem. Sed heus, Harpale, pene exciderat quod dictum in primis oportuit: puella quædam bene dotata in matrimonii naſſam [55] illaqueanda eſt. Habes apud te philtrum *, iuuenis es, candidulus [56] es, lepidus nugator es, rides blandum [57]. Sparge [57], te magnis promiſſis aſcitum in aulam Cæſaris. Amant puellæ Satrapis [58] nubere. *Ha.* Noui quibus hoc bene ceſſerit [59]. Cæterum quid ſi fucus tandem erumpat, & inſiliant [60] vn-

---

* Sacerdotes legati, per quos olim Romani fœdera cum hoſtibus ſanciebant, & res repetebant, bellumque denunciabant. ** Id eſt, irreconciliabile bellum. *** Id eſt, omnium rerum deſtructiones, omnimodas perditiones. 54 finiendam. 55 rete ex viminibus contextum. Translata locutio a piſcatoribus. Fiſch-Reuſe. Piſces extra naſſam poſiti intrare, intra eam concluſi exire cupiunt. Stobæus. Die Vögel auſſer dem Gebauer wären gerne hinein/ die in dem Gebauer gerne heraus. * Illectamentum amatorium, poculum venereum, faſcinum. 56 id eſt, bene candidus gar fein weiß. 57 blande, blandus, freundlich/ annehmlich. Græcis Adiectiua Neutra Singularis & Plural. Numeri Aduerbiaſcunt; quod imitantur in quibusdam Latini. 57 Diuulga, Euulga. 58 Magnatibus. 59 euenerit. 60 proſiliant, ſurgant, inſultent.

vndique creditores? Irridebor personatus[61] eques. Nam id apud istos turpius est, quam si templum sacrilegio spolies. *Ne.* Heic oportet meminisse perfrictæ frontis. Illud in primis, quod nullis vnquam temporibus magis licuit audacia pro sapientia vti, quam hodie. Comminiscendum est aliquid quod excuses. Deinde nunquam deerunt candidi[62], qui faueant tuæ fabulæ, nonnulli ciuiliores dissimulabunt intellectum fucum. Postremo, si nihil aliud, profugiendum est aliquo in bellum, in tumultum. Quemadmodum κλύζει θάλασσα πάντα τῶν ἀνθρώπων κακά*: ita bellum operit omnium scelerum sentinam[63]. Nec enim habetur hodie bonus belli dux, nisi tali tirocinio præparatus accesserit. Hoc erit extremum asylum[64], si cuncta fefellerint. Verum omnis mouendus erit tibi lapis[65], ne huc veniatur. Vide ne te securitas opprimat; *oppidula minuta fuge, in quibus*

61 fictus, commentitius & ementitus. 62 vere fidi, boni, qui facile decipiuntur, secundum illud: οἱ ἀγαθοὶ εὐαπάτητοι. I. Ianus Gruterus Prof. Hist. & Biblioth. Heidelberg. crebro iactabat, quoties quis esset deceptus: Bonus vir semper tyro. Charitas quippe non suspicatur. I. Cor. XIII. v. 4. & simplicitas nihil pati ab aliis formidat, quod se fecisse non meminit. **Man suchet niemanden hinter dem Strauche/ man habe denn vorher selbst darhinter gesteckt.** Liuius Finck deceptus cum ab altero irrideretur: An nescitis, inquit, faciles esse deceptu, qui ad decipiendum alios sunt difficiles: teste Zincgref. Apophthegm. P. II. pag. 87. * Id est, Eluit mare omnium hominum mala. 63 lernam, colluuiem. 64 refugium. 65 Sumtus dicendi modus ab iis, qui in littore cancros venantur; nam hi plerumque sub saxis latent. Omnia experiendum, nihil intentatum relinquendum,

bus ne pedere quidem licet, ni populus sciat: in magnis ac frequentibus ciuitatibus plus est licentiæ, nisi si qua sit Massiliæ similis [66]. Dissimulanter expiscare [67] quid quisque de te loquatur [68]. Vbi senseris huiusmodi voces increbrescere, *Quid agit? cur heic tot annos moratur? cur non reuisit patriam? cur negligit arces suas? vnde ducit imagines? vnde tantæ profusioni facultates?* Hoc genus, inquam, voces, vbi cœperint magis ac magis gliscere [69], tum mature tibi de migrando [70] cogitandum est: sed sit fuga leonina [71], non leporina [72]. Adsimula, te vocari in aulam Cæsaris ad res magnas, breui te adfuturum cum exercitu. Non audebunt in absentem hiscere quibus est quod nolint amittere. Sed in primis tibi censeo cauendum genus istud hominum *poëticum, irritabile, nigrumque. Illinunt chartis, si quid illos habet male. subitoque per orbem spargitur quidquid illeuerint* [73].

Ha.

---

66 Massilia frequens quidem & ampla, sed seuera, nec improbæ farinæ homines facile perferens. Valer. Max. testatur, ipsos nullos Mimos in scenam admisisse, ne parum pudicis fabularum argumentis, ciuium mores inficerentur, nec eos, qui religionis prætextu vitam inertem & otiosam sectarentur, intra portas recepisse. Germanorum Prouerbium est: **Grosse Städte grosse Sünden / kleine Städte kleine Sünden.** 67 explora, inquire, percontare. 68 male an bene de te quisque opinetur. 69 augeri, inualescere. 70 abitu, discessu. 71 fuge impauidus & perge recta via. 72 Lepores dum canes fugiunt, sæpius respiciendo pereunt. 73 Bene hanc in rem Chassanæus P. X. Catat. Glor. Mundi Considerat. 45. p. m. 664. circa fin. *Merito*, inquit, *nos admonet Socrates Platonicus, vt diligenter caueamus, ne Poëticum hominem quempiam nobis infensum habeamus.* Vnde charus fuit Scipioni Africano Ennius, Alexandro Cherilus, Augusto Virgilius; Horatium amauit Mæcenas, Tibullum

Ha. Dispeream, ni mihi vehementer placet tuum consilium. Efficiam, vt intelligas te nactum docile ingenium, & iuuenem minime ingratum. Equum quem primum te dignum nactus in pascuis fuero, tibi dono mittam. *Ne.* Nunc superest, vt quod pollicitus es, vicissim præstes. Quid est, cur tantopere affectes falsam opinionem nobilitatis? *Ha.* Nullam aliam ob caussam, nisi quod his omnia licent impune. An hoc tibi leue videtur momentum? *Ne.* Vt pessime cedat, mors vna debetur naturæ, etiamsi vixisses in Carthusia [74]. Et *leuius moriuntur in rota, quam qui moriuntur calculo, podagra aut paralysi.* Nam militare est, credere, nihil hominis superesse [75] post mortem, præter cadauer. *Ha.* Sic opinor.

ΑΣΤΡΑ-

Messalla; Papinium Domitianus; Ausonium Gratianus; quorum ille aureo Palladio coronatus, hic consulatu ab Imperatore decoratus est. Alexander hinc Pindari inter Lyricos Poëtas præstantissimi familiæ ac penatibus, cum Thebas euerteret, parci iussit: Πινδάρου τοῦ μουσοποιοῦ τὴν στέγην μὴ καίετε. *Pindari Poëtæ tectum ne cremate.* Aretinus Poëta ob mordacitatem styli, qua perstrinxit viros Principes, *Principis Flagellum* appellatus, annuas a Solymanno, Barbarossa Prædone, & Carolo V. pensiones nactus est, tantum vt calamo ipsis faueret. Pythagoras aiebat, id quod esset colore candido ad boni naturam pertinere; quod atro, mali. Vnde & felicia alba dicimus; infames & facile irritabiles nigros. Horatius Satyr. IV. lib. I.

Hinc niger est; hunc tu, Romane, caueto.

74 Carthusia locus montibus asper & vepribus infrugiferisque arboribus incultus prope Gratianopolin vrbem in Gallia Celtica, vbi Bruno Coloniensis, ordinis Carthusiani institutor circa annum 1084. monasterium erexit. 75 Ouidius hac

ΑΣΤΡΑΓΑΛΙΣΜΟΣ [1], siue *TALORVM LVSVS.*

CAROLVS, QVIRINVS.

Qu. Disce, inquit Cato [2], sed a doctis [3]. Cupio itaque, mi Vtenhoui [4], te magistro discere,

---

de re suam sententiam expromit:

Si tamen e nobis aliquid nisi nomen & vmbra
Restat; in Elysia valle Tibullus eris.

1 Ἀστράγαλος Spondylus, vertebra, officulum prope quadratum intra infimos tibiæ & furæ processus comprehensum, vt neque videri neque tangi possit, instrumenti lusorii quoque genus est, Latinis itidem Talus. Hinc: Astragalismus. Das Würffel-Spiel/ Ludus Talorum, qui quaternis fiebat talis. Suetonius in Augusto: *Animi laxandi causa modo piscabatur hamo, modo talis aut ocellatis, nucibusque ludebat cum pueris minutis.* 2 Sub cuius nomine prodierunt Disticha moralia seu de Moribus ad Filium, quæ ex mente Ios. Scaligeri & Casp. Barthii Germanice expressa sunt a Martino Opitio & Notis breuioribus adiectisque lemmatibus illustrata Ioh. Sturmii. Non fuit ille M. Portius Cato, sed Dionysius quidam, qui, qua ætate vixerit, non constat. Commodi aut Seueri temporibus recentiorem Scaliger non credit. 3 Est hoc lib. IV. distichon 23. *Disce sed a doctis: indoctos ipse doceto:* Den lehre der nichts kan/ Gelehrte laß dich lehren. *Propaganda etenim rerum doctrina bonarum.* Man soll die Wissenschafft der guten Dinge mehren. Cic. in Orat. pro Flacco Rhetorem Heraclidem adolescentes quosdam locupletiores dimidio reddidisse stultiores, quam acceperat, autor est. Contra Valerium Catonem peridoneum visum esse Præceptorem, maxime ad Politicam tendentibus, testatur Suetonius c. XI. de illustr. Grammat. Si aquilam instrueret noctua, non oculos doceret in solem in-

re,quam ob rem prisci illi religionis antistites edixerint,vt clerici *talaribus tunicis* vterentur, hoc est, *vsque ad talos demissis*. *Ca.* Duabus, opinor,de caussis. Primum *verecundiæ gratia*, ne quid nudi pateret[5] oculis. Nam olim nec hoc caligarum genus fuit repertum,quod nunc ab ilibus[6] vsque ad imos pedes corpus tegit, neque subligaribus[7] aut femoralibus vulgo vtebantur. Eadem de caussa turpe est fœminis breuioribus vti vestimentis, quo magis consultum sit sexus pudori. Deinde vt non solum moribus, verum etiam habitu *differrent* a populo, in quo vt quisque[8] est profanissimus, ita breuissimis[9] tunicis vti gaudet. *Qu.* Non dissimile veri est quod narras. Cæterum ex Aristotele, Plinioque didici,nulli hominum esse talos,sed tantum quadrupedibus, non tamen omnibus, sed bisulcis[10] plerisque,nec rursus his nisi in tibiis posterioribus[11]. Vnde igitur vestis dici talaris potest, quam

tendere,non altas cedros velatu transcendere ; imago magistri discipulus est, quodque parum nouit, nemo docere potest. 4 Carolus Vtenhouius Gandauensis, Dominus Merhegemii, vir multæ doctrinæ, inter præcipuos Erasmi cultores & amicos erat. 5 conspiceretur, palam fieret. 6 Ilia, Genit. ilium. Plural. partes sunt imi ventris inter coxas & pubem positæ, die dünne/ weiche oder leere Seite. 7 subligaculis. Schürtz; vestis genus,quo pudenda teguntur. Femoralia a femore dicta itidem verendorum tegmina. Hosen / Bein-Kleider / die biß an / auff / die Hüfften gehen. 8 quo quis est profanus magis. 9 eo breuioribus, curtis magis. 10 quæ vngulas habent scissas. 11 Plinius hoc habet ex Aristotele. Astragalum tamen seu talum in homine inueniri indicat anatome, atque id in Epistolis Seneca & Herodotus affirmat.

quam gestat homo,nisi fuerunt homines olim quadrupedes,iuxta fabulam Aristophanis? *Ca.* Imo, si credimus Oedipo,& quadrupedes, & tripedes,& bipedes inueniuntur homines; nec raro nobis e bello redeunt vnipedes, interdum apodes*: sed quod ad *tali* vocabulum attinet, rectius mireris, si legas Horatium,qui fabulis quoque talos attribuit. Sic enim,opinor,scribit in Arte poëtica[12]:

Securus,cadat,an recto stet fabula talo.

Qu. Poëtis licet,vt libet, loqui: apud quos Tmolus[13] *habet aures,& naues* loquuntur, & saltant quercus.* *Ca.* Quin & Aristoteles tuus hoc te docere poterat,esse talos dimidiatos, quos ille vocat ἡμιαστραγάλους[14],quales tradit esse lyncum[15] generi. Addit, leonibus inesse quiddam vice[16] tali, sed *anfractuosum*,quod ille vocat λαβυρινθῶδες,Plinius vertit *tortuosum*[17]. Denique vbicunque committuntur[18] ossa ossibus ad flexus commoditatem, caua prominentibus inter se respondent,vtrinque lubrica

ca

---

* Sine pedibus. Auiculæ item sunt in genere hirundinum apodes dictæ. 12 Non habetur, sed in Epistola ad Augustum, cuius exordium est: *Cum tot sustineas* &c. lib. Epist. 2. *Recto* autem *talo stare*,hoc loco significat,*cum applausu spectatorum,bene agi.* 13 Lydiæ mons; quem Ouidius lib. XI. Metamorph. consedisse refert ad audiendum cantum Panis cum Apolline certantis. * Argo fuisse vocalem,autores sunt poëtæ, qui Argonauticam scripserunt. Orpheus & Amphion saxa & arbores cithara mouisse dicuntur. 14 semitalos,semiastragalos. 15 Lynx animalium genus acutissimo visu. 16 loco, instar. 17 quod multis flexibus tortum est. 18 coniunguntur, connectuntur, inseruntur,conduntur.

ea cartilagine [19] communitis, ac velut incrustatis partibus, ne mutuo attritu sese lædant, vt idem docet Aristoteles. In his fere est aliquid quod a tali similitudine pariter & vsu non discrepat; velut in ima tibia iuxta calcaneum, vbi totius pedis flexus est, prominet quiddam talo simile, quod Græci σφυρὸν appellant. Rursus in flexura genu, quod, ni fallor, ἰσχίον appellant, quidam vertebrum. [20] Simile quiddam videmus in coxendicibus, in humeris; postremo in commissuris digitorum, pedis, ac manus. Quod ne tibi mirum videatur, Græci tradunt ἀστραγάλου vocabulum apud probatos auctores tributum etiam ossibus, quibus spina connectitur, præsertim in ceruice. Citant etiam hoc carmen:

Ἐκ δέ μοι αὐχὴν ἀστραγάλων ἐάγη.*

Quoniam autem Aristoteles tradit, priores tibias animanti datas ad celeritatem, & ob id carere talis; posteriores ad stabilitatem, quod in eam partem vergat [21] pondus corporis, quemadmodum ad robur iis, quæ calcibus feriunt: Flaccus dum significare vult, fabulam non eiectam [22], sed ad finem vsque peractam [23], dicit, illam *stetisse fixo talo*: nec aliter tribuit fabulæ *talum*, quam nos libro tribuimus *calcem*, & volumini *vmbilicum* [24]. *Qu.* Næ tu pro-

19 Cartilago medium quoddam inter carnem & os, qualis est auris. der Knorpel. 20 vertebras. * Id est, Effracta mihi ceruix est extra talos, ex nodis. 21 feratur, inclinet. 22 quasi immaturo partu abactam & exclusam, deproperatam. 23 bene actam, consummatam. 24 Librum aliquem ad *calcem*, id est, ad *finem*, ad *vmbilicum*, id est, ad *dimidiam partem* perducere, absoluere. *Vmbilicus* est,

probe Grammaticum agis. *Ca.* At quo magis id credas, Græci litteratores ἀστράγαλον dici volunt a στρέφω, & α particula priuatiua, quod minime flectatur, sed immobilis sit. Quanquam alii malunt, ἀστραγαλον, interiecta litera ρ, dictum pro ἀσταγαλον [25], quod lubrica volubilitate stare nesciat. *Qu.* Ad istum modum licet plura divinare. Simplicius erat dicere, *Nescio.* *Ca.* Non vsque adeo videbitur absurda diuinatio, si cogites quantam habeat caliginem vocum primitiua origo: tum in re nullam esse contrarietatem: quod apparebit, si propius inspicias. Volubilis est *t. lus*, sed ita volubilis, vt eam partem cui innectitur, reddat ad standum firmiorem: deinde os ossi connectit, ne facile luxari [26] queat. *Qu.* Tu vel sophistam agere possis, quantum video, si libeat. *Ca.* Sed nihil est, Talesi [27], quod nos torqueat etymologia vocis. Nam quod hodie Græci vocant ἀστράγαλον, prisci, quorum est Callimachus, dixerunt

ἄστριον

quicquid in re aliqua *medium*. Sic Italiæ vmbilicus. Plin. lib. 3. c. 12. Vmbilicus orbis Delphi & Hierosolymæ. Dies ad Vmbilicum iam est. **Es ist Mittag**; de quibus Metaphoris consule Buchnerum p. 35. de commutata ratione dicendi. Rittershusius Comment. in Saluian. p. 294. Constat, vt olim ὀμφαλὸν γῆς Delphos dixere; sic Germaniæ quasi vmbilicum & meditullium esse Norimbergam, quam non solum ὀμφαλὸν sed etiam ὀφθαλμὸν Γερμανίας recte appellauerimus. Sunt & Vmbilici ornamenta quædam, vmbilici formam imitantia, quæ libro compacto adduntur. **Buckelnes**, ab ἵστημι seu στάω, sto, consisto. 26 intorquendo de suo loco moueri, **verrencket / ausgerücket werden**. 27 Per iocum Carolus Quirinum de *talis* differentem vocat *Talesium*.

ἀςέλιον cuius hoc refertur hemistichium; Δέκα δ' ἀςέλια ἄνυτο λύτρον *, vnde quemadmodum ἀςραγαλίζειν, ita & ἀςελίζειν dicebant *talis ludere*. *Qu.* Quale est igitur illud quod proprie *talum* vocant? *Ca.* Est id quo nunc ludunt puellæ: olim puerorum erat lusus, quemadmodum nuces. De quo est illud Græcorum, Ἀμφ' ἀςραγάλοισι χολωθεὶς **, cum iram leui de caussa susceptam [28] indicant. Rursus Horatius in Odis [29] : *Nec regna vini sortiere talis.* Item in Sermonibus [30]. *Te talos, Aule, nucesque* [31]. &c. Postremo dictum illud Lacedæmo-

* Id est, Decem vero talos accepit præmium. ** Id est, ob talos iratus, biliosus factus. 28 bilem leui de causa motam, concitatam. 29 Oda IV. lib. 1. ad Sextium. *Regna vini talis sortiri* est inter bibendum magistrum seu regem bibendi iactu talorum decernere, qui veterum mos fuit in compotationibus. 30 Sat. III. lib. 2. verba sunt Oppidii morientis ad puerum. Postquam te talos, Aule, nucesque ferre sinu laxo, donare & ludere vidi. 31 Nucibus ludere & talis olim puerorum fuit; vnde Phrases: *nuces abiicere, intermittere, repetere; redire ad nuces; nucibus indulgere.* Die Kinder-Schuhe ausziehen/ablegen/wieder hervor suchen/wieder zum Kinde werden; kindische Possen treiben. Martial. Epigr. lib. XIV. seu in Apophoretis num. 15. de nucibus:

Alea parua nuces & non damnosa videtur:
Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.

Vltra Saturnalia nempe pueris ludere nucibus nefas erat. Vide Alex. ab Alex. Dier. Genial. lib. III. c. 21. Ab illis in scholam reuocabantur. Martial. lib. V. n. 81. al. 85. ad Gallam:

Iam tristis nucibus puer relictis
Clamoso reuocatur a magistro.
Saturnalia transiere tota.

monii, ni fallor, *Pueros esse fallendos talis*[32], *viros iureiurando*. Hunc talum negant in vllo animante inueniri, quod sit μώνυχον, hoc est, *vngula*[33] *solida*, excepto asino Indico vnicorno: aut quod sit πολυχιδὲς[34], hoc est, *pede in multos digitos vngulasue fisso*; quod genus sunt leo, panthera, canis, simius, homo & auis, aliaque permulta. Quæ vero δίχηλα sunt, hoc est, vngula bisulca, pleraque *talum* habent, idque, vt recte dicebas, in posterioribus cruribus. Vni homini duplici de caussa *tali* non sunt; primum quia bipes, deinde quia quinis digitis fissos habet pedes. *Qu.* Ista frequenter audiui. Cæterum peruelim mihi situm ac formam *tali* describi. Nam istud lusus genus etiam puellis[35] hodie fastiditum[36] est; sed aleam, chartas, aliosque masculos lusus affectant. *Ca.* Non mirum, cum affectent & Theologiam. Verum etiamsi mathematicus sim, aut pictor, aut etiam plastes[37], non possim tibi melius *tali* formam exhibere, quam *ipso talo*: nisi mauis, vt tibi describam per litteras, vt illi solent. *Qu.* Habesne *talum? Ca.* En tibi ouillum[38] e dextro crure. Vides quatuor duntaxat latera, cum in cubo, & alea, seu

32 Apud Latinos senes tantum ludebant tesseris, cubis, talis, astragalis; apud Græcos etiam pueri. Apollonii Rhodii versus sic sonat in Latinum versus:

Et pueri æquales ex auro ludere talis
Sunt deprensi ambo.

33 *Vngula* figura quidem Diminutiuum, reuera autem & significatione Denominatiuum est. 34 ex πολὺς, πολὺ & χίζω findo, huiusque Perf. Med. ἔχιδα, quod est ex Fut. II. χιδῶ. 35 puerulis. 36 fastidium, fastidio est. 37 formator, qui simulacra format & effingit. 38 sc. talum.

ſeu teſſera ſint ſex; in ambitu[39] quatuor, in ſummo & imo[40] duo. *Qu.* Sic eſt. *Ca.* In *talo* quoniam ſumma pars & ima curuatur, non ſunt niſi quatuor latera: quorum vnum vides velut in dorſum intumeſcere; *Qu.* Video. *Ca.* quod eſt e regione, cauum habere. Illud Ariſtoteles vocat πρανὲς, id eſt, *pronum*; hoc, ὕπτιον, id eſt, *ſupinum*. Velut in congreſſu vxoris & mariti, cum dant operam liberis, mulier ſupina eſt, vir pronus; & manus ſi vola ſpectet terram, prona eſt; ſi inuertas, ſupina. Quamquam oratores & poetæ nonnunquam his verbis abutuntur, quod ad hanc rem nihil attinet. *Qu.* Iſtuc quidem eleganter oculis ſubieciſti. Inter reliqua duo latera quid eſt diſcriminis? *Ca.* Alterum modice cauatum eſt, vt oſſi, cui innectitur, congruat: alterum propemodum nihil habet concaui, minusque armatum eſt cartilaginea tunica, ſed tantum neruo & pelle tegitur. *Qu.* Video. *Ca.* Pronum latus nihil habet neruorum, ſed ſupinæ partis concauo adhæret neruus, quemadmodum dextri lateris ſummo, læui imo. *Qu.* Pulchre narras: ſed vnde dignoſcam dextrum a ſiniſtro? *Ca.* Recte admones. Nam perperam docui, niſi dextri cruris *talum* intelligas. Dicam igitur melius, ſimulque, quod volebas, ſitum indicabo. *Talus* eſt in ipſa ſuffragine[41] cruris infra coxam. *Qu.* Complu-

39 circumferentia, peripheria, auf den Seiten umbher. 40 Oben und unten. 41 Suffrago in poſterioribus quadrupedum pedibus dicitur, quod in prioribus genu. Gr. ὀπίσθια. Vocantur ſuffragines, quod ſubtus franguntur, id eſt, flectuntur, non ſupra ſicut in brachiis.

plures arbitrantur, iuxta pedem esse. *Ca.* Errant. Is qui proprie dicitur talus, est in suffraginibus, quas Græci *καμπὰς*[42] vocant, sed crurum, vt dixi, posteriorum. Inter pedem tuum & genu tibia est. *Qu.* Sic opinor. *Ca.* Post genu *καμπή*. *Qu.* Assentior. *Ca.* Nam qui flexus est homini in brachiis, idem est quadrupedibus in cruribus posterioribus; simiam excipio semihominem. Itaque quod *genu* est in cruribus, id *cubitus* est in brachiis. *Qu.* Animaduerto. *Ca.* Itaque flexus flexui respondet. *Qu.* Illud dicis, crurum posteriorum & priorum. *Ca.* Tenes[43]. In ea igitur suffragine, quæ respondet suffragini, quæ est post genu, stat *talus* erectus, cum stat quadrupes, cuius summa & ima pars leniter incuruatur, quanquam non prorsus eodem modo. Nam superior replicatur in cornua quædam, quas Aristoteles appellat *κεραίας*, Theodorus[44] vertit *antennas*, iuxta quas se submittit pronum latus; ima tale nihil habet.

Qu.

---

42 inflexiones, curuaturas, flexus. **Die Beuget oder Büget unter den Knien/Knie-Büget.** 43 Percipis, assequeris, capis, intelligis, didicisti. 44 Theodorus Gaza, Thessalonicensis vir vtriusque linguæ peritissimus, multa egregie ex Latino in Græcum & vicissim conuersa reliquit. Cum aliquando spe præmii lautioris reportandi Sixto IV. Pontifici librum dedicasset; munus autem leuius expectatione peruideret; in Tiberim illud proiiciens indignatus: *longe tolerabilius*, inquit, *sibi fore, degere in eremo Calabriæ, quam Romæ, vbi pinguiores & obesiores facti asini, pabulum fastidirent sapidissimum.* Excessit de vita anno ætat. octogesimo, Christi 1478. cum sacerdotium in Magna Græcia commendante Bessarione adeptus esset.

Qu. Plane video. *Ca.* Illud ergo latus quod ſpectat tibias priores, Ariſtoteles vocat *ſupinum*: quod illi aduerſum eſt, *pronum*. Rurſum ſunt duo latera, quorum alterum intus ſpectat tibiam poſteriorem, puta læuam aut dextram, alterum ſpectat foras. Quod *introrſum* ſpectat, Ariſtoteles appellat κῶλον, quod *foras*, ἰσχίον. *Qu.* Prorſus oculis rem video. Iam ſupereſt vt nobis indices quæ fuerit olim *talis ludendi ratio*. Nam qui luſus noſtra memoria dicitur in vſu fuiſſe, nihil conuenit cum iis, quæ comperimus apud priſcos auctores de hoc ludendi genere. *Ca.* Ac ſane fieri poteſt, vt quemadmodum hodie *chartis* ac *teſſeris* ad varias ludendi formas abutimur, ita non fuerit eadem apud veteres *talis* luſitandi ratio. *Qu.* Probabile eſt quod dicis. *Ca.* Theodorus Gaza, ſiue, vt alii malunt appellare, Theſſalonicenſis [45], vertens Ariſtotelis librum *de hiſtoria animalium* ſecundum, ait, *tali* latus, quod *foras* transuerſum ſpectat, *Canem* vocari [46]; quod *introrſum* ad alterum crus, *Venerem* [47]. Cæterum hoc quidem de ſuo

45 Erat enim Theſſaloniæ honeſto loco natus; Amurathe vero Græciam omnem armis victricibus quatiente in Italiam venit, acumine & fertilitate ingenii nemini ſecundus, cum Victorino Feltrenſi magiſtro vsque adeo Latinas literas, teſte Ionio in Elog. Doct. c. 26. didiciſſet, vt longe omnium Latiniſſime ſcriberet, nec plane dignoſci poſſet, an exactius & certius ab eo Latina Græce, an ipſa Græca Latine verterentur. Hinc verſiculus: Infelix luſum perdit vbique *canis*. Wer nur eins wirfft / der verſpielt. 47 Venus pro talorum iactu venereo, id eſt, gratiſſimo, acceptiſſimo; vnde iactus veneris. Alle Sechſen; qua de re Martialis lib. XIV. Epigr. 14.

ſuo addidit. Nam Ariſtoteles hæc tantum ponit: *Τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δὲ ὕπτιον εἴσω· καὶ τὰ μὲν κῶλα ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ ἰσχία καλούμενα ἔξω, καὶ τὰς κεραίας ἄνω**. Cæterum quando conſtat ab aliis, *Veneris iactum* appellari, quoties ex *quatuor talis* nullus eſt qui ſummam faciem habet cum alio congruentem; demiror, quid ſequutus Theodorus, vnum latus appellet Venerem. Eraſmus noſter, quem communem habemus amicum, huiusmodi obſeruationum non admodum curioſus, in prouerbiis aliquot ex auctoritate veterum indicat quædam de *ludo talorum*; velut in prouerbio, *Non Chius, ſed Cous* [48], refert, *Coum* & *Senionem* eundem eſſe quem Græci *ἑξίτην* dicunt. Idem tradit in prouerbio, *Chius* ad *Coum*, (addens *Chium* eundem eſſe cum *Cane*) *Coi* iactum fuiſſe felicem, *Canis* infelicem, teſte Perſio:

Quid dexter ſenio [49] *ferret,*
Scire erat in voto, damnoſa canicula [50] *quantum*
Raderet [51].

Iti-

Hîc mihi bis ſeno *numeratur teſſera puncto*;
Calculus hic gemino diſcolor hoſte perit.

Vid. de talis, teſſeris, cubis, cane, ſenione, Chio, Venere, Colia, Euripide, Vulturio, Hercule & Mida Alexand. ab Alexandro Dierum Genial. lib. III. c. 21. ſupra allegato. * Hoc eſt: Atque illud quidem, quod pronum eſt, foras: quod vero ſupinum, intus: & cola quidem dicta eſſe latera, quæ intus ex aduerſo inter ſe vertuntur: iſchia autem quæ foras; ſupra vero ceræas. 48 οὐ χῖος, ἀλλὰ κῷος. In taxillorum luſu, iactus Cous habet *ſex*; Chius *vnum* duntaxat. 49. felix ſenarius. 50 infelix vnitas. 51 roderet, detraheret, aufferret. Perſius Sat. I, 4.

Iidem Propertius [52]:

Semper damnosi subsiluere canes.

Et Ouidius libro de Tristibus secundo *damnosos Canes* appellat. Addit ex Martiale, *Senionem videri per se felicem:* cæterum infelicem fieri, si accedat *Canis*. Sic enim loquitur [53]:

Senio nec nostrum cum Cane quassat ebur.

Iam *Veneris* iactum esse vt *rarum*, ita felicissimum indicat Martialis in Apophoretis [54]:

Cum steterit vultu nullus tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Tot autem talis ludebatur, quot quisque habet latera. Nam tesseris non plus tribus ludi solet. Sed propius ad ludendi rationem facit, quod scribit Suetonius in Octauio Augusto [55], recitans ex illius quadam ad Tiberium epistola hæc: *Inter cœnam lusimus γεροντικῶς* [56] *& heri & hodie. Talis enim*

---

52 lib. IV. Eleg. 9. cuius Hexameter est Pentametri:

Cum fieret nostro toties iniuria lecto.

53 lib. 13. cui nomen inditum Xenia Epigr. 1. cuius initium est: *Ne toga cordylis & penula &c.* Distichon enim tertium, ex quo Pentameter hic Martialis decerptus est, ita incipit:

Non mea magnanimo depugnat tessera talo.

54 Apophoreta dicuntur munera, quæ dantur conuiuis in fine conuiuiorum aufferenda, a verbo ἀποφέρω. Nomen autem hoc inditum libro XIV. Epigrammat. Martialis, qui constat meris Distichis, vt ipse primo ad lectorem Epigrammate profitetur:

Versibus explicitum est omne duobus opus.

55 cap. 71. §. 5. seqq. 56 *seniliter*, sedendo vt senes; & talis, qui senum oblectamentum, vt pila est iuuenum. Cic. Senect. c. 16. Habeant igitur alii sibi arma, sibi equos, sibi

enim iactatis [57], *vt quisque canem aut ſenionem miſerat in ſingulos talos ſingulos denarios in medium conferebat, quos tollebat vniuerſos qui Venerem iecerat.* *Qu.* Docuiſti, feliciſſimum eſſe iactum, cum omnes tali quatuor oſtenderint diuerſum latus, quemadmodum in teſſerarum ludo fortunatiſſimus eſt, qui dicitur *Midas*; at nondum declaraſti, hunc iactum dici *Venerem*. *Ca.* Illud expediet tibi Lucianus, ita loquens in Cupidinibus: Καὶ βάλλων μὲν ἐπὶ σκοποῦ, μάλιστα δὲ εἴ ποτε τὴν θεὸν αὐτὴν ἐκβολήσειε, μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι, προσεκύνει, τῆς ἐπιθυμίας τεύξεσθαι νομίζων*. Loquitur autem illic de *Venere*. *Qu.* Si falſus eſt Theodorus, duo tantum latera ſuis vocabulis deſignantur. *Ca.* Fortaſſis alicuius auctoritatem ille ſecutus eſt, quæ nos fugit: quod apud auctores compertum eſt, afferimus in medium. Nam ſunt qui meminerunt de *numero Steſichorio* in *talis*, quem putant *ogdoadem* eſſe: item de *Euripideo*, qui continebat *quadraginta*. *Qu.* Reſtat vt *luſus leges* præſcribas. *Ca.* Non arbitror, pueros iisdem vſos legibus, quibus ſe vſum fuiſſe ſcribit Octauius [58]. Nec probabile eſt, hoc ludendi genus quod commemorat, fuiſſe *publicum*. Id ſi fuiſ-

haſtas, ſibi clauam & pilam, ſibi natationes & curſus; nobis ſenibus ex luſionibus multis talos relinquant & teſſeras. 57 in vaſculum infundibuli, turriculæ ſpeciem repræſentans, quod *fritillum* dixerunt veteres. * Id eſt, Et iactans quidem ad ſcopum, maxime vero ſi quando *ipſam deam* feliciter iactaſſet, *nullo ſcilicet talorum æquali figura cadente*, adorabat, arbitratus, ſe deſiderio ſuo fruiturum. 58 Auguſtus loco paulo ante citato c. VII.

fuiſſet, ſatis erat dixiſſe, *Inter cœnam luſimus talis.* Sed mihi ſubindicare videtur, *nouam ludendi conditionem* inter illos repertam, *velut aptam ſenibus, minimeque torquentem animos* ſolicita cogitatione, *quemadmodum faciunt hodie complures luſus, vt leuius ſit intendere ſtudiis.* *Qu.* Profer, obſecro te, reliquos talos, vt experiamur. *Ca.* Sed deeſt nobis turricula * voluendis talis, deinde tabula. *Qu.* Suffecerit hæc menſa ad qualecunque ſpecimen exhibendum [59]. Pro *turricula* ſuffecerit *cyathus* aut *pileum.* *Ca.* Imo complexus cauarum manuum. Iactus ſæpius oſtendit ſupinam partem quam pronam, & pronam ſæpius, quam *ſenionem,* aut *canem.* *Qu.* Videtur. *Ca.* Si inter quatuor *talos* extiterit *vnus canis,* expones nummum [60]; ſi *duo,* duos [61]; ſi tres [62], tres [63]; ſi quatuor, quatuor [64]. Item quoties ieceris *ſenionem*, toties recipies vnum e nummis. *Qu.* Quid ſi *ſenionem* cum *cane?* *Ca.* Si vis, vterque nummum addet, neuter tollet; cui primum obtigerit *Venus* [65], is auferet aceruum. *Qu.* Quid ſi *talus* oſtendat, partem *ſupinam aut pronam* [66]? *Ca.* Is iactus erit irritus, & aut tu iactum repetes, aut iaciendi ius ad me

* Quam etiam pyrgum vocant. *Horat.* Mitteret in pyrgum talos. 59 experimentum capiendum, ſumendum. 60 vnum. 61 ſcil. nummos. 62 canes. 63 nummos. 64 quatuor nummos. 65 *Cui ſteterit nullus vultu iactatus eodem* talus; vt loquamur ex illo Martial. lib. XIV. Epigr. XI. *de talis eboreis* ſuperius ab Autore allato. 66 **Der Würffel liegt nach der Seite/lähnet ſich/liegt nicht gleich auff/liegt ſchlimm.**

me deuoluetur [67]. *Qu.* Placet deuotutio. *Ca.* Nunc appone *ſortem* [68]. *Qu.* Experiamur abſque periculo [69]. *Ca.* Vis tu tantam artem diſcere gratis? *Qu.* Verum impar certamen eſt inter artificem & rudem. *Ca.* Atqui ſpes lucri, & damni metus, reddet te attentiorem. *Qu.* Quanti certabimus [70]? *Ca.* Si vis cito diteſcere, centum ducatis [71]. *Qu.* Vtinam ſint [72] quos deponam! Tutius eſt paullatim diteſcere. En tibi ſolidum aſſem [73]. *Ca.* Age, *addemus puſillum puſillo*, quemadmodum monet Heſiodus [74]; *ſic quoque fiet ingens aceruus.* Conuolue [75]; ac mitte. *Felix* auſpicium; *canem* habes; appone nummum, & poſthac agnoſce damnoſum latus. Da *talos.*

Qu.

---

67 delabétur, deſcendet, deuenerit, proceſſerit, perlatum erit. 68 nummos. **Setze zu.** 69 gratis, ſine appoſita ſorte. **Umbſonſt und umb nichts einmahl verſuchen.** 70 ludemus. 71 Rectius *aureis*. 72 haberem. **Wenn ich ſie hätte / daß ich ſie nur nehmen dörffte; wenn ſie da wären!** 73 æreum vel obolum, **umb einen gantzen Heller.** Quidam Lucius Veratius fuit, homo improbus atque immani vecordia, qui pro delectamento haberet, os hominis liberi manu ſua depalmare. Eum ſeruus ſequebatur crumenam plenam aſſium portitans; hunc, quocunque depalmato, numerare ſtatim ſecundum XII. tabulas viginti & quinque aſſes iubebat. Gell. lib. 20. c. 1. 74 Verba Heſiodi lib. 1. *ἔργων* Græca hæc ſunt:

Εἰ γὰρ κεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθεῖο;
Καὶ θαμὰ τοῦθ' ἔρδοις, τάχακεν μέγα καὶ τὸ
γένοιτο.

Hoc eſt:

Nam ſi vel paruum pergas ſuperaddere paruo;
Et crebro id facias, ingens exiſtet aceruus.

75 in manum collectos verſa, ne quid fraudis fiat.

Qu. *Felicius* auſpicium: treis habes *canes*; appone. *Ca.* Inſidiatur tibi fortuna; mitte, ſed circumuolutos [76], o bone [77]! Labor irritus; pronum habes & ſupinum. Succedo [78]; trade *talos.* *Qu.* O factum bene [79]! rurſum treis video *canes.* *Ca.* Μὴ πρὸ τῆς νίκης ἐγκώμιον [80]. Illectat, inquam, te fortuna. Sed heus tu, ad hunc quidem modum edoctus ſum. At mea ſententia ſecus luſit Octauius. *Qu.* Quomodo? *Ca.* Qui *canem* iecerat, apponebat denarium, vt diximus; qui *ſenionem*, nihil quidem auferebat, ſed alter ponebat. *Qu.* Quid ſi plures *ſeniones* exiſſent? *Ca.* Totidem nummos alter addebat. Bene cumulatum aceruum ſemel tollebat *Venus.* Et illud addas licebit: Cui nec *ſenio* obtigerit, nec *canis*, nihil aliud quam mittendi vicem perdet. *Qu.* Non recuſo. *Ca.* Mihi videtur & hoc elegantius, ſi tertio quisque iactu defungatur qui *talos* tenet, & mox alteri tradat vices. *Qu.* Placet: ſed quota *Venus* finiet ludum? *Ca.* Tertia, ſi videtur. Deinceps

76 in manu verſatos, agitatos, ſatis volutatos, rotatos.
77 **mein lieber Pursche/Geselle/Kerl/Freund.** 78 Ordo defertur ad me; ſunt meæ iaciendi vices. 79 **So recht! das war recht!** 80 Id eſt, Ne ante victoriam encomion. **Krähe nicht zu frühe / frohlocke nicht vor der Zeit; die Sache ist noch nicht ausgemacht / du weist noch nicht wie es kommen möchte.** Ante victoriam triumphum cecinerunt Perſæ longe ante ex Inſula Paro marmora aduehentes, quam eum Athenienſibus confligerent; ad inſcribendam, quam ſpe iam pridem deuorauerant, victoriam; ſed cum poſtea ipſimet prælio vincerentur, iisdem marmoribus Athenienſes vſi ſunt ad erigendam Vindictæ ſtatuam, perenne ſtultitiæ Perſicæ monumentum.

ceps liberum erit de integro pacisci. Siquidem tum raro, tum paucis fauet *Venus*. Nunc aggrediamur bonis auibus. *Qu.* Fiat; sed præstat occludere fores, ne nostræ culinæ regina [81] videat nos puerorum more ineptientes. *Ca.* Imo *seniliter* [82] potius. Adeone loquacem habes famulam? *Qu.* Tam futilem, vt si desint homines quibus narret quidquid domi geritur, longo sermone gallinis narret ac felibus. *Ca.* Heus puer, claude ostium, & obde [83] pessulum, ne quis subitus interueniat spectator, quo liceat ad satietatem vsque ludere [84].

SENATVLVS [1], siue ΓΥΝΑΙΚΟΣΥΝΕΔΡΙΟΝ [*].

CORNELIA, MARGARETA, PEROTTA, IVLIA, CATHARINA.

Co. QVod felix faustumque sit huic ordini, totique Reipublicæ fœmineæ [2], & frequentes

81 ancilla, quæ culinæ præest. Die Küchen-Magd / Köchin. 82 γερονικῶς. 83 obuerte, obiice, admoue. 84 forum aleatorium calfacere. Wir wollen spielen / daß es rauchet / vt est in Augusti vita apud Tranquillum, biß wir es satt / genung / überdrüßig haben. Conf. de Astragalismo Polydorus Vergilius lib. 2. de Inuentione rerum, & Cœl. Rhodiginus de *talis*, Antiq. Lect. lib. IV. c. II. & 12. lib. XX. c. 27. Bulengerus de Ludis Veterum c. 58. & Calcagninus.

1 q. paruus Senatus. Sed *senaculum* Latinius dixisset. * Id est, Conciliabulum mulierculorum. Das Weiber-Parlament. 2 Solenne fuit in relationibus Consulum

tes hodie conuenistis & alacres; vnde spem optimam concipio, futurum, vt Deus propitius cuique ea suggerat in animum, quæ ad communem omnium & dignitatem, & vtilitatem pertinent. Scitis, opinor, omnes, quantum hinc commodis nostris decesserit, quod, cum viri quotidianis conuentibus suum agant negotium, nos colo telæque assidentes causam nostram deserimus. Itaque res huc deuenit, vt nec inter nos sit vlla Reipublicæ disciplina [3], & viri nos pene pro delectamentis [4] habeant, vixque hominis [5] vocabulo dignentur. Quod si, qua cœpimus [6], pergamus, diuinate vos ipsæ, quo tandem res sit euasura: vereor enim verba sinistri ominis [7] eloqui. Vt [8] dignitatem nostram

coram Senatu Romano ita præfari: *Quod bonum, faustum, felix, fortunatum ac salutare sit*; id quod omnibus rebus agendis præmittere consueuerant veteres, vt docet Brissonius de Form. lib. II. & I. p. m. 164. & 64. seqq. ex Cicerone, Liuio, Suetonio aliisque quam fusissime. 3 ordo, sanctio, institutum. 4 deridiculo. 5 prout in Synodo Malisconensi III. disputatum & anno Chr. 1595. ab Anonymo assertum est publico scripto in Hollandia: mulieres non esse homines; quæ Spermologi, ad porcos ablegandi, proteruia solide discussa est a D. Simone Gediccio, aulæ Electoral. Brandenburg. Concionatore in Defensione sexus muliebris Lips. 1595. cum Wittebergensium Theologorum admonitione edita. Ingens vero in fœmineum genus & atrox illa D. Langenbergii Coloniensis blasphemia fuit, quem Zincgref. in Apophth. P. IV. p. 463. mulieres ex cauda canina factas impio ore calamoque crepitasse memorat, scropha matre dignissimum pecus iure meritoque potius, quam hominem nuncupandum, nisi spurcissimum canem aut cynædum dicere malis. 6 scil. via, semita. 7 *Omen*, qs. *oremen* est futuræ rei pronunciatio hominis ori incidens, vt

ſtram negligamus, certe incolumitas debet eſſe curæ. At ſapientiſſimus ille rex ſcriptum reliquit *, *Ibi demum eſſe ſalutem, vbi multa conſilia.* Habent epiſcopi ſuas ſynodos, habent monachorum greges ſua conciliabula, habent milites ſuas ſtationes, habent fures ſua conuenticula: denique habet & formicarum genus ſuos congreſſus. Solæ omnium animantium mulieres nunquam coimus [9]. *Ma.* Sæpius quam decet [10]. *Co.* Nondum interloquendi tempus eſt; ſinite me perorare; dabitur ſingulis dicendi locus. Neque nouum eſt quod facimus, vetus exemplum reuocamus. Siquidem ante annos mille trecentos, ni fallor, Heliogabalus Cæſar laudatiſſimus [11]. *Pe.* Quid laudatiſſimus; quem vnco tractum in cloacam proiectum eſſe conſtat? *Co.* Rurſus interpellor. Si quem hac ratione probamus, aut improbamus, malum dicemus Chriſtum, quod in crucem ſuffixus ſit; pium Domitium [12], quod

---

priſci voluerunt, non ſine diuino inſtinctu. Da einer ſein ſelbſt eigener Prophete und Unglücks-Bothe gleichſam unvermerckt wird. 8 Quantumuis, Licet autem. * Prouerb. XII. 9 conuenimus, congredimur. 10 Per iocum reſpondet Margaretha, quaſi intellexiſſet coire, de concubitu vel cohabitatione cum marito. 11 Stulte loquentem facit Autor hanc fœminam, quæ Heliogabalum, monſtrum impurum ac ſceleratiſſimum, nequiſſimum Cæſarem, qui omnes ante ſe ineffabili impietate ſuperauit, laudatiſſimum appellat. 12 Quem Domitium pium deſignet, niſi Domitium illum Afrum Oratorem exanimatum in quadam cœna copia cibi temporibus Neronis, vt vult Arnoldus Montanus; aut Grammaticum inſanum tempore Gellii nuncupatum, quod ſolitarius viueret hominumque conſortia fugeret,

quod domi sit mortuus. Atqui nihil obiicitur Heliogabalo atrocius, quam quod sacrum ignem, qui a Vestalibus seruabatur, in terram abiecerit, quodque domi in larario *Mosen habuerit & Christum, quem illi contumeliæ caussa Chrestum vocabant. Is igitur Heliogabalus instituit, vt quemadmodum Imperator eum suis habebat senatum, in quo de rebus communibus consultaret; ita haberet & mater illius Augusta senatum suum, in quo de fœmineæ gentis negotiis tractaretur: quem viri vel iocandi, vel discernendi gratia, *Senatulum* vocabant. Hoc exemplum tot iam sæculis intermissum res ipsa iam dudum monet nos instaurare. Nec vllam moueat, quod Paulus Apostolus vetat *mulierem loqui in cœtu, quam ille vocat Ecclesiam*: de cœtu virorum loquitur; hic cœtus est muliebris. Alioqui si semper tacendum erat fœminis, in quem vsum natura dedit nobis & linguas non minus expeditas quam sunt virorum, & vo-

precatus vt liguis destituerentur homines, ne vitia sermone propagarent, de quo Gellius lib. VI. c. 7. vel obscurum forte quendam Sanctum Pontificium, non videmus. Rabo certe adstipulari non possumus *Domitianum* legenti, qui ab aliquot coniuratis in cubiculo occisus est. Quomodo hic Christo adiungetur, pius vocabitur & Heliogabalo per deductionem aliquam ad absurdum præferetur? Cur non *Dominicum* potius legit Carthusianum Treuirensem ab eruditione & pietate clarum? obiit hic demum longe a morte Erasmi anno 1641. Aut certe Dominicum de Guzmann ordinis Dominicani autorem, Bononiæ 1221. mortuum & a Gregorio IX. sanctis anno 1235. adscriptum? * Sacrarium est domesticum, in quo Lares & dii peculiares adorabantur. Quod autem hic Heliogabalo attribuitur, Lampridius Alexandro Seuero adscribit.

omnium ſumma [20], noſtra potior [21] eſt, quam illorum conditio. Illi dum quærunt rem, per omnes terras ac maria volitant, non ſine capitis diſcrimine: illi, ſi bellum incidat, excitantur buccina, ferrei [22] ſtant in acie, dum nos domi ſedemus tutæ. Si quid committunt aduerſus leges, grauius in illos animaduertitur; noſtro ſexui parcitur. Denique magna ex parte in nobis ſitum eſt, vt commodos [23] habeamus maritos. Reſtat vt de conſeſſus ordine ſtatuatur, ne nobis eueniat, quod frequenter vſu venit regum, principum ac pontificum oratoribus [24], qui in conciliis totos tres menſes litigant [25], antequam poſſint conſidere. Itaque cenſeo, primum eſſe debere nobilium ordinem; & in his præcedent, quæ quatuor habent nobilitatis partes: proximæ, quæ tres: deinde, quæ duas: poſtremæ, quæ vnam: poſtremo, quæ dimidiatam. Et in ſingulis ordinibus locus ex [25] antiquitate deſignabitur. Nothæ [26] in ſuo quoque ordine extremum tenebunt locum. Alter conſeſſus erit plebeiarum [27]. In hoc primas tenebunt quæ copioſiorem ſobolem enixæ ſunt [28]. Inter pares litem

20 re accuratius penſiculata, ſi negotium ſolicitius examinauerimus. 21 melior, commodior. Wir haben es beſſer/ ſind beſſer dran. 22 quaſi eſſent. 23 benignos, faciles. 24 Legatis, nunciis. 25 contendunt, controuertunt, diſceptant, diſſident. 25 pro antiquitate, habita antiquitatis ratione. 26 ſpuriæ, incerto patre natæ; nothæ illegitima vxore. 27 ignobilium. 28 Antiqui ſane magnum ſemper ſobolis propagandæ rationem habuere, vt ne deeſſent vnquam, qui in demortuorum locum ſuccederent. Et fuit ea res tam cordi Romanis, vt liberorum procreationi præmia proponerent. Argumento eſt ius

tem dirimet ætas. Tertius erit earum quæ nondum pepererunt. *Ca.* Quo mittis viduas? *Co.* Commode mones. Istis locus dabitur in medio matrum, si modo liberos habent, habuerintue. Steriles extremum obtinebunt locum [29]. *Iu.* Quem locum designas sacerdotum ac monachorum vxoribus? *Co.* De his proximo consessu deliberabimus. *Iu.* Quid de his, quæ corpore faciunt quæstum [30]? *Co.* Non patiemur hunc senatum admixtu talium inquinari. *Iu.* Quid de concubinis [31]? *Co.* Istarum non simplex est genus; de quibus per otium tractabitur. Adiiciendum est,

trium liberorum & legibus munerata fœcunditas. Certe

Non gentis vllam posteræ curam meret
Cui cura non est, tollere hæredem sibi,
Dulcesque natos spem decusque nominis.

Antonium Arnaldum Parlamenti seu supremæ Curiæ Parisiensis Aduocatum ex vna coniuge Catharina Marion viginti duos sustulisse liberos accepimus ex Budd. Lex. vniu. Hist. P. I. p. 203. 29 Sterilitas in Vet. Testam. erat probrosa. Genes. XVI, 4. XXIX, 31. seq. XXX, 23. I. Samuel. I, 6. 30 quæ se prostituere assueuerunt, prostibula, scorta, meretrices, Thaidis sorores, quæ cum Athenas quæstûs gratia sese contulisset Atticæ iuuentutis florem in amorem sui pellexit; vt & Lais Corinthia, quæ cum decem drachmarum millia pro concubitu poposcisset a Demosthene, id responsi tulit: Tanti pœnitere non emo. Scilicet, nocet empta dolore voluptas. Gellius lib. I. c. 8. Noct. Attic. Rhodope meretrix Ægyptia tantas opes meretricio quæstu sibi comparauit, vt superbam & magnificam in Ægypto pyramidem construxerit. Plin. lib. 36. Hist. natur. c. 12. 31 Concubina est, quæ cum cœlibe consueuit, & vxoris loco sine nuptiis domi viuit; Pellex, quæ corpus miscet cum eo, qui vxorem habet; quæque maritum ab vxore fraudulenter pellicit.

est, quomodo fieri debeat Senatusconsultum, punctisne [32], an calculis [33], an suffragiis vocalibus [34], an porrectis digitis [35], an discessione [36]. *Ca.* In calculis dolus est, quemadmodum & in punctis: si pedibus eatur in sententiam, quoniam vestes longas gerimus, nimium mouebimus pulueris: optimum igitur [37], vti [38] voce pronuntiet vnaquæque [39] quod sentit. *Co.* At difficile est numerare voces. Deinde cauendum ne fiat pro concilio conuicium*. *Ca.* Nihil fiet absque notariis [40], ne quid

32 Primus L. Cassius Longinus legem tabellariam tulit, vt populus per tabellas punctis distinctas suffragia ferret. Nam ne qua inuidia oriretur & quo magis animo libero vota impartirent, cautum fuit, vt non voce sed punctis suffragarentur. 33 Antiquos in sententiis, præcipue capitalibus ferendis, calculos albos & nigros vsurpasse discimus inter alia ex his Ouidii versibus, qui extant Metamorph. lib. 15. fab. 1.

Mos erat antiquis, niueis atrisque capillis,
His damnare reos, illis absoluere culpa.

Hos lapillos in vrnam coniiciebant; vnde dictum: album calculum alicui adiicere. 34 sonoris, vice prolatis. 35 porrecta manu. 36 scil. in diuersa, in diuersam sententiam, in aliud. *Discedere* enim *in diuersa* est *in senatu diuersa censere.* Solennibus & lege præscriptis verbis discessiones imperatas obseruat Barnab. Brisson. Lib. II. de Form. p. m. 183. Tales fuerunt: *Qui hæc sentitis in hanc partem; qui alia omnia, in illam partem ite, qua sentitis*, item: *Qui hoc censetis, illuc transite; qui alia omnia, in hanc partem.* Cum Senatus Consultum fiebat per *Discessionem*, vniuersos Senatores *pedibus in sententiam* iisse, eoque modo sententiam tulisse Gellius lib. III. c. 18. monet. Vnde Phrases: *in sententiam discedere, ire, pedibus ire.* 37 fuerit. 38 vt. 39 fœmina. * Conuicium Iureconsulti dictum putant quasi conuocium. 40 a notando seu scribendo. Schreiber/Actuarii.

quid possit excidere. *Co.* Ita quidem consultum est numero [41]. Sed quibus modis excludes [42] conticium? *Ca.* Ne qua loquatur nisi rogata, & suo ordine. Quæ secus fecerit, e senatu mouebitur. Tum si qua quid effutierit [43] eorum, quæ heic aguntur, silentio plectetur [44] triduano. *Co.* Hactenus de ratione tractandi. Nunc accipite, quibus de rebus consultandum sit. Primam oportet esse curam dignitatis: ea potissimum sita est in cultu [45]. Cuius rei tantus est neglectus, vt hodie vix agnoscas discrimen inter nobilem & plebeiam, inter nuptam & virginem & viduam, inter matronam & meretricem. Adeo sublatus est pudor, vt quiduis vsurpent quælibet. Videre est plus quam plebeias ac loci plane sordidi, vestiri holosericis [46], vndulatis [47], florulentis [48], virgatis [49], byssinis [50], aureis, argenteis, pellibus zebellinis [51], Madauricis [52], cum interim maritus domi consuat calceos. Digitos habent smaragdis & adamantibus onustos; nam vniones nunc vulgo fastidiuntur. Ne quid querar de succinis & coralliis & crepidis inauratis. Satis erat tenuibus, in honorem sexus cin-

41 cautum est de numero Senaculi. 42 eliminabis, exterminabis, arcebis. 43 garriendo in vulgus propalauerit, propalam fecerit. 44 mulctabitur, damnabitur. 45 vestitu, habitu corporis. 46 Sammet / gantz Seyden. 47 gewässert Taffend. 48 geblühmt. 49 gestreifft. 50 Mettlin / byssus, tenuissimum linum, köstliche Leinwand / Caddun. 51 ex Russia aduectis. Zobel / Mardern. 52 ex Madaura Africana, vnde Plinius lib. V. c. 4. inter oppida libera triginta Africæ post Melzitanæa habet Madaurense. Hinc Pelles Madaurenses seu Madauricæ, quæ Germanice vix aliter reddi poterunt, quam Hermlein oder Hermelin,

cingulis vti ſericis, ac fimbrias veſtium ſerico limbo[53] decorare: nunc geminum eſt malum, & res familiaris extenuatur, & *ordo*, qui *dignitatis* eſt *cuſtos* confunditur. Si pilentis* & lecticis eboratis ac byſſo tectis vehuntur plebeiæ, quid relictum eſt nobilibus ac potentibus? Et ſi vix equiti nupta caudam trahit vlnarum quindecim, quid faciet Ducis aut Comitis vxor? Atque hæc res hoc eſt intolerabilior, quod mira temeritate ſubinde mutamus cultum. Pridem e porrectis a vertice cornibus pendebant linteamina[54]. Hoc ornatu fœminæ principes diſcernebantur a plebeiis. Illæ ne quid conueniret, ſumſerunt pilea, foris oſtentantia pelles albas nigris maculis variegatas. Statim vulgus arripuit. Rurſus mutato cultu ſumſerunt flammea* nigra byſſo[55]. Id fœminarum vulgus non ſolum auſum eſt imitari, verum etiam addiderunt fimbrias aureas, denique & gemmas. Olim nobilium erat, a fronte atque a temporibus reuulſis pilis in verticem capillos cogere. Non diu licuit, mox quælibet æmulatæ ſunt. Tandem demiſerunt crines in frontem; protinus & hoc imitatæ ſunt plebeiæ. Solæ nobiles olim habebant laterones[56] & anteambulones[57]; & ex his vnum delicatum, qui ſurrecturæ manum porrigeret, qui læuam incedentis brachio dextro fulciret: nec hoc honoris concedebatur niſi bene nato. Nunc vt paſſim id faciunt

ma-

---

53 Seydene Porte/ Spitze/ Einfaſſung. * Vehiculi id genus apud Liuium, quo matronæ per vrbem vehebantur. 54 Flügel/Cornetten. * Ornamenta capitis, quæ, vt Varroni placet, lintea fuere, & cuiuslibet fœminæ. 55 Flor Kappen. 56 latus cingentes. 57 præceſſores.

matronæ, ita quoslibet ad hoc officii recipiunt, quemadmodum ad gestandum a tergo caudam. Item olim solæ nobiles salutabant osculo, nec quemuis ad osculum recipiebant, imo ne dextram quidem porrigebant quibuslibet. Nunc qui corium olent, irruunt ad osculum fœminæ, quæ scutum habet plenæ nobilitatis. Nec in coniugiis quidem habetur vlla dignitatis ratio. Patriciæ nubunt plebeiis, plebeiæ patriciis: ita nascuntur nobis hybridæ [58]. Nec vlla tam obscuro loco nata est, quæ metuit [59] adhibere fucos * omnes nobilium: cum plebeiis sufficere deberet, aut flos recentis ceruisiæ, aut succus recens ab arbore detracti corticis, aut si quid aliud paruo parabile [60]: purpurissam [61], cerussam [62], stibium [63], reliquosque colores elegantiores oportebat claris fœminis relinquere. Iam in conuiuiis, in publico incessu, quam nullus ordo! Sæpe fit vt negotiatoris vxor dedignetur vtroque parente nobili [64] cedere. Res igitur ipsa iam dudum

58 diuerso genere nati. Bastarte. 59 timet, dubitet, verecundatur, erubescit. * Colores ascititios, quibus fœminæ faciem magis sane dehonestant, quam honestant. 60 venale. 61 Purpurissa vel Purpurissum, quod vsitatius est Plauto, dicitur rubrica, qua buccas inficiunt meretriculæ Schmincke. 62. Cerussa. Bleyweiß. Fucus albi coloris. 63 Stibium, Stibi, vel Stimmi est antimonium. Spieß-Glaß / quo tingendis nigrore ciliis vtuntur mulieres. Est vero præter nigrorem alius quoque vsus stibii ad dilatandos oculos. Cyprianus de Opere & Eleemosynis: Innunge, inquit, oculos tuos non stibio Diaboli, sed collyrio Christi. Grotius in II. Reg. IX, 30. Depinxit oculos suos stibio. 64 ei, quæ vtroque parente, & patre & matre, nobilis nata est.

dum hortatur[65], vt hisce de rebus aliquid certi statuamus. Atque hæc inter nos facile poterunt transigi[66], quoniam non nisi ad fœmineum pertinent genus. Est autem & quod cum viris agamus, qui nos summouent ab omni dignitate, ac tantum non pro lotricibus & cocis[67] habent, ipsi res omnes pro suo gerunt arbitratu. Concedemus igitur illis magistratus publicos[68], ac bellicæ rei curam. Quis hoc ferat, quod in clypeo semper vxoris insignia læuum[69] habent latus, etiamsi tribus partibus[70] superet viri nobilitatem? Deinde par est, vt in elocandis[71] liberis etiam mater habeat ius suffragii. Et fortassis hoc quoque euincemus, vt vicissim[72] geramus officia publica; duntaxat[73], quæ intra mœnia, & sine armis geri possunt. Hæc est summa rerum, de quibus mihi videtur operæ pretium consultare[74]. Super his apud se quæque deliberet[75], vt de singulis fiant senatusconsulta[76], & si cui vestrum aliud quippiam in mentem venerit, cras

65 monet, instigat, impellit, poscit, iubet. 66 in actum deduci, statui; de his facile poterimus pacisci. 67 coquis, a coqua siue coca. Eine Köchin/ Küchen-Magd; nisi forte ad differentiam Mascul. Coquus seu Cocus motio fieri debebat in: abus, vt filiabus, natabus. 68 publici magistratus dignitatem: Magistratus enim & abstractiue pro officio & concretiue pro personis magistratum gerentibus vsurpatur. 69 sinistrum. 70 triplum, tripliciter, trifariam, tribus modis. 71 in matrimonium dandis, matrimonio iungendis. 72 per vices, alternatim. 73 saltem, minimum, certe, zum wenigsten/wenigstens. 74 deliberare, meditari, consilia agitare, decernere. 75 perpendat, cogitet. 76 decreta, statuta, sanctiones.

tras in medium conferat[77]. Conueniemus enim diebus singulis, donec synodum absoluerimus. Adhibeantur notariæ quatuor, quæ notis * excipiant quidquid dicatur. Præterea quæstoriæ[78] duæ, quæ loquendi potestatem vel faciant, vel adimant. Sit hic consessus diuinationis[79] loco.

DILVCVLVM[1].

NEPHALIVS*, PHILYPNVS.

Ne. HOdie te conuentum volebam, Philypne, sed negabaris[2] esse domi. *Ph.* Non omnino[3] mentiti sunt: tibi quidem non eram, sed mihi tum eram maxime. *Ne.* Quid istuc ænigmatis est? *Ph.* Nosti illud vetus prouerbium: *Non omnibus dormio.* Nec te fugit ille Nasicæ iocus, cui cum, Ennium familiarem inuisere volenti, ancilla iussu heri negasset esse domi; sensit Nasi-

77 publice proferat. * Olim expedita scribendi ratione in iudiciis res vel singulis literarum notis excipiebantur, quales etiamnum aliquot extant in libello, qui Valerii Probi titulo circumfertur. Schreiberinnen. 78 *Quæstor* olim præpositus fuit pecuniæ quærendæ, aut conquirendæ publicæ; & qui quæstionum iudicia exercent Quæstores dicti. Hinc motione in Fœmininum facta: *Quæstoriæ*. 79 iudicii; iudicium super constituendo accusatore vocatur *diuinatio*, quia quodammodo diuinare oportet iudicem, quinam accusator idoneus sit. Vide I. Reg. III. v. 16.-28.

1 Eleganter & docte agit Autor de tempore bene collocando præsertim matutino. * Sobrius & vigilans. *Philypnus*, somniculosus; somni cupidus; amans, amicus. 2 negabant, dicebant te non esse. 3 prorsus omni ex parte, penitus.

vocem non minus sonoram? quanquam illi sonant raucius, ac propius referunt asinos, quam nos. Verum illud oportet nobis omnibus esse curæ, vt ea grauitate tractemus hoc negotium, ne rursus viri *Senatulum** appellent; aut fortasse probrosius aliquod nomen excogitent, vt solent in nos libenter esse dicaces. Quanquam si liceat illorum comitia veris æstimare, plus quam muliebria videri possint. Videmus, monarchas tot iam annis nihil aliud quam belligerari: inter theologos, sacerdotes, episcopos, & populum nihil conuenire: quot homines, tot sententiæ; & in his ipsis plus quam muliebris est inconstantia. Nec ciuitati cum ciuitate, neo vicino cum vicino concordia est. Si nobis essent traditæ rerum habenæ, aliquanto, ni fallor, tolerabilius haberent res humanæ. Non est fortasse fœminei pudoris, tantis proceribus tribuere stultitiam; at fas est, opinor, recitare quod scripsit Salomon Prouerbiorum capite decimo tertio; *Inter superbos semper iurgia sunt: qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* Sed ne vos longiore morer procemio, vti singula gerantur ordine, decenter & sine tumultu; primo loco tractandum erit, quæ debeant interesse concilio, quæ submouendæ sint. Nam *immodica turba, tumultus est verius, quam concilium: & paucorum consessus habet quiddam tyrannicum.* Huc ego censeo nullam re-

* Mulierum senatum instituit Heliogabalus in colle Quirinali. Vbi a matronis facta Senatusconsulta ridicula, *Semiamirica* appellata, de legibus matronalibus, quæ quo vestitu incederent, ad cuius osculum venirent, &c. vt autor est Lampridius.

recipiendam virginem, eo quod incident permulta, quæ non decet illas audire. *Iu.* At quo signo dignoscas virgines? An pro virginibus habebuntur, quæcunque coronam gestant? *Co.* Non. At nuptas tantum recipiendas censeo. *Iu.* Et inter nuptas virgines sunt, quæ maritos habent eunuchos [13]. *Co.* Sed tribuatur hoc honoris coniugio, vt nuptæ pro mulieribus habeantur. *Iu.* Alioqui si non excludimus nisi virgines, erit immensa turba, nec multum decrescet numero. *Co.* Excludentur & plusquam ter nuptæ. *Iu.* Quam ob rem? *Co.* Quoniam illis velut emeritis [14] debetur missio [15]. Idem censeo de septuagesimum annum egressis. Statuendum, ne qua nominatim de viro suo loquatur petulantius: in genere fas sit; sed ea moderatione, *ne quid nimis.* *Ca.* Qui minus [16] hic libere de viris liceat dicere, cum ipsi de nobis nusquam non [17] loquantur? Meus Titius si quando studet esse conuiua festiuior, narrat quid mecum noctu egerit, quid dixerim; neque raro multa solet affingere. *Co.* Si velimus fateri verum, nostra dignitas pendet a viris: eos si traducimus [18], quid aliud [19] quam nos ipsas dehonestamus? Quanquam autem habemus non paucas iustæ querimoniæ causas, tamen expensa rerum omnium

13 Spadones; aut tales, qui intactas adhuc & virgines fuerunt, vt Augustus simultate cum Fuluia socru exorta filiam ex Publio Clodio Claudiam, quam vix dum nubilem duxerat vxorem, ita dimisit. Suet. c. 62. 14 quæ emeritæ sunt, emeruerunt. 15 dimissio. 16 cur non, quid ni? 17 vbiuis, vbique. 18 perstringimus, si eis obtrectamus, detrahimus. 19 scil. agimus.

omnium ſumma [20], noſtra potior [21] eſt, quam illorum conditio. Illi dûm quærunt rem, per omnes terras ac maria volitant, non ſine capitis diſcrimine: illi, ſi bellum incidat, excitantur buccina, ferrei [22] ſtant in acie, dum nos domi ſedemus tutæ. Si quid committunt aduerſus leges, grauius in illos animaduertitur; noſtro ſexui parcitur. Denique magna ex parte in nobis ſitum eſt, vt commodos [23] habeamus maritos. Reſtat vt de conſeſſus ordine ſtatuatur, ne nobis eueniat, quod frequenter vſu venit regum, principum ac pontificum oratoribus [24], qui in conciliis totos tres menſes litigant [25], antequam poſſint conſidere. Itaque cenſeo, primum eſſe debere nobilium ordinem; & in his præcedent, quæ quatuor habent nobilitatis partes: proximæ, quæ tres: deinde, quæ duas: poſtremæ, quæ vnam: poſtremo, quæ dimidiatam. Et in ſingulis ordinibus locus ex [25] antiquitate deſignabitur. Nothæ [26] in ſuo quoque ordine extremum tenebunt locum. Alter conſeſſus erit plebeiarum [27]. In hoc primas tenebunt quæ copioſiorem ſobolem enixæ ſunt [28]. Inter pares litem

20 re accuratius penſiculata, ſi negotium ſolicitius examinauerimus. 21 melior, commodior. Wir haben es beſſer/ ſind beſſer dran. 22 quaſi eſſent. 23 benignos, faciles. 24 Legatis, nunciis. 25 contendunt, controuertunt, diſceptant, diſſident. 25 pro antiquitate, habita antiquitatis ratione. 26 ſpuriæ, incerto patre natæ; nothæ illegitima vxore. 27 ignobilium. 28 Antiqui ſane magnum ſemper ſobolis propagandæ rationem habuere, vt ne deeſſent vnquam, qui in demortuorum locum ſuccederent. Et fuit ea res tam cordi Romanis, vt liberorum procreationi præmia proponerent. Argumento eſt ius

tem dirimet ætas. Tertius erit earum quæ nondum pepererunt. *Ca.* Quo mittis viduas? *Co.* Commode mones. Istis locus dabitur in medio matrum, si modo liberos habent, habuerintue. Steriles extremum obtinebunt locum [29]. *Iu.* Quem locum designas sacerdotum ac monachorum vxoribus? *Co.* De his proximo consessu deliberabimus. *Iu.* Quid de his, quæ corpore faciunt quæstum [30]? *Co.* Non patiemur hunc senatum admixtu talium inquinari. *Iu.* Quid de concubinis [31]? *Co.* Istarum non simplex est genus; de quibus per otium tractabitur. Adiiciendum est,

trium liberorum & legibus munerata fœcunditas. Certe

Non gentis vllam postera curam meret
Cui cura non est, tollere hæredem sibi,
Dulcesque natos spem decusque nominis.

Antonium Arnaldum Parlamenti seu supremæ Curiæ Parisiensis Aduocatum ex vna coniuge Catharina Marion viginti duos sustulisse liberos accepimus ex Budd. Lex. vniu. Hist. P. I. p. 203. 29 Sterilitas in Vet. Testam. erat probrosa. Genes. XVI, 4. XXIX, 31. seq. XXX, 23. I. Samuel. I, 6. 30 quæ se prostituere assueuerunt, prostibula, scorta, meretrices, Thaidis sorores, quæ cum Athenas quæstûs gratia sese contulisset Atticæ iuuentutis florem in amorem sui pellexit; vt & Lais Corinthia, quæ cum decem drachmarum millia pro concubitu poposcisset a Demosthene, id responsi tulit: Tanti pœnitere non emo. Scilicet, nocet empta dolore voluptas, Gellius lib. I. c. 8. Noct. Attic. Rhodope meretrix Ægyptia tantas opes meretricio quæstu sibi comparauit, vt superbam & magnificam in Ægypto pyramidem construxerit. Plin. lib. 36. Hist. natur. c. 12. 31 Concubina est, quæ cum cœlibe consueuit, & vxoris loco sine nuptiis domi viuit; Pellex, quæ corpus miscet cum eo, qui vxorem habet; quæque maritum ab vxore fraudulenter pellicit.

est, quomodo fieri debeat Senatusconsultum, punctisne [32], an calculis [33], an suffragiis vocalibus [34], an porrectis digitis [35], an discessione [36]. *Ca.* In calculis dolus est, quemadmodum & in punctis: si pedibus eatur in sententiam, quoniam vestes longas gerimus, nimium mouebimus pulueris: optimum igitur [37], vti [38] voce pronuntiet vnaquæque [39] quod sentit. *Co.* At difficile est numerare voces. Deinde cauendum ne fiat pro concilio conuicium*. *Ca.* Nihil fiet absque notariis [40], ne quid

32 Primus L. Cassius Longinus legem tabellariam tulit, vt populus per tabellas punctis distinctas suffragia ferret. Nam ne qua inuidia oriretur & quo magis animo libero vota impartirent, cautum fuit, vt non voce sed punctis suffragarentur. 33 Antiquos in sententiis, præcipue capitalibus ferendis, calculos albos & nigros vsurpasse discimus inter alia ex his Ouidii versibus, qui extant Metamorph. lib. 15. fab. 1.

Mos erat antiquis, niueis atrisque capillis,
His damnare reos, illis absoluere culpa.

Hos lapillos in vrnam coniiciebant; vnde dictum: album calculum alicui adiicere. 34 sonoris, vice prolatis. 35 porrecta manu. 36 scil. in diuersa, in diuersam sententiam, in aliud. *Discedere* enim *in diuersa* est *in senatu diuersa censere.* Solennibus & lege præscriptis verbis discessiones imperatas obseruat Barnab. Brisson. Lib. II. de Form. p. m. 183. Tales fuerunt: *Qui hæc sentitis in hanc partem; qui alia omnia, in illam partem ite, qua sentitis*, item: *Qui hoc censetis, illuc transite; qui alia omnia, in hanc partem.* Cum Senatus Consultum fiebat per *Discessionem*, vniuersos Senatores *pedibus in sententiam* iisse, eoque modo sententiam tulisse Gellius lib. III. c. 18. monet. Vnde Phrases: *in sententiam discedere, ire, pedibus ire.* 37 fuerit. 38 vt. 39 fœmina. * Conuicium Iureconsulti dictum putant quasi conuocium. 40 a notando seu scribendo. Schreiber/Actuarii.

quid possit excidere. *Co.* Ita quidem consultum est numero [41]. Sed quibus modis excludes [42] convicium? *Ca.* Ne qua loquatur nisi rogata, & suo ordine. Quæ secus fecerit, e senatu mouebitur. Tum si qua quid effutierit [43] eorum, quæ heic aguntur, silentio plectetur [44] triduano. *Co.* Hactenus de ratione tractandi. Nunc accipite, quibus de rebus consultandum sit. Primam oportet esse curam dignitatis: ea potissimum sita est in cultu [45]. Cuius rei tantus est neglectus, vt hodie vix agnoscas discrimen inter nobilem & plebeiam, inter nuptam & virginem & viduam, inter matronam & meretricem. Adeo sublatus est pudor, vt quiduis vsurpent quælibet. Videre est plus quam plebeias ac loci plane sordidi, vestiri holosericis [46], vndulatis [47], florulentis [48], virgatis [49], byssinis [50], aureis, argenteis, pellibus zebellinis [51], Madauricis [52], cum interim maritus domi consuat calceos. Digitos habent smaragdis & adamantibus onustos; nam vniones nunc vulgo fastidiuntur. Ne quid querar de succinis & coralliis & crepidis inauratis. Satis erat tenuibus, in honorem sexus cin-

41 cautum est de numero Senaculi. 42 eliminabis, exterminabis, arcebis. 43 garriendo in vulgus propalauerit, propalam fecerit. 44 mulctabitur, damnabitur. 45 vestitu, habitu corporis. 46 Sammet / gantz Seyden. 47 gewässert Taffend. 48 geblühmt. 49 gestreifft. 50 Nettin / byssus, tenuissimum linum, köstliche Leinwand / Caddun. 51 ex Russia aduectis. Zobel/Mardern. 52 ex Madaura Africana, vnde Plinius lib. V. c. 4. inter oppida libera triginta Africæ post Melzitanæa habet Madaurense. Hinc Pelles Madaurenses seu Madauricæ, quæ Germanice vix aliter reddi poterunt, quam Hermlein oder Hermelin.

cingulis vti sericis, ac fimbrias vestium serico limbo[53] decorare: nunc geminum est malum, & res familiaris extenuatur, & *ordo*, qui *dignitatis* est *custos* confunditur. Si pilentis * & lecticis eboratis ac bysso tectis vehuntur plebeiæ, quid relictum est nobilibus ac potentibus? Et si vix equiti nupta caudam trahit vlnarum quindecim, quid faciet Ducis aut Comitis vxor? Atque hæc res hoc est intolerabilior, quod mira temeritate subinde mutamus cultum. Pridem e porrectis a vertice cornibus pendebant linteamina[54]. Hoc ornatu fœminæ principes discernebantur a plebeiis. Illæ ne quid conueniret, sumserunt pilea, foris ostentantia pelles albas nigris maculis variegatas. Statim vulgus arripuit. Rursus mutato cultu sumserunt flammea * nigra bysso[55]. Id fœminarum vulgus non solum ausum est imitari, verum etiam addiderunt fimbrias aureas, denique & gemmas. Olim nobilium erat, a fronte atque a temporibus reuulsis pilis in verticem capillos cogere. Non diu licuit, mox quælibet æmulatæ sunt. Tandem demiserunt crines in frontem; protinus & hoc imitatæ sunt plebeiæ. Solæ nobiles olim habebant laterones[56] & anteambulones[57]; & ex his vnum delicatum, qui surrecturæ manum porrigeret, qui læuam incedentis brachio dextro fulciret: nec hoc honoris concedebatur nisi bene nato. Nunc vt passim id faciunt ma-

53 Seydene Porte/ Spitze/ Einfassung. * Vehiculi id genus apud Liuium, quo matronæ per vrbem vehebantur. 54 Flügel/Cornetten. * Ornamenta capitis, quæ, vt Varroni placet, lintea fuere, & cuiuslibet fœminæ. 55 Flor Kappen. 56 latus cingentes. 57 præcessores.

matronæ, ita quoslibet ad hoc officii recipiunt, quemadmodum ad gestandum a tergo caudam. Item olim solæ nobiles salutabant osculo, nec quemuis ad osculum recipiebant, imo ne dextram quidem porrigebant quibuslibet. Nunc qui corium olent, irruunt ad osculum fœminæ, quæ scutum habet plenæ nobilitatis. Nec in coniugiis quidem habetur vlla dignitatis ratio. Patriciæ nubunt plebeiis, plebeiæ patriciis: ita nascuntur nobis hybridæ [58]. Nec vlla tam obscuro loco nata est, quæ metuit [59] adhibere fucos * omnes nobilium: cum plebeiis sufficere deberet, aut flos recentis ceruisiæ, aut succus recens ab arbore detracti corticis, aut si quid aliud paruo parabile [60]: purpurissam [61], cerussam [62], stibium [63], reliquosque colores elegantiores oportebat claris fœminis relinquere. Iam in conuiuiis, in publico incessu, quam nullus ordo! Sæpe fit vt negotiatoris vxor dedignetur vtroque parente nobili [64] cedere. Res igitur ipsa iam dudum

58 diuerso genere nati. **Bastarte.** 59 timet, dubitet, verecundatur, erubescit. * Colores ascititios, quibus fœminæ faciem magis sane dehonestant, quam honestant. 60 venale. 61 Purpurissa vel Purpurissum, quod vsitatius est Plauto, dicitur rubrica, qua buccas inficiunt meretriculæ **Schmincke.** 62. Cerussa. **Bleyweiß.** Fucus albi coloris. 63 Stibium, Stibi, vel Stimmi est antimonium. **Spieß-Glaß**, quo tingendis nigrore ciliis vtuntur mulieres. Est vero præter nigrorem alius quoque vsus stibii ad dilatandos oculos. Cyprianus de Opere & Eleemosynis: Innunge, inquit, oculos tuos non stibio Diaboli, sed collyrio Christi. Grotius in II. Reg. IX, 30. Depinxit oculos suos stibio. 64 ei, quæ vtroque parente, & patre & matre, nobilis nata est.

dum hortatur [65], vt hisce de rebus aliquid certi statuamus. Atque hæc inter nos facile poterunt transigi [66], quoniam non nisi ad fœmineum pertinent genus. Est autem & quod cum viris agamus, qui nos summouent ab omni dignitate, ac tantum non pro lotricibus & cocis [67] habent, ipsi res omnes pro suo gerunt arbitratu. Concedemus igitur illis magistratus publicos [68], ac bellicæ rei curam. Quis hoc ferat, quod in clypeo semper vxoris insignia læuum [69] habent latus, etiamsi tribus partibus [70] superet viri nobilitatem? Deinde par est, vt in elocandis [71] liberis etiam mater habeat ius suffragii. Et fortassis hoc quoque euincemus, vt vicissim [72] geramus officia publica; duntaxat [73], quæ intra mœnia, & sine armis geri possunt. Hæc est summa rerum, de quibus mihi videtur operæ pretium consultare [74]. Super his apud se quæque deliberet [75], vt de singulis fiant senatusconsulta [76], & si cui vestrum aliud quippiam in mentem venerit, cras

65 monet, instigat, impellit, poscit, iubet. 66 in actum deduci, statui; de his facile poterimus pacisci. 67 coquis, a coqua siue coca. Eine Köchin/ Küchen-Magd; nisi forte ad differentiam Mascul. Coquus seu Cocus motio fieri debebat in: abus, vt filiabus, natabus. 68 publici magistratus dignitatem: Magistratus enim & abstractiue pro officio & concretiue pro personis magistratum gerentibus vsurpatur. 69 sinistrum. 70 triplum, tripliciter, trifariam, tribus modis. 71 in matrimonium dandis, matrimonio iungendis. 72 per vices, alternatim. 73 saltem, minimum, certe, zum wenigsten/wenigstens. 74 deliberare, meditari, consilia agitare, decernere. 75 perpendat, cogitet. 76 decreta, statuta, sanctiones.

cras in medium conferat[77]. Conueniemus enim diebus singulis, donec synodum absoluerimus. Adhibeantur notariæ quatuor, quæ notis * excipiant quidquid dicatur. Præterea quæstoriæ [78] duæ, quæ loquendi potestatem vel faciant, vel adimant. Sit hic consessus diuinationis [79] loco.

DILVCVLVM [1].

NEPHALIVS*, PHILYPNVS.

Ne. HOdie te conuentum volebam, Philypne, sed negabaris [2] esse domi. *Ph.* Non omnino [3] mentiti sunt: tibi quidem non eram, sed mihi tum eram maxime. *Ne.* Quid istuc ænigmatis est? *Ph.* Nosti illud vetus prouerbium: *Non omnibus dormio.* Nec te fugit ille Nasicæ iocus, cui cum, Ennium familiarem inuisere volenti, ancilla iussu heri negasset esse domi; sensit Nasi-

77 publice proferat. * Olim expedita scribendi ratione in iudiciis res vel singulis literarum notis excipiebantur, quales etiamnum aliquot extant in libello, qui Valerii Probi titulo circumfertur. Schreiberinnen. 78 *Quæstor* olim præpositus fuit pecuniæ quærendæ, aut conquirendæ publicæ; & qui quæstionum iudicia exercent Quæstores dicti. Hinc motione in Fœmininum facta: *Quæstoriæ*. 79 iudicii; iudicium super constituendo accusatore vocatur *diuinatio*, quia quodammodo diuinare oportet iudicem, quinam accusator idoneus sit. Vide I. Reg. III. v. 16. - 28.

1 Eleganter & docte agit Autor de tempore bene collocando præsertim matutino. * Sobrius & vigilans. *Philypnus*, somniculosus; somni cupidus; amans, amicus. 2 negabant, dicebant te non esse. 3 prorsus omni ex parte, penitus.

ſica, & diſceſſit. Cæterum vbi viciſſim Ennius Naſicæ domum ingreſſus rogaret puerum *num eſſet intus*, Naſica de conclaui clamauit, *Non*, inquiens, *ſum domi.* Quumque Ennius agnita voce dixiſſet, *Impudens, non te loquentem agnoſco? Imo tu*, inquit Naſica, *impudentior, qui mibi ipſi fidem non habeas, cum ego crediderim ancillæ tuæ.* *Ne.* Eras fortaſſis occupatior[4]. *Ph.* Imo[5] ſuauiter otioſus. *Ne.* Rurſum ænigmate torques[6]. *Ph.* Dicam igitur explanate, nec aliud dicam ficum quam ficum[7]. *Ne.* Dic. *Ph.* Altum[8] dormiebam. *Ne.* Quid ais? Atqui iam præterierat octaua, cum ſol hoc menſe ſurgat[9] ante quartam. *Ph.* Per me quidem ſoli[10] liberum eſt vel media[11] nocte ſurgere, modo mihi liceat ad ſatietatem vsque[12] dormire. *Ne.* Verum iſtuc vtrum caſu accidit, an conſuetudo eſt? *Ph.* Conſuetudo prorſus. *Ne.* Atqui *rei non bonæ conſuetudo peſſima eſt.* *Ph.* Imo nullus eſt ſomnus ſuauior, quam poſt exortum ſolem. *Ne.* Qua tandem hora ſoles lectum relinquere? *Ph.* Inter quartam & nonam. *Ne.* Satis amplum ſpatium: vix tot horis comuntur[13] re-

4 ſc. ſolito, iuſto, quam antea, quam alias. 5 Minime vero; nil minus quam occupatus. **Hat ſich wohl! ach nein/ keines weges!** 6 vexas, affligis, maceras, enecas. 7 Scapham ſcapham nominabo, vocabo. **Jch will dem Kinde den rechten Nahmen geben / gleiche zu reden.** 8 Alte, profunde; profundo ſomno ſepultus iacui. 9 oriatur, aſcendat, conſpiciatur. 10 luminari magno Geneſ. I,16. 11 concubia. 12 affatim, ſatis, abunde. 13 *Noſti*, inquit Clinia apud Terent. in Heautontim. Act. II. Sc. 2. *mores mulierum: dum poliuntur, dum comuntur, annus eſt.*

reginæ. Sed vnde venisti in istam consuetudinem? *Ph.* Quia solemus conuiuia, lusus & iocos in multam proferre noctem; id dispendii matutino somno pensamus. *Ne.* Vix vnquam vidi hominem te perditius[14] prodigum. *Ph.* Mihi parsimonia videtur magis, quam profusio. Interim nec candelas absumo, nec vestes detero. *Ne.* *Præpostera sane parsimonia, seruare vitrum, vt perdas gemmas.* Aliter sapuit ille Philosophus[15], qui rogatus *quid esset pretiosissimum*, respondet, *Tempus.* Porro cum constet, diluculum esse totius diei partem optimam, tu quod in re pretiosissima pretiosissimum[16] est, gaudes perdere. *Ph.* An hoc perit,

---

14 peius, damnosius. 15 Lipsius opinatur, Democriti dictum esse: *πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος*, *sumtuosissimam esse iacturam temporis.* Omnes temporis particulæ velut ramenta aut fila aurea studiosissime colligendæ. Rerum omnium iactura reparabilis est, præterquam temporis: aurum, gemmas perdidisse multo mitius damnum est, quam tempus male impendisse, vt loquitur Drexel. in Aurifod. P. I. c. III. p. 32. Non immerito ille:

Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum;
Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.

16 Iudæi dicunt, portas cœli omnes vesperi claudi & assidere eis bonos angelos silentes, dæmonibus interim noctu per orbem grassantibus; post mediam vero noctem in cœlo clamari, vt portæ rursum aperiantur; audire istam vocem gallos gallinaceos & intelligere, qui propterea complosis alis clament, & homines ad preces excitent; vnde eis in magno pretio: dicunt porro non *diem homines*, sed *homines diem* expergefacere debere. Clauderus Peric. Epigr. Cent. IV. Epigr. 23. in eam fere sententiam ita ludit:

Eos præcedens Solem indicat aduenientem,
Surgente vt citius surgere sole queas.

rit, quod datur corpusculo? *Ne.* Imo detrahitur corpusculo, quod tum suauissime afficitur, maximeque vegetatur, cum tempestiuo moderatoque somno reficitur, & matutina vigilia corroboratur [17]. *Ph.* Sed dulce est dormire. *Ne.* Quid esse potest dulce nihil sentienti? *Ph.* Hoc ipsum dulce est, nihil sentire molestiæ. *Ne.* Atqui isto nomine feliciores sunt qui dormiunt in sepulcris. Nam dormienti nonnunquam insomnia molesta sunt. *Ph.* Aiunt, eo somno maxime saginari corpus. *Ne.* Ista glirium sagina* est, non hominum. *Recte saginantur animalia quæ parantur epulis: homini quorsum attinet accersere obesitatem nisi vt grauiore sarcina onustus incedat?* Dic mihi, si famulum haberes, vtrum obesum malles an vegetum, & ad omnia munia habilem? *Ph.* Atqui non sum famulus. *Ne.* Mihi sat est, quod ministrum officiis aptum malles, quam bene saginatum. *Ph.* Plane mallem. *Ne.* At Plato dixit, *animum hominis hominem esse, corpus nihil aliud esse quam domicilium aut*

17 Hominum somnus si moderatus sit, corroborat; si nimius, debilitat potius. Pertinet huc illud Poëtæ:

Sanctificat, ditat, sanat quoque surgere mane.

Et Martialis Epigr. lib. X. ad se ipsum Epigr. 43.

Somnus, qui faciat breues tenebras
Nox non ebria, sed soluta curis
Vires ingenuæ, salubre corpus &c.
Vitam quæ faciunt beatiorem
Iucundissime Martialis, hæc sunt.

* Varro rationem tradit saginandi glires, in re rustica. Martialis de glire:

Tota mihi dormitur hiems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

aut instrumentum. Tu certe fateberis, opinor, *animum* esse *principalem* hominis portionem, *corpus* animi *ministrum.* *Ph.* Esto, si vis. *Ne.* Cum tibi nolles ministrum abdomine tardum, sed agilem malles & alacrem, cur animo paras ministrum ignauum & obesum? *Ph.* Vincor veris. *Ne.* Iam aliud dispendium accipe: vt animus longe præstat corpori, ita fateris, opes animi longe præcellere bona corporis. *Ph.* Probabile dicis. *Ne.* Sed inter animi bona, primas tenet sapientia. *Ph.* Fateor. *Ne.* Ad hanc parandam nulla diei pars vtilior, quam diluculum [18], cum Sol nouus exoriens vigorem & alacritatem adfert rebus omnibus, discutitque nebulas e ventriculo exhalari consuetas, quæ mentis domicilium solent obnubilare. *Ph.* Non repugno. *Ne.* Nunc mihi supputa quantum eruditionis tibi parare possis quatuor illis horis, quas somno intempestiuo perdis [19]. *Ph.* Profecto multum. *Ne.* Expertus sum, *in studiis plus effici vna hora matutina, quam tribus pomeridianis* [20]; idque nullo corporis detrimento. *Ph.* Audiui. *Ne.* Deinde illud reputa, si singulorum dierum iacturam in summam conferas, quantus sit futurus cumulus. *Ph.* Ingens profecto. *Ne.* Qui gemmas & aurum temere profundit, prodigus ha-

18 Aurora Musis amica.

19 *Non iacet in molli veneranda scientia lecto:*
Illa sed assiduo parta labore venit.

20 Tempus pomeridianum non conuenit iis, qui ex ingenio aliquid conscribere satagunt, vt obseruat Iunius in Methodo Eloquent. p. 170. cap. XVII. idque probat & illustrat exemplo Demosthenis.

habetur, & tutorem [21] accipit: hæc bona tanto pretiosiora qui perdit, nonne multo turpius prodigus est? *Ph.* Sic apparet, si rem recta ratione perpendamus. *Ne.* Iam illud expende quod scripsit Plato *, *nihil esse pulchrius, nihil amabilius sapientia: quæ si corporeis oculis cerni posset, incredibiles sui amores excitaret.* *Ph.* Atqui illa cerni non potest. *Ne.* Fateor, corporeis oculis. Verum cernitur oculis animi, quæ pars est hominis potior. Et *ubi amor est incredibilis, ibi summa voluptas adsit oportet, quoties animo cum tali amica congreditur.* *Ph.* Verisimile narras. *Ne.* I nunc, & somnum, mortis imaginem **, cum hac voluptate commuta, si videtur. *Ph.* Verum interim pereunt nocturni lusus. *Ne.* Bene pereunt, quæ peiora melioribus, inhonesta præclaris, vilissima pretiosissimis permutantur. Bene perdit plumbum, qui illud vertit in aurum. Noctem natura somno tribuit [22]: sol exoriens cum omne animantium genus, tum præcipue hominem ad vitæ munia reuocat. *Qui dormiunt*, inquit Paulus, *nocte dormiunt: & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt* [23]. Proinde quid turpius, quam cum omnia animantia cum sole expergiscantur, quædam etiam illum nondum apparentem sed aduentantem cantu salu-

---

21 administratorem & curatorem bonorum. * Imitatus est locum Ciceronis ex Platone lib. 2. Officior. in princip. ** Alludit ad carmen *Ouidii*:

Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?

22 Vt in solis occasu mundi quasi oculum claudi videmus; sic & nos oculos nostros claudamus, somnumque admittamus; monet Plato. 23 Thessal. I, 5. *Οἱ γὰρ καθεύδοντες νυκτὸς καθεύδουσι, καὶ οἱ μεθυσκόμενοι νυκτὸς μεθύουσι.*

ſalutent; cum elephantus ſolem orientem[24] adoret; hominem diu poſt ſolis exortum ſtertere? Quoties aureus ille ſplendor illuſtrat cubiculum tuum, nonne videtur exprobrare dormienti: *Stulte, quid optimam vitæ tuæ partem gaudes perdere? Non in hoc lucco, vt abditi dormiatis, ſed vt rebus honeſtiſſimis inuigiletis. Nemo lucernam accendit vt dormiat, ſed vt aliquid operis agat: & ad hanc lucernam omnium pulcherrimam nihil aliud quam ſtertis*[25]. *Ph.* Belle declamas. *Ne.* Non belle, ſed vere. Age, non dubito quin frequenter audiueris illud Heſiodeum; *Sera in fundo parſimonia*[26]. *Ph.* Frequentiſſime. Nam in dolii medio vinum eſt optimum. *Ne.* Atqui in vita prima pars, nimirum adoleſcentia, eſt optima. *Ph.* Profecto ſic eſt. *Ne.* At diluculum hoc eſt diei, quod adoleſcentia vitæ. An non igitur ſtulte faciunt, qui adoleſcentiam nugis, matutinas horas ſomno perdunt? *Ph.* Sic apparet. *Ne.* An eſt vlla poſſeſſio, quæ cum hominis vita ſit conferenda? *Ph.*

---

24 Etiam nouam lunam ſalutare dicuntur Elephanti; confluentes enim tunc temporis reuerenter illam videntur aſpicere. Ælianus lib. VII. Hiſt. anim. c. 44. *Solem exorientem venerantur Elephanti, promuſcidem tanquam manum, verſus radios ſolis tendentes.* Et lib. IV. c. 10. *quando poſt interlunium noua Luna conſpici cœpit, naturali quodam conceptu, e ſylua vbi paſcunt, ramos decerpere, eos in cœlum attollere, tum Lunam intueri motis leuiter ramis ſuis, Elephantes legimus.* 25 Vtitur Proſopopœia affingens Soli tanquam Perſonæ ſermonem. 26 Admonet in tempore rebus neceſſariis parcendum nec profuſores imitandos, qui tum demum incipiunt parcere, poſteaquam viderint minimum ſupereſſe.

Ph. Ne vniuersa quidem Persarum* gaza[27]. *Ne.* An non vehementer odisses hominem, qui tibi vitam posset ac vellet malis artibus ad annos aliquot decurtare[28]? *Ph.* Illi mallem ipsi vitam eripere. *Ne.* Verum peiores ac nocentiores arbitror, qui sibi volentes reddunt vitam breuiorem[29]. *Ph.* Fateor, si qui tales reperiantur. *Ne.* Reperiantur? Imo id faciunt omnes tui similes. *Ph.* Bona verba. *Ne.* Optima. Sic tuo cum animo reputa: nonne videtur rectissime dixisse Plinius*, *Vitam esse vigiliam, & hoc pluribus horis hominem viuere, quo maiorem temporis partem impenderit studiis?* Somnus enim mors quædam est. Vnde & ab inferis ** venire fingitur, & ab Homero *** mortis germanus[30] dictus est. Itaque quos somnus oc-

* Persarum diuitiæ & luxus multorum literis celebratus est. 27 Notum illud Diaboli apud Iobum c. II. *Quicquid est viro, daturus esset pro se ipso.* 28 breuiarium reddere, præcidere. 29 Vita breuis, ars longa. Hippoc. Aphor. I. Quare, ita lusit Poëta:

Vita breuis, *Coo sene iudice*; longa *sed* ars *est:*
Temporis hinc studeas cautus auaritiæ.
Arti *sufficiet sic* vita *decenter*, *eritque*
non nimis illa breuis, *non ea* longa *nimis.*

* In præfatione ad Vespasianum. ** Certam Poëtæ fingunt regiam Somni apud inferos esse. Ouidius Transform. lib. 2. *** Versus *Homeri* sic habet, Ἔνθ' ὕπνῳ ξύμβλητο κασιγνήτῳ θανάτοιο. Vbi somno obuiam venit fratri mortis. 30 frater. Cosmus Medices morti vicinus, interrogatus a Coniuge: *Cur, cum vigilaret, oculos clauderet? Cuperem,* aiebat, *huic rei assuefieri, vt, vbi mors clausura esset oculos, id ego paterer non inuitus.* Et Israël Clauderus Cent. IV. Epigr. 43.

occupat[31], nec inter viuos, nec inter mortuos censentur, sed tamen potius inter mortuos[32]. *Ph.* Ita videtur omnino. *Ne.* Nunc mihi rationem[33] subducito, quantam vitæ portionem sibi resecent[34], qui singulis diebus tres aut quatuor horas perdunt somno. *Ph.* Video summam immensam. *Ne.* Nonne pro deo haberes Alcumistam, qui posset decem annos vitæ summæ adiicere, & prouectiorem ætatem ad adolescentiæ vigorem reuocare[35]? *Ph.* Quidni habeam? *Ne.* Sed hoc tam diuinum beneficium ipse tibi præstare[36] potes. *Ph.* Qui sic? *Ne.* Quia mane diei est adolescentia; vsque ad meridiem feruet[37] iuuentus; mox virilis ætas; cui succedit pro senecta vespera; vesperam excipit occasus velut diei, mors. *Magnum* autem *vectigal parsimonia est*[38], sed nusquam maius quam heic. An non igitur ingens lucrum sibi adiunxit, qui magnam vitæ partem, eamque optimam, perdere desiit[39]? *Ph.* Vera prædicas. *Ne.* Proinde

Quotidie in lecto sepelit se quisque parentum,
Vt suescat, nec ei mora sit more mori.

Das Schlaaff-Hembde ist ein Vorbild des Sterbe-Küttels; das Bette des Sarges; die Kammer des Grabes; Hauß und Hof des Gottes-Ackers und Kirchhofes. 31 illi, ei, isti. 32 Somno invitam non in voluptatem vtendum. Velleius Paterc. II. 41, 2. 33 calculum, computum. 34 abscindant, adimant, subtrahant. 35 reducere? 36 dare, exhibere, conferre. 37 durat, protenditur, continuatur. 38 Vid. de Parsimonia quæ habet Cicero lib. II. Offic. & Seneca de Tranq. Animi c. 9. 39 Plinius lib. III. Epist. V. ad Macr. *Repeto me correptum*, inquit, *ab eo* (sc. Caio Plinio Secundo, Plinii Cæcilii iunioris auunculo) *cum ambularem: Poteras,*

de videtur admodum impudens eorum querimonia, qui naturam accusant, quod hominis vitam tam angustis spatiis finierit, cum ipsi ex eo, quod datum est, sibi sponte tantum amputent. Satis longa est cuique vita, si parce dispensetur [40]. Nec mediocris profectus est, si quis suo quæque tempore gerat [41]. A *prandio* vix semihomines sumus, cum corpus cibis onustum aggrauat mentem: nec tutum est, spiritus ab officina stomachi, concoctionis officium peragentes, ad superiora euocare; *a cœna* multo minus. At matutinis horis homo totus est homo, dum habile est ad omne ministerium corpus, dum alacer viget animus, dum omnia mentis organa tranquilla sunt ac serena, dum *auræ diuinæ*, vt ait ille, *particula* [42] spirat, ac sapit originem suam, &

---

inquiente, *has horas non perdere. Perire enim omne tempus arbitrabatur, quod studiis non impertiretur.* 40 Nulla tam breuis vita est, cui ad agendum fortiter non sat temporis suppetat. Sauædra Symb. Pol. p. 109. 41 ad exemplum diuinum. Ecclesiast. III, 11. Omnia tempus habent, omnia tempus habet. 42 Horat. Sat. II. Serm. 2. v. 77. *diuinæ particulam auræ* vocat animam, & Cic. in Tuscul. Humanus, inquit, animus *decerptus ex mente diuina* cum alio nullo, nisi cum DEO comparari potest. Rectius autem Isidorus: Diuinam esse animam arbitramur (non tamen eiusdem substantiæ cum diuinissima maximeque regia natura) & immortalem; *non eandem eius naturæ partem*, quæ principio caret & res creauit & sempiterna est. Augustinus vero, Theodoretus aliique Patres vt falsam, impiam & blasphemam sententiam istam Philosophorum, Cerdonianorum, Marcionitarum & Priscillianistarum sententiam merito damnarunt. Refutauit eam fusius B. Martinus Bohemus, Pastor patriæ ciuitat. Primarius in Contemplatione Hominis Theologica conc. V. p. m. 127. seqq.

& rapitur ad honesta. *Ph.* Eleganter tu quidem concionaris. *Ne.* Apud Homerum audit Agamemnon, opinor, Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα *. Quanto turpius est tantam diei partem somno perdere? *Ph.* Verum, sed βουληφόρῳ. Ego non sum dux exercitus. *Ne.* Si quid aliud tibi carius est quam ipse tibi, ne quid te moueat Homeri sententia [43]. Faber ærarius ob vile lucellum surgit ante lucem [44], & nos amor sapientiæ non potest expergefacere, vt saltem solem ad lucrum inæstimabile euocantem audiamus? Medici non fere dant pharmacum nisi diluculo; illi norunt horas aureas, vt subueniant corpori: nos eas non nouimus, vt locupletemus ac sanemus animum? Quod si hæc leue pondus habent apud te, audi quid apud Solomonem * loquatur illa cœlestis sapientia: *Qui mane*, inquit, *vigilauerint ad me, inuenient me* [44]. Iam in mysticis Psalmis*, quanta matutini temporis commendatio? *Mane* Prophe-

* Id est, Haud decet in totam consultum stertere noctem. Virum consiliarium solidam noctem dormire non decet.
43 Olim trophæa Miltiadis excitabant e somno magnum illum Græciæ Ducem Themistoclem: te eruditionis studium & amor. Cruc. Epist. 22. lib. 3. Merc. Bat. 44 Demosthenem fabrorum antelucana diligentia excitare solebat; &, si quando opificum matutina industria victus esset, vehementer dolebat. Conf. hanc in rem Melch. Iunii Methodum Eloquent. c. XVII. de Loco & Tempore styli exercitationibus accommodato p. 169. seq. * Prouerb. VIII, 17. 44 *Mane* Manna, cœlestis Israelitarum panis, colligi debebat; exorto autem solis æstu liquescebat. Exod. XVI, 21. Morgen-Stunde hat Brodt (Gold) im Munde. * Psalm. LVIII. LIX. & LXXXVII.

pheta extollit Domini misericordiam, *mane* exauditur vox eius, *mane* illius deprecatio præuenit Dominum. Et apud Lucam *Euangelistam, populus sanitatem ac doctrinam expetens a Domino, *mane* ad illum confluit. Quid suspiras, Philypne? *Ph.* Vix lacrymas teneo, cum subit quantam vitæ iacturam fecerim. *Ne.* Superuacaneum est ob ea discruciari [45], quæ non reuocari, sed tamen posterioribus curis sarciri possunt. Huc igitur incumbe potius, quam vt *præteritorum* inani [46] deploratione *futuri* quoque temporis iacturam facias [47]. *Ph.* Bene mones; sed me iam sui iuris fecit diutina consuetudo. *Ne.* Phy! Clauus clauo pellitur [48], consuetudo consuetudine vincitur [49]. *Ph.* At durum est ea relinquere, quibus diu assueueris. *Ne.* Initio quidem; sed eam molestiam diuersa consuetudo primum lenit, mox vertit in summam voluptatem, vt de breuis molestiæ non oporteat pœnitere. *Ph.* Vereor, vt succedat. *Ne.* Si septuagenarius esses [50], non retraherem te a solitis;

nunc

* cap. VI. ὅτε ἐγένετο ἡμέρα, id est, cum dies factus esset.

45 Vanum est cum illo apud Poëtam Ethnico exclamate:

O mihi præteritos referat si Iupiter annos!

46 *Non reuocant lapsos irrita vota dies.*

47 Si prudens est animus, inquit Seneca de Formula honestæ vitæ, tribus dispensari debet temporibus: præsentia ordinando, futura prouidendo & præterita recordando. Et triplex Hominis status est, vt dicit Glossator in Protem. Instit. §. 1. Memoria præteritorum, scientia præsentium & prouidentia futurorum. 48 Ein Keil muß den andern treiben. 49 superatur, exuitur, emendatur, corrigitur. 50 νεκρὸν ἰατρεύειν, καὶ γέροντα νουθετεῖν ταὐτόν ἐστι. Diog.

nunc vix decimum ſeptimum, opinor, annum egreſſus es. Quid autem eſt, quod iſta ætas non poſſit vincere, ſi modo adſit promtus animus? *Ph.* Equidem aggrediar, conaborque vt ex Philypno* fiam Philologus**. *Ne.* Id ſi feceris, mi Philypne, ſat ſcio, poſt paucos dies & tibi ſerio [51] gratulaberis, & mihi gratias ages, qui [52] monuerim.

ΝΗΦΑΛΙΟΝ ΣΥΜΠΟΣΙΟΝ*.

ALBERTVS, BARTHOLINVS, CAROLVS, DIONYSIVS, ÆMYLIVS, FRANCISCVS, GYRARDVS, HIERONYMVS, IACOBVS, LAVRENTIVS.

Al. Vidiſtine vnquam hoc horto quidquam amœnius? *Ba.* Vix opinor in inſulis Fortunatis [1] eſſe quidquam iucundius. *Ca.* Plane mi-

Perinde eſt, ſeu mortuum ſanare ſeu decrepitum informare velis. * h. e. Somnolento. ** h. e. Sermonis amator. 51 ex animo, toto pectore. 52 quod.

* Id eſt, Sobrium ſiue abſtemium conuiuium, vbi non poculis ſed eruditis ſententiis certatur. 1 Proditum eſt a veteribus Poëtis, eſſe quaſdam in Oceano inſulas, ad quas poſt mortem deferantur eorum animi, qui ſancte religioſeque vixerint. Ibi eos inter ſe iucundiſſime ac ſuauiſſime viuere, in amœniſſimo quodam prato, quod gemmea florum varietate perpetuo diſtinctum ſit; nunquam non illic nitere cœlum, frondere arbores, pubeſcere herbas, ridere omnia, ſpirare aſſidue molliſſimos fauonios, quorum flabellis arborum comæ leniter ventilatæ, placidiſſimo murmure auribus blandiantur. Eo accedere innumerabilem vim auiculorum, quæ vsque liquidiſſimos cantus tenui gutture funditantes, intimos audientium ſenſus incredibili voluptate permulceant. Hæc & alia de Inſulis illis Poëtas fabulari ob-

mihi videor videre paradiſum, cui cuſtodem cultoremque Deus præfecerat Adam [2]. *Di.* Heic vel Neſtor [3], vel Priamus [4] poſſet repubeſcere. *Fr.* Imo vel mortuus reuiuiſcere. *Gy.* Adderem lubens, ſi quid poſſem, tuæ hyperbolæ [5]. *Hi.* Profectò miris modis arrident omnia. *Ia.* Oportet hunc hortum aliqua compotatiuncula dedicare [6]. *La.* Recte monet noſter Iacobus. *Al.* Talibus myſteriis iam olim initiatus eſt hic locus. Verum ſcito, nihil heic eſſe vnde vobis merendam [7] exhibeam: niſi placet *ἄοινος* * compotatio, lactucas apponam absque ſale, aceto,& oleo: vini guttula non eſt, niſi quod gignit [8] hic puteus. *Ne panis* quidem adeſt, aut poculum; & ea eſt anni pars, quæ magis paſcit oculos [9], quam ventrem. *Va.* Sed habes tabulas luſorias, habes ſphæras; luſu dicabimus hortum, ſi minus licet conuiuio. *Al.* Quoniam tam belli homunculi conuenimus, habeo quiddam quod vel luſum, vel conuiuium poſſis dicere, mea ſententia multo dignius ad hunc hortum ini-

ſeruat fuſius M. Antonius Muretus Variar. Lectionum lib. V. c. 1. 2 Adamum, primum hominem, hominem κατ' ἐξοχήν. 3 Vtpote qui teſte Homero & Ouidio tres hominum ætates, tria ſecula, vixit. 4 Poſtremus Troianorum Rex admodum ſenex a Marone lib. Æneid. III. deſcriptus; regnauerat quippe quadraginta annos,& filios filiasque ex Hecuba nouendecim, ex aliis pellicibus triginta & vnum habuiſſe fertur. 5 Figuræ Rhetoricæ, qua veritas ſuperatur rei augendæ gratia. 6 initiari. Einweyhen. 7 cibum pomeridianum, das Vesper oder Deichsel-Brodt. *Merendam* antiqui dicebant pro *prandio*, quod ſcil. medio die caperetur. * h. e. ſine vino. 8 præbet. 9 Omnia nunc rident, nunc formoſiſſimus annus.

initiandum. *Ca.* Quodnam? *Al.* Suum quisque symbolum [10] conferat; non deerit lautum, nec minus suaue conuiuium. *Ae.* Quid adferemus, qui vacui huc venerimus? *Al.* Vacui, qui tantum opum circumferatis in pectore? *Fr.* Expectamus quid velis. *Al.* Proferat in medium quod quisque per hanc hebdomadam legit elegantissimum. *Gy.* Recte mones; nihil vel huiusmodi conuiuiis, vel te conuiuatore, vel hoc loco dignius. Te huius consilii ducem sequemur omnes. *Al.* Nihil recuso, si vobis ita videtur. Hodie vehementer delectauit animum meum in homine non Christiano [11] tam Christiana sententia. *Phocion* enim, quo vix alius apud Athenienses fuit vir sanctior, publicæque vtilitatis studiosior [12], cum, per inuidiam [13] damnatus, esset bibiturus cicutam

10 Ambiguitas est in voce Symbolum, quod significat vel dictum & sententiam ingeniosam, vel collationem seu Symbolam, qua plures suam qu's que partem conferunt in cœnam. Zubuß / Zuschuß / zusammen geschossenes Geld. 11 Homo non-Christianus, id est, alius quam Christianus, nempe Ethnicus, gentilis, infidelis. 12 vir sanctissimus, publicæque vtilitatis studiosissimus. Superlatiuus nempe multimode efferri potest & inter alia mutari in Comparatiuum, assumpta negatione, quæ id omnibus aliis adimat, quod tribuendum est ei, de quo Superlatiuus efferendus erat. Sic Cicero lib. IX. Epist. 14. Nihil enim, mihi crede, Virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. pro: Virtus omnium rerum formosissima, pulcherrima, amabilissima. De Phocione autem eiusque vitæ integritate reique militaris labore refert Cornel. Nepos in Vita eius. 13 Contradicit Nepos per id, quod consensisse refert eum cum Demade vrbem tradere Antipatro; quodque Demosthenem eius consilio cum

tam*, rogatus ab amicis, quid vellet etiamnum mandari filiis suis, *Ne huius*, inquit, *iniuriæ velint vnquam meminisse*[14]. *Ba.* Tam insignis patientiæ exemplum vix hodie reperias inter Dominicanos & Franciscanos. Itaque simile referam, quando par non possum. *Aristides* Phocioni simillimus erat, moribus incorruptissimis, adeo vt vulgus illi *Iusti* tribueret cognomen. Ob huius cognominis inuidiam, vir optime de Republica meritus, ostracismo * populi iussus est vertere solum[15]. Posteaquam intellexerat, populum non alia re offensum, quam *Iusti* cognomento[16], cum alioqui rem semper expertus esset

cæteris in exilium actum esse dicit, a quo tamen ad tantas dignitates erat promotus: illo non impediente. * Cicuta publica Atheniensium pœna. 14 Memoriam hic subeunt grauissima de filiis bene educatis verba Siracidis, XXX. cap. v. 3,4,5,6. *Qui docet filium suum in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo. Mortuus est Pater eius, & quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se. In vita sua vidit & lætatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis: reliquit enim defensorem domûs contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.* * Suffragiorum quoddam genus, quod per calculos ac fabas ferebatur, in hoc repertum, vt per id ciues, qui vel opibus immodicis, vel nobilitate, vel gloria, vel alia quauis insigni virtute multitudinis inuidiam in se prouocassent, in exilium decenne relegarentur. 15 mutare terram, migrare in exilium. 16 Ita Corn. Nepos tradit: *Cum videret Aristides, reprimi concitatam multitudinem non posse, cedensque animaduerteret quendam scribentem, vt patria pelleretur, quæsisse ab eo dicitur*, quare id faceret? *aut* quid Aristides commisisset, cur tanta pœna dignus duceretur? *Cui ille respondit*, se ignorare Aristidem, sed sibi non placere, quod cupide elaborasset, vt præter cæteros *Iustus* appellaretur.

esset sibi salutarem, paruit æquo animo. In exilio rogatus ab amicis, *quid precaretur ingratissimæ ciuitati? Nihil aliud*, inquit, *nisi tantam rerum prosperitatem, vt illis nunquam in mentem veniat Aristides.* *Ca.* Mirum si Christianos non pudet sui, ad quamuis leuem iniuriam excandescentes, ac vindictam per fas nefasque molientes. Tota *Socratis* vita nihil aliud mihi videtur, quam temperantiæ, ac tolerantiæ exemplum. Sed ne plane sim asymbolos *, vnum referam, quod mihi præ cæteris arrisit. Eunti publica via improbus quispiam colaphum impegit. Cum id tacitus ferret Socrates, amici quidam hortati sunt ad vltionem. At ille, *Quid percussori faciam?* inquit. *Voca*, inquiunt, *in ius. Ridiculum*, inquit: *si me asinus calcibus percussisset, num vobis auctoribus asinum in ius traham?* significans improbum scurram nihilo potiorem asino, & infimi animi esse, non posse ferre contumeliam ab homine vecordi, quam ferret ab animali bruto. *Di.* Pauciora sunt in Romanis Annalibus exempla moderationis, nec ea perinde insignia; neque enim opinor magnam habere laudem tolerantiæ, *si quis parcat deuictis, & debellet superbos.* Non arbitror tamen indignum memoratu quod *Cato senior* [17], cum Lentulus quidam in os illi sputum & oris purulentiam [18] iniecisset, nihil aliud respondeurit quam, *Posthac habeo quod illis respondeam, qui negant tibi esse os.* Os autem Latinis habere negantur,

* Ἀσύμβολος, qui nihil confert. 17 *Senior* dicitur ad differentiam Pronepotis, Catonis Vticensis. 18 purulentam oris saliuam. Schleym.

tur, quos nihil pudet. Itaque iocus ex ambiguo. *Æ.* Aliis arrident alia: mihi inter *Diogenis* dicta, præclara quidem omnia, nihil magis adblauditur, quam quod roganti cuidam, *quo pacto maxime posset vlcisci inimicum, Si te ipsum,* inquit, *quam maxime probum & honestum virum præstiteris.* Demiror quis Deus illis tales cogitationes miserit [19] in mentem. Videtur autem & *Aristotelis* dictum valde consentaneum Paulino dogmati [20]; qui rogatus a quodam, *quid fructus sua illi philosophia attulisset, Vt mea,* inquit, *sponte ea faciam, quæ plerique legum metu coacti faciunt.* Docet enim Paulus, eos quos afflauit Christiana caritas, *non esse legi obnoxios,* eo quod plus præstant suapte sponte, quam lex metu pœnæ possit extorquere. *Fr.* Christus * Iudæis obmurmurantibus, quod cum publicanis & peccatoribus haberet etiam mensæ familiaritatem, respondit, *non esse opus medico iis qui recte valerent, sed qui minus prospera essent valetudine.* Non abhorret hinc quod apud Plutarchum dixit *Phocion*; qui cum reprehenderetur, quod homini illaudato improboque patrocinatus esset in iudicio, non minus festiuiter quam clementer, *Quidni,* inquit, *quando nemo probus indiget tali patrocinio? Gy.* Et istud Christianæ bonitatis ** exemplum est, *ad exemplum æterni patris, & probis, & improbis,* quantum licet, *benefacere; qui solem suum oriri iubet, non solum piis, sed etiam impiis.* Verum admirabilius forsitan erit in

19 inspirauerit, indiderit. 20 I. Epist. ad Timoth. I. v. 9. Iusto non est lex posita. * Matth. IX. Marc. II. Lucæ IV. ** Matth. V.

in rege moderationis exemplum. Cum *Demochares* Demosthenis nepos, Athenienſium nomine legatione fungeretur apud *Philippum* Macedonum regem, & impetratis quæ volebat a rege dimitteretur, humaniter interrogante, *ſi quid*[21] *præterea vellet*; *Vt de ipſum ſuſpendas*, inquit Demochares. Vox impotens odium arguebat; & rex erat, & bene meritus in quem iaciebatur conuicium; nec tamen incanduit: tantum ad collegas[22] conuerſus, *Vos*, inquit, *hæc renunciate populo Athenienſi, quo re cognita iudicet, vtrum noſtrum exiſtimet præſtantiorem, me qui hæc patienter audierim, an iſtum qui hæc dixit.* Vbi nunc ſunt orbis monarchæ, qui ſe diis pares putant, & ob verbum, inter pocula dictum, atrocia bella concitant? *Hi.* Magnos impetus habet gloriæ ſitis, multosque transuerſos agit[23] hic affectus. Ex eorum numero quidam *Socratem* interrogabat, *qua via poſſet ſibi compendio honeſtiſſimam comparare famam*: *Si talem*, inquit, *præſtiteris te ipſum*, *qualis haberi vis.* *Ia.* Profecto non video quid dici poſſit vel breuius, vel abſolutius. *Fama non eſt affectanda, ſed ea virtutem vltro comitatur*[24], *quemadmodum improbitatem*

21 num quid, an quid. 22 ſc. Democharis, Legationis ſocios. 23 ab æquo & bono depellit, auertit, deflectit, abigit, abripit, rapit; in transuerſum agitat. **Quer Feld aus⸗treiben / über Quer⸗Feld; vom rechten Wege abwendig machen.**
24 Fieri non poteſt, vt inſignis probitas aut improbitas auctorem ſuum ſinat eſſe obſcurum. Lyſias Serm. IV. contra Aadocid. Ἀναγκαίως γὰρ ἔχει ἀπὸ τῶν πολὺ διαφερόντων ἢ κακῶν ἢ ἀγαθῶν ἔργων τοὺς ποιήσαντας γιγνώσκεσθαι. p. m. 60. edit. Vanderheidianæ Marburgi Cattorum A. C. 1683.

tem infamia. Vos admiramini viros; mihi *puella Lacæna*[25] placuit, quæ cum auctione [26] venderetur, licitator quidam adiit illam; *Quid?* inquiens; *num proba futura es, si te mercatus fuero? Etiam*, inquit illa, *si tu non fueris mercatus*: indicans, sese non in cuiusquam gratiam probitatem seruare, sed suopte ingenio virtutem ipsius gratia sectari, quod *virtus ipsa sui pretium est.* *Masculam* [27] sane vocem edidit puella. Cæterum insigne mihi videtur exemplum aduersus fortunam quamlibet blandientem constantiæ, quod cum Philippo Macedonum regi tres eximiæ felicitates eodem die nunciarentur, *quod in Olympiis vicisset, quod dux exercitus Parmenion prœlio superasset Dardanos, quod vxor Olympias ipsi filium esset enixa*, sublatis in cœlum manibus precatus est, *vt Deus tantam prosperitatem pateretur leui quopiam infortunio expiari*[28].

Al. Hodie nulla est tanta prosperitas, cuius inuidiam metuat quisquam; sed perinde iactant, si quid successerit, quasi vel mortua vel surda esset

Ne-

---

excusæ. Gloria vmbræ similis est, quæ insequentem fugit, sequitur fugientem. Sau. Symb. X. pag. 75. Quadrat in eam, quod de Iride circumfertur ænigma:

Si fugio sequitur; sed me fugit illa sequentem:
Res mira & varia est; dic mihi, quæso, quid est?

25 Græce Λάκαινα Lacedæmonia, Lacedæmone oriunda. Eine Spartanerin/ ein Weib von Lacedämon/ Sparta; Spartanische Jungfer. 26 subhastatione. 27 virilem, fortem, animosam, heroicam. 28 Albertus II. cum imperatoriam dignitatem inuitus acciperet: *O prodigiosa*, exclamat, *fortuna nec diu mansura; tria vno anno obtrudis regna nobis!* scilicet: fortuna vitrea est & inconstans, quæ cum maxime splendet, citissime frangitur.

Nemesis *. Hæc merenda si vobis placet, hic hortulus eam vobis quoties volueritis exhibebit, quem hoc colloquio non minus iucundo quam frugifero dicastis. *Ba.* Profecto nec Apitius potuisset discum suauiorem apponere. Quare nos exspectabis frequenter, modo boni consulas, quod nunc attulimus, non quæ digna erant tuis auribus, sed quæ non præmeditatis venerunt in mentem. Meditati lautiora proferemus. *Al.* Hoc eritis gratiores.

*ARS NOTORIA**.

DESIDERIVS, ERASMIVS.

De. QVomodo succedunt tua studia, Erasmi? *Er.* Musis, vt apparet, parum fauentibus [1]: sed felicius succederent, si quiddam abs te queam impetrare [2]. *De.* Nihil non impetrabis, modo sit in rem tuam [3]; dic tantum quid rei sit. *Er.* Non dubito, quin nihil sit artium reconditarum [4] quod te fugiat [5]. *De.* Vtinam vera prædices! *Er.* Audio artem esse quandam notoriam, quæ hoc præstet, vt homo minimo negotio perdiscat omnes disciplinas liberales [6]. *De.* Quid audio? Vidisti co-

* Fortuna, siue dea stultitiæ vindex.

* Qua rem aliquam cognoscimus: sic, opinor, vocat artem memoratiuam, seu mnemoneuticam, quam vt fabulosam ridet. 1 Non admodum feliciter. 2 exorare, orando consequi. 3 salutem, emolumentum, commodum tuum. 4 abstrusissimarum. 5 quod tu nescias, ignores; quod tibi sit ignotum, incognitum, obscurum. 6 Primus illam inuenisse dicitur Simonides Melicus, cam-

codicem? *Er.* Vidi, sed vidi tantum, quod non esset doctoris copia. *De.* Quid continebat liber? *Er.* Varias animantium formas, draconum, leonum, leopardorum, variosque circulos, & in his descriptas voces, partim Græcas, partim Latinas, partim Hebraicas, aliasque Barbaricarum linguarum [7]. *De.* Intra quot dies pollicebatur titulus disciplinarum cognitionem? *Er.* Intra quatuordecim. *De.* Magnifica sane pollicitatio: sed nostine quemquam per istam *artem notoriam* euasisse *doctum?* *Er.* Nequaquam. *De.* Neque

que excoluisse Metrodorus Scepsius. Tandem Patrum memoria eandem tenebris antiquitatis sepultam denuo eruere conatus est Raymundus Lullius. Iohannes Ludouicus Fabritius Scaphusiensis eam summopere commendat & a Schenckelio Louaniensi in Systema redactam ab Alstedio interpolatam, a Torrentio denique Lipsiensi perfectam fuisse memorat. 7 Dicti iamiam Fabritii iudicium, quod senior hac de arte tulit, memoratu dignum est: *artificiosam memoriam vsui esse posse, si ex veris rerum naturæ & humano ingenio consentaneis principiis, non ex imposturis,* (quorum in numerum Schenckelium & Cæcilium Frey reponit) *præceptionibus petatur; sed vix eam ex scriptis addisci posse, sed viuæ vocis doctrina & exemplis præeunte Præceptore opus esse;* quod obseruant Act. Erud. Lipſ. doctiss. Collectores anno 1698. p. 173. Prostat inter alia Ars Memoriæ seu potius Reminiscentiæ noua per loca & imagines ac per notas & figuras in manibus positas tradita & explicata, autore Hieronymo Marafioto Ff. ex offic. Typograph. Matth. Beckeri 1603. euulgata & quatuor partibus comprehensa. Partis enim secundæ Autor est Ioh. Sp. Herd. Partem tertiam constituit Ioannis Austriaci de memoria artificiosa libellus; Quartam referre video Guilielmi Grataroli Bergomatis tutiora de memoria reparanda conseruandaque remedia & præceptiones, opera Hieronymi Megiseri.

quæ quisquam alius vidit vnquam aut visurus est [8], nisi posteaquam viderimus aliquem *per alcumisticam* euasisse *diuitem*. *Er.* Equidem optarim artem esse veram. *De.* Fortasse quod pigeat litteras tantis sudoribus [9] emere. *Er.* Scilicet. *De.* Atqui sic visum est superis [10]. Opes istas vulgares, aurum, gemmas, argentum, palatia, regnum, nonnunquam largiuntur ignauis & immerentibus [11]: sed quæ veræ sunt opes, ac proprie nostræ sunt, voluerunt parari laboribus. Nec oportet nobis videri molestum laborem, quo res tanta paratur, cum cernamus plurimos homines, per horrenda discrimina, per non æstimandos sudores, eluctari ad res & temporarias, & plane viles, si ad eruditionem conferantur: nec tamen semper assequuntur quod ambiunt. Et habent studiorum labores multum admixtum mellis, si paululum in ea

8 Drexelius in Aurifodina: Quosdam, inquit, memoriæ magistros rideo, qui nescio quot domunculas ædificant, & in domunculis cellulas rerumque imagines multiplicant in infinitum. Eruditum sane principium ad inducendam Phrenesin! Id certe artem, obseruante Montano ad præsentem Dialogum, plane suspectam reddit, quod dum inuenti fuerint, qui totos libros semel prælectos absque hallucinatione reddere potuerint; nunquam tamen quisquam ex illo numero eruditionem adeptus sit. Plinius lib. VIII. Hist. natur. c. 24. Charmidem narrat, oriundum e Græcis ea vi memoriæ polluisse, vt quoscunque libros in Bibliothecis legisset, eos confestim memoriter recitare posset. 9 Summis laboribus. Metonym. effecti pro causa. 10 Dii bona sua vendunt laboribus. Non tibi de ventis assa columba venit. 11 indignis, non laborantibus.

ea [12] processeris. Iam in te bona ex parte situm est, vt magnam tædiorum partem amputes. *Er.* Quonam pacto? *De.* Primum, vt animum inducas amare studia [13]. Deinde, vt ea mireris [14]. *Er.* Quibus rationibus hoc fiet? *De.* Contemplare quam multos ditarint, quam multos ad summam dignitatem auctoritatemque prouexerint litteræ: simulque tecum considera quantum intersit inter hominem & pecudem [15]. *Er.* Probe mones. *De.* Deinde cicures [16] ingenium tuum oportet, vt possit secum consistere, atque his delectari, quæ vtilitatem adferunt potius quam voluptatem. Nam quæ per se sunt honesta, etiamsi initio nonnihil habent molestiæ, tamen assuetudine dulcescunt: ita fiet, vt & minus fatiges præceptorem, & ipse facilius percipias, iuxta dictum Isocraticum, aureis litteris in frontispicio codicis tui pingendum: Ἐὰν ἧς φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθής*. *Er.* Satis adest celeritatis in percipiendo, sed mox effluit quod perceptum est. *De.* Itaque pertusum mihi narras dolium. *Er.* Haud mul-

12 sc. studia. 13 Nihil amori difficile, nihil arduum, nihil imperuium est. Muret. Orat. 18. Vol. II. 14 Quæ miramur, amplius memoriæ agglutinantur affinguntur que, sicut ea, quæ speciali quadam annotatione notantur, magis commendantur. Chassan. Catal. Glor. Mundi. P. XII. consid. 44. 15 Interrogatus Solon Atheniensis: *quid esset diues sine literis?* respondit: *Ouis aureo vellere.* Et Diogenes videns literarum ignarum sedentem super lapide, dixit: *Lapis super lapidem.* 16 cicur reddas, mansuefacias, demulceas, lineas. * Id est, Si fueris discendi cupidus, multa addisces.

multum aberras a ſcopo. Sed quid remedii? *De.* Obturanda eſt rima, ne perfluat. *Er.* Quibus rebus? *De.* Non muſco, neque gypſo, ſed diligentia [17]. Qui voces ediſcit non intellecta ſententia, mox obliuiſcitur: nam verba, vt inquit Homerus, πτερόεντα * ſunt, facileque auolant, niſi ſententiarum pondere librentur. Prima igitur cura ſit, vt rem penitus intelligas, dein ſubinde tecum verſes ac repetas: & in hoc cicurandus eſt, vt dictum eſt, animus, vt quoties opus eſt, cogitationi poſſit inſiſtere. Nam ſi cui mens eſt adeo ſilueſtris, vt in hoc cicurari [18] non poſſit, haudquaquam eſt idonea litteris. *Er.* Iſtuc quam ſit difficile, plus ſatis intelligo. *De.* Quiſquis enim habet animum adeo volubilem [19], vt nulli cogitationi poſſit immorari, nec diu poteſt audire loquentem, nec infigere memoriæ quod didicit. Plumbo poteſt aliquid imprimi, quod maneat in loco: aquæ aut argento viuo, quoniam aſſidue fluitat, nihil poteſt imprimi. Quod ſi poſſis in hoc ingenium tuum manſuefacere, cum aſſidue verſeris inter eruditos, quorum confabulationes quotidie tam multa proferunt digna cognitu, minimo labore diſces quam plurima. *Er.* Profecto ſic eſt. *De.* Nam præ-

17 meditatione & repetitione. Ars memoriæ omnium optima & certiſſima eſt, multa ediſcere aſſidue & mandata memoriæ ſæpe repetere, ac ad vſum transferre; vt monet Poſſelius de ratione recte ſtudendi; & Mechouius in Hermath. Tract. II. c. 20. * Id eſt, alata. Huc alludit noſter Poëta:

Et volat emiſſum ſemel irreuocabile verbum.

18 miteſcere, domari. 19 velocem.

præter sermones conuiuiorum, præter quotidiana colloquia, statim a prandio audis octo lepidissima dicta, ex probatissimis auctoribus selecta, totidem a cœna. Iam mihi supputa quantam hæc summam conficiant in singulos menses & annos. *Er.* Magnificam, si possim meminisse. *De.* Ad hæc cum nihil audies nisi bene Latine loquentes, quid obstat, quo minus intra paucos menses ediscas Latine [20], cum illiterati pueri Gallicam aut Hispanicam linguam discant exiguo temporis spatio? *Er.* Sequar tuum consilium, experiarque, num possit hoc ingenium Musarum iugo mansuescere. *De.* Ego aliam artem notoriam non noui, quam curam, amorem, & assiduitatem [21].

CON-

20 Robertus Gentilis, magni illius ICti filius puer septennis Latine, Gallice, Anglice locutus est; nondum attigerat octauum, cum iam tractaret Virgilium interpretante Patre. Adhibitus nempe ipsi fuerat aliquis Latinarum literarum egregie peritus, qui ipsi perpetuo adhæserat, nec alio, nisi Latino, sermone præsente illo vtebatur. 21 Ioannes Pappus, Theologus Argentoratensis artificio triplici ***Grammatico, Dialectico*** & ***Rhetorico*** citra omnem difficultatem, quicquid vellet, in animum demisit. Quamuis nempe paginam legit (1) ***Grammatice***, vt vim vocabulorum & genuinum Autoris sensum expenderet. (2) ***Logice***, vt Textus propositi Logicam dispositionem instituerét (3) ***Rhetorice***, vt artificium Rhetoricum cogitatione digereret. Conf. quæ habet Chassanæus P. XII. Considerat. 44. p. m. 912. Catal. Glor. Mundi.

CONCIO, SIVE MERDARDVS[1].

HILARIVS, LEVINVS.

Hi. DEum immortalem, cuiusmodi portenta[2] gignit alitque terra! Vsque adeo nihil pudere[3] viros Seraphicos[4]? Existimant, opinor, sese apud fungos[5], non apud homines loqui. *Le.* Quid secum murmurat Hilarius? Componit, opinor, versiculos. *Hi.* Quam libens illi blateroni[6] os impurum obturassem olero[7]! *Le.* Compellabo[8] hominem. Quid agis, *Hilari*, parum *hilaris*[9]? *Hi.* Optime temet offers, Leuine, in quem hanc

1 Autor Concionem Franciscani Monachi, cui forte nomen *Medardus*, perstringit, qua inique fuerat traductus; Concionatorem autem per insertionem literæ caninæ r *Merdardum*, quasi à *merda*, stercore humano, *stercoreum* vocat; quale quid scommatis est in illo *Copriani* pro *Cypriano*, de quo Lactantius lib. V. cap. 1. diuin. Institut. 2 monstra, 3 sc. *decet*, per Ellipsin Verbi propter affectum dicentis; aut per Enallagen Modorum. 4 Angelicos supremi ordinis, a *Seraphinis*. *Seraphim* autem interpreteris ignitos vel ardentes, qui instar ignis celeres & puri ac zelo gloriæ diuinæ desiderioque exsequendi iudicia DEI flagrantes sunt. 5 bardos, stupidos, caudices, boletos, truncos. 6 garrulo. 7 merda, stercore. Est & *oletum* locus, in quo aluus exoneratur. 8 Alloquar. 9 Occasionem alloquii seu compellationis sumit ex nomine per allusionem; vt fit in illo Vossii Epist. 38. ad FABRVM: *Perge*, inquit, *& ominis hoc inesse crede nomini tuo*, *quod* affabre *debeas* fabricare *ac formare animos iuuentutis*.

hanc pectoris ægritudinem euomam [10]. *Le.* In peluim [11] euomas malim, quam in me. Sed quid est mali? & vnde nobis prodis? *Hi.* E concione sacra. *Le.* Quid homini poetæ cum sacris concionibus? *Hi.* A sacris non abhorreo: sed in hanc incidi ita sacram, vt Virgilius auri famem appellauit sacram [12]. At tales rabulæ [13] sunt caussa, vt rarius audiam ecclesiastas [14]. *Le.* Vbi habita est concio? *Hi.* In summo templo. *Le.*

A

---

10 Ita Terentius Adelph. Act. III. Sc. V. *Requiram fratrem, vt in eum hæc euomam.* Nam qui laborant languore, vomitu ægritudinem aliquando leuare solent. Metaphora petitur a re parum pulchra & fœda; quam tamen πάθος efferentis excusat, vt dicamus cum Buchnero de commutata ratione dicendi. §. 11. p. 41. vbi Plinii de Marco Antonio & libro eius, quem de Ebrietate sua scripserat vitio patrocinatus, ex lib. XIV. c. 22. verba affert: *Exiguo*, inquiens, *tempore ante prælium Actiacum id volumen* euomuit. 11 Peluis enim vomituris parata ponitur: Vnde Vossius Epist. 458. ad Grotium referens de Iacobi Laurentii vitiis Grammaticalibus & maxime de verbis: *Citius aquam e pumice elixerim*, addidit: Δός μοι λεκάνην. *Da mihi peluim.* 12 id est maledictam, minime sacram, diram, execrandam, per Antiphrasin aut εὐφημισμόν. Virgil. Æneid. lib. 3. v. 56. *Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?* 13 Rabula proprie aduocatus rabiosus, maledicus & admodum loquax, de quorum artibus prostat doctiss. Casp. Ziegleri Dissertatio Dresdæ 1685. in 4. excusa, Tertulliani effatum comprobantis, *plus togas læsisse rempublicam, quam loricas.* Improbi enim defensores improbos faciunt litigatores ex Laurentii Zincgrefii Apophthegmate. Hic pro quouis *garrulo* sumitur, cui, vt Sallustius de Catilina inquit, satis loquentiæ, sapientiæ parum. 14 Concionatores. Kirchen-Diener. Ἐκκλησιαστὴς ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, Ecclesiæ ministros, Doctores, præcones.

A prandio? id temporis fere dormitant [15] homines. *Hi.* Vtinam illi locutuleio [16] dormissent omnes, vix digno qui concionetur apud anseres. *Le.* Obstreperum est animal anser [17]: Ferunt tamen, patriarcham Franciscum aliquando concionatum apud sorores auiculas [18], a quibus magno silentio sit auditus. Sed age, etiamne sabbato fit concio? *Hi.* Fit in honorem diuæ Virginis matris. Nam die Dominico Christus prædicatur. Decet autem vt priores [19] teneat mater. *Le.* Quod erat thema? *Hi.* Enarrabat canticum Virginis [20]. *Le.* Argumentum vulgatissimum. *Hi.* Nimirum aptissimum ecclesiastæ. Nam suspicor illum hoc vnum thema didicisse; quemadmodum aiunt, inueniri sacerdotes, qui nullam liturgiam* callent, nisi pro defunctis vnicam. *Le.* Dicatur

15 Dormíto penult. longa ex Supino: dormítum, iuxta illud: *Indignor quandoque bonus dormítat Homerus.* Frequentatiuum est. 16 blateroni, rabulæ, garrulo, loquaculo. 17 Hinc: Interstrepit anser olores; iuxta Virgil. Eclog. IX. v. 36.

Nam neque adhuc Varro videor, nec dicere Cinna
Digna, sed argutos interstrepere anser olores.

In Prouerbio autem dicitur de illis, qui cum sint infimæ conditionis, maximis tamen æquari volunt; vt: Graculus inter Musas, corcorus inter olera, *κόρκορος ἐν λαχάνοις.* 18 *Hirundines*; quæ submissis capitibus in reuerentiæ signum attentæ adstabant; & finita concione dimissæ in quatuor coeli partes, vt fabula Papicolarum perhibet, auolarunt. Indignus vero Franciscus ille stolidus Patriarchalis dignitatis nomine. 19 scil. partes, vices. 20 Luc. I. v. 47. vsque ad 55. inclus. Magnificat anima mea Dominum &c.
* Sic missæ sacrum vocat. Est autem liturgia proprie non sacrificium, sed quoduis officium.

tur igitur ille, *concionator de Magnificat*; aut, si mauis, *Magnificatitius*. Sed cuiusmodi tandem auis erat, aut quibus ornata plumis? *Hi.* Vulturi non dissimilis. *Le.* Qua tandem ex corte[21]? *Hi.* Franciscana. *Le.* Quid audio? ex tam sancto sodalitio? Fortassis ex illorum degenere genere, qui dicuntur *Gaudentes*[22], colore fusco, calceis integris, cingulo candente: nec horrent, contremisco referens, nudis digitis contrectare pecuniam. *Hi.* Imo e grege selectissimo istorum, qui gaudent *Obseruantes* nominari, colore cinericeo, cingulis canabeis, calceis fenestratis[23], quique citius occiderent hominem, quam nuda cute pecuniam attingerent[24]. *Le.* Nil mirum est, in rosariis nasci cynorrhodum*. Sed quis talem histrionem induxit in hoc proscenium[25]. *Hi.* Istuc magis etiam diceres, si vidisses personam tragicam[26]. Corpore erat vasto, buccis rubentibus, ventre prominente[27], lateribus gladiatoriis[28]: dixisses athletam esse: & quantum ego diuinare queo, biberat in prandio plus quam vnum vini sexta-

---

21 cauea, loco parietibus cincto, quo custodiuntur gallinæ, anseres, columbæ &c. 22 Triplex Franciscanorum mendicantium monachorum ordo est: ***Capuccinorum***, ***Obseruantium*** & ***Gaudentium***. 23 perforatis. 24 Pertinet huc Fratrum Minorum & Prædicatorum Sec. XIV. de Christi & Apostolorum ***paupertate*** magna contentio, quam hi negarunt, pingentes Christum in cruce pendentem vna manu & brachio affixum, altera denarios tractantem & bursis in cingulo suo pendentibus inserentem. * Rosa est canina fœtide olens. 25 vestibulum scenæ, theatri atrium. 26 miserandam, miserabilem. 27 propendente, obesulo. 28 validissimis.

tarium[29]. *Le.* Vnde tanta vini copia non tractanti pecuniam? *Hi.* Ex aula Regis Ferdinandi[30] singulo quoque die dabantur illi sextarii quatuor. *Le.* O male collocatam benignitatem! Fortassis erat doctus. *Hi.* Præter effrontem[31] improbitatem, & linguam effrænem[32] nihil habebat. *Le.* Quæ res igitur sic imposuit Ferdinando, vt *bouem adduceret ad ceroma**? *Hi.* Vt numero dicam, pietas & regia bonitas. Commendatus erat, ille demittebat caput in dextrum humerum. *Le.* Sic Christus pendet in cruce. Sed erat concio frequens? *Hi.* Qui potuit esse infrequens Augustæ[33], in templo celeberrimo, & in tot monarcharum conuentu, quos Carolus Cæsar ex vniuersa Germania, ex Italia, ex Hispaniis, ex Anglia eo contraxerat? Quin & eruditi complures aderant in ipsa concione, præsertim ex aula regum[34]. *Le.* Demiror si porcus ille quidquam adferre potuit dignum tali auditorio. *Hi.* At multa se digna protulit. *Le.* Quæ tandem? obse-

29 Vini sextarius sexta pars congii, id est octodecim vncias. 30 Regis Romanorum electi 1531. ductu fratris Caroli V. quinquennium ante Erasmi mortem, vtpote quæ incidit in annum 1536. 31 impudentem. 32 intemperantem. * Hoc est, ad id ad quod inutilis est. Ceroma vnguentum dicitur, quo olim vngebantur centauri. Bos autem ad certamina inutilis est. 33 Vindelicorum. **Augspurg.** Augusta autem dicta ab Augusto Cæsare Druso, cuius auspiciis colonia huc deducta, vt habet Otto Frisingensis. 34 Designat Erasmus comitia Augustana 1530. habita, in quibus Lutherani Confessionem Fidei suæ Carolo V. obtulerunt.

ſecro. Sed prius te quæſo vt mihi nomen hominis[35] edas. *Hi.* Non expedit[36]. *Le.* Quam ob rem, Hilari? *Hi.* Non libet talibus gratum facere[37]. *Le.* Au! gratificatur qui traducit[38]? *Hi.* Illis pro ſummo beneficio eſt, quocunque modo innoteſcere[39]. *Le.* Saltem mihi nomen edito[40] tacituro. *Hi.* *Merdardum* vocant. *Le.* *Merdardum* illum probe noui. Nimirum is ipſe eſt, qui nuper in conuiuio Eraſmum noſtrum appellauit diabolum. *Hi.* Rem tenes. Sed quod in conuiuio dixit, tametſi non omnino dixit impune, qui ciuiliores erant imputabant temulentiæ, & vino cenſebant inſcribendum[41]. *Le.* Sed quid excuſationis attulit obiurgatus? *Hi.* Negauit, ſe dixiſſe ex animo. *Le.* Qui potuit ex animo, cui nihil erat mentis aut animi? *Hi.* Sed mihi ac doctis omnibus viſum eſt intolerabile, quod publi-

35 Vox *Hominis*, vt Græcis ἄνθρωπος, Latinis contemptum notat obſcuri vel ſcelerati atque odioſi. Chriſtoph. Arnoldus in Ornatu Lat. Ling. c. IV. Reg. 23. *Vir*, inquit, a quo Virtus autore Tullio appellata eſt, in laude ſæpius dicitur, niſi cum ſexum vel ætatem ſignificat; *Homo* autem modo in *laude*, modo in *vituperatione* dicitur. 36 conſultum eſt, prodeſt, conducit. 37 gratificari, placere. 38 ſiniſtram ſpargit famam, detrahit, perſtringit. 39 Vitio vertit Garzonus in Theatro Hiſtoricis, quod Pauſaniæ mentionem iniecerint Philippum Macedonem percutientis; Heroſtrati, Dianæ templum non alio comburentis, quam vt vel ſic immortalem ſibi pareret nominis claritatem. 40 aperito, nunciabis, manifeſtato. 41 obliuioni tradendum, ignoſcendum quod animi impos vini fecerit vitio.

blicitus, quod eo in loco, quod apud tales auditores, denique quod in tam celebri monarcharum conuentu, *Merdardus* suas *merdosas*[42] purulentias[43] effuderit. *Le.* Aueo scire quid dixerit. *Hi.* Multa stolidissime debacchatus[44] est in Erasmum nostrum, quorum hæc erat summa. *His*, inquit, *temporibus exstitit quidam nouus doctor Erasmus; lapsa est lingua, asinus volebam dicere:* simulque populo interpretatus est, quid Germanice sonaret *asinus.* *Le.* Rem mire *facetam* narras. *Hi.* Itane facetam? imo *fatuam* potius. *Le.* An non tibi facetum videtur, talem *asinum* quenquam omnino[45] vocare *asinum*, nedum Erasmum? Vnum illud scio, si Erasmus ipse præsens fuisset, non potuisset a risu temperare. *Hi.* Profecto non minus refert *asinum* animi stupore, quam colore vestis. *Le.* Neque arbitror, in tota Arcadia[46] esse vllum *asinum* vsque adeo *asinum*[47], quin hic dignior sit, qui fœno pascatur, quam ille. *Hi.* Prorsus inuersus est Apuleius: ille sub asinina specie tegebat hominem; hic sub hominis specie tegit asinum. *Le.* At tales asinos hodie mulso & placentis * sagi-

42 stercoreas. 43 pus suum, saniem suam. 44 furore declamauit. 45 quemcunque alium, vllum aliquem. 46 Arcadia Peloponnesi regio fertilissima ingentes asinos habet; vt in prouerbio est: *Ne Arcadia quidem asinos habet prodigiosiores.* 47 so gar Eselhafft / so gar Eselhaffter Natur; per Plocen & Antonomasiam: *Asinus* enim mox Substantiue, mox Adiectiue vsurpatum est. * Qui delicatis pascuntur, vt plurimum petulantiores sunt & ferociunt.

ginamus; vt mirum non sit, si mordeant quemlibet, & calcibus ferant. *Hi.* *Is*, inquit, *doctor asinus audet corrigere* Magnificat, *cum id canticum sit a Spiritu sancto proditum per os sacratissimæ Virginis.* *Le.* Agnosco παροιμίαν ἀδελφικήν *. *Hi.* Atqui id verbis exaggerabat, quasi summa esset admissa blasphemia. *Le.* Mihi nunc cor metu palpitat. Quid erat criminis? *Hi.* Aiebat, Erasmum pro eo quod ecclesia canit, *Quia respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ*, vertisse, *Quia respexit vilitatem ancillæ suæ:* atque vox odiosius sonat Germanice quam Latine. *Le.* Quis autem non fateatur esse blasphemiam execrabilem, si quis sacratissimam Christi matrem, etiam angelica dignitate celsiorem, appellet vilem ancillam? *Hi.* Age; quid si quis appellet Apostolos *seruos inutiles?* *Le.* Pararem blasphemo fasciculos 48. *Hi.* Quid si quis eximium illum Paulum appellet *indignum apostoli nomine?* *Le.* Clamarem: *ad ignem.* *Hi.* Atqui sic Apostolos suos loqui docuit ille doctor vnus irrefutabilis Christus *: *Cum omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus.* Et huius præcepti non immemor Paulus ** de se prædicat, *Minimus sum omnium Apostolorum, atque adeo indignus Apostoli titulo.* *Le.* Verum vbi de se talia prædicant homines pii, mode-

---

* Id est, Prouerbium fraterculorum; siue *non-Delphicum*, sed vulgatum, vt sit α. priuatiuum. 48 lignorum & ramalium materiem, quibus vt Hæreticus comburi posset; quod facere cum vidisset rusticulum Hussius rogo imponendus, exclamasse fertur: O sancta simplicitas! * Luc. XVII, 10. ** I. Cor. XV, 9.

destia virtus est, qua nulla Deo gratior; si quis alius idem prædicet de illis, præsertim in diuorum consortium relatis, grauis sit blasphemia. *Hi.* Pulchre nodum secuisti [49]. Proinde si Erasmus adorandam [50] illam Virginem dixisset vilem ancillam Domini, nemo non fateretur esse dictum impie. Cæterum quoniam ipsa ad istum modum de se loquitur, & in illius cedit gloriam, & nobis salutare modestiæ exemplum exhibetur: vt, quoniam, quidquid sumus, munificentia Dei sumus, *quo quisque maior est, hoc se gerat submissius* [51]. *Le.* Hactenus quidem inter nos conuenit. Verum isti cum *corrigere* dicunt, sentiunt *corrumpere*, siue *falsare.* Illud itaque videndum, an *vilitatis* verbum Græcæ voci, quam Lucas * posuit, respondeat. *Hi.* Istam ipsam ob caussam a concione mox ad codicem cucurrimus. *Le.* Exspecto venatum [52]. *Hi.* Verba quæ Lucas afflatu Spiritus sanctissimis digitis suis exarauit, sic habent: ὅτι ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ. Ea sic reddidit noster Erasmus: *Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ.* Tantum addit præpositionem, quam Lucas non omisit: nec eam respuit Romani sermonis elegantia, nec ad sensum est otiosa. Sic enim loquitur Terentius in Phormione: *Respice ad me.* In Annotationibus tamen admonet, Terentium potius

49 dissoluisti, rem expediuisti. 50 Itane? Pontificiis *adoranda* Virgo est Maria. Directe contra illud Christi Matth. IV, 10. *Dominum, Deum tuum adorabis & ei soli seruies.* 51 Iuxta illud Siracid. c. III, v. 19. * Luc. I. ταπείνωσις. 52 quid venatus sis, quid inueneris ad rem expediendam.

tius dixisse, *Adspice ad me* : quam *Respice ad me*. *Le.* Interest igitur aliquid inter respicere & adspicere? *Hi.* Non ita multum, sed tamen non nihil. *Respicit*, qui flexo collo adspicit quæ a tergo sunt: *Adspicit*, qui simpliciter intuetur: velut apud Terentium Phædria adspicit Thaidem domo prodeuntem; *Totus*, inquiens, *Parmeno, tremo horreoque, postquam adspexi hanc.* At huius frater Chærea sic loquitur; *Cum huc respicio ad virginem.* Nam ad senem sese flexerat: eo absoluto reflexit corpus ad virginem. Interdum tamen vsurpant *Respicere*, pro eo quod est *rationem siue curam habere*, siue rei cuiuspiam imminentis, siue præsentis. Ita Satyricus:

Respicere extremæ iussit spatia vltima vitæ.

Mors enim velut a tergo imminens sequitur, ad quam reflectimus oculos, quoties eam animo reputamus. Et Terentius; *Respice senectutem tuam.* Proinde qui alibi intentus non habet curam liberorum, dicitur illos *non respicere*. Rursus qui discussis aliis curis, cogitationem huc vertit, eleganter *respicere* dicitur. At Deus vnico intuitu contuetur vniuersa, præsentia, præterita & futura; & tamen in scriptura nobiscum humano more loquitur. *Auersari* dicitur eos, quos reprobat; *respicere*, quos aliquandiu veluti neglectos dignatur suo fauore. Verum hoc magis expressisset Lucas, si dixisset, ἀπέβλεψεν: nunc legimus, ἐπέβλεψεν. Sed vtrum legas, minimum refert ad sensum. *Le.* At videtur otiosa præpositio repetita. *Hi.* Certe

te ſic & Latini loquuntur. *Acceſsit ad me.* *Appulit animum ad ſcribendum.* Heic mihi præpoſitio non videtur otioſa. Nam reſpicere poteſt, qui in tergum flectit oculos caſu quopiam, in nullam rem certam intendens intuitum: at cum audis; *Reſpexit ad me*, exprimitur peculiaris favor volentis huic aut illi ſuccurrere. Item *adſpicimus* interdum caſu obuia, quorum nobis nulla cura eſt, imo quæ videre nolimus. At quisquis *ad aliquem* adſpicit, peculiariter attentus eſt ad id quod intuetur. Ad hæc, *multa ſimul adſpicimus, ſed non ad multa.* Spiritus itaque ſanctus, volens nobis exprimere ſingularem erga ſanctiſſimam virgunculam fauorem, ſic per illius os loquutus eſt: *Quia reſpexit ad humilitatem ancillæ ſuæ.* Auertit oculos ab elatis, ſuoque iudicio magnis, & obtutum ſuum flexit ad eam, quæ in oculis ſuis erat infima. Nec enim dubium eſt, quin multi fuerint docti, potentes, diuites, nobiles, qui ſperabant, Meſſiam ex ipſorum ſtirpe proditurum: ſed illos aſpernatus Deus, clementiſſimi fauoris oculos flexit ad virginem, fama obſcuram, opibus tenuem, fabro [53] nuptam, ne ſobole [54] quidem vlla diuitem. *Le.* Nondum audio quidquam de *vilitate.* *Hi.* Ea vox ſycophantæ [55] fuit, non Eraſmi. *Le.* At in Annotatione forſitan me-

53 *Ioſepho* ſcilicet, quem fabrum fuiſſe colligitur ex admiratione Iudæorum dicentium: *Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τέκτων;* *Nonne hic eſt faber?* de ipſo Chriſto, qui forte vna cum Ioſepho manibus laborauerat. Marc. VI. v. 3. Matth. XIII, 55. *Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ τέκτονος υἱός;* *Nonne hic eſt fabri filius?*
54 prole. 55 Calumniatoris.

meminit *vilitatis*. *Hi.* Nequaquam. In vocem ταπείνωσιν tantum hoc modestissime notat, *Vt intelligas*, inquit, *paruitatem, non animi virtutem*; sitque sensus; *Etsi sim infima ancilla, tamen non est auersatus me Dominus*. *Le.* Hæc si vera sunt ac pietatis plena, quid est quod obrudant onagri [56]? *Hi.* Latinæ vocis ignorantia parit hos tumultus, *Humilitas* apud veteres emendatius [57] loquentes non declarat *virtutem* animi, quæ pugnat cum arrogantia, diciturque modestia, sed *conditionis abiectiorem sortem*: quo sensu ignobiles, tenues, idiotas [58], & contemtos, *humiles* dicimus, quasi *humi repentes*. Quemadmodum igitur magnatibus loquentes dicimus, *Rogo vt tua celsitudo nobis hac in re faueat*: ita qui de se loquentes sua volunt eleuare [59], dicere solent, *Quæso vt humilitatem nostram tua humanitate subleues*. Nam Pronominum primogeniorum [60] emphasis interdum habet nescio quid arrogans. Quod genus est illud, *Ego* dico, *ego* perficiam. Bifariam itaque puella modestissima simul & suam sortem extenuauit, & Numinis in se munificentiam extulit, non contenta se ipsam *ancillam* dicere, sed addidit, *humilem* ancillam, & infimæ sortis. Quemadmodum, iuxta prouerbium, *seruus præ seruo* [61] est; ita & inter

56 asini syluestres. Die Wald-Esel. Rudere autem & Obrudere seu contra rudere asinorum est. 57 tersius, comtius, limatius, elegantius. 58 imperitos & illiteratos priuatosque. 59 extenuare, deprimere. 60 primitiuorum: Ego, Tu, Mihi, Nobis &c. 61 Prouerbium monet, non omnes fortunæ tenuis esse æquales, sed & interesse inter seruum & seruum. Nam qui seruus est ipse,

ter ancillas alia est alia præstantior, nimirum pro dignitate functionis. Honestior enim comtrix [62] quam lotrix [63]. *Le.* At miror, *Merdardum* non agnouisse sermonis formam, cum ipse frequenter audierim Franciscanos ita loquentes, *Mea paruitas agit tibi gratias pro lauta refectione* [64]. *Hi.* Quidam non multum aberrarent, si dicerent, *mea prauitas* [65]. Cæterum quoniam Græca vox ταπεινοφροσύνη quiddam amplius exprimere videtur, quam Latina, *modestia*, Christiani maluerunt *humilitatem* dicere quam *modestiam:* hoc est, maluerunt *significantius* loqui quam *elegantius*. *Modestus* enim is dicitur, qui modice de se sentit, nihil sibi præter meritum arrogans. At ταπεινοφροσύνης laus non competit nisi in eum qui minus sibi arrogat quam habet. *Le.* At periculum est, ne dum modestiam amplectimur, incidamus in vanitatem. *Hi.* Qui sic? *Le.* Nam si verum dixit Paulus, *Non sum dignus vocari Apostolus*; & si vere se dixit Maria *ancillam humilem*, hoc est, infimæ sortis; periclitantur de mendacio [66], qui vtrumque [67] tam magnificis effe-

aliquando in alios imperio vtitur; & Dominus maiori Domino paret: datur quippe subalternatio Politica Magistratuum & subditorum, vt in Logica Generum & Specierum. 62 a Como, quæ comam componit & ornat. **Eine die Putz-Haar-Putz machet.** 63 ex Supino: *lotum* a lauo. **Eine Wäscherin, Wasche-Magd.** 64 quod me lautè exceperis. 65 Insignis Ironiæ Paronomasia: non *parui* sed *praui* sunt Franciscani Monachi, per transpositionem literarum. 66 scilic. *illi*: Ellipsis Pronominis. 67 & Apostolum & Mariam.

ferunt laudibus. *Hi.* Nihil hic, o bone, periculi: cum nos laudibus vehimus pios aut pias, prædicamus in illis Dei beneficentiam; cum ipsi semet abiiciunt, respiciunt vires ac merita sua, si desit fauor numinis. Nec statim *mendacium* est, si quis sibi non vindicat quæ habet: si loquitur ex animo, fortassis *error* dici potest, *mendacium* dici non potest. At hunc errorem in nobis amat Deus. *Le.* At Paulus qui se negat esse dignum Apostoli titulo, alibi [68] magnifice de se prædicat, commemorans sua facinora: *Plus*, inquit, *omnibus laboraui; & qui videbantur esse aliquid, nihil mihi contulerunt:* cum sanctissima Virgo tale nihil dixisse legatur. *Hi.* Sed ista facinora Paulus appellat suas infirmitates, quibus illustrata est Dei potentia, eamque commemorationem vocat *insipientiam*, ad quam sit adactus pseudapostolorum [69] improbitate, ob quos fuit illi necesse sibi vendicare auctoritatem apostolicam, non quod ipse delectaretur humana gloria, sed quod expediret Euangelio, cuius dispensatio fuerat illi credita. In Virgine matre non fuit eadem ratio: non enim illi commissum erat munus prædicandi Euangelii. Tum & sexum, & virginem, denique Iesu matrem, decebat summus pudor, summaque modestia. Nunc venio ad huius erroris fontem. Qui Latine nesciunt, putant *humilitatem* nihil aliud declarare, quam

68 Versu statim sequente 10. Capit. allegati I. Cor. XV. & ad Gal. II. v. 6. 15. 69 falsorum Apostolorum, Apostolorum mendacium, qui falso nomen Apostoli vsurpant.

quam *insignem modestiam* ; cum interdum referatur ad locum, aut conditionem, non ad animi virtutem ; interdum sic referatur ad animum, vt vitium sonet. *Le.* Etiamne in sacris litteris? *Hi.* Maxime. En tibi locum apud Paulum ad Colossi. cap. 2. *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum.* Nec heic est ἐν ταπεινώσει, quæ vox est in cantico Virginis, sed ἐν ταπεινοφροσύνῃ. Locus habet nonnihil obscuritatis, fateor : sed mihi videtur germanus sensus, quem accuratius docti adferunt, *Ne sitis tam humili, tamque abiecto animo, vt, cum semel dedicaueritis vos ipsos Christo salutis vnico auctori, patiamini vobis persuaderi, ab Angelis sperandam esse salutem, quos quidam sibi fingunt apparuisse. Sitis excelso animo, vt, etiamsi vere Angelus quispiam e cœlo veniens prædicet vobis aliud Euangelium quam quod Christus tradidit, sit vobis exsecrabilis, velut Angelus impius & Christi aduersarius. Multo minus conuenit vos esse tam demissis animis, vt istorum fictis apparitionibus patiamini vos abduci a Christo. Ab vno Christo sperare salutem, religio est ; ab Angelis aut diuis idem exspectare, superstitio est.* Paulus igitur vult, *humilis abiectique animi esse, ab illo sublimi Christo ad commenticias Angelorum apparitiones desciscere : demissi ingenii est, quorumlibet suasu circumagi.* Vides, heic ταπεινοφροσύνην in vitium vsurpatam esse? *Le.* Quidni videam? *Hi.* Rursus in eodem capite: *Secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate.* Heic iterum ταπεινοφροσύνη vitium so-

ſonat. *Le.* Palam eſt. *Hi.* Atqui 1. Pet. 5. vſurpatur pro virtute quæ contraria eſt ſuperbiæ, τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε pro quo nos legimus, *humilitatem inſinuate.* Rurſum ad Phil. 2. τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν. id eſt, *Per animi modeſtiam vnusquisque alium ſe præſtantiorem exiſtimet.* *Le.* Docuiſti ταπεινοφροσύνην vſurpari in vtramque partem, cum apud Latinos modeſtia non vſurpetur niſi in laudem. Verum poteſne docere, ταπείνωσιν accipi pro *modeſtia?* *Hi.* Nihil abſurdi, ſi quis ad iſtum modum vſurpet. Nam & animo tribuere ſubmiſſionem aut demiſſionem pro modeſtia, nihil vetat. Cæterum, an in diuinis literis ita poſitum reperiatur neſcio. *Le.* Vide num apud diuum Iacobum ita ſit vſurpatum; *Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua; diues autem in humilitate ſua.* *Hi.* Iſto quidem loco eſt ἐν ταπεινώσει non ταπεινοφροσύνῃ. Quod ſi contendas, heic *humilitatem* accipi pro *modeſtia*, conſequens eſt, vt *exaltationem* accipiamus pro *ſuperbia*: ac protinus gemina exiſtet abſurditas. Nam vt *modeſtus* non eſt, qui de ſua *modeſtia gloriatur* ac iactitat ſeſe: ita *bis arrogans* eſt, qui de *ſua ſuperbia gloriatur* [70]. *Le.* Quid igitur ſibi vult Apoſtolus? *Hi.* Commendat *æqualitatem* inter Chriſtianos. Pauper dicitur *humilis* ob fortunam abiectiorem: diues dicitur *ſublimis*, vtique iuxta mundum, ob fortunæ ſplendorem. Hic diues ſe demit-

70 Talia ergo ſunt Subiecta, qualia permittuntur eſſe ſuis Prædicatis.

mittit ad ſortem pauperum, & pauper erigitur ad æqualitatem diuitum. Vterque habet quod glorietur: alter gaudet, ſuis opibus ſubleuari pauperum inopiam: alter glorificat Chriſtum, qui eam mentem inſpirarit diuitibus. *Le.* Sed interim diues ille *modeſtiæ* laudem habet. *Hi.* Fortaſſe; ſed non ideo protinus ταπείνωσις ſignificat *modeſtiam*. Sunt enim qui venantes [71] laudem ab hominibus, multa pauperibus erogant. Quin potius vterque modeſtus eſt, ſi modo adſit ſincera pietas: diues, dum non grauatur ob Chriſtum æquari pauperi; pauper, dum ob honorem ſibi habitum non inſoleſcit, ſed Chriſto gratias agens in illo gloriatur. Illud extra controuerſiam eſt, ταπείνωσιν in diuinis libris frequentiſſime vſurpari pro *demiſſione*, ſiue *deiectione*, quæ fit per afflictionem, aut conditionis infirmitatem. Ita Paulus Phil. 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ* ταπεινώσεως. Item Pſal. 9. *Vide humilitatem de inimicis meis*, ταπείνωσιν. Rurſum 118. *Hæc me conſolata eſt in humilitate mea*, ἐν ταπεινώσει, nimirum in *afflictione*. Huius generis loca ſunt complura, quæ longum ſit heic referre. Quemadmodum igitur μεταφορικῶς ταπεινὸς dici poſſet ὁ ταπεινόφρων, *qui modeſto ſit animo, minimeque elato:* ita nihil prodigii fuerit, ſi quis ταπείνωσιν dicat ταπεινοφροσύνην, nos de ſcripturæ vſu loquimur. Cæterum qui contendunt, in cantico Mariæ ταπείνωσιν ſonare *modeſtiam animi*, quin [72] eadem

71 captantes, aucupantes, affectantes. 72 cur non? quid ni?

dem opera sic interpretantur quod legimus Genes. 29? *Vidit Dominus humilitatem meam*, ταπείνωσιν. Lia non iactat suam modestiam, sed, quod ob deformitatem minus esset cordi marito, *humilitatem* appellat. Eundem ad modum Deuter. 26. *Et respexit humilitatem, & laborem, atque angustiam.* An non heic ταπείνωσιν appellat *afflictionem? Le.* Vnde igitur istis in mentem incidit, vt *humilitatem* in Cantico interpretentur *animi modestiam? Hi.* Nihil aliud video causæ, nisi quod multi Theologi neglexerint & linguarum peritiam, & Latini sermonis studium, vna cum priscis ecclesiæ doctoribus, qui sine hisce præsidiis ad plenum intelligi non queant: præterea quod difficillimum sit reuellere [73], si quid penitus insederit animo. Porro videas quosdam tantum scholasticis placitis [74] tribuere, vt malint ad ea detorquere scripturam, quam ad scripturæ regulam opiniones humanas corrigere. *Le.* At illuc absurdius est, quam quod narrant de regula Lesbia [75]. *Hi. Beda* monachus [76], non admodum grauis auctor, quoties ab alienis recedit vestigiis, ex occasione dictæ *humilitatis* meminit de *superbia*. At *Theophylactus*

73 extirpare, eradicare, adimere, euellere. 74 sententiis, assertis, assertionibus. 75 Regula Lesbia agere dicitur, qui præpostere non ad rationem factum, sed ad factum rationem accommodat, & legem moribus applicat, non mores ad legem emendat. Regula igitur Lesbia est flexibilis, facile mobilis, incerta, quæ ad lapidis figuram transmouetur nec manet regula. 76 Inter alia monumenta reliquit Commentationes in Lucam; eas in Euangelii cap. I. v. 48. taxat hic Erasmus.

ctus ſcriptor Græcus, quia ſua fere ex probatiſſimis Græciæ ſcriptoribus hauſit, negat, heic ταπείνωσιν accipi poſſe pro *virtute*. *Le.* Ad illud probandum quid opus eſt auctoritate, cum ipſe ſenſus communis reſpuat eam interpretationem? *Hi.* Recte dixiſti. Nam cum *modeſtia* ſit quodammodo colophon * ac tutatrix [77] omnium virtutum; *immodeſtia* eſt, ſi quis eam de ſe prædicet. Fatemur quidem, in ſanctiſſima Virgine virtutem hanc fuiſſe ſummam & incomparabilem; (Chriſtum ſemper excipio;) ſed hoc ipſo ob *modeſtiam* laudabilior eſt, quod eam ipſa non laudat, ſed agnoſcens ſuæ conditionis *humilitatem*, myſterii magnitudinem adſcribit miſericordiæ diuinæ. *Maria*, inquiunt, *per modeſtiam meruit* [78] *fieri mater Dei.* Donemus, hoc aliqua ex parte verum eſſe: verum quæ tandem *modeſtiæ* ſpecies eſt, puellam hoc de ſe prædicare? *Le.* Quin & ipſe cantici tenor declarat, illam de ſua *indignitate* loqui; eoque [79] ſic orditur: *Magnificat anima mea Dominum.* At qui dicit, *merui fieri mater Dei per modeſtiam*, ſe magnificat, non Dominum. Mox ſubiicitur: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ecce*, ſignificat rem ſubitam & inexſpectatam. Non exſpectat autem ſummum honorem, qui ſe nullo honore dignum iudicat. Nec *felicitas* dicitur, ſi contingat quod *meritis* debebatur. Flaccus enim ne-

* Finis, perfectio. 77 Ornatrix, ſeruatrix. Eine Beſchützerin. 78 Niſi *mereri* ſenſu Patriſtico idem hic eſt ac *conſequi*, *obtinere* ex gratia, falſum eſt, quod inquiunt. 79 ideoque, ea propter.

negat, se hoc nomine felicem appellandum, quod a Mecaenate in amicorum numerum adoptatus esset. *Hi.* Quam ob rem? *Le.* Quia *iudicio*[80] fuit ascitus, non *gratuito fauore*. Mecaenas hoc illi tribuit, quod eius virtutibus deberi iudicarat. *Hi.* Eodem pertinet, quod sequitur, *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* Non dixit, *fecit mihi magna, quia me dignam iudicauit*, sed, *quia potens est*, & facit quaecunque vult, & ex indignis facit suo fauore dignos; & ideo *sanctum nomen eius: sanctum* dixit *gloriosum. Quantum autem nostris meritis arrogamus, tantum detrahimus diuini nominis gloriae*[81]. Nam iuxta Paulum, *illius potentia per nostram imbecillitatem perficitur*[82]. Mox in eo versu, *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles*, non est ταπεινόφρονας, sed ταπεινὺς, hoc est, *contemtos iuxta mundum*; vt opponatur potentibus. Hunc versiculum iuxta Propheticae eloquutionis morem declarat sequens, *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Quos modo dixerat *humiles*, heic appellat *esurientes*, hoc est, *tenues*; quos modo *potentes*, heic *diuites* vocat. Proximo versu fit mentio misericordiae sese per omneis orbis nationes profundentis. In extremo versu praedicat fidem Dei in promissis, *Sicut locutus est*, &c. Toto cantico praedicatur *gloria*, hoc est, *potentia*, *bo-*

80 consilio, consulto. 81 Quam vere, euge Erasme, quam vere & prorsus Euangelice haec dicuntur! *Tantum detrahimus diuini nominis gloriae, quantum nostris meritis arrogamus.* 82 Extat locus 2. Cor. XII. v. 9.

bonitas, & *veritas Dei*: nulla est meritorum mentio. *Le.* Sed *vt potentiam ac diuitias comitatur superbia*, *ita paupertas docet modestiam.* *Hi.* Non equidem inficior, istuc interdum accidere: sed videas plerumque pauperes arrogantissimos: si negas, obiiciam *Merdardos* multos. Verum demus esse, quod non est perpetuum: non iam agitur qualis fuerit sacratissima Iesu mater, sed qualia de se prædicarit in hoc cantico. *Le.* Demiror istorum peruicaciam, qui toties moniti, frequenter etiam irrisi, non resipiscant. *Hi.* Quoties moniti sunt, *declamationem* esse *ficti thematis tractationem*, *ad exercendam dictionis facultatem adhiberi solitam*? & tamen istis *declamatio* nihil aliud est, quam *sacra concio*. Quoties inclamatum est illis, *cœlibem* [83] esse quisquis vxorem non habeat, etiamsi sexcentas alat concubinas [84]? & tamen *cœlibatus* istis nihil aliud est, quam continentia & castitas. Idem vsu venit de *humilitate*, aliisque similibus quamplurimis. *Le.* Vnde stupor tam pertinax? *Hi.* De *Merdardis* respondeo. Non dederunt a puero operam litteris; nec est illis præceptorum aut librorum copia: & si quid istiusmodi facultatis obtigit, malunt abdomini [85] impendere. Sacrosanctam illam vestem existimant abunde

83 Cœlebs dicitur, qui coniugii expers est, quasi κοίλιψ ex κοίτη & λείπεσθαι, concubitu carens. 84 Iuxta illum Hoffm. Siles. Lusum Epigrammaticum Cent. III.

Non habet vxorem, *tamen est* vxorius *Ancon*;
Est cœlebs; *κοίλιψ is tamen esse negat.*

Er lebt unehlich / aber unehrlich. 85 abligurire, ventri insumere, gulæ indulgere.

de ſufficere & ad pietatis & ad eruditionis opinionem. Poſtremo putant, nonnullam eſſe religionis partem, ſi cum ſuo Franciſco ne Latine quidem loqui ſciant. *Le.* Profecto plurimos noui, qui iſta ex parte belle referant inſtituti ſui principem [86], qui *caperonem* dixit pro *galero*, opinor & *veſtimentibus* pro *veſtibus* [87]. At Franciſcus conſtanter recuſauit presbyteri honorem; quod idem, opinor, fecit Benedictus & Dominicus. Nunc iſti cum ſuis veſtimentis non abhorrent a galero Cardinalicio [88]. *Hi.* Quid ais? imo ne a corona quidem triplici [89], & humiles illi pauperis Franciſci filii [90] porrigunt calceos ſuos ſummis orbis monarchis

86 ordinis ſui fundatorem, Franciſcum idiotam, qui neque natare, quod aiunt, neque literas callebat. 87 De Monachorum Barbarie, præcipue ſuperioribus ſeculis teſtantur hodieque literaria monumenta: Vnde Fratres Ignorantiæ omni iure cluent, de quibus appoſite Frencelius a Fridenthal Epigrammat. Sylu. I. Sem. II. p. 205.

Miror, ait quidam, cur ignorantia Fratres
Sic amet, vt nequeant verba Latina loqui.
Huic vir iudicio grauis ingenioque ſagaci;
Deſine mirari talia, *Præſul ait.*
Non niſi ab ignauis voluit tum Chriſtus aſellis,
cum peteret Solymæ mœnia celſa, vehi.
Nunc aſinis *tolli a noſtris ſurſumque leuari*
cogitur. An Monachos dixeris eſſe rudes?

Philippo Beroaldo cum ſub veſperam obuiam veniret, qui fauſtam noctem precaturus: *Deus*, inquiebat, *det tibi bonum ſero*; ille reſpondit: *Et tibi malum cito.* 88 munere Cardinalium, per Metonym. Adiuncti pro Subiecto, ſigni pro ſignato. Nam Cardinales Romani rubro pileo caput tegunt. 89 Pontificatu. 90 ad faſtigium Papale

chis[91] osculandos. *Le.* Iam si fuisset facta *vilitatis* mentio, quid erat piaculi? *Hi.* Nihil, si *vilem* intelligas, qui *paruo æstimatur* apud homines, aut qui *sibi videtur contemtibilis.* Sed quid opus excusare quod dictum non est? *Le.* Non puduit *Merdardum* ad istum mentiri modum? idque in fano[92] tam celebri, in frequentissima monarcharum synodo, coram tot eruditis viris, quorum plerique Erasmicas lucubrationes[93] euoluerant? *Hi.* Puduit, ais? Imo sibi visus est scurra rem palmariam[94] ac triumpho dignam facere. Hoc est quartum *Merdardorum* votum, longe tribus illis religiosius, *Nihil omnino pudere.* *Le.* Istius profecto plerique sunt obseruantissimi. *Hi.* Nec erat simplex mendacium. *Primum* Mariæ canticum, vt est a Luca scriptum, manet intactum. Qui vero

ro

uecti, vt Vrbanus V. & Alexander V. Franciscani, Sixtus IV. & Benedictus XI. Dominicani; Clemens VI. Benedictinus. 91 Cum anno 1541. Carolus V. Imperator Paulo III. Pontifici obuiam sibi venienti genubus flexis pedes osculatus esset; hic adeo intumuit, vt in rei memoriam columnam in illo loco erigi curauerit, cum sequenti inscriptione:

E Lybia aduenit Romanus victor ad arces
Cæsar, & in niueis aureus iuit equis.
Ille triumphauit, sed tu plus, Paule, triumphas:
Victor namque tuis oscula dat pedibus.

Freherus in Theatro P. I. p. 6. Conf. Iacobo Herrenschmidti Osculologiam Theologico-Philologicam Quæst. 44. p. 349. sqq. 92 delubro, sacello, templo. 93 scripta elucubrata, tempore nocturno ad lucem accensam elaborata. 94 *Res palmaria*, quæ triumpho vel palma digna est, quæ in palma, quæ in laude est. Palma enim in certaminibus signum victoriæ.

ro corrigere dicitur, qui nihil mutat? *Deinde* vox humilitatis immutata non est; nec vlla vsquam vilitatis mentio. *Postremo* [95] non corrigit canticum, qui bona fide [96] reddit quod scripsit Lucas, sed explicat. *Le.* Video triplex mendacium effronte scurra dignum. *Hi.* Mane [97], nondum audisti, quod est omnium impudentissimum. *Le.* Etiamne amplius? *Hi.* Vociferabatur, doctorem illum asinum fuisse principem, auctorem & antesignanum vniuersi tumultus, quo nunc concutitur orbis Christianus. *Le.* Quid ait? *Hi.* Huic imputandum quod tot sectis discinditur ecclesia, quod sacerdotes spoliantur decimis, quod contemnuntur episcopi, quod sacrosanctæ Pontificis maiestati passim oppeditur [98], quod agricolæ vetus gigantum * exemplum instaurarunt. *Le.* Ista publicitus? *Hi.* Magnis clamoribus. *Le.* Atqui longe secus existimant, qui Erasmi libros attentius introspiciunt. Horum plurimi fatentur, se ex illius locubrationibus hausisse veræ pietatis semina. Totum hoc incendium per monachos ortum, per eosdem huc vsque incanduit, quod non aliter nunc quoque conantur extinguere, quam si *oleum,*

---

95 Primum, Deinde, Postremo pro: Primum, Secundum, Tertium; aut Secundo, Tertio. 96 fideliter, sine interpolatione, immutatione, citra falsationem, corruptionem, peruersionem. 97 Subsiste, Siste gradum, Abire noli. 98 Contra peditur, ventris flatus emittitur. * Gigantes olim Deos cœlo exigere conati sunt. Rustici autem suos nobiles non aliter ac Deos suspiciunt, quos tamen proximo tumultu in ordinem cogere & de loco deiicere tentarunt.

oleum, quod aiunt, *addant camino*[99]. *Hi.* Vides ὡς κάκιστον θηρίον ἐστὶν ἡ γαστήρ*. *Le.* Rem acu tetigisti. Illi nimirum expedit, in populo Christiano superstitionis esse quam plurimum, pietatis quam minimum. Sed quid concio[100]? ferebat ne Cumanum asinum[101], tam insolenter rudentem e suggesto? *Hi.* Quidam mirabantur quid accidisset homini. Qui stomachi erant impatientioris[102], surgebant, atque e templo abibant, submurmurantes, *Venimus huc audituri laudes diuae Virginis, & hic temulentus nobis euomit meras sycophantias.* In his erant etiam non paucae mulieres. *Le.* Atqui solet hoc genus mire deditum esse isti sodalitio. *Hi.* Vera praedicas; sed coeperunt & foeminae sapere. Eruditi, quotquot aderant, plerique ringi[103], nonnulli etiam subsibilare[104]. *Le.* Non

99 Del ins Feuer giessen, id est, Ubel ärger machen, malum malo augere. Pertinet huc fabula anno 1530. in Comitiis aut alibi coram Carolo V. Imperat. acta introductis Reuchlini, Erasmi, Lutheri, Leonis X. & Caroli V. personis, cuius ex Hist. Ecclesiast. enarrationem fusius attulit in Praeparatione ad Historiam Polit. Ioh. Hübnerus p. II. §. XV. vnde tamen eam hauserit, more suo non addidit. * Id est, *Vt pessima bestia est venter*. Et illos qui alioquin omnia ventris gratia faciunt, lingua abutentes, Graeci γλωττογάστορας appellant. Bauch-Pfaffen / Bauch-Prediger. 100 populus, coetus congregatus, auditores. 101 Fabula est de asino fugitiuo, qui apud Cumanos gessit se pro leone. Hinc Asinus apud Cumanos dicitur de homine inepto & ridiculo, qui tamen apud ignotos in pretio habetur. 102 qui ab ira temperare sibi non poterant, qui proniores erant ad excandescentiam. Stomachari enim est indignari. 103 Os torquere. Das Maul rümpffen / die Zähne blecken. 104 clam explodere. Heimlich auszischen. Spectatores fa-

Non curat asinus sibila; oportuit talem rabulam putribus ouis aut ruderibus [105] e suggesto deturbare [106]. *Hi.* Non deerant qui hoc illo dignum existimarent; sed cohibebat illos loci reuerentia. *Le.* Sed *loci religio non debet his opitulari, qui locum scelere profanarunt:* veluti qui in templi septis occidunt hominem, non æquum est vt illic habeant asylum [107]; itidem qui in sacris concionibus & loci religione, & populi patientia stolide abutitur, huic non oportet esse præsidio quod ipse sua temeritate profanauit [108]. Laudatus est a priscis ille, qui eum non habuit pro Consule cui ipse non esset Senator [109]: nec par est, vt populus eum habeat pro Ecclesiasta cui ipse non est concio [110]. *Hi.* Metuunt fulmen episcoporum; *Si quis instigante diabolo*, &c.* nosti legem. *Le.* Sed prius in tales rabulas episcopi debebant vibrare [111] fulmen. *Hi.* Metuunt & illi. *Le.* Quos? *Hi.* Illos ipsos rabulas. *Le.* Quam ob rem? *Hi.* Ob hoc ipsum, quod rabulæ sunt. *Le.* Apostoli non metuebant regum & præsidum minas; & isti metuunt vnum mendicum? *Hi.* Sed ob istuc ipsum magis formidandi, quod mendici sunt: quod eripiatur non habent, quo lædant habent. Abi tu so-

bilarum actores, si non placerent, explodebant in ludis scenicis. 105 glebis, terræ frustis. 106 depellere, deiicere. 107 loca inuiolabilia & consecrationis lege tuta a direptione, ex quibus nefas reum rapere. 108 vanum reddidit, violauit, dehonestauit. 109 qui sibi non esset Senator. 110 qui sibi non est concio, vice concionis, populi, auditorum. * Canon est in Decretis, quo excommunicantur, qui in monachos & sacerdotes manus iniecerint. 111 conuertere, detorquere, deflectere, dirigere.

sodes ad vesparum aut crabronum nidum aliquem, & vnamquamlibet ex illis digito continge; ea res si tibi bene successerit, redito ad me, & episcopos ignauos appellato, qui refugiant vnum mendicum irritare. Romanum pontificem nonne potentissimi Christianæ ditionis monarchæ reuerentur, fortassis & metuunt? *Le.* Nec mirum: est enim Christi vicarius. *Hi.* At Alexander sextus [112], vir nec stultus nec indoctus, fertur ita loqui solitus, *se malle e summis monarchis aliquot offendere, quam vnum quemlibet fraterculum ex ordine mendicantium.* *Le.* Omitte Pontifices. Cum istius sceleris rumor ad aures Principum, qui tum Augustæ [113] erant, dimanasset [114], non est sumptum de homine supplicium [115]? *Hi.* Indigne tulerunt omnes, sed præcipue Rex Ferdinandus, & huius soror Maria [116], fœminarum huius sæculi decus, Bernardus Cardinalis Tridentinus, Balthasar Episco-

112 Qui fuit natione Hispanus, Rodericus Borgia ante nominatus, Calixti III. ex sorore nepos, si non spurius. Pontificatum adeptus est 1492. tandemque veneno periit. Epitaphium ipsi tale scripsit Sannazarius Poëta Pontificius:

Seuitia, insidiæ, rabies, furor, ira, libido,
Sanguinis & diri spongia, dira sitis,
Sextus Alexander iaceo hic, iam libera gaude
Roma: tibi quoniam mors mea vita fuit.

113 Vindelicorum. 114 peruenisset, delatum esset. 115 nonne mulctatus est homo? impune hoc homo tulit? 116 Ludouico Hungariæ Regi nupta, cui successit Ferdinandus; post obitum mariti Caroli V. nomine Prouincias Belgicas viginti quatuor annos summa cum laude rexit.

ſcopus Conſtantienſis [117]. Obiurgatus eſt grauiter eccleſiaſtes, ſed a nullo acrius quam a Ioanne Fabro Epiſcopo Viennenſi [118]. *Le.* Quid obiurgatio? *Aſinus non ſentit niſi fuſtem.* *Hi.* Præſertim ſi in ventrem ingeras [119]. Sed quid illi ſtolido feciſſent [120] Principes, longe grauioribus curis occupati? *Le.* Certe ſubmouiſſent a concionandi munere, & ſuam illi benignitatem ſubtraxiſſent. *Hi.* At artifex ille pus ſuum [121] in ipſam concilii diſſolutionem diſtulerat, cum iam alioqui foret abeundum. *Le.* Iſto quidem pacto dicuntur abire cacodæmones [122] ingenti fœtore relicto. *Hi.* Itaque dimiſſus eſt a rege Ferdinando, ſed bene paſtus. Nam obiurgatio ne tantillum quidem detraxit hominis obeſitati. *Le.* Franciſcus dicitur concionatus ſororibus auibus [123]; iſte dignus videtur qui concionetur fratribus aſinis ac ſuibus. Sed quo [124] ſe contulit? *Hi.* Quo niſi ad

117 in or dine ſeptuageſimus ſextus, qui præfuit menſes quindecim & Treuiris exceſſit. 118 Nonus fuit in ordine, natione Sueuus, Ferdinandi Regis Confeſſarius, promotus ad Epiſcopatum 1531. obiit anno 1541. Vienna autem totius Germaniæ Acropolis & aduerſus Turcas propugnaculum, Imperatoria ſedes. 119 inferas, ventrem tundas. 120 facturi fuiſſent. 121 purulentiam ſuam, calumnias ſuas, conuitia, quibus vt veſtis pure, ita fama hominum commaculatur. 122 maligni ſpiritus, diaboli. 123 Hirundinibus, quarum vna non facit ver. Cornificius lib. 4. ad Herennium iis comparat amicorum illos, qui præſto ſunt in fortuna felici, in aduerſa autem nos deſerunt. Ingratæ namque habentur & infidæ; Vnde Pythagoræ Symbolum: *Hirundines ſub eodem tecto ne habeas.* Infauſti quoque ominis eſſe & ancipitem af-

ad suos gregales? a quibus exceptus est ouatione ob rem strenue feliciterque gestam; & inter pocula, pro, *Io triumphe*, cantatum est, *Te Deum laudamus*. *Le*. Dignissimus est iste *Merdardus*, qui funem in collo gestet potius quam in lumbis [125]. Sed quid imprecemur isti stolido gregi, qui tales fouet pecudes? *Hi*. Vix inuenias quod illis imprecaris malum grauius quam ipsi accersunt sibi. Siquidem his rationibus maxime traducunt sese, & in bonorum omnium coniiciunt odium, efficacius, quam quisquam possit hostis. Sed *non est Christianæ mentis cuiquam imprecari male*; illud potius optandum, vt clementissimis rerum formator & reformator (qui ex Nabuchodonosor * homine fecit bouem, & rursus ex boue fecit hominem quique asinæ Balaami ** dedit hominis linguam) omnes *Merdardi* similes vertat in melius, detque illis & mentem, & linguam viris Euangelicis dignam.

PHI-

ferre fortunam crediderunt: nam Cyro Regi dum contra Scythas bellum parat, hirundinum visio infaustam fecit expeditionem. Eædem quoque Pyrrhi tabernaculo & naui Antonii insidentes suscepti belli infelicitatem & funestas clades portenderunt; vt habet Alex. ab Alex. Dierum Genial. lib. V. p. m. 273. seq. *Sorores* autem *aues* vocat *Hirundines*, quod Hirundo Fœmininum est, & Franciscus Asinos, lupos, canes compellauerit Fratres. 124 Quorsum? 125 Nam Franciscani tunicam nodoso fune cingunt. Alludit ergo eleganter & salse ad habitum vestitumque eorum. * Daniel. IV. & Ioseph. Antiqu. lib. X. cap. II. ** Numer. XXII. v. 5. Deut. XXIII. v. 4, 5.

PHILODOXVS [1].

PHILODOXVS*, SYMBVLVS.

Ph. FElix auspicium interpretor, occursum tuum, Symbule. *Sy.* Vtinam sit aliquid, Philodoxe, in quo tibi queam esse felix! *Ph.* Quid auspicatius, quam si quis deus occurrat homini? *Sy.* Equidem nihil istoc existimarem auspicatius, etiamsi sexcentæ volitent noctuæ**. Sed quem mihi narras deum? *Ph.* Te, inquam, Symbule. *Sy.* Mene? *Ph.* Te plane. *Sy.* Ego deos cacantes [2] nunquam feci pili. *Ph.* Si non fallit prouerbium *, *deum esse quisquis iuuat mortalem*, tu mihi deus esse potes. *Sy.* De fide prouerbii viderint alii

1 Docet Autor in hoc Colloquio, quo pacto quis veram, perpetuam & liuori quam minimum expositam gloriam parare sibi valeat. * Amator gloriæ, qui famam venatur. *Symbulus*, consiliarius. ** Noctuæ volatus apud Athenienses felix & bene ominatus fuit. 2 DEOS *cacantes* vocat Homines & Bruta Deorum instar magni haberi solita, cum terra sint & limus; plane vt Germani: Scheiß-Götter / Scheiß-Büchse per contemptum dicunt; verbo: Deos peregrinos, fictitios & falsos, *stercoreosque*, de quibus Seldenus Syntagm. II. c. 6. vbi Belum narrat stercoreum, stercoreumque Iouem. Pertinet huc *Sterculius*, Fauni filius, ob artem stercorandi Deus habitus; Ægyptiorum felis, crocodilus & hircus; Delphicorum Lupus; Samiorum Ouis; Argiuorum serpens; Tenediorum Vacca. * Homo homini Deus, Vide Chiliad.

alii; ego certe perquam lubens amico profuero, si queam. *Ph.* Non est quod metuas, Symbule; haud peto mutuum[3]: *sacra res est consilium*; eo tantum me iuua. *Sy.* Atqui istuc ipsum est petere mutuum, quandoquidem *hoc officii genus inter amicos vltro citroque commeare debet* quemadmodum & *cætera omnia*[4]. Sed quid est rei, in quo meum desideras consilium? *Ph.* Piget obscuritatis[5]: cuperem esse celebris; commonstra viam. *Sy.* En tibi compendiariam. Imitare Herostratum, qui incendit templum Dianæ[6]; aut huic simillimum Zoilum, qui lacerauit[7] Homerum; aut aliud aliquod

3 Ich will nichts bey dir borgen. Respicit fortassis verba Siracidis cap. XXIX. v. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10. & cap. VIII. v. 15.
4 Secundum illud: *Amicorum omnia sunt communia*; vbi tamen Vocula: *omnis*, Synechdochice cuidam sumenda esse *de generibus singulorum*, non vniuersaliter de *singulis generum*, visa est; in sensu distributiuo, non collectiuo. Allerley Freud und Leyd. Alius addidit: *Χρήσει, non κλήσει, vsu, non possessione.* Erasmus hic *communia* explicare videtur per *mutua*. Eines umbs andere / keines umbsonst. Vinci in amore turpissimum est, ex Plinii dicto. 5 viuere in obscuro, non esse celebrem. Val. Max. lib. VII. c. 14. Nulla, inquit, est tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur. 6 Herostratus. 5 Erostratus nebulo scelestissimus cum virtute sibi nomen comparare nesciret, pessimo id tentauit facinore: nam incendit templum Ephesinum, inter septem orbis miracula celebratum, ratus hoc pacto nomen suum per totum terrarum orbem disiectum iri; quem quidem mentis furorem equuleo impositus detexit. Val. Max. l. cit. sub fin. cap. 7 suggillauit, calumniatus est, flagellauit; vnde Homeri flagellum, Ὁμηρομάστιξ cognominatus est. In eundem ita Ouidius;

quod facinus memorabile designa, & ἀοίδιμ☉ * eris cum Cercopibus ac Neronibus[8]. *Ph.* Famam ex scelere parent alii[9]; ego nomen ambio rumoris honesti. *Sy.* Talem igitur te praesta, qualis optas praedicari. *Ph.* At multis egregia virtute praeditis non contigit nominis celebritas[10]. *Sy.* Istuc an verum sit nescio; attamen si id eueniat, quod ais, *ipsa virtus abunde magnum sui praemium est.* *Ph.* Vera praedicas, planeque philosophice. Veruntamen, vt sunt res humanae, mihi videtur *gloria praecipuum quoddam ornamentum esse virtutis; quae non aliter gaudet agnosci*[11], *quam sol amat lucere, vel ob hoc ipsum vt & profit*

Ingenio magni liuor detrectat Homeri:
Quisquis es ex illo, Zoile, nomen habes.

* Id est, celebratus, is proprie qui decantatur passim. *Cercopes* autem fratres fuere improbitate & malitia celeberrimi. 8 Prae aliis ex Neronum familia oriundis, natus est Claudius Nero, sextus Romanorum Imperator, omnium mortalium crudelissimus ac sceleratissimus. 9 Horum e numero imprimis Pausanias referri debet atque Hermocles; quorum hic pessimum consilium dedit, ille perfecit; memorante Val. Max. l. cit. Tam enim Pausanias Philippum interimendo, quam Philippus virtute notum se posteris reddidit. 10 Quidam enim famam merentur, & non habent; quidam habent, & non merentur; quidam merentur & habent. 11 Praeclare Cicero in Orat. pro Archia: Trahimur omnes laudis studio & optimus quisque maxime gloria ducitur. Philosophi etiam in libris, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt, in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemque despiciunt, praedicari se ac nominari volunt.

sit quam plurimis, & quam plurimos ad sui pellicíat æmulationem. Postremo non video quam possessionem speciosiorem parentes liberis suis relinquere possint, quam honesti nominis immortalem memoriam. *Sy.* Vt video, gloriam expetis virtute partam. *Ph.* Scilicet. *Sy.* Proinde tibi propone litteris omnium celebratos, Aristidem, Phocionem, Socratem, Epaminondam [12], Scipionem Africanum [13], Catones, seniorem & Vticensem, M. Brutum, & horum similes, qui belli domique de Republica quam optime mereri studuerunt. Heic est enim feracissimus gloriæ campus. *Ph.* Verum inter istos celebres, Aristides ostracismo [14] iussus est

12 Epaminondas Dux Thebanus accepto apud Mantineam lethali vulnere, cum vniuersa ciuitas ad corpus eius affueret, quæsiuit: saluusne esset clypeus? essentne fusi hostes? cumque, vt cupiebat, audiuisset; euelli iussit hastam, qua fuerat transfixus; quæsitusque de præmio laborum dixit: Nullum aliud volo, quam memoriam mei. 13 *Scipio*, Cornelii filius, *Africanus* dictus, quod bello Punico in Hispania victor *Africam* adortus Carthaginem victo Annibale vectigalem reddidit. 14 Ostracismus exilii genus Atheniensibus vsitatissimum ab Ostraco, id est, testula, cui ciues nomen eius inscribebant, quem pellere cupiebant, dictum, quo nimium potentes eneruarunt, ne velut adnascens hedera arborem, sic illi Rempublicam obumbrarent & suffocarent. Differebat ab exilio, quod per Ostracismum bonis suis eiecti non exciderent, quod tempus exilii præfiniretur, secus atque fiebat in exilio. Pulsus autem est Aristides, quod *Iusti* cognomen æquo animo ferre non possent inuidi; vt pulsus Damon Periclis Magister, quod *prudentiæ* opinionem haberet. Vide Discursum cuiusem

eſt ſolum vertere; Phocion, & Socrates [15], biberunt cicutam; Epaminondas [16] capitis eſt poſtulatus, quemadmodum & Scipio; Cato ſenior quadragies [17] reus cauſam dixit; Vticenſis ſibi mortem conſciuit, itidem Brutus [18]. Ego gloriam optarem nulla inuidia contaminatam. *Sy.* At iſtuc ne Herculi quidem filio conceſſit Iupiter. Nam poſt tot monſtra virtute domita, cum excetra [*] fuit extremum certamen, idque multo omnium pertinaciſſimum. *Ph.* Ego Herculi ſuos glorioſos labores [19] nunquam inui-

Abrah. Calouii ſub Præſid. Dn. Iacobi Thomaſii ventilatum de Oſtraciſmo aliiſque cognatis remediis. a. 1659. 15 Accuſatus erat Socrates, quod de Diis male ſentiret. Rogatus ergo a Iudicibus, qua pœna ſe dignum cenſeret: *Vt in Prytaneo*, (loco in arce Athenienſium digniſſimo) *ex publico alar*, (qui honos habebatur maximus) reſpondit. Hoc dicto exacerbati iudices ad bibendam cicutam damnarunt. 16 Euaſit Epaminondas cum non remueret capitis pœnam, modo ſibi ſepulto adſcriberent Thebani: *Epaminondas a Thebanis morte mulctatus eſt, quod eos coëgit apud Leuctram ſuperare Lacedæmonios, quos ante ſe Imperatorem nemo Bœotiorum auſus fuit aſpicere in acie* &c. Vide Nepotem. 17 Teſte Plinio lib. VII. c. 27. Semper autem abſolutus eſt. 18 De morte Bruti, in Philippis ab Antonio & Auguſto victi, ita ſcribit Plutarchus: *Stratonem proxime aſſiſtere iubens ſtricti gladii manubrium vtraque manu ſuffulciens, in mucronem incubuit.* * Excetra hydra appellata eſt, quod vno capite abſciſſo plura excreſcerent. 19 Labores Herculis vulgo recenſentur triginta quatuor, vt quod infans adhuc duos angues eliſerit; cum Hydra Lernæa prouectior factus certauerit; Leonem Nemæum toti populo formidoloſum interfecerit; Taurum furioſum & flammas vomentem iugula-

uidebo. Eos demum felices duco, quibus obtigit honestum nomen nulla inuidia [20] contaminatum. *Sy*. Vis, vt video, suauiter viuere; eo metuis inuidiam: nec id iniuria, κάκιςον γάρ ἐςι Θηρίον*. *Ph*. Sic est. *Sy*. Ergo λάθε βιώσας**. *Ph*. At istuc est mortuum esse, non viuere. *Sy*. Intelligo quid affectes. In sole clarissimo versari gaudes absque vmbra. *Ph*. Istuc quidem fieri non potest. *Sy*. At nihilo magis fieri potest, vt gloriam consequaris nulla contaminatam inuidia. *Recte facta vltro sequitur gloria, gloriam comitatur inuidia*. *Ph*. Atqui posse gloriam absque inuidia contingere, docet nos senex ille [21] Comicus; *ita vt facillime sine in-*

uerit; Antæum gigantem superauerit; Abylen & Calpen columnas posuerit; aurea mala Hesperidibus sustulerit; Iunonem in papilla vulnerauerit. &c. 20 Vt in sole non sumus sine vmbra; sic nec in fama sine liuoris aliqua nebula. Crucius Epist. 20. lib. 3. Nemo est, qui inuidet stultitiæ Tiberii Claudii, quem Antonia mater a natura inchoatum non consummatum pronunciabat. Nemo inuidet militi, qui cum pro patria fortiter dimicandum, clypeum abiicit cum animo & stationem relinquit. Tam procul a vitiis distat inuidia, quam longis spatiis a turpi honestum. Non itaque fugienda sed ambienda est inuidia, tanquam gloriæ pedissequa, dignusque gloria censeri debet, qui inuidiam patitur. * Id est, Pessima enim fera est. ** Id est, Sic viue, vt nemo te sentiat vixisse. Ouid. lib. III. Trist.

Vsibus edocto si quicquam credis amico,
Viue tibi: & longe nomina magna fuge.

21 Simo, Pamphili Pater in Terentii Andria Act. I. Sc. I. *Inueuire* pro: *adipisci, consequi, impetrare, acquirere, comparare, parare*.

inuidia laudem inuenias, & amicos pares. *Sy.* Si ista laude contentus es, quam tulit Pamphilus adolescens *obsequiis* & *morum commoditate*, poteris eodem e loco petere rationes assequendi quod expetis, vnde decerpsisti sententiam. In omni re memento, *Ne quid nimis: sed tamen mediocriter omnia. Esto facilis in perferendis aliorum moribus, ad leuiora vitia conniuens. Ne sis præfractus, tuæque sententiæ nimium tenax, sed aliorum studiis temet accommoda: nulli lædas os* [22], *sed comem te præbeas omnibus.* *Ph.* Adolescentiæ fauent plerique, nec magni negotii fit tum istam parare laudem. Ego magnificum quoddam nominis decus optarim, quod per vniuersum orbem resonet, quodque cum ætate semper fiat illustrius, atque a funere [23] tandem clarius elucescat. *Sy.* Equidem laudo generosam istam indolem tuam, Philodoxe. Cæterum si cupis gloriam virtute partam, *præcipua virtus est, negligere gloriam: & summa laus est, non ambire laudem, quæ magis sequitur fugientem.* Videndum est igitur, ne, quo impensius ista ambis [24], hoc frustrere magis. *Ph.* Non sum Stoicus *ἀπαθὴς* *: tangor humanis affectibus. *Sy.* Si te profiteris hominem, nec ea recusas, quæ sunt humanæ sortis, cur ea venaris, quæ nec Deo con-

22 præsentem offendere in os contradicendo. Allen Leuten nach dem Maule reden / niemanden widersprechen. Vide supra Colloq. Senile. 23 post mortem. 24 appetis, affectas, captas. * Id est, expers affectuum. Stoici negabant in virum sapientem vllos affectus cadere.

contingunt? Nosti enim Theocriticum illud non minus vere quam scite dictum, *Iouem nec pluuiam, nec serenum*[25] *placere omnibus*. *Ph.* Non est fortassis ignis absque fumo; sunt tamen ἄκαπνα*. Si non potest obtineri, quin aliqua liuoris nubecula obscuretur hominis gloria, arbitror tamen esse rationes, quibus fiat, vt quam minimum inuidiæ sit admixtum. *Sy.* Eas igitur tibi vis commonstrari? *Ph.* Percupio. *Sy. Modice virtutem exere*[26], & *minus grauaberis inuidia*. *Ph.* At gloria nisi sit insignis, non est gloria. *Sy.* Ecce tibi certissimam viam. Designa[27] præclarum aliquod facinus, & morere: & citra inuidiam celebraberis cum Codris[28], Menœceis*, Iphigeniis[29], Curtiis[30] ac Deciis[31].

Pa-

25 Vdum aut sudum. * Ligna sunt, quæ dum cremantur, fumum non faciunt: ab α priuatiua particula, & καπνός, quod fumum significat. 26 ostenta, prome, prode. Conf. in eandem sententiam Sauædræ Symbol. Polit. IX. Apud Romanos Pompeius post tot triumphos & imperia domi aut ruri se continebat, raro in publicum prodiens. 27 Fac, perage, perpetra. 28 De Codro refert Iustinus lib. II. c. 6. *Erant inter Athenienses & Dorienses simultatum veteres offensæ &c. Codrus & responso DEI & præceptis hominum cognitis permutato Regis habitu, pannosus castra hostium ingreditur, ibique interficitur. Atque ita Athenienses virtute Ducis, pro salute patriæ morti se offerentis, bello liberantur.* * Menœceus nobilis adolescens Thebanus, qui pro patriæ salute se ipsum morti obiecit, apud Philostratum in Imaginibus. 29 Iphigenia Agamemnonis & Clytemnestræ filia, Dianæ immolanda, quod Pater apud Aulidem ceruam interfecisset. 30 Marcus Curtius nobilis

Pascitur in viuis liuor; post fata quiescit [32].

Ph. Equidem, vt ingenue quod res est fatear, cupio liberis ac nepotibus meis honesti nominis hæreditatem relinquere, verum huius rei fructum viuus apud viuos aliquandiu decerpere [33] cupiam. *Sy.* Age, non te suspendam [34] amplius. *Certissima ad illustre nomen est via, bene mereri, cum priuatim de singulis, tum publicitus de vniuersis. Id partim fit officiis, partim benignitate. Benignitas sic temperanda est, ne cogaris ab aliis rapere quod aliis suppedites* [35]. Nam ex huiusmodi largitionibus plus odii nascitur apud probos quam fauoris apud improbos. Porro *ab improbis laudari, infamia verius est quam gloria* [36]. Ad hæc benignitatis fons largiendo

adolescens Romanus, cum Romæ in medio foro terra ingenti hiatu desedisset & oraculum consultum respondisset, vnicum malo esse remedium, si quis ex primæ spei adolescentibus viuus in hiatum insiliret, conscenso equo in specum se præcipitauit. 31 Tres Decii se pro Patriæ salute Diis Manibus deuouerunt: Pater bello Latino, filius Hetrusco, nepos eo quod Pyrrhus pro Tarentinis gessit. Ponitur autem vtrobique Pluralis pro Singulari per Enallagen & ad decus conciliandum orationi. 32 Ouidii versus est Amor. I. Eleg. 15. 33 edere, percipere, gustare. 34 in dubio relinquam, morabor, detinebo. 35 **Das hiesse / das Leder stehlen / und den armen Leuten die Schuhe umbsonst geben**; vt Germanis est in prouerbio. Conf. Cic. Offic. lib. II. numero 43. de Liberalitate. 36 ***Placet mihi***, inquit Cic. lib. V. Epist. fam. ad Lucceium Epist. 12. *Hector ille Neuianus, qui non tantum laudari se lætatur, sed addit etiam a laudato viro.* Improbis placere nemo facile potest sine suspicione similitudinis morum. Etenim:

do exhauritur. Porro *beneficentia, quæ constat officiis, fundum non habet: imo quo largius hinc hauritur, hoc scatet vberius.* At heic multæ res sunt, quæ & inuidiam mitigant, & famæ celebritatem illustrant, quas nemo sibi præstare valet, sed contingunt gratuito fauore numinis.

Gratior est pulchro veniens e corpore virtus [37]:
At *formam corporis* sibi nemo largitur [38]. Adfert secum dignitatis plurimum *generis claritudo* [39]. At hæc quoque fortunæ [40] munus est. Idem sentiendum de *diuitiis*, quæ recte factis partæ [41] ab auis atque atauis ad nos deuenerunt. Ne hoc

Vir probus est cœli, malus est telluris alumnus:
Quos igitur cœlum diligit, odit humus.
Atque hinc secundum Epigr. 10. Cent. IV. Isr. Clauderi,
Vir bonus haud curat vulgi præconia: mauult
Factis, quam fictis laudibus, esse, quod est.
Plinius lib. I. Epist. 10. *Vti de pictore, sculptore, fictore nisi artifex iudicare; ita nisi sapiens non potest perspicere sapientem.* Atque hinc pluris fiebat Platonis iudicium Antimacho Clario Poëtæ, quam multorum millium; vt obseruat Cic. in Bruto. pag. 152. Opp. edit. Schreuel. 37 Virgil. de Euryalo lib. V. Æneid. v. 344. 38 Præterea exillo Ouidii Disticho lib. I. Am. Ep. 2.
Forma bonum fragile est; quantumque accedit ad annos
Fit minor & spatio carpitur illa suo.
39 Si quis ab ineunte ætate habet causam celebritatis & nominis aut a Patre acceptam, aut aliquo casu atque fortuna, in hunc oculi omnium coniiciuntur. Cic. Offic. lib. II. cap. 12.
40 Et genus & proauos & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra voco.
41 Male parta male dilabuntur; Et de male quæsitis non gaudet tertius hæres.

hoc quidem quisquam sibi præstat. Huius generis sunt & *ingenii dexteritas*, ac *dicendi gratia* [42] *lepos* & *comitas* non ascita, sed *ingenita* [43]. Postremo *decorum* quoddam *arcanum* atque etiam *felicitas* [44]: cuius effectus in multis videmus quotidie; causam reddere nemo potest. An non frequenter conspicimus eadem geri, diciue a diuersis, & magnam inire gratiam qui peius gessit, dixitue, cum is qui melius rem egerit, pro gratia referat odium? Hoc prisci quidam ad genios referebant. Dicebant enim in *ea re quemque fortunatum esse ad quam natus esset; contra parum succedere, quod quis inuita Minerua* [45], *iracto-*

42 Magna est admiratio *copiose sapienterque* dicentis; quem, qui audiunt intelligere etiam & sapere plus, quam cæteros arbitrantur. Cic. Offic. lib. II. 43 Nemo vt aliis placeat se ipsum vilem & abiectum facere debet. Hæc enim ars est non viri nobilis, sed gesticulatoris & morionis. Casa Galat. de Moribus p. 61. 44 Plaut. Pseudol. II, 3, 13. *Vt quisque fortuna vtitur, ita præcellet, atque exinde sapere eum omnes dicimus.* Pertinet huc peruulgatum illud:

Non amo te, *Volusi, nec possum dicere quare;*
Hoc tantum possum dicere: non amo te.

Placente persona placet actio, displicente displicet. 45 Horat. de Arte Poëtica v. 385.

Tu nihil inuita dices faciesue Minerua.

Seneca Epist. 123. in extrem. *Tenenda nobis via est, quam natura præscripsit, nec ab illa declinandum. Illam sequentibus omnia facilia & expedita sunt; contra illam nitentibus non alia vita est, quam contra aquam nauigantibus.* Inuita laborare Minerua est, aduersante & repugnante natura agere, cancro inequitare, vt superiori æuo Carolum V. pinxerat irrisor Maiestatis, additis verbis: *Tendimus in Latium*, significaturus; Carolum nunquam vel ingressurum Italiam, vel

toque genio tentaret. *Ph,* Heic igitur nullus eſt conſilio locus? *Sy.* Vix vllus: attamen qui ſagaces ſunt, deprehendunt in pueris aut adoleſcentibus notas quasdam, quibus coniecturam facere liceat, ad quæ ſtudia, quodue vitæ genus, quasue actiones ſint idonei. Idem indicat in nobis arcanus quidam animi ſenſus, quo a quibusdam abhorremus nulla euidente cauſa; ad quædam item miro impetu rapimur. Hinc eſt quod alius feliciter tractat rem militarem, alius dexter eſt in negotiis politicis, alium dicas ad ſtudia natum. Quanquam & in his mira varietas: nimirum tanta, quanta eſt functionum diuerſitas. Alium natura genuit imperio, alium voluit eſſe fortem militem: cui plurimum indulſit, ei conceſſit, vt, iuxta Homerum, pariter *& bonus ſit lancearius & egregius dux* [46]. Itidem in rebus ciuilibus, alius valet in conſilio, alius in agendis cauſis excellit, alius obeundis legationibus & gaudet, & feliciter rem gerit. De ſtudiorum varietate quid attinet dicere? Sunt qui ſic rapiantur ad inſtitutum monaſticum, nec ad quoduis, ſed vel ad hoc, vel illud, vt vitam ſibi putent acerbam, niſi, quod optant, aſſequantur. Sunt e diuerſo qui mirum in modum abhor-

---

expugnaturum Romam; quod tamen ſcomma refutauit euentus. 46 Ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής, id eſt, *Vtrumque, Rexque bonus, fortisque pugnator,* quod male competere in Iulianum Apoſtatam ex Iliad. γ. deſumptum, & Epitaphio eius inſcriptum, Corollario VIII. de Iuliani Apoſtaſia obſeruatum bene eſt Præſide Excellent. Dno. D. Rechenbergio anno 1684. in Diſſert. Lipſ. habita. Germanus diceret: In alle Sättel gerecht/ der ſich zu allen Dingen/ in alles wohl ſchickt.

horrent, vt mori ducant potius [47], quam fieri monachum: nec id odio faciunt, aut certa ratione, sed arcano quodam naturæ sensu. *Ph.* Ista quidem in compluribus ita, vt narras, & comperi nonnunquam, & frequenter admiratus sum. *Sy.* In his igitur bonis, quæ nobis gratuito largitur naturæ benignitas, multo minus orietur inuidiæ, *si fastus absit & ostentatio* [48]. Amabilior enim est forma, aut nobilitas, aut opulentia, aut facundia, in his qui se his bonis præcellere *quasi nesciunt.* *Comitas* autem & *modestia* nihil imminuunt hæc commoda, sed vt gratiam addunt, ita depellunt inuidiam. Hæc autem comitas & morum suauitas oportet in omnibus vitæ actionibus sit perpetua, nisi prorsus repugnat Minerua. Nam frustra, vt opinor, tentaret Xenocrates *, quod successit Socrati ac Diogeni: frustra moliretur Cato Censorius, quod Lælium fecit gratiosum. Attamen Demea [49] ille Terentianus subito mutatus, satis declarauit quantum ad conciliandum beneuolentiam habeat momenti *studiis & affectibus omnium obsecundare* [50]. *Verum* quo-

47 satius, præstabilius. 48 Omne affectatum ingratum. Inquinat egregios adiuncta superbia mores. * Chalcedonius, philosophus durus ac tetricus, & qui se moribus hominum accommodare non poterat, ob id a Platone iussus Gratiis sacrificare. 49 Terentius in Adelphis depingit *Demeam* vt natura hominem agrestem & durum, austerum atque tenacem; Mitionem contra, fratrem eius, vt mitem & nimis facilem. 50 Antalcida rogatus a quodam, quo pacto quis maxime placere posset hominibus, respondet apud Plutarchum: *si loquatur illis iucundissima, præstet autem vtilissima.*

quoties a recto receditur, iam & a vera gloria ad temporarium hominum fauorem degeneratur [51]. *Cæterum ea demum gloria perpetua eſt, quæ honeſti radicibus nititur, a iudicio rationis profecta.* Nam affectus temporarios habent impetus, qui ſimul atque relanguerint [52], odiſſe cœpimus quod ante vehementer arriſit; ac proinde plauſus vertitur in ſibilum, laus in vituperium. Cæterum vt ingenium prorſus inuerti [53] non poteſt, ita poteſt aliqua ex parte corrigi. *Ph.* Exſpecto quid dicas. *Sy.* *Qui natura blandior eſt*, is cauere poteſt, ne dum apud omnes gratioſus eſſe ſtudet, deflectat ab honeſto, neue dum ſeſe quibuslibet accommodat [54], *polypum* [55] imitatus, ſibi parum conſtet. *Ph.* Tales noui permultos lubricæ fidei & erubeſcendæ vanitatis. *Sy.* Rurſus *qui ſeueriore ſunt in-*

51 Atque hic penſi habere debet Chriſtianus Scripturæ dicta Gal. I. v. 10. Η ζητῶ ἀνθρώποις ἀρέσκειν; εἰ γὰρ ἔτι ἀνθρώποις ἤρεσκον, Χριστοῦ δοῦλος οὐκ ἂν ἤμην. *An quæro hominibus placere? nam ſi adhuc hominibus placuiſſem, Chriſti ſeruus haud quaquam eſſem.* Luc. VI. v. 26. Οὐαὶ ὑμῖν, ὅταν καλῶς ὑμᾶς εἴπωσι πάντες οἱ ἄνθρωποι. *Væ vobis cum laudauerint vos omnes homines.* Confer Matth. X, 22,24,25. Luc. XXI, 17. Ioh. XV, 18, 19, 20. I. Theſſ. II, 4, 5. Matth. V, 11. 52 remiſerint, ſedati fuerint, reſederint. 53 Naturam expellas furca, tamen vsque recurret. 54 da er allen Leuten nach ihrer Paſſione dominante, (denen Ehrgeitzigen in ihren Krahm / denen Wollüſtigen in ihren Krahm / denen Geldgeitzigen wie ſie es gerne hören /) redet / ihnen flattiret und Fuchsſchwäntzet. 55 Polypus piſcis in metu maxime colorem mutat ad ſimilitudinem loci, cui adhæret; ita omnium horarum Vertumni præ metu odii humani induunt ſubinde alios atque alios geſtus, mores, ſermones.

ingenio, dare operam oportet, vt ſic affectent comitatem, ne quod agunt, videatur ſimulatum [56], aut ſubinde ad naturam ſuam recurrant: pro laude geminum dedecus ſibi comparaturi, & quod *interdum rigidius* agant, & quod ſint *inconſtantes*. Tantam enim vim habet *conſtantia*, vt qui vitioſam nacti ſunt naturam, tamen ob hoc ipſum leuius ferantur, quod nusquam ſunt ſui diſſimiles. Fucus [57] autem ſimul atque ſuboluit [58], etiam in benefactis gignit odium; porro *quod ſimulatum eſt, perpetuo latere non poteſt; aliquando erumpat oportet*: quod vbi factum fuerit, ſemel euaneſcit omnis ille magnificus gloriæ fumus, atque etiam in fabulam vertitur [59]. *Ph.* Illud igitur, vt video, mones, a natura *minimum*, ab honeſto *minime* [60] recedendum eſſe. *Sy.* Tenes [61]. Ad hæc, ſcis, *quidquid ſubito inclareſcit, obnoxium eſſe inuidiæ*. Inde vox odioſa νεοπλούτων * apud Græcos, apud Romanos *nouorum hominum* cognomen, apud vtrosque *terræ filiorum*, & *e cœlo delapſorum* [62]. Cæterum fama quæ

56 Nullum ſimulatum diuturnum; fictaque omnia celeriter tanquam floſculi decidunt. Cic. Offic. lib. II. cap. 12. 57 Fraus. 58 detecta, animaduerſa eſt. 59 omnium riſui exponitur, veluti fabula ſpectatoribus riſum mouet. 60 Attendere docet differentiam vocum: *minime* & *minimum*; Aduerbii nimirum atque Adiectiui. 61 Aſſequeris, calles, percipis mentem. * Νεόπλουτος eſt *nuper-diues* factus, qui ſubito diuitias nactus, nusquam non oſtentat illas, prius lentes domi vocans. 62 Olim homines obſcuro loco nati vel e cœlo

quæ *paulatim* naſcitur, & augeſcit, quemadmodum *minimum habet inuidiæ*, ita *maxime durabilis* eſt; vt indicat hoc ille poëtarum acutiſſimus Horatius [63]: *Creſcit occulto, velut arbor, æuo Fama Marcelli.* Proinde ſi veram, ſi perpetuam, ſi liuori quam minimum expoſitam gloriam expetis, auſculta Socrati, qui dixit, *quibusdam uſu venire, vt dum nimium properant initio, ſerius perueniant ad finem* [64]. *Ph.* Sed hominum vita breuis eſt. *Sy.* Ergo ad benefacta properandum, non ad gloriam, quæ ſua ſponte conſequitur. Non enim id conſulis, opinor, quibus rationibus longæuus fieri poſſis. Nam iſtuc Parcarum [65] munus eſt, quæ fila ducunt & amputant, cum ipſis eſt viſum. *Ph.* Vtinam iſtuc quoque poſſis! *Sy.* Nunquam, o Philodoxe, diui tam fuerunt benigni, vt vni darent omnia. Quod annis detrahunt,

---

lapſi dicebantur, vel terræ filii, eo quod terra ſit communis omnium parens. Iuuenalis fraterculum gigantum dixit pro ignobili. Satyr. 4. *Inde fit vt malim fraterculus eſſe gigantum.* Gigantes enim, vt volunt, a *γίνεσθαι naſci* & *γῆ terra.* 63 Horat. Od. 12. lib. 1. ad Auguſtum. 64 Canis feſtinans cæcos parit catulos & præcipitata vrſorum fœcunditas informes partus. Adde quod, vt Plinius monet Epiſt. 26. lib. IX. frequentior currentium, quam reptantium lapſus eſt.

Feſtinauit Haman vt vir celſiſſimus eſſet;
Obtinuit: ſummus cum moreretur erat.

65 *Parcæ* per Antiphraſin, cum minime *parcant*; tres ſunt ſorores perpetuo concordes, quarum *Clotho* colum portat, *Lacheſis* trahit, *Atropos* occat.

hunt, nominis ſplendore penſant. Quibusdam, ſed pauciſſimis, tam indulgenter fauent, vt viui, ſibique quodammodo ſuperſtites, poſteritate ſua fruantur. Sed *rari ſunt quos æquus amauit Iupiter* [66]. *Hoc fortaſſis aliqui diis geniti potuere*; verum iſta felicitas non cadit in hanc conſultationem. *Ph.* Sæpe mecum admirari ſoleo ſeu fortunæ ſeu naturæ inuidentiam, quæ nihil omnino commodi largitur mortalibus quod non aliquo temperet incommodo. *Sy.* Quid igitur ſupereſt, amice, niſi vt homines nati, ſortem humanam æquo feramus animo? Iam & illud haud mediocriter conducit *ad leniendam inuidiam*, ſi penitus cures *habere perſpecta nationum, ordinum, & ſingulorum hominum ingenia*: nimirum ad eorum exemplum, qui beſtiis cicurandis alendisque dant operam. Siquidem horum præcipuum eſt ſtudium, animaduertere quibus rebus quodque animal vel efferetur [67] vel deliniatur. Non iam loquor tantum de diſcrimine quod eſt inter auem & quadrupedem, inter ſerpentem & piſcem, aut quod eſt inter aquilam & vulturem, inter elephantum & equum, inter delphinum & phocam, inter viperam & aſpidem; ſed de innumera varietate, quæ eſt in ſingulis

66 Virgil. Æneid. lib. VI. ita habet:
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis:
Sed reuocare gradum ſuperasque euadere ad arces
Hoc opus hic labor eſt. Pauci quos æquus amauit
Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,
Dis geniti potuere. - - - - -

67 exagitetur, irritetur, concitatius magisq; ferum reddatur.

lis animantium generibus. *Ph.* Exſpecto quo ſis euaſurus [68]. *Sy.* Omnes canes ſub vna ſpecie continentur: ſed hæc ſpecies quam in innumeras formas diſtrahitur? vt dicas illos genere diſtingui, non ſpecie. Iam prorſus in eadem ſpecie quam varii ſunt canum mores, & ingenia? *Ph.* Immenſa varietas. *Sy.* Quod de canibus dictum eſt, de ſingulis animantium generibus dictum puta: ſed in nullo magis elucet diſcrimen, quam in equis. *Ph.* Vera prædicas. Sed quorſum hæc? *Sy.* Quidquid in animantium generibus, vel in formis, vel in ſingulis animantibus varietatis eſt, hoc omne puta eſſe in homine. Illic [69] reperies lupos varios, canes inenarrabili varietate, elephantos, camelos, aſinos, leones, oues, viperas, ſimios, dracones, aquilas, vultures, hirundines, hirudines [70]; & quid non? *Ph.* Quid tum? *Sy.* Nullum autem eſt animal tam efferum, quin arte tractatum aliquam de ſe præbeat vtilitatem, aut certe non lædat. *Ph.* Nondum perſpicio quid agas. *Sy.* Eſt nonnihil diſcriminis inter Hiſpanum, Italum, Germanum, Gallum & Anglum. *Ph.* Eſt plane. *Sy.* Ad hæc, eſt ſingulis in vnoquoque genere peculiare quoddam ingenium. *Ph.* Fateor. *Sy.* Hanc varietatem ſi ſagaciter habueris animaduerſam, & ſingulorum moribus te accom-

68 Ich will doch ſehen / wo du hinaus wilſt. Eſt Germaniſmus falſo ſuſpectus. 69 In genere hominum brutorum & nomine humano indignorum. 70 Hirudo vermis eſt & ſanguiſuga. Horat. de arte Poët. *Plena cruoris hirudo.* Blut-Egel.

commodes, perfacile consequeris, vt aut omnes habeas amicos, aut certe nullos inimicos. *Ph.* Si polypum me fieri iubes, vbi rectum & honestum [71]? *Sy.* Est in rebus communibus aliquod obsequium, quod nullo pacto vitiat honestum; quod genus [72]; apud Italos osculo salutant viri viros: in Germania si facias idem, absurdum videatur, sed pro osculo dextram porrigunt: rursus in Anglia viri salutant mulieres etiam in templo obuias: idem si fiat in Italia, flagitium habeatur; item in Anglia porrigere poculum tuum interuenienti in conuiuio, ciuilitatis est; in Gallia contumeliæ est. In his & aliis huiusmodi, citra recti iacturam licet omnibus obsequundare [73]. *Ph.* At perdifficile sit omnium gentium mores, ac singulorum hominum ingenia nosse. *Sy.* Verum, o Philodoxe, si gloriam insignem quæris, eamque virtute partam, necesse est vt virtutem quoque præstes non vulgarem. Scis autem, virtutem circa difficilia versari, quemadmodum ante Peripateticum illum docuit Hesiodus [74]: proinde *si mel cupis, apes feras oportet* [75]. *Ph.* Scio, & memini: sed mitigandæ inuidiæ rationem quærimus. *Sy.* Proin da operam, vt in *bello dux* esse malis quam *miles:* & in eo bello, quod gerendum cum *inuisis hostibus* potius, quam cum *ciuibus*, aut

71 tuebor, tenebo, defendam. 72 verbi gratia, veluti, sic vt ad exemplum descendamus. 73 se attemperare, accommodare. 74 Ante virtutem sudorem Dii posuerunt, longamque viam & arduam. *Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν.* 75 Ante ferendum est *onus*, quam sequatur *honos.*

aut sociis. In *Republica* ea potissimum *munia* capesse, quæ popularia sunt & *gratiosa*. Velut *defendere* popularius est, quam *accusare*; *honorare*, quam *punire*. Quod si qua incidunt, sicut incidere necesse est, natura molesta, tamen ea quoque, si vitari non possunt, commoditate sunt lenienda. *Ph.* Quo pacto? *Sy.* Sedes *iudex* aut arbiter; altera pars nonnihil offendenda est; sed ea rem æquitate geras, vt, si fieri possit, etiam victus gratias agat. *Ph.* Qui sic? *Sy.* Puta [76]: Intenditur *actio furti* aut sacrilegii: muta, si potes, actionis formulam, & fac vt sit *actio rei vindicandæ*. Heic protinus ita reum sublevas, vt nihil tamen decedat actori. Porro actionem omnem sic moderare, vt citra actoris dispendium reo videaris æquus. Postremo damnati *pœnam* nonnihil *mitiga*. Absit interim aut *vultus toruitas*, aut *verborum acerbitas*, aut *morositas*: quæ res faciunt, vt quidam peiorem ferant gratiam pro *dato beneficio*, quam alii pro *negato*. Interdum *monendus est* amicus: *sed si nulla spes emendationis* [77], *silere præstat*. Si res grauior [78] est,

76 Scilicet, Videlicet, Nimirum. 77 si vehemens causa desperandi de lucri faciendo ipsum subsit. Quam diu autem & quoties spes emendationis adest, tam diu & toties corripiendi sunt peccantes etiam hæretici & excommunicati. Vide D. Hülsemanni Dissert. Practicam de Iure & Moderatione Correptionis Fraternæ §. VIII. num. 107. & 110. 78 Et ista peccata, quæ Casistis dicuntur Venialia, corripienda & reprehendenda sunt a quouis proximo, vbi alius non est, cui ex officio proprio officium illud competat. Hülsem. l. cit. §. IX. n. 116.

est, & spes est profectus, magni refert qualis sit admonitio. Nam sæpenumero fit, vt qui *sinistre* aut *intempestiue*[79] admonet, & morbum exasperet, & ex amico reddat inimicum. Hæc dexteritas magis etiam habet locum, si agas cum *principe*. Nam horum affectibus nonnunquam incidit vt sit resistendum. Quod si fit *comiter* ac *dextre*, paulo post qui obstitere plus ferunt gratiæ quam qui obsecundarunt. *Quod enim cupiditati placet, temporarium est; quod recta ratione geritur, perpetuo probatur*. Longe vero maxima pars inuidiæ nascitur ex *intemperantia linguæ*. Quantum odii nonnunquam vnica vox temere excidens concitat nonnullis[80]! Quam multis dictum, aut iocus intem-

pe-

79 De Tempore & Modo corripiendi agitur §. X. & XI. Correptio debet esse charitate plena & mansueta erga pares, verecunda erga superiores: quandoque differri potest, quandoque dilationem non patitur. 80 Henricus Wottonus Collegii Ætoniensis Præfectus a Iacobo I. Magnæ Britanniæ Rege in equestrem titulum adscitus eiusdemque ter ad Rempubl. Venetam Legatus inscripserat vice quadam, cum per Augustam Vindelicorum iter faceret, familiaris sui Christophori Fleckameri Albo amicorum lepidam hanc Legati definitionem: *Legatus est vir bonus peregre missus* ad mentiendum *Reipubl. causa*; iocosam scil. æquivocationem innuens in Phrasi Anglica, *to lie abroad*, quippe quæ aut *commorari*, aut *mentiri, in locis exteris* indicat, inscripserat. Rex autem grauissime factum hoc tulit, cum Gaspar Scioppius, Romanæ aulæ Parasitus, in scriptis contra Regem Iacobum rei indignitatem multis exaggerasset, & intempestiuam hanc iocandi libertatem pro oscitantia quadam & iudicii defectu in Wottono interpretatus est; donec tandem Regi delinito reconciliatus est. Vid. Acta Erudit. Supplem. Sect. II. p. 84. sq.

pestiuus fuit exitio [81]! *Laudabis* igitur, *sed dignos*; idque *parce*: sed *vituperabis parcius*, si tamen omnino quispiam vituperandus est: *proinde vitanda loquacitas*. *Difficillimum enim sit, simul & multa & oportune dicere*. *Ph.* Assentior istis omnibus. Sed mihi videtur præcipua ad parandam nominis celebritatem via, *scribere libros* [82]. *Sy.* Vera prædicas, nisi quod obstat scribentium turba [83].

Ac,

81 Id quod suo interitu comprobat Ianda a Georgio Podiebrazkio anno 1461. pedibus acerrime conculcatus atque contusus, quod Regi barbam rasurus admota nouacula sciscitatus erat; *Cuius nunc Bohemiæ regnum esset?* memorante Hagecio in Chronicis. Cogitasse debebat Ianda sapientiss. Salomonis monitum Prouerb. XXIII. v. 2. Cum sederis ad comedendum (colloquendum) cum Dominatore, considerando considerabis quod ad facies tuas ille sit; & pones cultrum in fauce tua. Pertinet huc Damocles Dionysii tyranni felicitatem admiratus, quem Tyrannus vt beatitudinem suam illi ostenderet, induit habitu regio & mensæ copiosius paratæ apposuit, super caput eius appenso tenui filo districto gladio; vnde Damocles miseram esse intellexit tyrannicam vitam. Cic. lib. V. Tusc. Quæst. Distichon quidam sequens Damocli acclamat:

Ne sine sis cura; impendet peracuta securis;
Securis nimium seua securis obest.

82 Domitius Piso dicebat *Thesauros* esse scribendos, non *libros*. Voss. Epist. 91. ad Wardum. 83 Iuxta illud Poetæ:

Scribimus indocti doctique volumina passim.

Aut vt Owenus lib. vlt. Epigr. 89. canit:

Scribendi fatuos tenet insanabilis error:
Sat sibi, si, quod non sunt, videantur, habent.
Dum temere sibi quisque placet, mortalia *scribit:*
Raro placent aliis, qui placuere sibi.

Ac, si ista placet ratio, cura vt *exacte* scribas potius, quam *multa*. Cum primis autem *argumentum* [84] delige *neque protritum* [85], *neque cum multis commune*: ad hæc *minime inuidiosum* [86]: in id, quidquid insigne complurium annorum *lectione* [87] contractum est, conferas: tractatione vero tale reddas, vt *voluptatem habeat cum vtilitate coniunctam*. *Ph.* Prudenter tu quidem, Symbule; meoque animo feceris satis, si vnum illud adieceris, quibus rebus effici possit, vt *maturius* etiam contingat gloria. Multos enim video, qui vix sub obitum inclarescunt, nonnullos a rogo, quod aiunt, demum innotescere. *Sy.* Heic quod consulam, nihil habeo melius, quam quod tibicen suasit tibicini. Fac vt *his te ipsum probes*, qui *gloria iam vicerunt inuidiam*, in

---

Sane tam multa hodie ab imperitis, Vossius inquit ad Thomam Farnabium Epist. 431. edi videmus, vt si sic res procedat & lectores suos, vt cœpere, porro inueniant, plane sit metuendum, ne nepotibus nostris vescendum sit glandibus, vti atauorum temporibus fiebat. Sed bene est, quod non desint Triptolemi noui, qui fruges obseruant. 84 Quem sola sermonis elegantia suauitasque commendat, is ætatem ferre liber non potest iudice Mureto Epist. XIII. lib. II. vt Catonis Diana secundum Cinnam:

Secula permaneat nostri Diana Catonis.

85 Etenim hoc vere pulchrum est, si quis primus aliquid doceat, postquam multi adeo *exscriptores* potius, quam *scriptores* esse cœperunt; vt Vossius Epist. 485. ad Gronouium peracute ait. 86 *quod*, vt Martialis lib. VII. Epigr. 7. de carmine famoso loquitur, *atro ne madeat veneno*. 87 Guilielmus Forbesius, Episcopus Edinburgensis scripturienti cuidam & magnos labores ostentanti: *Lege*, inquit, *plura & scribe pauciora*. Rollii Biblioth. Nobil. Theolog. p. 277.

in horum amicitiam temet insinua, quorum honorifica de te prædicatio facile populare studium tibi conciliabit. Ph. At si quando exoriatur inuidia, quid ostendis remedii? *Sy.* Fac quod solent hi qui picem coquunt. Si flamma effulserit infundunt aquam; ac tum magis efferatur ac stridet incendium, ni id facias constanter ac sæpius. *Ph.* Quid istuc ænigmatis est? *Sy. Inuidiam oborientem beneficiis obrue potius, quam vindicta.* Nihil egit Hercules resectis Hydræ Lernęæ capitibus; igni Græco deuicit exitiabile monstrum. *Ph.* Sed quem vocas *ignem Græcum? Sy.* Qui ardet etiam in mediis aquis. Eum *adhibet, qui lacessitus iniuria malorum, non cessat* tamen *de omnibus bene mereri. Ph.* Quid ego audio? beneficentia igitur nunc aqua est, nunc ignis? *Sy.* Quid vetat? quando Christus in allegoriis nunc sol est, nunc ignis, nunc lapis. Dixi sedulo: si quid melius eris nactus, sequitor, meumque repudiato consilium.

OPVLENTIA SORDIDA.

IACOBVS, GILBERTVS.

Ia. VNde nobis tam exuccus, quasi cum cicadis [1] interea rore sis pastus [2]? mihi nihil aliud

---

1 Cicadas rore pasci Plinius testatur lib. II. c. 36. & Virgil. in Ecloga V.

Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ.

2 vixeris. Als wenn du vom Winde / von der Lufft hättest leben müssen.

aliud quam syphar * hominis esse videris. *Gi.* Apud inferos vmbræ malua & porro saturantur: at ego decem vixi menses, vbi ne id quidem contigit. *Ia.* Vbinam? te quæso; num abreptus in nauem galeatam [3]? *Gi.* Nequaquam; sed Synodii [4]. *Ia.* In vrbe tam opulenta, bulimia [5] periclitatus es? *Gi.* Maxime. *Ia.* Quid in causa? An deerat pecunia? *Gi.* Nec pecunia, nec amici. *Ia.* Quid igitur erat mali? *Gi.* Mihi res erat cum hospite Antronio *. *Ia.* Cum illo opulento? *Gi.* Sed sordidissimo [6]. *Ia.* Monstri simile [7] narras. *Gi.* Minime; sed sic fiunt diuites qui e summa emergunt inopia. *Ia.* Quid ita libuit tot menses apud talem hospitem commorari? *Gi.* Erat quod alligaret [8]: & sic tunc erat animus. *Ia.* Sed dic, obsecro, quo tandem viuit ille apparatu? *Gi.* Dicam, quandoquidem actorum laborum solet esse iucunda commemoratio [9]. *Ia.* Mihi certe futura est. *Gi.* Illud οὐρανόθεν * accessit incom-

* Serpentis exuuium ita appellatur, mire leue & siccum. German. dicit: wie eine Hülse. 3 nauem longam, seu triremem. Eine Galére/Galee. 4 Vox ficta, forte designat vrbem Augustam Vindelicorum, vbi Carolus V. multas *Synodos*, multos conuentus, congressus, haberi iussit. 5 fames bouina, id est, ingens, edacitas præter naturam, insatiabilis. * Non homine sed asino. Vide Chiliades. 6 tenacissimo, maxime auaro. 7 Rem prodigiosam. 8 detineret, desigere. 9 Quod fuit durum pati meminisse dulce est. Iucunda malorum præteritorum memoria. Et versus ex Græco versi sunt:

Magnopere est iucunda viro renouata dolorum
Mentio, qui permulta tulit, permultaque gessit.

* Id est, cœlitus.

commodi, cum illic agerem; totos tres menses spirabat Boreas[10], nisi quod illic, nescio quo pacto, nunquam[11] perseuerat vltra diem octauum. *Ia.* Quomodo igitur spirabat totos tres menses? *Gi.* Sub eum diem velut ex constituto[12] mutabat stationem[13], sed post horas octo migrabat in locum priorem. *Ia.* Ibi tenui corpusculo opus erat foco luculento[14]. *Gi.* Satis erat ignis, si suppetisset lignorum copia. Verum ne quid heic faceret impendii noster Antronius, ex rusculis[15] insularibus euellebat arborum radices ab aliis neglectas[16], idque fere noctu. Ex his nondum bene siccis struebatur ignis non absque fumo, sed sine flamma: non qui calefaceret; sed qui præstaret, ne vere dici posset ibi nullum esse ignem. Vnicus autem ignis durabat totum diem; adeo temperatum[17] erat incendium. *Ia.* Illic hibernare durum erat. *Gi.* Imo multo durius æstiuare. *Ia.* Qui sic? *Gi.* Quoniam ea domus tantum habebat pulicum ac cimicum[18], vt nec interdiu quietum esse, nec

10 Aquilo. **Der Nord-Wind/rauhe Nord-Lufft/Lufft aus Mitternacht.** Nisi quod illic nunquam, **da er doch sonst** pro: cum tamen aliàs, (communiter, vsitate, suete,) nunquam. 12 **Als wenn es gemacht Ding wäre / gleich als wenn es so seyn müste / als wenn es bestellt wäre /** quasi ex consilio, de industria. 13 locum statum, assignatum. 14 igne calefaciente, hypocausto. 15 *Rusculum* Diminutiuum est ex Primitiuo: *rus*, vt sit *paruum rus*. *Insulare* autem dicitur, quod ad insulam pertinet. 16 spretas, contemptim, susque deque habitas. 17 nimio humore scil. 18 Cimex, icis. **Wantze/Wandlauss/** animalculum mordax & fœtidum, quod magnam corporibus cum pulicibus, culicibus, muscis & pediculis creat molestiam. **Arcetur munditie**, vnde prodest verrere sæpius

nec noctu somnum capere liceret. *Ia.* Diuitias miseras [19]! *Gi.* Præsertim in hoc pecoris genere [20]. *Ia.* Oportet illic ignauas esse fœminas. *Gi.* Latitant, nec inter viros versantur. Ita fit vt illic & fœminæ nihil aliud sint quam fœminæ [21], & viris desint ea ministeria, quæ solent ab eo sexu suppeditari. *Ia.* Sed Antronium interim non pigebat tractationis [22]? *Gi.* Illi in huiusmodi sordibus educato præter lucrum nihil erat dulce [23]. Vbiuis potius habitabat quam domi, nulla in re non negotiabatur. Scis autem eam vrbem [24] esse præ cæteris Mercurialem *. Pictor ** il-

cubile, & perfundere aqua aut aceto absynthio & ruta mixtis. 19 Cimex inprimis infestare solet *lectos* pauperum: vnde Catullus cum dicere vellet, Furium Isaurensem ne *lectulum* quidem habere, per Metalepsin consequentis pro antecedente, festiue negat, *vllum ei esse cimicem*. Quod enim, qui egent non habeant cimices, inde est, quod nihil habeant, in quo cimices nascantur. Sed habent pauperes, quia in exigua re familiari necessariis magis vacare debent, quam munditiei. Ex immunditie vero & sordibus cimices oriuntur. Proinde si diues non sis, melius sit cimices habere, quam carere iis. Nascuntur in abiegnis potissimum cubilibus, maximeque vbi palea inueterauit; quæ si intra telam coacta consutaque fuerit non nascuntur. Odore cupressi fugari persuasum est: *Hæc ex Vossio atque Scaligero.* 20 Apud veteres enim magna diuitiarum pars posita erat in pecude; vnde pecunia: & pecuniosi itemque locupletes quasi locorum & pecorum pleni. Apud Athenienses nummi figura boum signati fuerunt. Plinius lib. 18. c. 3. & lib. 33. c. 3. 21 non coniuges aut vxores & laborum sociæ. 22 hospitationis, cauponariæ. 23 gratum, acceptum. 24 Augustam Vindelicorum. * Vbi mercatorum magna & plurima negotia tractantur. ** Apelles Cous, cuius dictum; *Nulla dies sine linea*

le nobilis deplorandum existimauit, si dies abiisset sine linea; Antonius longe magis deplorabat, si dies præteriisset absque lucro. Quod si quando euenisset, domi quærebat Mercurium. *Ia.* Quid faciebat? *Gi.* Habebat in ædibus cisternam ex eius ciuitatis more: illic hauriebat aliquot aquæ situlas, & infundebat in vasa vinaria. Heic erat certum lucrum. *Ia.* Fortasse vinum erat æquo vehementius. *Gi.* Imo plus erat quam vappa; nunquam enim emebat vinum nisi corruptum, quo minoris emeret. Ex eo ne quid periret, subinde fæces annorum decem miscebat; voluens ac reuoluens omnia, quo mustum videretur: neque enim ille passus fuisset vllam fæcis micam perire. *Ia.* At si qua fides medicis, tale vinum gignit vesicæ calculos. *Gi.* Non errant medici: nam in ea domo nullus erat annus tam felix, quin vnus atque alter calculo periret; nec horrebat ille funestam domum. *Ia.* Non? *Gi.* Etiam a mortuis colligebat vectigal [25]. Nec aspernabatur quamuis exiguum lucellum. *Ia.* Dicis furtum. *Gi.* Lucrum vocant negotiatores. *Ia.* Quid interea bibebat Antronius? *Gi.* Idem ferme nectar. *Ia.* Non sensit malum? *Gi.* Du-

rus

vulgo versiculo hoc exprimitur:

Nulla dies abeat, quin linea ducta supersit.

25 *A mortuo tributum exigere* dicebantur, qui turpiter vndecunque lucrum aucupantur e rebus minutis ac sordidis, velut a lenocinio, quæstuque corporis, aut e latrinis & cloacis, iuxta illud Vespasiani: *Lucri odor bonus ex re qualibet*; qtique a quibuslibet extorquent, ab amicis, a tenuibus, a mendicis postremo vel a mortuis.

rus erat, qui vel fœnum esse [26] posset: & talibus, vt dixi, deliciis fuerat a teneris [27] educatus. Hoc lucro nihil existimabat certius. *Ia.* Quid ita? *Gi.* Si supputes vxorem, filios, filiam, generum, operas [28], & famulas, alebat domi fere corpora triginta tria. Iam quo vinum erat dilutius, hoc & parcius bibebatur, & serius exhauriebatur. Heic mihi subducito [29], in singulos dies addita [30] aquæ situla quam non pœnitendam [31] summam [32] conficiat in annum. *Ia.* O sordes [33]! *Gi.* Atqui non minus compendii redibat ex pane. *Ia.* Quo pacto? *Gi.* Emebat triticum vitiatum, quod alius noluisset emere. Heic præsens statim lucrum, quia minoris emebat. Cæterum vitio medicabatur [34] arte. *Ia.* Qua tandem? *Gi.* Est argillæ [35] genus frumento non dissimile, quo videmus & equos delectari, dum & parietes arrodunt, & ex lacunis ea argilla turbidis bibunt libentius. Eius terræ tertiam partem admiscebat. *Ia.* Est istuc medicari? *Gi.* Certe tritici vitium minus sentiebatur; an hoc quoque lucrum putas aspernandum? Adde iam aliud stratagema [36]:

Do-

26 edere, vorare, depascere. 27 A teneris assuescere multum est. Virgil. Georgic. lib. II. 28 *Operæ* pro *operariis* per Metonym. Effecti. 29 fc. calculum, computum. 30 affusa, admixta. 31 ingentem, largum, non exiguam. 32 nummorum sortem. 33 O sorditiem, tenacitatem sordidam, pudendam auaritiam! 34 medebatur, medelam adhibebat. 35 terræ figularis. Töpffer-Erde / Thon. 36 *Stratagema* callidum & tempestiuum factum, proprie illud quo Dux exercitus hostem circumuenit. Hic pro artificio & solerti consilio.

Domi panem subigebat [37]; nec id crebrius, etiam æstate, quam bis in mense. *Ia.* Istuc est lapides apponere, non panes. *Gi.* Aut si quid lapide durius. Sed huic quoque malo erat paratum remedium. *Ia.* Quodnam? *Gi.* Fragmenta panis immersa cyathis vino macerabant. *Ia.* *Similes habebant labra lactucas* [38]. Sed ferebant talem tractationem operæ [39]? *Gi.* Primum narrabo primatum [40] eius familiæ apparatum, quo facilius diuines, quomodo tractentur operæ [41]. *Ia.* Audire cupio. *Gi.* De ientando [42] nulla erat illic mentio, prandium fere differebatur in horam a meridie primam. *Ia.* Quam ob rem? *Gi.* Exspectabatur Antronius pater familias. Cœnabatur interdum ad horam decimam. *Ia.* At tu solebas esse inediæ impatientior [43]. *Gi.* Eoque subinde clamabam ad Antronii generum Orthrogonum, (agebamus enim in eodem conclaui) Heus Orthrogone, non cœnatur hodie apud Synodos? Commode respondit, *breui* [44] adfuturum Antronium. Cum nihil viderem apparati, & latraret stomachus, *Heus*, inquam,

37 sc. manibus. Knethen / Einteigen / zu Teige machen. 38 Prouerbio dicitur, vbi similia similibus, digna dignis eueniunt. Ochsen gehört Heu; zu einem Wölfernen Brathen gehöre sich eine scharffe Salse. Asinus pascitur carduos pro lactuca. Quemadmodum vero carduus spinosus est; ita & asini labris nihil durius, vt illis non alia lactuca magis apta videatur. 39 operarii, domestici. 40 Primorum, optimatum, Principum. 41 serui & ancillæ. 42 ientaculo, cibo matutino. 43 bene ferre inediam, famem nequiuisti. 44 Latet æquiuocatio in voce: *breui*, quæ vel respicit subintellectam *cœnam*, vel *tempus*, quo erat apparanda.

quam, *Orthrogone, erit hodie pereundum fame?* Excusabat horam, aut aliud simile. Cum non ferrem stomachi latratum, rursus interpellabam occupatum [45]: *Quid futurum est?* inquam: *eritne moriendum fame?* Vbi iam Orthrogonus consumsisset omnem tergiuersationem [46], abiit ad famulos, iussitque adornari mensam. Tandem cum nec rediret Antronius, nec quidquam appararetur, Orthrogonus victus conuiciis [47] meis descendebat ad vxorem, & socrum, ac liberos, clamitans vt appararent cœnam. *Ia.* Nunc saltem exspecto cœnam. *Gi.* *Ne propera.* Prodibat tandem famulus claudus, ei præfectus negotio, non admodum dissimilis Vulcano; insternit mensam linteo. Ea *prima* cœnæ *spes.* Tandem post longam vociferationem afferuntur phialæ [48] vitreæ, cum aqua sane limpida. *Ia.* *Altera* cœnæ *spes.* *Gi.* *Ne propera,* inquam. Rursum post atroces clamores adfertur phiala illius nectaris fæculenti plena. *Ia.* O factum bene! *Gi.* Sed sine pane. Nihil adhuc periculi; nemo famelicus [49] bibit lubens tale vinum. Clamatum est iterum *vsque ad rauim* Tum demum apponitur panis ille, quem vix vrsus dentibus frangeret. *Ia.* Certe iam vitæ consultum est [50]. *Gi.* Sub multam noctem tandem venit Antronius; hoc

45 negotiosum. 46 subterfugium omne, omnem cunctationem, cessationem. 47 motus dicteriis, permotus vociferationibus. 48 Poculum capax & repandum *Phiala* dicitur. 49 ieiuno stomacho. 50 Iam curauit, ne perieris. Wenn man Wasser und Brodt hat / so erhungert man nicht.

hoc fere prooemio inauſpicatiſſimo, vt diceret, ſibi dolere ſtomachum. *Ia.* Quid heic mali auſpicii? *Gi.* Quia tunc nihil erat quod ederetur: quid enim exſpectes hoſpite male affecto [51]? *Ia.* Dolebat re vera? *Gi.* Adeo, vt ſolus deuoraturus fuerit tres capos, ſi quis dediſſet gratis. *Ia.* Exſpecto conuiuium [52]. *Gi.* Primum ipſi apponebatur patina cum farina fabacea [53], quod obſonii genus illic vulgo venditur tenuibus [54]. Aiebat ſe hoc vti remedio aduerſus omne morbi genus. *Ia.* Quot eratis conuiuæ? *Gi.* Interdum octo aut nouem, inter quos erat Verpius ille doctus, quem arbitror tibi non ignotum, & filius familias natu maior. *Ia.* Quid illis apponebatur? *Gi.* An non ſatis eſt frugi [55] hominibus quod Melchiſedec obtulit Abrahæ quinque regum victori [56]? *Ia.* Nihil igitur obſonii? *Gi.* Erat non nihil. *Ia.* Quodnam? *Gi.* Memini nos fuiſſe in menſa conuiuas numero nouem, cum in patina non numerarem niſi ſeptem foliola lactucæ aceto innatantia, ſed absque oleo. *Ia.* Solus igitur ille deuorabat ſuas fabas? *Gi.* Vix ſemiobolo emerat: nec tamen vetabat ſi quis proxime aſſidens vellet guſtare; ſed inciuile videbatur, languido ſuum eripere cibum. *Ia.* Secabantur folia, quemadmodum de cumino [57] meminit prouer-

51 male ſe habente, male ſano. 52 Nun wird die Kirchmeß angegangen seyn! nun werd' ich von einer trefflichen Mahlzeit hören! 53 ex fabis. Bohnen-Mehl. 54 pauperibus. 55 *Homo frugi* dicitur, qui eſt ſobrius & vtilis. 56 Hiſtoriam Melchiſedeci offerentis Abrahæ panem & vinum lege Geneſ. XIV. 57 Qui ob parſimoniam nimiam male

uerbium? *Gi.* Non; sed lactucis a primoribus absumtis, reliqui panem immergebant [58] aceto. *Ia.* Quid autem post septem folia [59]? *Gi.* Quid, nisi caseus [60] conuiuiorum clausula? *Ia.* Hiccine erat apparatus perpetuus? *Gi.* Propemodum; nisi quod interdum, si eo die Mercurium fuisset expertus propitium, erat paulo profusior. *Ia.* Quid tum? *Gi.* Iubebat emi tres vuas recentes vno æreo nummulo. Ea res exhilarabat totam familiam. *Ia.* Quid ni? *Gi.* Id eo duntaxat tempore, quo summa est vuarum ibi vilitas. *Ia.* Proin extra autumnum nihil profundebat? *Gi.* Profundebat. Sunt illic nauiculatores [61], qui concharum minutum genus hauriunt, potissimum e latrinis: hi clamore certo significant quid habeant venale: ab his interdum iubebat emi dimidio nummuli, quem illi bagathinum [62] appellant. Tum vero dixisses, in ea familia esse nuptias [63]: nam igni erat opus, licet celerrime percoquantur. Atque hæc quidem post caseum, loco bella-

audit, olim dicebatur *κυμινοπρίστης Cuminisector*, quasi qui cuminum exiguum semen vellet diuidere; aut κυμινοπριστοκαρδαμογλύφος ex: κάρδαμον & γλύφομαι scalpo. Ein Schabe-Halß / karger Filtz. 58 imbuebant, humectabant. 59 scil. appositum est, comestum est? 60 Isr. Clauderus Cent. IV. Epigr. 24. ita de Caseo:

Caseus est nequam, vel vulgo iudice: monstrum hoc
qui sapit ille fugit; qui fugit ille sapit.

Prostat Petri Lotichii de *Casei nequitia* Tractatus Medico-Philolog. Ff. 1643. excusus. 61 nautæ, nauitæ, nauicularii. 62 Vox barbara *Bagathinum* nummulum forte notat minutissimum & nullius pretii, a Gall. *bagatelles*. Bettel-Pfennig / halber Heller. 63 conuiuium nuptiale.

lariorum. *Ia.* Bella[64] mehercule bellaria! Sed nihil vnquam apponebatur carnium aut piſcium? *Gi.* Tandem victus meis clamoribus, cœpit eſſe ſplendidior[65]. Quoties autem videri volebat Lucullus, hi ferme erant miſſus[66]. *Ia.* Iſtuc vero lubens audiero[67]. *Gi.* Primo loco dabatur iuſculum[68], quod illi, neſcio quam ob cauſam, appellant *miniſtram.* *Ia.* Lautum opinor. *Gi.* His conditum[69] aromatibus: Admouetur igni cacabus[70] aquæ plenus; in eam coniiciuntur aliquot fragmenta caſei bubalini, qui iam olim in ſaxum induruit[71], nam ad defringendum aliquid bona[72] ſecuri opus eſt. Cum ea fragmenta tepore aquæ ſolui cœperint, inficiunt eam ne poſſit mera dici aqua; hoc iuſculo præparant ſtomachum. *Ia.* Suibus dignum. *Gi.* Dein apponitur paululum carnium de ventre veteris vaccæ, ſed elixum ante dies quindecim. *Ia.* Fœtet igitur. *Gi.* Maxime; ſed adhibetur remedium. *Ia.* Quodnam? *Gi.* Dicam, ſed vereor ne imitaturo[73]. *Ia.* Scilicet[74]. *Gi.* Miſcent ouum aquæ calefactæ[75]; eo

64 Electa, egregia, pulchra; per figuram quam Parecheſin vocant. 65 lautior, illuſtrior. 66 Die Trachten / fercula. Die Gänge / ſo viel auf einmahl aufgeſetzet wird. 67 audiam. Fut. Coniunct. pro Fut. Indicat. per Enallagen Modorum. Ich möchte es gerne hören. 68 paruum ius. Ein Süpchen / wenig Suppe. 69 conſperſum, admixtum. Gewürtze. 70 Vas æneum vel ferreum. Eiſerner oder Kupfferner Keſſel. penult. breui. 71 euaſit, durus redditus eſt; ab induresco. Ich werde hart. 72 acuta. 73 ſc. dicam, id eſt, ne imiteris. 74 Grade! hat ſich wohl! keines weges! Poſſen! 75 cum aqua, aquæ admiſcent ouum.

eo iure [76] perfundunt carnem; ita magis falluntur oculi quam nares: nam fœtor erumpit per omnia. Si dies requirit [77] esum piscium, interdum apponuntur auratæ [78] tres, nec hæ magnæ, cum conuiuæ sint septem aut octo. *Ia.* Præterea nihil? *Gi.* Nihil nisi caseus ille saxeus [79]. *Ia.* Nouum mihi narras Lucullum [80]. Sed qui potuit tam exilis apparatus tot sufficere [81] conuiuis, præsertim nullo refectis [82] ientaculo? *Gi.* Imo ne sis insciens [83], ex eius conuiuii reliquiis alebantur socrus, nurus, filius natu minor, famula, & aliquot paruuli. *Ia.* Tu quidem admirationem meam auxisti, non ademisti. *Gi.* Istuc tibi vix possum describere, nisi prius ordinem conuiuii depinxero. *Ia.* Pinge igitur. *Gi.* Antronius obtinebat primum locum, nisi quod ego illi sedebam dexter [84], velut extraordinarius: e regione Antronii [85] Orthrogonus: Orthrogono assidebat Verpius: Verpio strategus [86] natione Græcus: Antronio sinister [87] assidebat filius natu maior. Si quis ac-

76 iusculo. Ius patinæ & morum sunt nomina iure sub vno. Brühe/Suppe. 77 exigit, postulat, vt pisces comedantur; dies nempe Veneris. 78 pisces aurei coloris. Gold-Foren / Forellen. Martial. lib. 13. Epigr. 90.

Non omnis laudem pretiumque aurata meretur.

79 instar saxi durus, induratus. 80 conuiuatorem. 81 satisfacere. 82 cibatis, instructis, roboratis; cum nullo refecti, cibati essent. 83 ne quid te lateat. 84 ad dextram, ad latus dextrum. 85 sedebat, positus erat. 86 Στρατηγός Dux exercitus, Præfectus. 87 Antonii sinistrum latus claudebat.

accessisset conuiua, ei locus dabatur pro dignitate. Primum de iure[88] minimum erat vel periculi vel discriminis[89], nisi quod in procerum[90] discis natabant fragmenta bubalini casei. Cæterum ex phialis vini aquæque ferme quatuor, vallum[91] quoddam fiebat, vt nemo posset attingere quod erat appositum, præter tres, ante quos stabat patina, nisi quis sustinuisset[92] esse impudentissimus, & transilire septa[93]. Nec tamen ea patina diu manebat, sed mox tollebatur, vt aliquid superesset[94] familiæ. *Ia.* Quid igitur edebant reliqui? *Gi.* Suo more deliciabantur. *Ia.* Qui[95]? *Gi.* Panem illum argillaceum macerabant[96] vino fæcis vetustissimæ. *Ia.* Tale conuiuium oportuit esse perbreue. *Gi.* Frequenter hora prolixius[97]. *Ia.* Qui potuit? *Gi.* Sublatis, vt dixi mox, quæ non carebant periculo[98], ponebatur caseus, vnde nullum erat periculum ne quisquam vllo cultello escario quidquam abraderet. Manebat illa præclara fæx, & suus cuique panis. Atque inter hæc bellaria tuto[99] miscebantur fabulæ. Interim prandebat fœminarum senatus[100].

Ia.

88 Quod iusculum istud ex aqua & caseo bubalino primum attinebat. 89 differentiæ. 90 nobiliorum, præcipuorum. 91 septum. 92 ausus fuisset, voluisset; non veritus, verecundatus fuisset, non dubitasset. 93 vallum. 94 redderetur, relinqueretur, remaneret. 95 quo pacto, quomodo, qua ratione. 96 humectabant, superinfundebant. 97 horæ spatium excessit, superauit, durauit vltra horam. 98 ne comederentur. 99 sine damni periculo, indemnes. 100 gynecæum; conuentus, concilium, consessus fœminarum.

Ia. Quid interim operæ [101]? *Gi.* Nihil habebant nobiscum commune; ſuis horis ſibi prandebant ac cœnabant. Sed hi [102] cibo capiendo vix ſemihoram impendebant toto die. *Ia.* Verum apparatus cuiusmodi? *Gi.* Iſtuc tuum eſt diuinare [103]. *Ia.* At Germanis vix ſufficit [104] hora in ientaculum, tantundem [105] in merendam [106], ſesquihora [107] in prandium, duæ horæ in cœnam: ac niſi affatim [108] expleantur eleganti [109] vino, bonis carnibus ac piſcibus, deſerunt patronum [110], & fugiunt in bellum. *Gi.* *Suus cuique genti mos eſt.* Itali minimum impendunt gulæ [111]; pe-

101 operarii, famuli. 102 Operarii ſcilic. operæ, ſerui & ancillæ, die Arbeiter/das Geſinde. Terminatione Fœmininum eſt & Plurale tantum; ſignificatione Maſculinum. Non enim quæuis Nomina, quæ pro diuerſo ſexu modo de maſculis modo de muliebribus officiis muniisque capi poſſunt, communia habentur. Eſt autem Syntheſis Generis cum ſignificatio potius, quam terminatio attenditur, ſeu cum conſtructio ad intellectum & ſenſum, non ad vocem refertur; vt: *Scelus*, qui me perdidit, pro: *Sceleſtus*. Sic: *operæ hi* pro: *mercenarii*, *operarii hi*. 103 conjectare, coniectando aſſequi. 104 ſatis eſt. 105 hora. 106 cibum pomeridianum, qui iis datur, qui *merent* ære, dictus a *merens* & *merendo*, vt *legenda*, *præbenda* a *legens*, *præbens* & *legendo*, *præbendo*. vid. Becmanni Origin. Lat. Ling. p. 564. 107 ſemis & tota, ſemis æqua hora; anderthalb Stunden/vt: ſesquilibra, ſesquiopera, ſesquicyathus, anderthalb Pfund/anderthalb Tagewerck/anderthalb Becher. 108 abunde, quaſi *adfatim* a fatum, vt *ſtatim* a ſtatum. *Affătim* media correpta, vt tradit Gellius Noct. Attic. lib. VII, c. 7. 109 generoſiore, eximio, nobiliore. 110 Herum dominumque. 111 luxui, deliciis, voluptati, cupediis, dapibus.

pecuniam malunt quam voluptatem; & sobrii sunt natura quoque, non solum instituto[112]. *Ia.* Nunc profecto non miror, te nobis rediisse tam exilem[113]; sed omnino viuum rediisse demiror[114], præsertim cum antea capis[115], perdicibus, turturibus & phasianis[116] assueuisses. *Gi.* Plane perieram, nisi repertum fuisset remedium. *Ia. Male res agitur, vbi tot remediis est opus.* *Gi.* Effeceram vt mihi iam languescenti in singula conuiuia daretur quarta pars pulli elixi[117]. *Ia.* Nunc incipies viuere[118]. *Gi.* Non admodum. Emebatur pullus exiguus, ne multum impenderetur, cuiusmodi sex non sufficerent vni[119] boni[120] stomachi Polono in ientaculum[121]. Nec emto[122] dabant cibum, ne quid esset impendii: itaque macie enecti[123] ac semiuiui coquebatur ala aut poples; iecur dabatur Orthrogoni filio infanti. Ius[124] autem semel atque iterum ebibebant mulieres, subinde noua infusa aqua. Itaque poples ad me veniebat pumice siccior[125], & quouis putri ligno insipidior. Ius nihil erat nisi mera aqua. *Ia.* Et tamen audio, illic anium genus & copiosissimum esse, & elegans, & vi-

112 consilio, studio, industria, proposito, proæresi. 113 gracilem, macilentum. 114 valde, maximeque miror. 115 caponibus, gallis castratis. 116 Phasidis auibus. 117 cocti aqua. 118 valere, victitare. 119 atque vnico. 120 calidioris, feruidioris. 121 Germ. Sechse wären einem Pohlnischen heißhungerigen Magen nur wie ein guter Morgen / nur ein Früh-Stücke gewesen. 122 scilic. pullo. 123 confecti pulli. 124 iusculum. 125 Hinc Prouerbium: Aquam postulare a pumice, elicere velle ex pumice, id est, ab eo aliquid exigere, qui eius maxime, quod exigis, ipsemet indignus est.

uile [126]. *Gi.* Eſt prorſus; ſed illis carior [127] eſt pecunia. *Ia.* Satis dediſti pœnarum [128], etiamſi Romanum pontificem occidiſſes, aut ſi minxiſſes [129] ad ſepulchrum diui Petri. *Gi.* Sed audi reliquum fabulæ. Scis eſſe in quaque [130] hebdomada [131] quinque dies, quibus veſcimur carnibus. *Ia.* Nimium [132]. *Gi.* Duos itaque pullos duntaxat emebant. Die Iouis ſe fingebant oblitas emere, ne vel totum pullum eo die apponerent, vel aliquid ſupereſſet. *Ia.* Næ iſte Antronius ſuperat etiam Euclionem Plautinum [133]. Sed piſcariis diebus quo remedio conſulebas vitæ? *Gi.* Amico cuidam dederam negotium, vt mihi meo ære in ſingulos dies emeret oua tria, duo in prandium, vnum in cœnam. Sed heic quoque fœminæ pro recentibus care emtis ſupponebant ſemiputria; vt mecum præclare crederem actum [134], ſi ex tribus vnum eſſet quod edi poſſet. Tandem & vtrem [135] vini purioris mea pecunia emeram: cæterum mulieres effracta ſera [136] intra paucos dies exorbuerunt [137], non

126 vili pretio, leui, facili, minimeque caro, graui. 127 iuſto, æquo, quam debebat, quam fas erat. 128 mulctatus es, affectus es ſatis. 129 lotium miſiſſes; Sepulchrorum olim ſumma fuit reuerentia, ſumma religio. 130 quauis, quacunque. 131 ſeptimana. 132 ſcil. ſcio. 133 ſenem auariſſimum, ſordidiſſimumque. 134 **Es dauchte mich trefflich gut seyn / es war wohl umb mich bestellt / ich war wohl dran,** 135 ſaccum coriaceum, in quo olim vinum, oleum, aliaque liquida aſſeruabant. **Ein Schlauch / Eymer.** 136 clauſtro effracto; Hinc verſiculus:

Serra ſecat lignum; ſera continet oſtia clauſa.

137 exſorbuerunt, hauſerunt, ebiberunt.

non admodum irato Antronio. *Ia.* Itane nullus erat illic, quem tui miseresceret? *Gi.* Miseresceret [138]? imo videbar illis gluto [139] quispiam, & helluo [140], qui tantum ciborum vnus [141] deuorarem. Itaque subinde me admonebat Orthrogonus, haberem eius regionis rationem, meæque consulerem incolumitati [142]: & aliquot nostrates [143] commemorabat, quibus illic edacitas conciliasset aut mortem, aut morbum grauissimum. Cum is me videret deliciis quibusdam, quas illic ex nucleis pineis [144], aut peponum, melonumque [145], venditant pharmacopolæ, fulcire corpusculum, & assiduis laboribus, & inedia, & iam etiam morbo, fractum; subornat [146] medicum mihi amicum & familiarem, vt persuadeat victus moderationem. Egit hoc [147] mecum diligenter. Moxque sensi subornatum, nec respondi tamen. Cum idem ac-

138 Respondet per Anadiplosin verbi *miserescit*, ad indicandam fortiorem negationem, **Ich dachte erbarmet / hat sich wohl erbarmt! da ist an kein Erbarmniß zu gedencken.** 139 s. Glutto; apud Persium: *Nec gluto sorbere saliuam*; Glut est imitatio soni, quem edit liquor per angustum tramitem means. **Ein Vielfraß / Schlemmer /** qui auide gluttit. 140 qs. *Holuo*, secundum Meursium; aut ab ἕλλην Græcus, quasi qui *pergræcatur*; quod valde placet Becmanno in Originibus. **Ein Schwelger / Durchbringer /** qui immoderate bona sua consumit, decoquit; & auide vorat. 141 solus. 142 sanitati. 143 e nostra gente, patria nostra. 144 **Kiefer-Nüßlein / Hartz-Nüßchen / Pinjen.** 145 sc. nucleis. **Melonen-Kerne**; sunt hæc inter refrigerantia, quæ nutriunt maxime & tabidis ac macilentis conducunt, quod docent Medici. 146 instigat, stimulat. 147 hac de re, hoc negotium.

accuratius mecum ageret, nec admonendi faceret finem; *Dic*, inquam, *mihi, vir egregie, serio isthæc loqueris, an ioco?* *Serio*, inquit. *Quid igitur suades vt faciam?* *A cœnis in totum abstine*[148], *& vino adde, vt minimum*[149], *aquæ dimidium.* Risi præclarum consilium. *Si me cupis extinctum; huic corpusculo & raro & exili*[150], *& spiritibus subtilissimis*[151], *vel semel a cœna abstinere mors esset: id toties ipsa re compertum habeo, vt non libeat iterum experiri. Quid autem futurum censes, si sic pransus a cœna temperem? Et tali vino iubes addi aquam? quasi non præstaret puram aquam bibere, quam fæculentam. Nec dubito, quin hæc te loqui iusserit Orthrogonus.* Subrisit medicus, ac mitigauit consilium. *Non hæc loquor*, inquit, *Gilberte doctissime, quod in totum arceam te a cœnis; licebit gustare ouum, & semel bibere: sic enim ipse viuo. In cœnam coquitur ouum: inde capio vitelli*[152] *dimidium, reliquum do filio; mox hausto semicyatho*[153] *vini, studeo in multam noctem*[154]. *Ia.* Num isthæc vera prædicabat medicus? *Gi.* Verissima. Nam ipse forte per viam ambulans, redibam a sacro, & comes admonuerat illic habitare medicum; libuit videre regnum illius. Erat autem dies dominicus. Pulsaui fores: aper-

te

148 sc. porro inquit, pergit. 149 ad minimum, saltem, si non plus. Zum allerwenigsten / wo nicht mehr doch gewiß. 150 tenui & gracili, inualido & debili. 151 prostratis, labefactis, infirmatis. 152 Dotter / das Gelbe im Ey. 153 ein halber Becher / dimidio cyatho, dimidio cyathi. 154 Si-

tæ ſunt; aſcendi; offendo medicum cum filio, & eodem famulo prandentem. Apparatus erat duo oua, præterea nihil. *Ia.* Oportuit eſſe exſangues [155] homines. *Gi.* Imo ambo erant pulchre habito [156] corpore, colore viuido acrubido, oculis lætis. *Ia.* Vix credibile eſt. *Gi.* At ego compertiſſima [157] narro. Nec ille ſolus ad iſtum viuit modum, ſed complures alii, & imaginibus clari [158] & re lauta. Polyphagia * & polypoſia, crede mihi, conſuetudinis res eſt, non naturæ. Si quis paulatim aſſueſcat, tandem eo proficiet [159], vt idem faciat quod Milo [160], qui bouem eodem die totum abſumſit. *Ia.* Deum immortalem, ſi tam paruo victu licet tueri [161] valetudinem, quantum impendiorum [162] perit Germanis, Anglis, Danis, & Polonis? *Gi.* Plurimum haud dubie, & quidem non ſine graui tum valetudinis tum ingenii detrimento. *Ia.* Sed quid obſtabat, quo minus tibi ſufficeret ille victus? *Gi.* Quia diuerſis aſſueueram, & ſerum iam erat mutare conſuetudinem: quanquam me non tam offendebat [163] ciborum exiguitas [164], quam corruptio.

mile quid relatum accepimus de Auicenna, aut potius Abo-Ali, ſolitum fuiſſe poſt ſumptum vini cyathum inſtauratis viribus continuare in noctem concubiam ſua ſtudia. 155 pallentes, macilentosque. 156 valido, conſtituto. 157 Certiſſima, veriſſima. 158 nobiles, nobili proſapia. Sen. Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus. * Edacitas, & vorandi quædam cupiditas. *Polypoſia*, bibacitas. 159 progredietur, delabetur, ruet. 160 Crotoniates, validiſſimus ille. 161 conſeruare, retinere. 162 ſumptuum, impenſarum. 163 pungebat. 164 paucitas, exilitas.

ptio. Duo oua poterant ſufficere, ſi fuiſſent recens nata: vini cyathus erat ſatis, niſi pro vino daretur fæx vapida: dimidium panis aluiſſet, niſi pro pane daretur argilla. *Ia.* Adeone ſordidum eſſe Antronium in tantis opibus? *Gi.* Arbitror cenſum illius non fuiſſe infra octoginta ducatorum [165] millia. Nec vllus erat annus quo non accederet lucrum mille ducatorum, vt dicam parciſſime [166]. *Ia.* Sed iuuenes illi quibus hæc parabantur, num eadem vtebantur parſimonia. *Gi.* Vtebantur, ſed domi duntaxat; foris liguriebant [167], ſcortabantur, ludebant aleam: cumque pater in gratiam honeſtiſſimorum conuiuarum grauaretur teruntium [168] impendere, iuuenes interdum vna nocte ſexaginta ducatos perdebant alea. *Ia. Sic perire ſolent quæ ſordibus* [169] *corraduntur.* Verum e tantis periculis incolumis, quo nunc te confers? *Gi.* Ad vetuſtiſſimum Gallorum contubernium, ſarturus [170] quod illic diſpendii factum eſt.

EXE-

---

165 aureorum. 166 ne quod liberaliter & profuſe dicam. Daß ich nur wenig ſage/aufs genaueſte von der Sache rede. 167 lingendo abſumebant, Sie verſchleckerten/ vernaſchten es/ verfraſſen es an guten Bißlein/ Lecker-Bißchen. 168 quadrantem aſſis, libellæ quartam partem, nummum perexiguum, obulum, triobulum. 169 peſſima auaritia. 170 penſaturus.

EXEQVIÆ SERAPHICÆ[1].

THEOTIMVS, PHILECOVS *.

Ph. VNde nobis Theotimus, noua religionis facie[2]? *Th.* Qui sic? *Ph.* Quia seuera frons, oculi in terram defixi, caput in læuum humerum nonnihil inflexum, sphærulæ precatoriæ[3] in manibus. *Th.* Si nosse cupis, amice, quæ ad te nihil attinent[4], e spectaculo venio. *Ph.* An spectasti funambulum[5], aut præstigiarum artificem[6], aut aliud huic simile? *Th.* Fortasse non ita huic dissimile. *Ph.* Equidem nunquam antehac vidi quemquam istiusmodi vultu redeuntem e spectaculo. *Th.* Sed eiusmodi fuit spectaculi genus, vt, si tu interfuisses, fortassis me incederes aliquanto tristior. *Ph.* Quin[7] tu ergo memoras[8], quid te tam fecerit religiosum[9]? *Th.* Redeo ab exsequiis Seraphicis. *Ph.* Quid ego audio? Itane moriuntur & ange-

1 Perstringit Erasmus in hoc falsissimo Colloquio insanam Franciscanorum superstitionem, qui Seraphici ab Angelis Seraphim dici expetunt, & persuadent de illorum sanctitate præeximia & beatitate, qui Franciscana veste induti sepeliantur, non rudi tantum plebeculæ, sed nasutioribus etiam non raro viris. * Qui Deum veneratur & colit. *Philecous*, audiendi cupidus, famæ inuestigator. 2 nouo religionis vultu, habitu. 3 **Das** Pater noster, **der Rosen-Crantz.** Remouent Papistæ vnam semper post alteram absoluta precatione Dominica sphærulam, donec iuxta numerum sphærularum totidem precationes Dominicas mussitauerint. 4 pertinent, tua nihil referunt. 5 funambulonem, funipendem, funirepum, qui fune ambulare solet. 6 præstigiatorem. 7 Quidnî, cur non, quî non? 8 recenses, refers, enarras. 9 deuotum.

geli? *Th.* Non; sed horum sodales [10]. Cæterum, ne te diutius suspensum habeam, nosti, opinor, heic apud Pelusios Eusebium, hominem clarum & eruditum. *Ph.* Illumne ex principe priuatum, e priuato exulem, ex exsule tantum non mendicum, pene addideram sycophantam [11]? *Th.* Recte diuinasti quem dicam. *Ph.* Sed quid illi accidit? *Th.* Hodie sepultus est; a pompa funebri redeo. *Ph.* Admodum tristem fuisse oportet, quæ te nobis tam tristem remisit. *Th.* Vereor vt sine lacrymis queam tibi quod vidi describere. *Ph.* At ego vereor vt sine risu possim audire. Sed narra, obsecro. *Th.* Scis Eusebium iam pridem fuisse misera valetudine. *Ph.* Scio, ante annos aliquot euirato [12] corpusculo. *Th.* In huiusmodi morbis, qui lente conficiunt hominem, medici certis præsagiis solent mortis diem prædicere. *Ph.* Maxime. *Th.* Hi monuerunt hominem, quidquid medicorum ars præstare posset, id omne summa cura præstitum esse. Deum quidem potentiorem omni medicorum ope; sed quod humana coniectura deprehendi quiret [13], non superesse triduum vitæ. *Ph.* Quid tum postea? *Th.* Ibi continuo præclarus Eusebius defecto corpusculo totum sanctissimi Francisci amictum [14] induit, raditur, accipit cucullam cinericiam, vestem eiusdem coloris, funem

10 Eo impudentiæ monachi progrediuntur, vt sibi Seraphinorum & Cherubinorum nomina assumant. 11 blandum calumniatorem, delatorem. 12 effato, confecto, emancipato, debilitato. 13 quantum coniicere fit in procliui. 14 habitum, vestitum.

nem nodosum, fenestratos calceos. *Ph.* Moriturus? *Th.* Sic est. Quin & profitetur voce iam moribunda, se Christo militaturum iuxta Francisci regulam, si, quod medici desperabant, daret Deus[15]. Ad hanc professionem adhibiti sunt testes, viri sanctimonia celebres. In ea vestemoritur vir egregius ad tempus a medicis prædictum. Veniunt ex eo sodalitio complures, qui funebrem pompam celebrent. *Ph.* Vtinam adfuissem isti spectaculo! *Th.* Illacrymasses, si spectasses qua caritate Seraphici sodales cadauer abluerint, amictum illum sacrosanctum adaptarint, manus in crucis imaginem [16] composuerint, pedes nudarint, & nudatos exosculati sint, faciem vnguento etiam exhilararint, iuxta præceptum Euangelicum. *Ph.* Prodigiosa [17] humilitas, Seraphicos viros agere pollinctores [18] ac vespillones. *Th.* Post hæc feretro composuerunt; & iuxta Pauli * doctrinam, *Alter alterius onera portate*, propriis humeris fratres fratrem baiularunt per viam publicam ad monasterium. Ibi solemnibus næniis [19] sepelierunt. Cum venerabilis illa pompa per viam incederet, vidi complures inuitis [20] oculis effundere lacrymas, cum talem virum, quem prius viderant purpura byssoque vestitum, nunc conspicerent in amictu Franciscano, fune ca-

15 Vt scilicet conualesceret. 16 figuram, significationem. 17 portentosa, monstrosa. 18 Pollinctor, qui cadauera lauat ac vnguentis illinit. * Galat. VI, 2. 19 Næniæ carmen funebre, quod cum lamentatione mortuo accinitur. Ein Grabe-Lied/Leichen-Gesang/Begräbniß-Lied. 20 coactis.

canabeo cinctum, tam religiosa specie toto corpore compositum [21]. Nam & mortui caput erat deflexum in humerum, & manus, vt dixi, decussatim * compositæ. Cætera item omnia mirificam quandam religionem præ se ferebant. Quin ipsa turba Seraphica ceruicibus inflexis, oculis in terram defixis, & næniis adeo lugubribus, vt arbitrer ipsos manes [22] non canere lugubrius, multis excutiebat [23] lacrymas & singultus. *Ph.* Sed habebatne quinque Francisci vulnera [24]? *Th.* Id non ausim affirmare certo. Apparebant in manibus ac pedibus vestigia quædam subliuida; ac vestis in sinistro latere fenestellam habebat. Verum non ausus sum oculos acrius in-

21 instructum, amictum. * Id est, in formam crucis, quam vulgo Andreæ vocant, numerum denarium X referentis, & per medium sectæ. 22 defunctos, corpore exutos genios. 23 eliciebat, extorquebat. 24 Blasphema fabula est, quam narrat liber Conformitatum de quinque vulneribus Francisci, quæ illi biennium ante mortem, postquam quadraginta dies in Aluernia monte ieiunauerat, impressa fuerint a Christo. Hanc bullis suis credulo orbi obtruserunt Pontifices Alexander V. Nicolaus III. aliique. Matthæus Parisiensis cicatrices deletas fuisse, Bonauentura permansisse post Francisci mortem tradit. Extat de eo carmen:

Francisce Iesu typice, Dux normaque Minorum.

Et Tursellini illud Posseuino memoratum Bibliotheca select. lib. 17.

Exue *Franciscum tunica laceroque cucullo*;
Qui Franciscus erat, *iam tibi* Christus erit.
Francisci exuuiis (*si qua licet*) indue *Christum*,
Iam Franciscus erit, *qui modo* Christus *erat*.

intendere, quod affirment, in huiusmodi rebus curioſitatem multis fuiſſe exitio. *Ph.* Sed nullosne illic ſenſiſti ridentes? *Th.* Senſi: verum eos ſuſpicor hæreticos eſſe, quorum hodie plenus eſt mundus. *Ph.* Vt ſimpliciter tecum fabuler, mi Theotime, vix ipſe valuiſſem a riſu temperare, ſi iſti ſpectaculo adfuiſſem. *Th.* Faxit Deus, ne tu ſis iſtius fermenti contagio corruptus. *Ph.* Nihil hinc periculi eſt, optime Theotime; ego a puero religioſe beatum Franciſcum, iuxta mundum nec doctum nec ſapientem, ſed profunda mundanorum affectuum mortificatione Deo cariſſimum, ſemper animo ſum veneratus; cumque hoc omnes, qui illius ingreſſi veſtigiis, ex animo ſtudent, mundo mortui, Chriſto viuere. Nam veſtem nihil moror; ſed lubens ex te didicero, quid veſtis conferat mortuo. *Th.* Margaritas non eſſe porcis obiiciendas, nec ſanctum dandum canibus, ſcis, ab ipſo Domino præceptum eſſe [25]. Proinde, ſi ridendi [26] cauſa percunctaris, nihil ex me audies; ſin ſimplici diſcendi ſtudio, libens impartiam, quod ab illis didici. *Ph.* Profiteor diſcipulum & attentum, & docilem & beneuolum [27]. *Th.* Principio ſcis,

25 Matth. VII, 6. Chriſtus peruicaces Euangelii hoſtes eius prædicatione indignos eſſe docet. Margarites dicitur Græcis a ſplendore; inque ſummo fuit olim pretio vnio Cleopatræ æſtimata ducentis quinquaginta millibus coronatorum. 26 illudendi, ſubſannandi. 27 Ero diſcipulus attentus, docilis & beneuolus.

ſcis, quosdam vſque adeo ambitioſos, vt non ſat habeant, ſuperbe & inſolenter vixiſſe, niſi & ambitioſe ſepeliantur mortui. Non ſentiunt exanimes, ſed tamen viuentes imaginatione quadam futuræ pompæ voluptatem aliquam ac fructum præcipiunt [28]. Hoc quidquid eſt affectus [29] abdicare, non negabis, opinor, aliquam pietatis [30] partem. *Ph.* Fateor, ſi faſtus [31] exſequiarum non valeat alia ratione deuitari [32]. Sed mihi videtur modeſtius, ſi princeps exanimis inuoluatur linteo vili, ac per plebeios veſpillones in vulgari cœmeterio inter plebeia [33] cadauera ſepeliatur. Nam qui ſic efferuntur, quemadmodum elatus eſt Euſebius, mutaſſe [34] faſtum videntur verius, quam vitaſſe. *Th.* Deo gratum eſt quidquid bono fit animo [35]. Illius autem eſt iudicare cor hominis [36]. Verum quod dixi leue eſt; ſunt alia grauiora. *Ph.* Quæ? *Th.* Profitentur ante mortem Franciſci regulam [37]. *Ph.* Videlicet vt eam ſeruent in campis Elyſiis [38].

Th.

28 anticipant. 29 hunc affectum, hanc animi propenſionem. 30 eſſe, conſtituere, conficere, abſoluere. 31 pompa, ſuperbia funebris. 32 declinari, auerti, præſcindi, cohiberi, reprimi. 33 vulgi. 34 permutaſſe. 35 ſola intentio bona ad actionem bonam non ſufficit; requiritur fides, ſine qua DEO nihil placet, & norma præceptorum diuinorum, ſecundum quam omnes actiones vere bonæ ſunt exigendæ. vid. Neumanni SS. Theol. Doct. & Prof. Witteb. νῦν ἐν ἁγίοις Diſputat. Theol. de bona intentione plerorumque omnium Sectariorum aſylo 1706. habita. 36 Pſ. VII, 10. XVII, 3. XLIV, 22. Ierem. XVII, 10. 37 duodecim capitibus deſcriptam, quæ vide apud Hoſpinianum. 38 loco, vbi piorum animæ habitant, quem fortunatas inſulas alii, alii circa lunarem circulum eſſe perhibent, vbi iam aër purior eſt.

Th. Non, ſed heic ſi reualeſcant. Et fit aliquoties vt medicorum ſententiis damnati, ſimul vt ſacroſanctam veſtem induerint, ope Dei reuiuiſcant. *Ph.* Idem ſæpenumero vſu venit in his, qui veſtem eam non induunt. *Th.* Oportet ſimpliciter ambulare in via fidei. Si nihil eſſet eximii fructus in hac re, non ambirent, præſertim apud Italos, genere & litteris nobiles plurimi, vt in amictu ſacroſancto ſepeliantur. Ac ne repudies ignotorum hominum exempla, ſic ſepultus eſt ille, cui tu merito plurimum tribuis, Rudolphus Agricola: ſic nuper Chriſtophorus Longolius [39]. *Ph.* Mea nihil refert quid delirent homines cum agunt animam [40]; ex te doceri [41] cupio, quid magni boni conferat, hominem metu mortis attonitum [42], ac certæ vitæ deſperatione perturbatum, profiteri aut veſtiri. Quid quod vota ſunt irrita [43], niſi fiant animo ſano ſobrioque, matura deliberatione, ſublato metu,

39 Mechliniæ natus 1488. denatus 1522. ætat. 34. Patauii d. 7. Septembr., ſepultus in æde S. Franciſci. Cauſam Lutheranam iuſſu Leonis X. quinque orationibus ſuſceptam oppugnare, morte præuentus abſoluere non potuit. Memoria tanta fuit, vt de pluribus & variis rebus interrogatus de quibus a multis annis nihil legerat, non minus prompte de ſingulis reſponderit, ac ſi eo die ab eo perlecta fuiſſent. Petro Bembo ſuaſore quinque totos annos in Cicerone legendo conſumſit. Græcis literis tanto ſtudio incubuit, vt anno nondum elapſo Græcas Epiſtolas ad Guilielmum Budæum ſæpe miſerit. Freh. in Theat. Part. IV. p. 1438. ſeq.
40. in agone, morti vicini, moribundi. 41 audire, percipere. 42 perterritum, tremefactum. 43 non obligant.

tu, dolo, aut vi? Vt horum nihil ſit, profeſſio talis non obligat, niſi poſt annum probationis, quo geſtare iubentur tunicam cum caperone [44]: ſic enim loquitur vir ille Seraphicus [45]. Itaque ſi reuiuiſcant, duplici nomine non tenentur; neque enim votum eſt, quod ab attonito fit metu mortis ac ſpe vitæ; neque profeſſio obligat ante caperonem [46] geſtatum. *Th.* Vtcunque habet obligatio, illi certe putant ſe obligari, & illa totius voluntatis addictio [47] non poteſt Deo non eſſe gratiſſima: ſiquidem hoc eſt in cauſa, vt bona opera monachorum, etiamſi demus [48] cætera paria, gratiora ſint Deo quam aliorum, quod ex optima radice proficiſcantur. *Ph.* Non excutiam heic quanti momenti ſit, hominem totum ſe Deo addicere, cum iam ſui iuris non eſt: ego arbitror, vnumquemque Chriſtianum ſe totum addicere Deo in baptiſmo, cum renuntiat omnibus pompis & voluptatibus Satanæ, datque nomen Imperatori Chriſto, poſthac illi per omnem vitam militaturus. Et Paulus * agens de his qui Chriſto commoriuntur, vt iam ſibi non viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, non loqui-

44 Kaprune. 45 Capite ſecundo regulæ: *Poſt annum probationis demum obedientiam promittet, qua ſe æternum huic vitæ generi & regulæ obſtringit.* Per virum Seraphicum indigitat Franciſcum Aſſiſienſem. 46 Per iocum barbare loquitur *caperonem* dicens pro *cucullo.* Sic enim aiebat Franciſcus omnis litteraturæ rudis. Regen-Hut / Nebel-Kappe / Kaprune / forte, quod ex caprinis quandoque conſueretur. 47 deditio. 48 fateamur, largiamur, concedamus. * Rom. VI.

quitur proprie de monachis, sed de vniuersis Christianis. *Th.* Opportune meministi baptismi; sed olim tingebantur, aut aspergebantur agentes animam [49], quibus tamen dabatur spes æternæ vitæ. *Ph.* Quid episcopi promiserint, non ita magni refert: quid Deus præstare dignetur, nobis incertum est. Si certum fuisset, tales aspergine aqulæ repente fieri ciues cœli, quæ maior poterat aperiri fenestra [50], vt homines mundo dediti studio [51] per omnem vitam seruirent impiis cupiditatibus, ac tum demum adhiberent aspersiunculam, cum iam amplius peccandi facultas non esset? Quod si tali baptismo similis est ista professio, præclare consultum est impie viuentibus, ne pereant, hoc est, Satanæ viuant, Christo moriantur. *Th.* Imo si fas est aliquid ex Seraphicis mysteriis [52] prodere, efficacior est illorum professio quam baptismi. *Ph.* Quid audio? *Th.* In baptismo tantum proluuntur [53] crimina; restat [54] anima pura [55], sed nuda: heic qui profitetur, statim ditatur [56] totius ordinis egregiis meritis, nimirum insitus [57] corpori sanctissimæ sodalitatis [58].

Ph.

49 morti vicini. Mortuos baptizandos statuit Cerinthus apud Epiphanium Hæresi 28. Marcion autem referente Tertulliano lib. V. contra Marcionem c. 10. loco mortuorum viuos substituit baptizandos. De Baptismo Clinicorum s. morientium vid. Hildebrandus in Arte moriendi. c. III. 50 porta, licentia, ansa, occasio. 51 deliberato, consulto. 52 Secreta Seraphica vocat impiorum monachorum commenta, vana deliria. Sic de Lucilio Vanino refert Gramondus, data in ludibrium fidei *arcana* Christianæ lib. III. anno 1618. p. 210. 53 abluuntur, abstergentur. 54 fit, sistitur, remanet. 55 mundata, purificata. 56 locupletatur. 57 inditus, implantatus. 58 fraternitatis.

Ph. Itane qui per baptiſmum inſeritur corpori Chriſti, nihil accipit, nec a capite, nec a corpore? *Th.* Nihil a Seraphica maſſa [59] niſi beneficentia aut fauore promereatur. *Ph.* Quis angelus hoc iſtis reuelauit? *Th.* Non angelus, o bone, ſed ipſe Chriſtus ore proprio hæc aliaque permulta beato Franciſco præſens præſenti [60] patefecit. *Ph.* Obſecro te per amicitiam noſtram, atque obteſtor, ne me graueris iſtis impartiri ſermonibus. *Th.* Sunt reconditiſſima myſteria; nec fas eſt ea profanis [61] communicare. *Ph.* Qui profanis, amice? qui nulli vnquam ordini melius voluerim quam Seraphico. *Th.* Sed interdum vellicas [62] eos odioſius [63]. *Ph.* Hoc ipſum, Theotime, amoris argumentum eſt: cum eum ordinem nulli grauius lædant, quam qui ſub illius vmbra [64] turpiter viuunt: quisquis optime vult [65] ordini, neceſſe eſt vt illius corruptoribus maxime ſuccenſeat [66]. *Th.* At vereor ne Franciſcum iratum habeam, ſi quid arcanorum effutiero [67]. *Ph.* Quid mali metuis ab innocentiſſimo viro? *Th.* Quid? Ne me exoculet [68], aut ne mihi mentem adimat; quomodo multos tractaſſe [69] dicitur qui reclamarunt [70] illius quinque vulne-

59 Angelica natura, farina Angelica. 60 coram. 61 ſecularibus, mundanis. 62 perſtringit, laceras, lancinas, fodicas, pungis, dolore afficis. 63 infenſius, infeſtius. 64 tegmine. 65 cupit, fauet. Wer es mit dieſem Orden am beſten meynt/wer ihm am günſtigſten/gewogenſten iſt. 66 iraſcatur. 67 palam prolocutus fuero. Wenn ich was ausplaudern / auswaſchen ſolte. 68 priuet oculis. 69 habuiſſe. 70 contradixerunt, obloquuti ſunt.

nerum vestigiis. *Ph.* Itane diui peiores [71] sunt in cœlo quam fuerint in terris? Audio, Franciscum adeo fuisse miti ingenio, vt cum pueri per viam incedenti caseum, lac, rudera & lapides immitterent [72] in rusticanam cucullam a tergo pendentem, nihil offenderetur, sed hilaris incederet, & gaudens; & nunc factus est iracundus ac vindex? Alio die cum a socio audisset [73] fur, sacrilegus, homicida, incestus, ebriosus, & quidquid criminum in scelerosissimum [74] quemuis congeri potest, confratri egit gratias, confessus, illum nihil esse mentitum. Miranti socio cur ita loqueretur; *Hæc*, inquit, *omnia, & his sceleratiora patraram, nisi me numinis fauor seruasset* [75]. Vnde igitur nunc factus est vindex? *Th.* Sic est: diui in cœlo regnantes lædi nolunt. Quid Cornelio mitius? quid Antonio mansuetius? quid Ioanne Baptista patientius dum viuerent? At nunc quam horrendos morbos immittunt, nisi legitime colantur! *Ph.* Citius crediderim illos adimere morbos quam immittere [76]. Sed quod mihi dixeris, nec profano commiseris [77], & tacituro credideris. *Ph.* Age, tua fretus [78] fide dicam, quod quidem ad hanc rem

71 iracundiores. 72 proiicerent, eiacularentur. 73 vocitaretur; cognominatus, appellatus esset. 74 flagitiosissimum, scelestissimum. 75 Dicta hæc quam rectissime, verissimeque: omnium quippe peccatorum criminumque latent in miseris post lapsum Adami hominibus semina; latet ad enormia quæuis scelera procliuitas. 76 aufferre, quam inferre. 77 dixeris, aperueris, reuelaueris, retuleris. 78 confisus, nixus, innixus.

rem attinet. Obſecro te, Franciſce, vt te tuisque ſodalibus propitiis ſit mihi fas audita loqui [79]. Scis Paulo fuiſſe ſapientiam reconditam [80], quam non palam ſed occulte loquebatur inter perfectos. Sic habent & illi quædam arcana, quæ non euulgant apud quoslibet, ſed beatis viduis, aliisque piis, & ſelectis, bene volentibus gregi Seraphico, priuatim impartiunt. *Ph.* Exſpecto τρισαγίας ἀποκαλύψεις [81]. *Th.* Principio Dominus prædixit patriarchæ Seraphico [82] futurum, vt quo grex Seraphicus magis increbreſceret [83], hoc illi pabulum abundantius ſuppeditaret. *Ph.* Heic protinus adempta eſt omnis querela iis, qui dictitant, hoc hominum genere indies increbreſcente [84], grauari populum. *Th.* Deinde aperuit & hoc, quod quotannis, in die illi feſto [85], omnes animæ non modo fratrum, qui ſacroſanctum illum geſtant habitum, verum etiam ordini bene cupientium, ac de ipſius ſodalibus bene merentium, ab igni [86] purgatorio liberarentur. *Ph.* Tam familiariter Chriſtus cum illo fabulabatur? *Th.* Quid ni? vt [87] cum amico & ſodali, quem-

79 Veniam expetit a Franciſco. 80 Digitum intendit Autor in locum Pauli I. Cor. II, 6, 7. Sapientiam vero loquimur inter adultos &c. **Da wir aber von reden/ das iſt dennoch Weißheit bey den Vollkommenen / nicht eine Weißheit dieſer Welt; ſondern wir reden von der heimlichen verborgenen Weißheit GOttes.** 81 Ter ſanctas reuelationes, id eſt, ſacroſanctas. 82 Franciſco Aſſiſienſi. 83 augeretur, frequentaretur, copioſior, numeroſior redderetur, innoteſceret. 84 inualeſcente, augeſcente. 85 feriato, ſolenni, ſacro, conſecrato. 86 igne, flamma, vſtulatione purgatorii. 87 veluti, ceu, tanquam.

quemadmodum Deus Pater fabulabatur [88] cum Mose. Moses a Deo traditam legem tulit ad populum [89]. Christus legem Euangelicam promulgauit; Franciscus legem suam angeli manibus bis descriptam, tradidit Seraphicis fratribus. *Ph.* Exspecto tertiam apocalypsim. *Th.* Verebatur egregius ille patriarcha, ne bonum semen, quod seminatum erat, noctu vitiaret ille malus [90], & ita cum zizania revelleretur & triticum [91]. Hunc scrupulum exemit illi Dominus, promittens illi, sibi curæ futurum ne deficeret semicalceatorum ac cinctorum fune populus [92] vsque ad extremum iudicii diem. *Ph.* O Domini clementiam! alioqui fuerat actum de ecclesia Dei. Sed perge. *Th.* Quarto loco reserauit [93] illud, quod nullus impie viuens diu perseuerare posset in eo ordine. *Ph.* An non defecit ab ordine quisquis impie viuit? *Th.* Non: neque enim Christum statim abnegauit qui scelerate viuit; quanquam aliquo modo negant Deum, qui ore profitentes factis negant [94]. Sed quisquis abiicit sacrosanctum habitum, is irreparabiliter [95] defecit ab ordine. *Ph.* Quid igitur dicemus de tot monasteriis conuentualium [96], qui pecunias habent, qui potant, ludunt aleam, scortantur, & palam [97] alunt do-

88 conuersabatur, colloquebatur. 89 Exodi XXXI. v.18. XXXIII, 17. 18. 19. 90 Cacodæmon, Satanas, Aduersarius. Matth. XIII, 25. 91 Matth. l. c. v. 29. 92 descriptio Franciscanorum ab habitu per Periphrasin. 93 manifestauit, aperuit, patefecit. 94 Tit. I, 16. 95 immutabiliter. 96 sociatorum, congregatorum. Kloster Conuente. 97 sine verecundia.

domi concubinas, ne plura commemorem? *Th.* Franciſcus nunquam geſtauit veſtem tali colore, nimirum fuſco[98], nec vſus eſt cingulo e lino candido confecto. Proinde illis, vbi pulſarint oſtium, dicetur, *Neſcio vos*[99]: eo quod non habent veſtem nuptialem. *Ph.* Eſtne amplius? *Th.* Nihil adhuc audiſti. Quinto loco patefecit illi, quod, qui male vellent ordini Seraphico, quales heu nimium multi ſunt, nunquam peruenirent ad dimidium ætatis a Deo præfinitæ, niſi mortem anticipaſſent[100], ſed omnes peſſima morte quam ociſſime perituros. *Ph.* Vidimus iſtuc cum in aliis multis alias, tum nuper in Matthæo Cardinale Sedunenſi[101]: de ſemicalceatis peſſime & loquebatur, & ſentiebat; periit prius quam, opinor, attingeret quinquageſimum annum. *Th.* Recte quidem dicis: ſed ille læſerat etiam Cherubicum ordinem. Nam huius opera[102] potiſſimum effectum prædicant, vt Bernæ quatuor illi Dominicani[103] traderentur flammis, cum alioqui pontificis

98 ſubnigro dunckel-braun. 99 Alludit ad parabolam Euangelii Matth. XXII. de inuitatis ad nuptias, & Matth. XXV, 12. 100 anticipare mortem, vor der Zeit ſterben. 101 apud Sedunum vrbem humili patre genito, qui ſub Theodoro Lucino tantos in Italia fecit progreſſus, vt eruditione clarus ad Sedunenſem Epiſcopatum ſit promotus. In numerum Cardinalium adſciuit illum, Iulius II Pontifex; mortuus eſt Hadriani, VI. anno primo. 102 Culpa, operatione, diligentia. 103 Hiſtoriam recenſet Gilbertus Burnetus in Itinerario per Heluetiam, Italiam & Germaniæ Galliæque quædam loca Epiſt. I. p. 86. ſqq. de anno 1507 Agitata ſcilicet acriter fuerat a multo iamiam tempore Dominicanos inter & Franciſcanos controuerſia, de immaculata Virginis Mariæ conceptione, quam

eis animum pecunia fuerint expugnaturi. *Ph.* Sed aiunt, illos prodigiosæ impietatis orsos fabulam. Fictis visionibus ac miraculis agebant, vt persuaderent, *Virginem matrem fuisse contaminatam labe originali, diuum Franciscum non habuisse vera Christi vulnerum vestigia; ea verius habuisse Catharinam Senensem: sed perfectissima pollicebantur laico conuerso* [104], quem ad hanc fabulam agendam subornauerant; & ad hanc imposturam abutebantur corpore Domini, postremo etiam fu-

Franciscani asserebant, Dominicani negabant, & ad ementitas appariitiones & ficta miracula pro destruenda Franciscanorum sententia confugiebant. Prouinciam hanc quatuor Monachi Bernæ, in oppido Heluetiæ, suscipiunt, vbi simplex sartor Ioannes Ietzerus in eorum ordinem hoc fine fuerat adscitus. Hunc nocturnis apparitionibus, quas fusius descriptas vide l. cit. p. 87. 91. 94. eo perducunt, vt crederet Virginem Matrem sibi loqui confitentem inter alia se peccato originali inquinatam, prædicentemque vrbi Bernensium interitum, nisi Franciscani eiicerentur. Ietzerus autem vtut stupidus ex voce vnius Monachi, quam agnoscebat, fraudem subodoratus personatam Diuam insigniter dedolat. Ibi re comperta Monachi hominem eo adigunt, vt promitteret silentium. (p. 106. 107.) Sed pollicito non nimium fidentes, satius ducunt e medio illum tollere pane orbiculari veneno infecto in Missæ celebratione. (108. 109.) Et successisset negotium, nisi Ietzerus deglutitum panem venenatum stomacho eiecisset. Liberatus autem e tanto periculo rem ad Magistratum defert. Equaleo subiecti Monachi conuicti & confessi Pontifice consentiente Romano viui comburio anno 1509. die vltimo Maii prato quodam interempti sunt. (p. 110. 111. 112.) 104 Vid. Burnetus p. 99. Fuse hanc Historiam tractauit in Annalib. Helueticis Ioannes Stumpfius, & libelli per idem tempus ipsis Pontificiis editi.

fustibus, & venenis. Denique prædicant, hanc telam non fuisse vnius monasterii, sed totius ordinis procerum [105]. *Th.* Vtcunque ista habent, non temere dictum est a Deo, *Nolite tangere christos meos.* *Ph.* Exspecto si quid supereſt. *Th.* Superest apocalypsis sexta, qua Dominus iurauit illi futurum, vt fautores ordinis Seraphici, quantumuis impie viuerent, tamen aliquando Domini misericordiam consequerentur, & sceleratam vitam beato fine clauderent. *Ph.* Etiamne si in adulterio deprehensi occiderentur? *Th.* Quod Dominus promisit, non poteſt non eſſe ratum. *Ph.* Sed quibus tandem rebus illi metiuntur fauorem ac beneuolentiam? *Th.* Oh, dubitas? qui dat, qui vestit, qui culinam instruit, iam dudum amat. *Ph.* Non amat qui monet, qui docet? *Th.* Hæc ipsis domi abundant, & huius generis beneficia solent aliis largiri [106], non ab aliis accipere. *Ph.* Plus ergo Dominus promisit Francisci discipulis, quam suis [107]. Sibi quidem patitur imputari, si quid ipsius respectu benefiat cuilibet Christiano [108]; sed non promittit male viuentibus vitam æternam [109]. *Th.* Nec mirum, amice: nam extremus Euangelii vigor seruatus est huic ordini. Sed audi iam septimam apocalypsin, eamque postremam. *Ph.* Heic sum. *Th.* Iurauit illi Dominus, neminem male moriturum qui in habitu Seraphico more-

105 Hinc Prouincialis fuga toxicoque sibi consuluit. Burn. p. 112. 106 ipsimet Franciscani, 107 discipulis fidelibus. 108 Matth. XXV, 40. 109 Matth. VII, 21. Luc. XIII, 24, 27.

reretur. *Ph.* At quid appellas male mori? *Th.* Is male moritur, cuius anima relicto corpore recta defertur ad tartara [110], vnde nulla est redemptio. *Ph.* Vestis igitur non liberat ab igni purgatorio? *Th.* Non, nisi quis moriatur in ipso festo beati Francisci. Verum an tibi parum videtur, tutum esse a tartaro [111]? *Ph.* Maximum ego quidem arbitror. Sed quid de his sentiendum, quibus iam mortuis induitur sacra vestis? Non enim in ea moriuntur. *Th.* Si viui hoc petierunt, voluntas habetur pro facto. *Ph.* At ego, cum agerem Antverpiæ, adsui cum cæteris cognatis matronæ cuidam agenti animam; aderat Franciscanus, vir admodum venerabilis. Is vbi videt mulierem iam oscitantem, alterum brachium illius inseruit suæ vesti sic vt etiam aliquam humeri partem tegeret. Ibi quidam dubitabant, vtrum tota mulier esset tuta ab inferorum portis, an pars contecta. *Th.* Tota erat tuta; non aliter quam in baptismo pars hominis tingitur aqua, totus tamen Christianus redditur. *Ph.* Mirum, cacodæmones [112] tantopere horrere vestem illam. *Th.* Magis horrent quam crucem Domini [113]. Cum efferretur Eusebius, vidi (non solus tamen) agmina nigrorum dæmonum, muscarum instar [114], assul-

---

110 abyssum inferorum vbi sontes plectuntur. Nomen inuenit a *ταρταρίζειν corripi tremore frigoris*: nam, Seruio teste, Tartara sole aut luce non illustrantur. 111 *Tartarus* & *Tartara* reperitur. 112 malos genios, spiritus, angelos malos. 113 Credunt male creduli Pontificii externa formatione crucis Diabolos abigi; cum mors Christi & meritum morte partum fide apprehensum optimum sit aduersus Diabolum *ἀλεξιφάρμακον*. 114 Supremus Diabolorum

fultantium ad corpus; nullus tamen audebat attingere. *Ph.* At interim facies, manus, pedes erant in periculo, quippe nudi. *Th.* Vt ferpentes nec vmbram fraxini [115], licet porrectam longius, ferre poffunt: ita dæmones virus [116] illud facræ veftis etiam procul fentiunt. *Ph.* Proinde non arbitror talia corpora putrefcere, alioqui plus animi effet vermibus quam cacodæmonibus [117]. *Th.* Verifimile narras. *Ph.* Quam fortunati pediculi [118] qui in

---

Baal-Zebub בַּעַל־זְבוּב βεελ μυίας Matth. XII, 24. dicitur *Dominus muſcæ* f. *Deus Muſca*, vel quod Mufcas abigere crederetur Accaronitarum ille Deus Diabolus II. Reg. I. vel quod Diabolus Mufcæ imagine fe repræfentans coleretur, vid. Ioh. Seldeni Syntagma II. de DIS Syris. p. 301. fq. & Annotam. M. Andreæ Beyeri ad c. VI. p. 292. fqq. Habent autem Mufcæ in facris notionem hoftium velociffimorum numerofiffimorum, audaciffimorum & infeftiffimorum, Ef. VII, 18. Mufca quoq; infectione fua vel pretiofiffima corrumpit; ita Diabolus. Magna quidem mufcarum eft impudentia, impuritas, inftabilitas; maior autem Diaboli. Matth. VIII. 31. Zach. XIII, 2. 115 Plinius de fraxino Hift. nat. lib. XVI, c. 13 Tanta inquit, eft vis, vt ne matutinas quidem occidentesue vmbras, quam funt longiffimæ, ferpens arboris eius attingat, adeo ipfam procul fugiat. Experti prodimus: fi fronde ea gyro claudatur ignis & ferpens, in ignem potius, quam in fraxinum fugere ferpentem. 116 Virus odor teter eft & venenum. 117 malis geniis, diabolis. 118 Pediculis infeftantur iuxta capita puerilia monachorum vel maxime cuculli & veftimenta; cuius caufa eft, quod fudor vaporque ille ex capite emanans cute & capillis confideat & inhæreat; eademque de caufa calor ibidem retinetur: nam vapor, qui exfudatur & calidus eft & humidus. Calor autem & humor funt generationis principia. Tanta vero copia quandoque ex carnis corruptione,

in tam diuina veste perpetuo viuunt! Cæterum cum vestis deferatur ad sepulchrum, quid est quod tuetur animam? *Th.* Vestis vmbram secum defert; ea [119] tutam reddit, adeo vt negent quenquam illius ordinis venire in purgatorium ignem. *Ph.* Næ ego istam apocalypsim, si vera narras, pluris facio, quam illam Joannis! hæc enim expeditam ac facilem ostendit viam, qua cuiuis liceat citra sudorem, citra molestiam, citra pœnitentiam mortem æternam effugere, tota vita suauiter peracta in deliciis [120]. *Th.* Assentior. *Ph.* Iam igitur mirari

quam humor nimius gignit, erumpunt, vt homo inde pereat, quod malum φθειριάσεως pedicularis morbi nomine venit, quo Alomanem Poëtam; Pherecydem Syrium; Acastum, Pelei filium; Callisthenem; Mucium Iuris Consultum; Eunum Syrum; Philippum II. potentissimum Hispaniarum Regem; Arnulphum Caroli M. abnepotem Sec. IX. periisse, Historiarum monumenta passim comprobant. Immitti autem diuinitus & extraordinarie in homines ad retundendam eorum superbiam ex cap. VIII. Exodi v. 16. 17. 18. liquet. Plinius Hist. natural. lib. XXVI, c. 13. vbi Syllam quoque Dictatorem Phthiriasi consumptum esse retulit, taminiam in aceto decoctam vestes pediculis liberare docet; mel quoque lendes & fœda capitis animalia necare monet lib. XXII. c. 14. Jener Diener bekam 40 Cronen/ als er dem Könige in Franckreich Ludouico XI. eine Lauß vom Rocke nahm; ein anderer dachte auch so viel zu bekommen/ und stellte sich/ als hätte er einen Floh gefunden; allein er kriegte statt der 40. Cronen mit einem dichten Prügel 40. Streiche. Sic duo cum faciunt idem, idem non est. 119 Sub vmbra debitores in Arragonia tutos narrat Zeillerus in Itinerario Hispanico. 120 Viam tam facilem, tam expeditam scilicet Iohannis Apocalypsis non docet, sed longe aliam, fidei nempe, perseuerantiæ & fortitudinis spiritualis. Apoc. II, 2, 3. sqq. Apoc. III,

ri desino, si plerique Seraphicis sodalibus[121] plurimum tribuant: verum non queo satis admirari, non deesse qui non vereantur illis oppedere[122]. *Th.* Nimirum istos scias, quotquot videris, traditos in reprobum sensum[123], suaque malitia excæcatos. *Ph.* Posthac ero cautior, daboque operam vt in sacrosancta veste moriar. Verum extiterunt hoc sæculo quidam qui docent, *hominem sola fide iustificari, nullo operum præsidio*[124]: maximum igitur priuilegium sit, si vestis beet absque fide. *Th.* Non simpliciter absque fide, ne quid erres, Philecoe; satis autem est credere, hæc quæ diximus esse promissa a Christo Patriarchæ Francisco[125]. *Ph.* Vel Tur-
cam

39. seqq. Obiter autem notandum de Autore Apocalypseos Iohanneæ dubitasse Nostrum, vt videre est ex Annotationibus eius in Nou. Testam. & ex Apologia, quam Beza aduersus eas scripsit. 121 distentis vino & potu monachis, qui per impudentem superbiam, cum Seraphim in cœlesti Hierarchia primum locum occupent, ab iis se Seraphicos dici velint, Diabolici potius dicendi. 122 contra ventris flatum emittere, reclamare, aduersari, reluctari. 123 reprobatos, reiectos, obduratos, indurationi permissos. 124 Qui ita docent, cum Paulo docent Rom. IV, 5. III, 24. sqq. 28. Τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ, λογίζεται ἡ πίστις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην. Δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ· ὃν προέθετο ὁ θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως. &c. Λογιζόμεθα οὖν πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον, χωρὶς ἔργων νόμου. Quantumuis vero nil conferant prorsus opera ad iustificationem coram DEO, necessaria tamen sunt, vt fidei fructus, in articulo sanctificationis & ad declarandam fidem hominibus. Gal. V, 6. Iac. II, 17. 20. 26. 125 Iustus sua (non aliena) fide viuit. Habac. II, 4. Et Deus eum iustificare constituit, ἐν τῷ νῦν καιρῷ, τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ,

cam igitur seruabit vestis? *Th.* Vel ipsum Satanam, si se patiatur indui, & fidem habeat apocalypsi[126]. *Ph.* Iam dudum me tuum fecisti[127]: sed vnum atque alterum scrupulum mihi cupiam peditus eximi. *Th.* Dic. *Ph.* Audiui, Franciscum, suum appellare institutum Euangelicum. *Th.* Verum. *Ph.* Sed Euangelii regulam profitentur omnes Christiani, mea quidem sententia. Quod si istorum institutum est Euangelicum, oportet quotquot Christiani sunt, eosdem esse Franciscanos, & in his primas tenebit Christus cum Apostolis & sanctissima matre. *Th.* Conuinceres tu quidem, nisi Franciscus quædam addidisset Euangelio Christi. *Ph.* Quæ? *Th.* Vestem cinericiam, funem canabeum, & pedes nudos[128]. *Ph.* Istis igitur notis dignoscimus Euangelicum a Franciscano[129]? *Th.* Differunt & contactu pecuniæ. *Ph.* Verum vt audio, Franciscus recipi vetat, non attingi. Recipit autem vel dominus, vel procurator, vel creditor, vel hæres, vel mandatarius[130]; &, si numeret chirotheca[131] munitus, nihilominus recepisse dicitur. Vnde igitur hoc nouum interpretamentum, *ne recipiant,*

den der da ist des Glaubens an JEsu/ qui Iesum fide amplectitur, (non Franciscum.) 126 confictæ illi & commentitiæ atque deliræ, quam supra prætulit Iohanneæ. 127 in partes tuas, sententiam tuam pertraxisti.

128 *Chordula nodosa, pes nudus, lingua dolosa*
Hæc tria nudipedes ducunt ad Tartara fratres.

129 Siccine? Ha/ ha? Ist das der Unterscheid? 130 cui partes alterius sunt demandatæ. 131 manuum indumento, tegumento.

cipiant, id eſt, *ne contingant*? *Th.* Sic interpretatus eſt Benedictus pontifex. *Ph.* At non vt pontifex, verum vt Franciſcanus. Alioqui nonne[132], qui ſunt obſeruantisſimi, cum peregrinantur, excipiunt linteolo nummos? *Th.* Faciunt cum vrget neceſſitas. *Ph.* At mori ſatius eſt, quam violare regulam plus quam Euangelicam. Deinde nonne paſſim recipiunt per ſuos procuratores? *Th.* Quid ni? etiamſi dentur aliquot millia, id quod non raro accidit. *Ph.* At regula dicit, *neque per ſe*[133], *neque per alios.* *Th.* At non contingunt. *Ph.* Ridiculum: *Si contactus impius eſt, etiam per alios contingunt.* *Th.* Verum non eſt illis cum procuratoribus actio. *Ph.* Non eſt[134]? Experiatur hoc qui velit. *Th.* Chriſtus non legitur vsquam contigiſſe pecuniam. *Ph.* Eſto[135]: ſed probabile eſt, Chriſtum adoleſcentulum crebro parentibus ſuis emiſſe oleum, acetum, & olera[136]. Sed extra controuerſiam Petrus & Paulus contrectarunt. Non eſt in contactus fuga laus pietatis, ſed

132 illi, etiam iſti, vel adeo illi; auch diejenigen/ welche am aller religiöſeſten/ ſtrengeſten über ihrem Orden halten wollen. 133 Capite IV. Regulæ Franciſci ita habetur notante Montano: *Firmiter omnibus Fratribus iniungo, ne vel per ſe vel per alios pecuniam recipiant: attamen neceſſitati ægrorum, & veſtitui male veſtitorum ſecundum regionis clima & anni tempeſtates proſpicient miniſtri, prout ipſa res poſtulare videbitur; id tamen illibate ſeruandum, ne omnino, vt dictum, nummos recipiant.* 134 Eſt vtique. Interrogatio negatiue concepta affirmat. 135 Sit ita; fingamus; fac eſſe, vt ais. 136 Luc. II, 51. ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς. Er gieng mit ihnen hinab nach Nazareth/ und war ihnen unterthan. Imo Chriſtus, quæ a fidelibus porrigebantur, recepit.

ſed in contemtu. Vini contactus multo periculoſior [137] eſt quam pecuniæ; cur non horrent ibi periculum? *Th.* Quia Franciſcus non prohibuit. *Ph.* Nonne porrigunt manus ſuas otio molliculas, & pulchre lotas, fœminis ſalutantibus; & nummo forte inſpiciendi cauſa oblato reſiliunt, ac ſe muniunt ſigno crucis? papæ [138] quam Euangelice! Et quidem puto, Franciſcum, licet omnis litteraturæ rudem [139], non adeo deſipuiſſe, vt vetuerit qualemcunque pecuniæ contactum. Et tamen ſi id ſenſit, quanto periculo ſuos expoſuit, quos iuſſit nudis pedibus incedere? Vix enim vitari poteſt quin aliquando imprudentes calcent nummum humi iacentem. *Th.* Verum non tangunt manibus. *Ph.* An tactus non eſt ſenſus toti corpori communis? *Th.* Eſt; atque etiamſi quid tale vſu veniat, non ſacrificant niſi confeſſi. *Ph.* Religioſe. *Th.* Verum omiſſis cauillationibus [140], dicam id quod res eſt [141].

Pe-

137 Prov. XXIII, 31, 32, 33 Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cum ſplenduerit in vitro color eius. Ingreditur blande, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruerſa. 138 Vah! Hem! παπαὶ. Interiectio admirantis & exprobrantis. 139 Studuerat puer perexiguum tempus; mox ſtudiis nuncium mittens animum ad mercaturam conuertit, a mercatura in militiam, e militia in monachatum abiit; ita lapis ſæpe reuolutus Sapientiæ muſco non obducebatur, nec conualuit planta ſæpius translata, ſed degenerauit in lolium, contra Eccleſiaſtici c. V, 11. 14 argutationibus, argutiis. Aber ohne Schertz; in Wahrheit! 141 Ich will reden/ wie die Sache an ſich ſelber iſt;

Pecunia multis est, eritque maximorum malorum occasio. *Ph.* Fateor: sed eadem aliis est multorum bonorum materia. *Diuitiarum amorem lego damnatum*[142], *pecuniam damnatam nusquam lego.* *Th.* Recte dicis. Sed quo longius absint ab auaritiæ morbo, sic prohibitus est contactus, quemadmodum in Euangelio vetamur iurare, ne incidamus in periurium. *Ph.* Quin igitur vetitus est aspectus? *Th.* Quia facilius est continere manus quam oculos[143]. *Ph.* Et tamen per illas fenestras ingressa est mors[144]. *Th.* Et ideo qui germane Franciscani sunt, vltra supercilia deducunt cucullam, tectisque & in terram defixis[145] oculis incedunt, ne quid videant præter viam: quod idem videmus in equis currus onustos trahen-

ich will dir klaren Wein einschencken; ich will einmahl ein kluges Wort reden. 142 1. Tim. VI, 9. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli & desideria multa & nociua &c. Ps. LXI. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Sirac. XIII, 30. Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia. 143 *At enim Sophocle, Prætorem decet non solum manus,* Pericles inquit in Prætura collegæ (cum casu formosa puer præteriret, dixissetque Sophocles: *O puerum pulchrum Pericle!*) *Sed etiam oculos habere* abstinentes. Cic. Offic. I, 40. 144 *Est oculus scopulus titulo meliore vocandus.* Genes. III. Vidit mulier quod pulchrum oculis aspectuque delectabile & comedit. Per oculi beneficium homo infert animæ veneficium. So bald gesehen/ so bald geschehen; dum vidit tum fecit. Vt bene videas claudendi sæpe sunt oculi, consilio Abbatis Ægidii, vt recte audias, sæpe aures obseruandæ. Multi per incuriam oculorum inciderunt in periculum animorum. Bernh. de Modo bene viuendi c. 23. 145 immote demissis.

hentibus; vtrinque corium capistro additum non sinit eos quidquam videre nisi quod ante pedes est. *Ph.* Verum age dic mihi, estne hoc verum quod audio, in regula vetitum, *ne quod indultum impetrent a Pontifice*? *Th.* Est. *Ph.* Atqui audio, nullum hominum genus pluribus instructum indultis; adeo vt liceat illis homines, ipsorum sententia damnatos, vel veneno necare, vel viuos defodere, citra vllum irregularitatis periculum. *Th.* Non est vana fabula quam audisti. Nam mihi narrauit vir minime mendax Polonus, se obdormiisse potum [146] in templo Franciscanorum, in his angulis in quibus sedent fœminæ per laminas foraminosas confitentes. Experrectus cantu nocturno, non ausus est se prodere. Dacantatis ex more nocturnalibus, totus fratrum chorus descendit in ædem inferiorem: ibi erat parata fossa bene lata beneque profunda. Stabant duo iuuenes reuinctis [147] a tergo manibus. Habita est concio de laude obedientiæ; promissa est apud Deum omnium commissorum venia. Nonnulla etiam spes iniecta, fore vt Deus fratrum animos flecteret ad misericordiam, si sponte descenderent in foueam, seque supinos reponerent. Factum est; subductisque [148] scalis, omnes simul iniecere terram [149]. *Ph.* Sed siluitne interim ille spectator? *Th.* Maxime, tum quidem, nimirum metuens,

146 potu largiore temulentum, sepultum. 147 ligatis, constrictis, adstrictis, vinctis. 148 ablatis, remotis, cum subduxissent, submouissent. 149 viuum tumularunt, humarunt, sepeliuerunt.

tuens, ne si se prodidisset, tertius adderetur fossæ. *Ph.* Etiamne hoc illis licet? *Th.* Licet quoties periclitatur decus ordinis. Nam ille simul atque euasisset, passim in omnibus conuiuiis narrabat quæ viderat, magna Seraphicæ gentis inuidia. Nonne præstiterat, viuum sepeliri? *Ph.* Fortasse. Verum his subtilitatibus omissis, qui fit, vt cum patriarcha iusserit incedi nudis pedibus, nunc maxime incedant calceis fenestratis? *Th.* Duabus de caussis præceptum hoc mitigatum est: altera est, ne per imprudentiam tangant pecuniam: altera, ne frigus lædat, aut spina, aut serpentes, aut silices, aut aliud simile, cum illis sit per vniuersum terrarum orbem obambulandum. Cæterum vt id fiat inuiolatæ regulæ maiestate, fenestra calcei pedem nudum ostendit per synecdochen*. *Ph.* Prædicant se profiteri perfectionem Euangelicam, quam aiunt constare consiliis Euangelicis [150], de qui-

---

* Per synecdochen pars ponitur pro toto. Sic Franciscanorum pars pedis denotatur pro toto scilicet pede.

150 Consilium Euangelicum ex omnium Pontificiorum sententia est opus bonum a Christo non imperatum, sed demonstratum; non mandatum, sed commendatum. Sed nec Christus nec Apostoli præscripserunt in Euangelio noua consilia perfectionis, quæ sint supra Dei præcepta & quorum obseruatione opus supererogationis præstetur; id quod solide demonstrauit Cap. III. lib. II. Part. II. Artic. VII. meritissimus de veritate Euangelica Iohannes Gerhardus Confessionis Catholicæ Tomo III. p. 276. Christus Luc. XVII. v. 10. omnem supererogationis opinionem excludit; Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quæ debuimus facere fecimus. Et Deut. IV, 2. vetat Deus quicquam addi præceptis, & consilia,

quibus inter eruditos magna digladiatio est. Et in vnoquoque vitæ statu locus est perfectioni Euangelicæ. Sed quid omnium maxime perfectum tibi videtur inter Euangelii præcepta? *Th.* Arbitror totum illud quod prodidit Matthæus cap. v. cuius hæc est clausula: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filii patris vestri qui est in cœlis, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos* [151]. *Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.* *Ph.* Commode respondisti. Sed pater ille diues est ac munificus in omnes, nec mendicat a quoquam. *Th.* Munifici sunt & illi, sed opum spiritualium, hoc est, precum & bonorum operum, quibus opulenti sunt. *Ph.* Vtinam sint inter illos exempla caritatis Euangelicæ, quæ maledicta benedictis, iniuriam beneficio pensat! Quid sibi

Argumentum autem præcipuum pro stabiliendis consiliis Euangelicis ex concione Christi Matth. V. petitum, *vbi perfectiora opera a Christo præscribi videntur quam quæ a Mose in lege fuere requisita*, prolixè refellit Bellarminus lib. IV. c. 3. de Iustificat. Scilicet Deus per Mosen etiam iubet se diligi ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. Deut. VI, 5. Matth. XXII. 33. nec Christus noua consilia hic tradit perfectionis, sed veram legis sententiam. 151 Dilectio inimicorum pertinet ad præceptum legale de charitate proximi in genere, nec in cuiusquam libertate positum est, velitne inimicos suos diligere nec ne? Leuit. XIX, 18. Deut. XXXII, 35. vbi personis priuatis vindicta omnis interdicitur. 1. Pet. III. v. 9. & Rom. XII, 19. omnibus in genere Christianis officium illud non viris tantum perfectis iniungitur.

sibi vult illa tam celebris Alexandri Pontificis vox, *Tutius esse regem quamlibet potentem lædere, quam quemlibet ex ordine Franciscanorum aut Dominicanorum?* *Th.* Ordinis læsam dignitatem vlcisci fas est: & quod vni ex minimis male fit, fit toti ordini. *Ph.* At cur non potius quod vni bene fit, fit toti ordini? Et cur non vnus Christianus læsus totum Christianismum ad vindictam prouocat? Cur toties cæsus ac lapidatus [152] Paulus non inclamauit suppetias aduersus apostolicæ dignitatis violatores? Iam si, iuxta Domini sententiam, *Beatius est dare quam accipere* [153], vtique perfectior est qui bene viuens ac docens de suo dat egentibus, quam qui tantum accipit. Alioqui frustra Paulus gloriatur, quod gratis prædicauerit Euangelium [154]. Atqui heic videtur esse præcipuum illius laudatæ addictionis experimentum, si conuiciis impetiti [155] non incandescant, si in male merentes charitatis affectum obtineant. Quid magni est, si quis aliquid facultatum relinquat, de alieno victurus aliquanto lautius, cùm sibi seruet vlciscendi cupiditatem? Cinctorum fune, semicalceatorum, vbique est magna copia: hæc qui præstet quæ perfecta Dominus vocat, quæ Apostoli constanter exhibuerunt, inter istos nimium rara est auis [156]. *Th.* Non ignoro quas fabulas impii quidam de illis spargant: sed ego sic affectus sum, vt vbicun-

que

152 2. Cor. XI, 25, 23, 24. 153 Actor. XX, 25. *Μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον, ἢ λαμβάνειν.* 154 1. Cor. IX, 7, 9, 10, 11, 12, 14. 155 lacessiti, irritati, incitati.
156 *Rara auis in terris nigroque simillima cygno.*

que videro illam ſacroſanctiſſimam veſtem [157], putem adeſſe angelos Dei: eamque domum eſſe felicem, cuius limen crebro teritur illorum pedibus. *Ph.* Et ego arbitror, pauciores eſſe ſteriles fœminas, vbi illi agunt familiariter. Sed mihi propitius ſit Franciſcus, Theotime, qui hactenus tanto in errore ſim verſatus. Exiſtimabam iſtorum veſtem nihil aliud eſſe quam veſtem, nec per ſe meliorem veſte nautæ, aut calcearii, niſi vtentis ſanctimonia commendaretur, quemadmodum Chriſti veſtis contacta ſanauit [158] hæmorrhoiſſam. Alioqui dubitabam, vtrum textor an veſtiarius eam vim dediſſet veſti. *Th.* Haud dubie, qui formam dat, dat vim. *Ph.* Poſthac ergo viuam ſuauius, nec me macerabo metu inferorum, aut confeſſionis tædio, aut cruciatu pœnitentiæ.

AMICITIA.

EPHORINVS[1], IOANNES.

Ep. SAEpenumero mecum admirari ſoleo, quem Deum [2] in conſilium adhibuerit [3] natura,

---

157 Man kennt den Vogel am Geſange / den Franciſcaner am Strange. 158 Mulierem quæ laborat profluuio ſanguinis, αἱμοῤῥοοῦσαν.

1 Nomen perſonæ ab ἐφορᾶν. Id eſt, diligenter contemplari, & cum ſingulari cura obſeruare. Sic dum iſte animalium naturam, vim & potentiam diligenter contemplando obſeruat, non immerito Ephorinus appellatur.

2 Non adhibemus in conſilium, niſi quos prudentiores, aut rerum peritiores arbitramur: nihil autem Deo prudentius, & conſultius. Eſt autem hæc forma loquendi perelegans, quoties nos admirari nouitatem aut mirificum rei

ra, cum in omni rerum [4] genere misceret amicitias & inimicitias [5] quasdam arcanas [6], nec vllis causis euidentibus [7] probabiles [8], nisi quod hoc spectaculo videtur fuisse delectata: quemadmodum nos ex commissis [9] inter se gallinaceis & co-

euentum significamus, quod subinde apud poëtas dii in consilium ab Heroibus adhibeantur. 3 consuluerit. Zu Rathe gezogen / genommen habe. 4 creatarum. 5 Allusum forsitan est ad Empedoclis physici decretum, qui principia mundi φιλίαν καὶ νεῖκος, hoc est, amicitiam & inimicitiam constituit. Cum enim, inquit, prius omnia diffusa iacerent, ab amicitia inimicitiaque discriminatim sunt diuisa: sine iis vero nihil aut fieri potest, aut perire. Extat autem apud Aristotelem nobile mehercule caput de his qui perpetuas inimicitias inter se gerunt, l. 9. c. 1. Hoc Plinius transtulit in suum opus. lib. 10. c. 74. 6 Sympathias & Antipathias. 7 manifestis. 8 demonstrabiles. 9 Committere significat in certamen & contentionem mittere, quemadmodum dicimus gladiatores commissos, qui in certamen descendunt. Plinius lib. 10. cap. 20. Gallinaceum, contentiosum animal, & præliis maxime ali, testatur. Dimicatione, ait, paritur victoria quoque inter ipsos; velut ideo agnata cruribus suis tela intelligentes: nec finis sæpe commorientibus. Addit, plerosque gallorum ad bella tantum & prælia assidua nasci, quibus etiam patrias nobilitarunt, Rhodum & Tanagram: Deinde Pergami gallorum spectaculum omnibus annis publice edi ceu gladiatorum. Quod ipsum etiam hodie in plerisque Brabantiæ oppidis fieri obseruatum est. Hinc gallinaceus a Columella pyctes, hoc est pugil & luctator, appellatur, quod Græcorum studium ferocissimum quemque alitem certaminibus & pugnæ prępararet. Aristophanes poëta gallum Ἄρεος νεοττὸν, hoc est, Martis pullum vocat, quod auis ista sit admodum bellicosa: vel quod Gallum adolescentem egregium fuisse dicant, quocum familiariter Mars vteretur,

coturnicibus voluptatem capimus. *Io.* Nondum satis percipio [6] quid velis dicere. *Ep.* Dicam igitur, si vis, crassiore Minerua [7]. Scis serpentium * genus esse inimicum homini [8]. *Io.* Scio vetus inter illos & nos esse diffidium [9] & irreconciliabile [10], futurumque donec [11] meminerimus illius inauspicati pomi *. *Ep.* Nosti lacer-

custodem posuit ædium suarum, vt si Vulcanus aduentasset interea, dum cum Venere adultera sua suauius viueret, adolescentulus indicaret. Verum quum aliquando obdormisset, Vulcano deprehendente adulterium vxoris, in auem illum Mars transformauit, sed ita, vt habitum armorum, cristam scilicet, galeam & calcaria retineret: hincque esse, quod tanto studio præliandi perpetuo flagret. Mirum est quod Aristoph. gallinaceos, quos prælio vicerunt, in seruitutem rapere adserat. Illius interpres scribit, gallos qui alerent ad pugnam, priusquam eos committere solent, alliis alere solitos, quo excalefacti, calidiores & vehementiores redderentur. Inde factum verbum σκοροδίσαι, quod est, gallos priusquam in prælium descendunt allio confricare. Coturnicum qnoque masculorum naturam φιλεριστικὴν (id sonat rixosam) Aristophanis interpres scribit. In Apophthegmat. Plutarchi Augustus, quum audisset Erotem, qui res Ægypti curabat, emisse coturnicem, omnes alias pugnando superantem atque inuictam, & comedisse assatam, eum ad se accersiuit, ac iudicio constituto confessum, malo nauis affigi iussit. Zusammen hetzen. intelligo, assequor. 7 crassius, clarius dilucidius. * Adeo inimicum est, vt saliuam hominis tolerare non possit, sed mox, si conspergatur, fugiat authore Plinio. Apollonio Rhodio θανατηφόρος serpens vocatur; quod hominibus mortem inferat. Fœminas tamen potius & sæpius quam mares necat. 6 intelligo, assequor. 8 humano generi. 9 simultas, inimicitia, odium. 10 immutabile, implacabile, ineuitabile, immedicabile, inexorabile. 11 tantisper dum; tam diu, quamdiu. * Inau-

certam[12]? *Io.* Quid ni? *Ep.* Italia magnas* habet & virides. Hoc animal natura & homini amicum est[13], & serpentibus inimicum. *Io.* Vnde hoc deprehenditur[14]? *Ep.* Vbicunque prospicit homo, ibi congregantur lacertæ, obliquato[15] capite diu contemplantes hominis faciem: si exspuas, elambunt saliuam ore redditam[16]: vidi & puerorum mictum[17] exsorbentes. Quin & puerorum manibus tractantur impune[18], atque etiam læduntur, & admotæ[19] ori gaudent saliuam lambere*. Cæterum si comprehensæ inter se committantur, dictu mirum quam[20] in sese sæuiant; nec appetunt committentem. Si quis in agris ambulet per viam cauam, nunc hiec, nunc illinc strepitu dimoti rubi[21] admonent hominem;

spicatum est, quod bonis auspiciis non geritur: sic pomum illud, propter quod ex diuina conditione ad humanam miseriam cecidimus per primigenios nostros parentes, merito inauspicatum dicitur, quod tam infausto & infelici auspicio mortalitatem sumus aggressi. 12 Eydex/ grüner Heid-Ochß. * Magnas inquit & virides, quod nostrates palmæ, aut ad summum pedis longitudinem non excedant; nec item omnes virides sunt, verum & cinericii & nigri coloris, natura, quantum ad conflictum cum serpentibus & viarum obsessiones, ab Italis nihil differentes. 13 fauet. 14 intelligitur, colligitur. 15 incuruato, detorto in obliquum; gekrümmt nach der Seite. 16 sputam. 17 vrinam, lotium. 18 sine noxa. 19 si fuerint adhibitæ, admotæ. * Ex hac re satis constat, amicas humano generi lacertas, quorum scilicet saliuam bibunt, vt quæ omnibus venenatorum maxime aduersatur, vt testantur Nicander, Dioscorides, & Plinius. 20 id est, mire, mirifice, man kan nicht von Wunder genung sagen/ wie sie. 21 agitati rubi, fruticis. Durch das Geraschel im Brombeer-Strauche/ im Gesträuche.

nem; insuetus crederet serpentem esse: vbi dispexeris, lacertæ sunt, obliquato capite contemplantes, donec consistas; si pergas, sequentes. Rursus aliud agentem admonent. Diceres eas ludere, vehementerque delectari hominis adspectu. *Io.* Mira narras. *Ep.* Quodam die vidi prægrandem [22] & mire viridem in ostio caui [23] decertantem cum serpente. Primum mirabamur quid esset rei: nam serpens nobis non erat conspicuus. Italus admonebat, in antro esse hostem. Paulo post venit ad nos lacerta, velut ostendens sua vulnera, ac remedium flagitans, seque tantum non* tangi patiebatur: quoties autem restabamus restabat & illa, nos contemplans. Serpens alterum latus pene totum eroserat, & ex viridi rubrum fecerat. *Io.* Mihi, si adfuissem, libuisset vlcisci lacertæ vicem [24]. *Ep.* At hostis iam se in profundum antrum abdiderat [25]: post aliquot tamen dies pauimus oculos * nostros vindicta. *Io.* Gaudeo profecto. Sed quo pacto? *Ep.* Forte inambulabamus per eundem locum: Serpens e fonte

22 valde grandem. 23 cauitatis, antri, lustri foraminis, * A Græcis sumptum, μονονοὐχί. Id perinde valet, quasi dicas, *propemodum*. Sic reperies apud Latinos, tum Liuium, tum Suetonium. Terentius dixit, *Modo non*; in Phormione. 24 læsionem, partes; reuengiren / rächen. 25 reconditerat, absconderat. * Pascimus oculos ea re, quam libenter inspicimus, vt pascimus animum quoties nos recreamus. Maro: Atque animum pictura pascit inani. Nibil autem gratius obtingere potest, quam si videamus nocentem ob innoxium afflictum dare pœnas.

certam[12]? *Io.* Quid ni? *Ep.* Italia magnas* habet & virides. Hoc animal natura & homini amicum est[13], & serpentibus inimicum. *Io.* Vnde hoc deprehenditur[14]? *Ep.* Vbicunque prospicit homo, ibi congregantur lacertæ, obliquato[15] capite diu contemplantes hominis faciem: si exspuas, elambunt saliuam ore redditam[16]: vidi & puerorum mictum[17] exsorbentes. Quin & puerorum manibus tractantur impune[18], atque etiam læduntur, & admotæ[19] ori gaudent saliuam lambere*. Cæterum si comprehensæ inter se committantur, dictu mirum quam[20] in sese sæuiant; nec appetunt committentem. Si quis in agris ambulet per viam cauam, nunc hiec, nunc illinc strepitu dimoti rubi[21] admonent hominem;

---

spicatum est, quod bonis auspiciis non geritur: sic pomum illud, propter quod ex diuina conditione ad humanam miseriam cecidimus per primigenios nostros parentes, merito inauspicatum dicitur, quod tam infausto & infelici auspicio mortalitatem sumus aggressi. 12 Eydex/ grüner Heid-Ochß. * Magnas inquit & virides, quod nostrates palmæ, aut ad summum pedis longitudinem non excedant; nec item omnes virides sunt, verum & cinericii & nigri coloris, natura, quantum ad conflictum cum serpentibus & viarum obsessiones, ab Italis nihil differentes. 13 fauet. 14 intelligitur, colligitur. 15 incuruato, detorto in obliquum; gekrümmt nach der Seite. 16 sputam. 17 vrinam, lotium. 18 sine noxa. 19 si fuerint adhibitæ, admotæ. * Ex hac re satis constat, amicas humano generi lacertas, quorum scilicet saliuam bibunt, vt quæ omnibus venenatorum maxime aduersatur, vt testantur Nicander, Dioscorides, & Plinius. 20 id est, mire, mirifice, man kan nicht von Wunder genung sagen/ wie sie. 21 agitati rubi, fruticis. Durch das Geraschel im Brombeer-Strauche/ im Gesträuche.

nem ; insuetus crederet serpentem esse: vbi dispexeris, lacertæ sunt, obliquato capite contemplantes, donec consistas; si pergas, sequentes. Rursus aliud agentem admonent. Diceres eas ludere, vehementerque delectari hominis adspectu. *Io.* Mira narras. *Ep.* Quodam die vidi prægrandem [22] & mire viridem in ostio caui [23] decertantem cum serpente. Primum mirabamur quid esset rei: nam serpens nobis non erat conspicuus. Italus admonebat, in antro esse hostem. Paulo post venit ad nos lacerta, velut ostendens sua vulnera, ac remedium flagitans, seque tantum non* tangi patiebatur: quoties autem restabamus restabat & illa, nos contemplans. Serpens alterum latus pene totum eroserat, & ex viridi rubrum fecerat. *Io.* Mihi, si adfuissem, libuisset vlcisci lacertæ vicem [24]. *Ep.* At hostis iam se in profundum antrum abdiderat [25]: post aliquot tamen dies pauimus oculos * nostros vindicta. *Io.* Gaudeo profecto. Sed quo pacto ? *Ep.* Forte inambulabamus per eundem locum: Serpens e fonte

---

22 valde grandem. 23 cauitatis, antri, lustri foraminis, * A Græcis sumptum, μονονουχί. Id perinde valet, quasi dicas, *propemodum*. Sic reperies apud Latinos, tum Liuium, tum Suetonium. Terentius dixit, *Modo non*; in Phormione. 24 læsionem, partes; reuengiren / rächen. 25 recondiderat, absconderat. * Pascimus oculos ea re, quam libenter inspicimus, vt pascimus animum quoties nos recreamus. Maro: Atque animum pictura pascit inani. Nibil autem gratius obtingere potest, quam si videamus nocentem ob innoxium afflictum dare pœnas.

te vicino biberat; erat enim æstus prodigiosus*, adeo vt nos quoque aquæ inopia periclitaremur. Commodum [26] occurrit ex agris puer natus annos tredecim, eius domus filius, in qua tum metu pestilentiæ Bononia profugi [27] rusticabamur [28]; gestans rastrum* quo fœnum demessum [29] conuerrunt agricolæ: simul vt [30] serpentem vidit, exclamat. *Io.* Metu fortasse. *Ep.* Nequaquam, imo gaudio [31], velut insultans [32] deprehenso hosti. Ferit rastro; serpens se contrahit; ille non facit feriendi finem, donec contrito capite * serpens in longum** porrigitur, nam hoc non faciunt nisi morientes. Inde est, quem frequenter audisti, apologus *** de

* Tam vehemens & præter solitum maior, vt etiam aliquid portendere miraculi causa posse videatur. 26 Opportune, tempestiue. 27 *profugus* penult. breui, entwiechen. 28 rusticam vitam agebamus; auf dem Lande wohneten. * Eiusmodi rustica instrumenta Varro Rastellos appellat, serras nimirum leues, quibus homo per fœnisecia festucas abradit. 29 Particip. ex *demĕto, demessui, demessum, demetere*. abschneiden/hauen/abmähen. 30 statim ac, quamprimum. 31 præ metu, præ gaudio. 32 irridens & contumeliosius in deprehensum hostem faciens, agens. * Nam, vt Plinius tradit serpentis caput etiam si cum duobus euaserit digitis, nihilominus viuit. Hinc est forte quod vulgus serpentem dissectum medium reuiuiscere & coalescere opinatur. ** Ergo Poëta 3. Georgicon rusticos in serpentis necandis iubet, ne antea cædendi finem faciant, quam [...]eant medios nexus extremæque agmina caudæ serpentis [...]uta, hoc est, quam non tortuosum, sed porrectum vi[...]it. *** Apologum recenset Æsopus: Cancer, in[...], cum serpente inita societate simul versabatur. Cancer [...]em cum moribus simplicibus præditus esset, sæpius adhortabatur serpentem, vt versutiam dolosque malos depo-

de cancro, qui ſerpentem hoſpitem[33] occidit, vbi porrectum videt; *Sic*, inquit, *viuum incedere oportuit.* *Io.* O factum bene! Quid tum? *Ep.* Puer arreptum raſtro ſuſpendit e frutice ſupra antrum. Ibi diebus aliquot vidimus frondes ſanie tinctas. Eius ruris agricolæ pro comperto[34] nobis aliud quiddam mirabile referebant. Agricolæ nonnunquam feſſi[35] obdormiunt in agro: atque illic interdum habent vrceum* lactis, in cibi ſimul & potus vſum. Serpentes ſummopere lacte** capiuntur.

---

neret: quod ille quum negligeret, & moribus conſuetis conſtanter viueret, Cancer captata opportunitate cum ille obdormiiſſet, quanta potuit vi, ſerpentem comprimendo enecauit. Cum vero iam expirantem animam in longum porrectum vidiſſet, *Sic*, inquit, *& antea te ſimplicem rectumque fuiſſe oportebat. Non enim iam pœnam ſupplicio dediſſes.* Pulchre animi mores Cancer ad corporis habitum conferebat. 33 den Wirth/ ſerpentem, qui cancrum recepit. *Non hoſpes ab hoſpite tutus.* Hoſpes enim Paſſiue ſignificat quoque eum, qui hoſpitio recipitur. 34 certo. 35 laſſi, delaſſati, feſſi facti. * Vas eſt aquarium vrceus, nec exiguum, non ad hauriendum aquam aut portandam, ſed ad conſeruandam diutius: quales nunc Romæ prædiuites Cardinales & nobiles in ſubterraneis cameris collocatos habent alueos: eiusmodi quoque vaſis ruſtici plerarumque nationum lac conſeruant, & concretum quidem lactis in cibum, ſerum vero potus loco illis ſeruatur. ** Hinc Lycophron, teſte Athenæo, *θῆρας γλακτοφάγους*, hoc eſt, beſtias lactiuoras ſerpentes appellauit, quod naturali quodam appetitu lac præcipue ſorbere gaudeant, quum tamen alioqui exiguo indigeant potu. Quoties autem ad lactis vrceum adrepunt, non tam lactis ſuctu delectantur, quam vt pingue ſupernatans,

tur [36]. Itaque non raro fit, vt in vas illabantur [37]. Ei malo [38] paratum [39] habent remedium. *Io.* Quod? obſecro [40]. *Ep.* Summu teſtæ os [41] allio * circumliniunt. Is odor deterret [42] ſerpentes. *Io.* Quid igitur ſenſit Horatius * cum ſcriberet, *allium venenum cicutis* [43] *nocentius*, cum ſit, vt ais, aduerſus venena [44] remedium? *Ep.* Sed audi quod eſt durius: interdum clanculum adrepentes in os patens dormientis coniiciunt ſeſe, & in ſtomachum ſeſe con-

---

quod in butyrum conflatur, lingere ac deſorbere valeant: hæc ſumma voluptas. Aliquando in pratis ac paſcuis ad vbera paſcentium adrepunt, miſeroſque ruſticos omni lactis & ſpe & prouentu defraudant. Et facile quidem patiuntur vaccæ eiusmodi mulgentes fauces, vel quod venenum vereantur ſi repugnent & obnitantur, vel quod mollius ſuctu quam digitis compreſſis lac educi ſentiant. Habent ad hoc remedium mulierculæ: ceream comparant, quam deuouent hierophantæ in Purificationum feſtis; hac incenſa, ter contingunt vbera vaccæ, ſed non ſine tripudio & choreis: atque ita illæſas in annum redeuntem ſe conſeruare arbitrantur. 36 delectantur. 37 incidant; illabor. Ich falle ſanffte hinein. 38 Huic rei. 39 in parato. 40 ſodes, amabo, rogo, quæſo te. Ey lieber! 41 vaſis orificium, extremam vrcei oram. Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem teſta diu. * Grauis odor allii ſerpentes fugat, vt docet Nicander in Alexipharmacis: & a fœtore Latini *allium* vocarunt, quaſi *halium*, quod grauiter halaret; Græci vero σκόροδον ἀπὸ τοῦ σκαιὸν ὄζειν, hoc eſt, a male olendo, vel ἀπὸ τοῦ σκῶρ ὄζειν, quod ſtercus oleat. 42 fugat, pellit. * Horatius in *Epodo Ode tertia* non aliam pœnam parricidæ ſtatuit, quam vt deguſtet *allium*, quod hoc *cicutis*, id eſt, *veneno* ſit nocentius. 43 quam cicuta, quam cicutæ, cicutarum venenum. 44 varium venenum, wider mancherley Gifft.

conuoluunt. *Io.* An non protinus exanimatur homo talem nactus hospitem[45]? *Ep.* Non, sed afflictissime[46] viuit, nec est vllum mali leuamen, nisi vt lacte aliisque gratissimis serpenti cibis alant[47] hospitem. *Io.* Nihil remedii aduersus tantum malum? *Ep.* Comesum[48] affatim allium. *Io.* Non mirum igitur, si messores gaudent allio*. *Ep.* Et alias medetur delassatis labore & æstu**. Verum in hoc discrimine non raro lacerta quamuis pusilla seruat hominem. *Io.* Qui potest? *Ep.* Vbi sensit serpentem insidiari, circumcursat per collum & faciem hominis; nec finem facit, donec pruritu scalptuque vnguium excitetur. Porro qui expergiscitur, conspecta in pro-

45 conuiuam. Gast. 46 miserrime. 47 nutriant, foueant. 48 comestum. Cæterum de Hominibus a brutis enecatis prostat Dissertatt. Historico-philosophica. M. Christiani Göbicks Lips. 1638. habita. Vid. c. l. Historicum §. XV. de Reptilibus. * Horatius in Ode paulo ante citata miratur, messores tam horrendum cibum ferre posse. *O dura*, inquit, *messorum ilia, quæ allium venenum magis quam cibum concoquitis*. Non autem messorum tantum cibus est, verum omnium rusticorum, quod hæ fuerint prisci illius & frugalis seculi deliciæ, cuius si adhuc vestigia vsquam extant, ea mehercule apud hoc genus hominum tantum superesse dixero. Allii autem arrosionem ad frugalitatem pertinere, item pauperum rusticorumque cibum fuisse, docere te potest Aristophanis interpres. Galenus certe amuletum rusticorum allium prædicat. Et Plinius ad multa, ruris præcipue, medicamenta facere testatur. ** Id videtur a *Virg.* acceptum, vbi Thestylis Maroniana messoribus suis rabido fessis æstu Allia serpillumque herbas contundit olentes.

propinquo lacerta, mox intelligit hostem alicubi esse in insidiis*, ac circumspiciens deprehendit. *Io.* Mira naturæ vis [49]. *Ep.* Iam nullum est animal inimicius [50] homini quam crocodilus, qui sæpenumero totos homines deuorat,& arte* malitiam adiuuat, hausta aqua lubricans [51] semitas, quibus descendunt ad Nilum aquam hausturi, quo collapsos deuoret. Neque te fugit [52], delphinum, etiam in diuerso elemento natum, φιλάνθρωπον * esse. *Io.* Audiui fabulam de adamato puero ** celebrem, celebriorem autem de Arione ***. *Ep.* Quin

---

* Id est, *insidiari*, metaphora a re militari. Nam hostes cum aperto Marte cum aduersariis conserere manus non audent, alicubi latentes ex insidiis subito inimicum aggredi solent. Terentius : *Hunc prius adito tu; ego in insidiis hic ero, si quid deficies.* *Salustius* : Ac statim signo dato, vndique simul ex insidiis Numida inuaditur. 49 die Natur spielt wunderlich! 50 magis inimicum, infensius, infestum magis. *, Subiicit mox versutiam: vel hoc referendum ad id, quod conspecto homine lachrymas citur emittere, quo facilius nihil tale metuentes deuoret. Vide Chiliades, Crocodili lachrymæ. 51 lubricas reddens, schlüpffrich/ glatt machen. 52 Neque ignoras, neque te latet. * Id est, hominis studiosum, amicum, fauentem homini. Sic *Plinius*, Delphinus amicum homini animal. ** Huius fabulæ, & plurium huiusmodi mentio est apud Plinium capite de Delphinis: Et Nepos in epistolis, & Oppianus libro tertio recensent quoque similes. *** Hanc Gellius florida dictione ex Herodoto descripsit: & Plinius cap. eodem. Est autem hoc animal non modo homini amicum; sed quicquid musica sonoritate aures demulcere potest, huic gaudet adesse, cum hoc ludere delectatur. Et quod de cytharœdo Arione narrant, id quoque in luscinia accidisse, memini me ex

Quin & in venatu * mugilum[53] piscatores delphi-

Græcorum epigrammatis didicisse. Epigramma autem l. 1. habetur, lepidum certe, & mirum in modum elegans: quare nec pigebit ascribere. Extat autem Philippi titulo, qui temporibus Iustiniani Augusti in hoc scribendi genere nullo inferior fuit.

Μεμφομένη βορέην, ἐπεπωλώμην ὑπὲρ ἅλμης.
Πνεῖ γὰρ ἐμοὶ Θρήκης ἤπιος οὐδ' ἄνεμος.
Ἀλλά με τὴν μελίγηρυν ἀηδόνα δέξατο νώτοις
Δελφὶν, καὶ πλήνην πόντιος ἡνιόχει.
Πιστοτάτῳ δ' ἐρέτῃ πορθμευομένη, τὸν ἄκαμπον
Ναύτην τῇ στόματος θέλγον ἐγὼ κιθάρῃ.
Εἰρεσίην δελφῖνες ἀεὶ μούσῃσιν ἄμισθον
Ἤνυσαν, οὐ ψεύστης μῦθος Ἀρίονιος.

Id nos ita conati sumus Latinum facere.

Auersata grauem Boream super æquora aëdon
Me dederam, ventis, Thracia, pulsa tuis.
Squammiger vt nostræ persensit murmura linguæ,
Auxilio Delphin me pereunte venit.
Iamque sedens humeris tam læto remige tuta
Vectorem blanda mulceo voce meum.
Sed neque Delphinis naulum mos soluere Musis:
Nec rumor fictum perstrepit Arionem.

* Hoc Plinius eodem capite in stagno Laterna appellato Nemausensis agri, in prouincia Narbonensi, & in Tasfico sinu fieri tradit. Oppianus quoque ἁλιευτικῶν postremo hanc venandi cum Delphinibus consuetudinem describit, atque id eleganter satis, sed in Ægeo mari circa Eubœam. Quod autem Erasmus ait, vice canum, id quoque per similitudinis applicationem Oppianus,

Ἄντ' ἀνδράσι θηρητῆρσιν
Θῆρας κύνες σεύοντες ἀμοιβαίῃς ὑλακῇσι.

Sic pisces ad terram, inquit, pellunt delphines, tanquam ad viros venatores canes mutuis latratibus feram citant.

53 Meer = Aesch/Groß=Kopff/Harter oder Harder.

phinorum ministerio vice canum vtuntur, qui accepta prædæ portiuncula recedunt. Quin & castigari sese patiuntur, si quid in venatu deliquerint. In mari vero frequenter nauigantibus apparent, gaudio gestientes, & in summis vndis lusitantes[54]: interdum adnantes ad nauim[55], nonnunquam & tensa vela transilientes. Adeo delectantur hominum consuetudine[56]. Verum vt hominum est studiosus[57] delphinus, ita crocodilo capitalis est hostis[58]. Egreditur mare, & in Nilum, in quo regnat crocodilus, audet venire, congressurus cum dentibus, vnguibus, & squamis ferro etiam impenetrabilibus, armata bellua[59], ipse nec ad morsum satis instructus[60], quippe os habens ad pectus vergens *. Sed impetu fertur[61] in hostem, ac iam illi proximus repente submittit sese[62], erectisque in tergo pinnis mollia ventris perscindit[63], alias inuulnerabili[64]. *Io.* Mirum est quodque[65] animal statim agnoscere hostem suum, etiam nunquam antea visum, scireq;

&

54 Frequentat. a ludo, lusi, lusum. 55 nauem adnatantes. 56 conuersatione, familiaritate. 57 amantissimus. 58 Tod-Feind. 59 cum crocodilo armato dentibus, vnguibus & squamis, quæ ferro etiam sunt impenetrabiles. 60 cum ipse sc. Delphinus ne quidem armatus, informatus, institutus sit. * Sic Plinius, Multum illi infra rostrum os ac medio pene in ventre. 61 labitur, inuadit. 62 scil. crocodilo. Es kreucht unter das Crocodil. 63 scil. ei, crocodilo. 64 qui alias vulnerari nequit, nescit, non potest. 65 vnum quodque, quodlibet, quoduis.

&cur impetatur [66], & qua [67] lædi aut ſeſe tueri [68] poſſit: cum hoc homini ſit negatum [69], qui ne regulum * quidem horreret, niſi admonitus, maloue doctus. *Ep.* Scis, equum [70] animal obſequiis hominum natum. Huic capitale diſſidium [71] eſt cum vrſo, homini noxia beſtia. Agnoſcit hoſtem nunquam viſum, ac protinus [72] ſe parat ad pugnam. *Io.* Quibus armis pugnat? *Ep.* Arte potius [73] quam viribus. Tranſilit vrſum, & in ipſo ſaltu poſteriores calces impingit [74] in caput. Atque vrſus [75] interim vnguibus ſcalpit equini ventris mollia. Aſpis [76] homini venenum eſt immedicabile; cum hac belligeratur [77] ichneumon *. Idem exitialis [78] hoſtis crocodilo. Similis affectus eſt elephantis * erga ho-

66 inuadatur. 67 ſcil. parte, ratione. 68 defendere. 69 denegatum. * Regulus Baſiliſcum etiam ſignificat, ficto nomine ab etymologia Græca; ne quis opinetur, regulum auem hoſtem eſſe noſtrum. 70 eſſe. 71 odium internecinum. Tod⸗Feindſchafft. 72 illico, ſtatim, mox. 73 ſcil. pugnat. 74 infligit, illidit. Es ſchlägt ihn mit den Hinter⸗Füſſen/ Huff⸗Eiſen in den Kopff/ auf den Kopff. 75 vrſa. 76 ſerpens paruus. 77 bellatur, belligerat, bellat. Eſt Verbum abundans. * Ichneumona, quod cum ſerpentibus, crocodilo & aſpide perpetuam inimicitiam exercet, Græci aliquot authores ὀφιομάχον appellant. Belligerantur autem cum aſpide ichneumones, quia capientes hos ſerpentes, per caput vel caudam in flumen trahunt. Crocodilis vero inſidiantur, dum illi trochilis dentibus purgandis rictum diducunt: tunc ichneumon in oris hiatum intrat, & exeſis viſceribus e ventre mortuorum egreditur. Lege præter Plinium, Ammianum Marcellinum lib. 22. Indianiſche Mauß. 78 capitalis, internecinus. * Hæc omnia de Elephantis tradit Plinius.

hominem: nam & viatorem ſimpliciter errantem clementer reducunt in viam, & agnoſcunt amantque doctorem ſuum. Feruntur & exempla [79] deuoti amoris erga certos homines: ſiquidem vnus adamauit in Ægypto mulierculam corollas [80] vendentem, Ariſtophani grammatico caram. Alius Menandrum Syracuſanum adoleſcentem ſic amauit, vt deſiderium illius, quoties non videret, inedia [81] teſtatus ſit. Sed ne hæc, quæ plurima commemorantur, referre pergamus, cum Bocchus Rex in triginta quosdam ſæuire decreuiſſet, eos totidem elephantis obiecit, ſtipitibus alligatos. Cumque immiſſi eſſent qui inter elephantos procurſantes [82] eos laceſſerent, nunquam efficere potuerunt, vt ſe regiæ crudelitatis miniſtros præberent. Atque huic animanti Φιλανθρώπῳ [83] bellum exitiale eſt cum draconibus Indicis, qui feruntur [84] eſſe maximi, vt frequenter in pugna pereat [85] vterque. Porro draco inimicus eſt homini, etiam non laceſſitus [86]. Simile diſſidium eſt aquilæ cum draconibus minoribus*, cum homini [87] ſit innoxia [88], imo, cum feratur etiam amatorios ignes ſentire * erga certas puellas. Eidem aui bellum

---

Dicitur enim & Elephantus, i. & Elephas, antis. 79 ſc. eſſe. 80 ſerta. Kräntzlein / Kräntzchen. 81 abſtinentia cibi, paſtus. 82 procurſando, circumcurrendo. 83 hominis amantiſſimo, ſtudioſiſſimo. 84 perhibentur, dicuntur. 85 occumbat, intereat, occidatur, interficiatur. 86 prouocatus, irritatus. * Habet & iſta Plinius omnia. 87 ſcil. ipſa. 88 non-noxia nociua. * Id circa Seſton vrbem contigiſſe ſcribit Plinius.

lum internecinum est cum * cyminde [89], id est, nocturno accipitre. Elephantus odit etiam murem, animal homini quoque molestum? eoque abhorret a pabulo in quo murem conspexerit. Nec caussa liquet cur oderit. Nam hirudinem merito horrent, quod ea in potu hausta [90] grauissime discrucientur. Iam vix vllum animal amicius homini quam canis, nec inimicius quam lupus, vt quod aspectu quoque vocem adimat*: & inter hæc summa discordia est, quemadmodum ouium generi lupus infestissimus; quod totum pendet a prouidentia hominum, quorum præcipua cura est tueri

---

* Plinius capite de accipitribus author est. Verum Homerus cymindin, non accipitrem, sed noctuam videtur appellasse hoc versu. *Iliad.* ξ. Χαλκίδα κικλήσκουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ κύμινδιν. Noctua enim χαλκὶς vocatur, quod æneum colorem videatur habere: & fortassis cymindis a maris colore; quod, vt noctua, sic mare subinde glaucum epitheto dicatur. Callimachus eam auem non cymindin, sed cymin vocat, fortassis ob sonum quem reddit, cycaban. Homeri tamen scholia γένος ἱέρακος, i.e. de accipitrum genere, cymindin esse censent. 89 cymindis, is. Accipitris genus. Nacht-Habicht. Cyminde. 90 si ea in potu hausta fuerit; hirudo scilicet seu sanguisuga. Blut-Egel. * Lege Chiliades: Lupi illum videre priores: & Donatum in *Terent. Adelph.* Lupus est in fabula. Scaliger Exercit. 344. §. 1. suo exemplo fabulam refellit dicens: *Ter in venationibus scio me a lupo conspectum &c. Tantum vero abest, vt obmutuerimus, vt magis clamoribus primo perterritum compulerimus ad fugam: mox insecuti prædam, licet sine vita abstulerimus.* Assertores autem inanis persuasionis tot ferulis castigandos esse dicit, quot homines & lupos viderint & ab ipsis visi sint sine iactura vocis.

tueri animal innoxium [91], & alendo homini natum: in lupum vero velut in publicum humani generis hostem armantur omnes, præcipue canum commilitio [92]: quæ res etiam prouerbio fecit locum *, *Non magis parcemus quam lupis* [93]. Lepus marinus * immedicabile est homini venenum,

91 minime noxium, damnosum neutiquam sed vtile, imo vtilissimum ad cibum & vestitum. Curiosum est, quod Schottus recenset, rusticum lupum habuisse, qui cum canibus caulas defenderit & lupos inuasores arcere consueuerit. 92 dum commilitantur canes, & simul depugnant. * Ex Aristophane & illius interprete hoc adagium enarratum est ab autore, quod scilicet olim apud Atticos lex fuerat de interficiendis lupis, quæ præmio etiam inuitaret ad hanc feram persequendam. Et hæc quidem interpres Comici. Sed videtur hoc commentum damnare Apollonii Rhodii scholiastes, qui in honore summo apud Athenienses lupos fuisse contendit, in tantum etiam, vt si quis illic lupum interemisset, inferias illius sepulchro inferre compelleretur; hinc πολιὸς, id est, canos, non a colore dici, sed ob reuerentiam. Causam addit, quod Latona vterum gestans bis senis diebus in lupum mutata in Delum perrexerit. Hinc esse quod certo quodam anni tempore omnes illæ lupæ pariant; idque intra duodecimum diem. Adducit Philostephanum quendam, qui talia prodiderit in commentariis suis. 93 Wir wollen mit umgehen / ihn tractiren / wie mit einem Wolffe / wie einen Wolff. Germanus dicit; wie einen Hund / wie mit einem Hunde. Schottus Phys. Curiosa lib. VIII. c. 48. Habuimus, inquit, aliquando hoc in Collegio nostro lupum, qui non minus catello quouis familiariter cum Patribus nostris versabatur. * Hoc Plinius tradit lib. 32. cap. 1. De Pantheris & Hyænis eadem docet. Hoc tamen quod ait, Hyænam cum Panthera pugnare, non ea de

num, si quis imprudens gustauerit; at rursus hominis contactus mors est lepori [94]. Panthera sæua est in hominem, & tamen adeo terretur [95] ab hyæna, vt ne congredi quidem sustineat. Hinc narrant, si quis quid [96] secum gestet de corio hyænæ, a panthera non appeti [97]; tam sagax est naturæ sensus. Addunt & illud, si pelles vtriusque belluæ suspendas inuicem ex aduerso, panthericæ [98] pilos defluere. Araneus homini domesticum est animal, exitiale vero serpenti *, adeo vt forte conspicatus [99] sub arbore serpentem apricantem, filo se libret [100], & aculeum mediæ infigat fronti, tam acri vulnere, vt serpens, dolore [101] rotans sese in gyrum [102], tandem emoriatur. Accepi [102] ab iis qui spectarunt, simile dissidium esse araneo cum bufonibus; sed bufonem ictum sibi plantagine admorsa [103] mederi. Au-

causa sit, quod hyæna erga hominem bene affecta sit. Nam Aristoteles lib.6. historiæ animalium, mirifice insidias muliri hyænam hominibus rtadit, & sepulchra quoque effodere: tantam illi feræ auiditatem humanæ carnis inesse. See-Haase. 94 sc. efficienter & effectiue, non formaliter. id est, contactus mortem leporis marini operatur. 95 sc. Panthera, Vom Grab-Thiere wird das Panter-Thier erschreckt. 96 si aliquis aliquid. 97 inuadi, impeti. 98 sc. belluæ. Lupi quoque cum agni corio positum ipsum depilat, forte quod lupini pili diutius durant cum sint duriores, aridiores & ficciores. * Hoc ipsum Plinius scribit lib. 10. cap. 74. 99 si araneus conspicatus fuerit, conspexerit. 100 demittat. 101 id est, præ dolore. 102 circulum. 102 Audiui, Narratum mihi est. 103 dum admordet plantaginem. Aiunt, aliquando mona-

Audies fabulam Britannicam. Scis illic conclauium ſolum[104] conſterni[105] ſcirpis virentibus[106]. Monachus quidam faſciculos aliquot ſcirporum in cubiculum congeſſerat, ſparſurus cum eſſet commodum. Is cum a prandio ſupinus[107] dormiret, bufo ingens erepſit, & os dormientis obſedit, infixis ſuperno atque inferno labro quatuor pedibus. Detrahere bufonem certa mors erat; non amoueri[108], quiddam erat morte crudelius. Quidam ſuaſerunt vt monachus ad feneſtram defer-

---

chum (eſt enim hoc hominum genus admodum curioſum) in araneum & bufonem concertantes incidiſſe, & dum euentum certaminis auidius expectat, ictum bufonem vehementer vidiſſe tumidum: ſed mox plantagine guſtata, quæ tum in buſtuario creſcebat, veluti reſumptis viribus, pugnam redintegraſſe. Admiratus inſolitum ſpectaculum monachus, diligentius hos pugiles obſeruabat, & quod paulo ante de bufone cognouerat, id iterum conſpicatus quam poteſt ociſſime plantaginem omnem, quæ in proximo creſcebat, radicitus extirpat, & apud ſe condit. Interea bufo, accepta tertia plaga, cum ad ſolitum medicamentum accurrens auxilio herbæ deſtitueretur, in tantum intumuit, vt non prius tumorem quam vitam finiret. Inde compertum habuit, plantaginem contra venena & venenatorum ictus multum facere. 104 tabulatum. 105 tegi. 106 grüner Schilff/ Semſen/ Binſen/ Thäten. 107 non pronus. Qui *ſupini* cadunt, vultum cœlo apertum oſtendunt; at qui *proni*, in faciem cadunt; vt obſeruat Gueuara Epiſt. ad Frideric. Enriques, qua docet cur Abraham & Ezechiel *proni*, ſed Heli ſacerdos & Iudæi ad Chriſtum capiendum egreſſi *ſupini* in terram procederint. p. m. 60. 108 ſi non amoueretur, detraheretur.

ferretur supinus, in qua ingens araneus habebat telam. Factum est. Mox araneus hoste conspecto, filo se librat, & bufoni spiculum infigit, ac filo se recipit in telam. Intumuit bufo, sed non est analsus. Repetitur[109] ab araneo: magis intumuit, sed vixit. Tertio[110] ictus[111] abduxit pedes ac mortuus decidit[112]. Hanc gratiam araneus retulit[113] hospiti suo. *Io.* Mira narras. *Ep.* Addam quod non legi, sed his[114] oculis conspexi. Simius supra modum horret testudinem. Huius rei quidam dedit nobis specimen[115] Romæ. Puero suo in verticem imposuit testudinem, & pileo contexit; dein produxit[116] ad simium. Illico simius gaudens insiliit in humeros pueri, venaturus pediculos: sublato pileo reperit testudinem. Mirum erat spectaculum quanto cum horrore resilierit bestia, quam expauerit, quam timide respexerit, an sequeretur testudo. Additum est aliud specimen: alligauimus testudinem catenæ a qua reuinctus erat simius, vt effugere non posset, quin saltem aspiceret: incredibile dictu, quantopere fuerit discruciatus; tantum non[117] metu exanimabatur[118]: interdum auersus posterioribus pedibus depellere tentauit hærentem bestiam. Tandem quidquid erat in aluo * aut

109 Iteratur. 110 Tertia vice. 111 punctus, læsus. 112 bufo. 113 habuit, exhibuit, obtulit, persoluit. 114 meis. 115 documentum, experimentum huius rei. Eine Probe hiervon. 116 sc. puerum. 117 fere, ferme; parum aberat quin exanimaretur. 118 exspirabat. * Simius non alia re metum indicat, quam proiectis excre-

aut vesica oneris reiecit[119]. Sequuta est ex eo pauore febris, vt nobis fuerit soluendus a catena, & aqua vino temperata refocillandus. *Io.* Atqui nihil est[120], quod sibi a testudine metuat simius. *Ep.* Fortassis aliquid est quod nos fugit, naturæ cognitum. Nam cur acanthis[121] oderit asinum, causa in promptu est, quod ille se affricat spinis, in quibus nidulatur auicula, & flores eius[122] depascitur. Tantus autem terror habet acanthidem, vt si quando procul asinum rudentem audiat, oua deiiciat, pulli e nido decidant metu. Nec patitur hostem impunem. *Io.* Sed qua tandem in re acanthis lædit asinum? *Ep.* Rostro * fodit illius hulcera[123], fustibus & oneribus[124] facta; pungit & mollia narium. Potest item aliquid caussæ diuinari, cur inter vulpes & miluios[125] mutua sit simultas, quod auis rapax alterius catulis insidietur; fortasse vulpes vicissim illius pullis[126]; quæ

mentis. Hinc vulgare nostratium prouerbium: *Verendum ne præ metu te commacules instar simii:* quum in meticulosum ludunt. 119 aluum aut vesicam exonerauit, euacuauit. 120 sc. causæ; causa nulla est. 121 Cantat acanthis auis, sed crescit acanthus in agris. Ein Zeißtel Fincke; Distel-Fincke/ Stieglitz. 122 cuiusque flores. * Id Plinius ægitho aui adscribit: Asinus, inquit, spinetis se scabendi causa atterens, nidos ægithi dissipat: quod illa adeo pauet, vt voce omnino rudentis audita oua eiiciat, pulli ipsi metu cadant. Igitur aduolans, vlcera eius rostro excauat. Deinde restatur, & acanthida ea de causa asino inimicam. 123 vlcera. 124 inflicta, incussa, iniecta. 125 miluos. Weyher/ Hühner-Vogel/ Hühner-Dieb. 126 Differentiam docet inter *catulos* & *pullos*; de qua vide sup.

quæ causa dissidii est inter sorices, & ardeolas [127]. Eadem fere ratio est inter æsalon * paruam auiculam & vulpem. Nam æsalon oua coruorum frangit. Eadem infestatur a vulpibus, & vicissim illas infestat, catulos earum vellicans. Quod vbi [128] viderint corui, vulpibus velut aduersus communem hostem suppetias ferunt. At vix diuinare liceat, quam ob causam inter se oderint olores [129] & aquilæ *, coruus & chlorio **, cornix & noctua, aquila & trochilus [130], nisi hoc male habet aquilam, quod ille Rex auium * vocetur. Cur male conuenit cum noctua [131] cæteris minoribus auibus, mustelæ [132] cum cornice, turturi cum py-

127 Quoniam, inquit Plinius, altera alterius catulis insidiatur. Sorex, icis. Spitz-Mauß. Ardeola Deminutiu. ab Ardea. Der Reyher/ kleines Reyherlein/ junger Reyher. * Aristoteles hanc auem inter accipitres refert. 128 Hoc vbi, vbi hoc, cum, si hoc. 129 Prou. anser strepit inter olores; ex versu: Digna sed argutos interstrepere anser olores. * Fortassis non alia ex caussa mutuum harum auium odium oritur, quam quod cygni sibi ab aquila metuunt, vt hostis ab hoste sibi cauet. ** Qui Græcis χλωρίων. Theodorus vireonem, a viridi colore interpretatus est: auis tota viridis, quod ex voce liquet, hyeme videtur, sed teste Aristotele per æstatem volat, idque maxime solstitialibus horis: sed tamen difficulter pennas mouet, quum alioqui ingeniosus & διδακτικὸς habeatur. Wieden-Wahl/ Grün-Vogel/ Grünling. 130 Zaun-König/ Zaun-Schlipperlein. * Trochilus Græcis τρόχιλος a nobilitate & cursitando nomen habet, nempe ἀπὸ τοῦ τρέχειν. Aristoteles cap. 11. lib. 9. aquilam cum trochilo pugnare scribit, quod Trochilus senator & Rex vocetur. 131 Sie können sich mit der Nacht-Eule nicht vertragen; sie stimmen nicht/ sind uneins. 132 mustellæ Wiesel.

pyrali [133], ichneumonibus [134] vespis cum phalangiis araneis [135], anatibus cum gauiis [136], harpæ [137] cum triorchye * accipitre, thoibus [138] cum leonibus? Præterea cur sorices formicosam horreant arborem? Vnde tam irreconciliabile bellum inter scarabeum [139] & aquilam? nam apologus ex ipsa animantium natura fictus est. Vnde est quod iuxta Olynthum in certo terræ spacio non viuant scarabei, si inserantur? Et inter aquatilia quam ob causam mugil & lupus [140] mutuo odio* flagrant, sicut conger [141] & murena [142], caudas inter se prærodentes? Polypum [143] in tantum hor-

133 pyralli, pyrallide, a πυρὸς ttiticum, quod in fruges triticeas excurrat. Wilde Taube/ Weitzen-Taube; Weitzen-Vogel. De his omnibus lege Plinium lib. 10. cap. 74. vnde hæc desumpta sunt. 134 Ichneumon vespa. Indianische Mauß-Wespe/ grosse Hummel. 135 Erd-Spinne. Aranea Phalangium, s. aranea Phalanx, internodia habens in cruribus. 136 Gauia s. larus Kübitz/ Roth-Ganß/ eine Mene oder Holbrot/ Fisch-Rauber. 137 Harpa. Ein Gold-Geier. Hanc esse Latinam auem, Græcorum docent Lexica, in quorum etiam commentariis proditum est, ipsam, quoties veneno icta fuerit, sibi hedera succurrere. * Triorches & τριόρχυς, triorchus, auis a numero testium nomen habet. Est autem de genere accipitrum. Plinius. Haßhart. 138 Thoes. Gattung eines Wolffes. Kleiner Leopard. 139 Scarabeus. Myn-Ochs/ Schröter/ Roß-Käfer. 140 Lucius, lupus piscis. See-Hecht * Hoc quoque Plinius. Sed & Oppianus meminit libro tertio. 141 congrus. Der Meer-Ahl 142 muræna. Murene/ Muhrahl. 143 Polypus, i, & Polypodis. Ein Viel-Fuß/ Polypus.

horret locusta piscis [144], vt si eum iuxta viderit, metu emoriatur. Sic quædam animantia mire iunxit arcanus quidam beneuolentiæ affectus [145], veluti pauones columbis *, turtures cum psittacis, merulas ** cum turdis ***, cornices cum ardeolis [146], qui sibi vicissim auxiliantur aduersus triorchyn accipitris genus, communem hostem. Balænis musculus * piscis exiguus [147] prænatans monstrat viam; nec apparet quam ob rem illi velit inseruire. Nam quod crocodilus fauces porrigit trochillo auiculæ *, amicitia dici non potest, cum vtrumque animal suo ducatur commodo [148]: crocodilus gaudet sibi purgari dentes, & scabendi voluptatem amplectitur: auicula cibum quærit, vescens piscium reliquiis inter dentes hærentibus. Con-

144 Der Meer-Krebß/ die Krabben. 145 arcana propensio, Sympathia. * Plinius lib. 10. cap. 74. ** Amsel *** Krammets-Vögel. 146 scil. iunxit. * Quod de musculo Plinius & alii referunt, hoc Oppianus Laminæ pisciculo cuidam adscribit, hunc vocat balænorum ὁμόςολον: id sonat itineris comitem, hunc ἡγητῆρα, hoc est, vitæ ducem, κεχαρισμένον ἑταῖρον, id est, pergratum socium: præterea πομπὸν καὶ φρουρὸν, hoc est, ductorem custodemque: postremo πρόμαχόν τε, καὶ ὦτα, καὶ φάος ἰχθῦν; quod est, propugnatorem, & aures, & lumina piscium: quod destituta hoc pisciculo capiatur balæna, quod sine lamina nihil videat, nihil audiat; & multa præterea mirifica naturæ opera illic legere licet. 147 Kreße/ Gründel/ Schmerle/ Mäusel/ ein klein Fischlein Musculus genannt. * Lege Ammianum lib. 22. Diodorum Siculum, & Aristotelem l. 9. c. 6. histor. 148 suo duci commodo. Auf seinen Nutzen gehen/ sehen; um seines Nutzens willen etwas thun.

Consimili[149] ratione coruus inequitat dorso suis[150]. Inter anthum * & ægithum[151] tam pertinax est odium, vt negent[152] sanguinem illorum posse misceri; quemadmodum narrant aliarum auium pennas absumi, si aquilinis misceantur. Accipiter est infestus columbino generi[153]; sed has defendit tinnunculus[154] auicula, cuius conspectum & vocem mirum in modum horret accipiter; nec hoc latet columbas: vbicunque tinnunculus reconditus est*, ab ea sede non migrant, fiducia[155] protectoris. Quis causam coniiciat[156], cur aut bene velit generi columbino[157] tinnunculus, aut cur tinnunculum horreat accipiter? Atque vt interdum animalculum minimum præsidio est ingenti belluæ, ita contra a minutissimis exitium est[158] maximis. Est pisciculus scorpii effigie[159], magnitudi-

149 Parili, 150 porci. Ἄνθος Græcis, Latinis florem sonat; hæc autem quæ illis Anthus, nostris Florus appellatur. Aquatilis est, colore variegato speciosoque. Vide de Anti & Ægyth sanguine Plinium, & de sequentibus quoque. Lyrold. 151 Zötscherlein. 152 dicant, non posse. 153 columbis. 154 Busart/ Wandweyher.
* Hanc rem ita Columella l. 8. tradidit. Tam fastidiosa columba est, vt sæpe sedes suas perosa, si detur euolandi potestas, relinquat: quod frequenter in his regionibus, vbi liberos habent egressus, accidere solet. Id ne fiat, vetus est Democriti præceptum. Genus accipitris tinnunculum vocant rustici, qui fere in ædificiis nidos facit. Eius pulli singuli fictilibus ollis conduntur, stipatisque opercula superponuntur & gypso lita vasa in angulis columbarii suspenduntur, quæ res auibus amorem loci sic conciliat ne vnquam deserant. 155 præ, ex fiducia in protectore sc. tinnunculo. 156 colligat, assequatur, diuinet. 157 columbis, 158 proficiscitur, oritur. 159 instar. An Gestalt.

dine aranei piſcis [160]: is ſub pinna [161] affigit ſeſe aculeo thynnis [162] interdum magnitudinem delphini ſuperantibus, tanto dolore, vt nonnunquam in naues inſiliant, idem facit mugilibus [163]. Quid eſt cur leo, animal cunctis tremendum, expaueſcat galli gallinacei cantum * ? *Io.* Ne ſim in hoc conuiuio prorſus aſymbolus [164], referam quod olim his oculis vidi in ædibus Thomæ Mori [165], cla-

160 Piſcis araneus. Waſſer-Spinnen-Fiſch/ Pitermenche. 161 Floß-Feder. 162 es hängt ſich mit dem Stachel an die Thunin. 163 Hardern / Meer-Eſchen. * Hoc Plinius habet, & Plutarchus in commentario de differentia inter odium & inuidiam. Diuus Ambroſius lib. 6. cap. 4. Hexaëmeri dicit vtique, quod leo vereatur gallum, ſed præcipue album. *Lucretius* quoque Poëta, dum cauſam huius odii inueſtigat, ita canit libro quarto;

Quin etiam gallum nocte explaudentibus alis
Auroram clara conſuetum nocte vocare,
Quem nequeunt rapidi contra conſtare leones,
Inque tueri: ita continuo meminere fugai.
Nimirum quia ſunt gallorum in corpore quædam
Semina, quæ cum ſunt oculis immiſſa leonum,
Pupillas interfodiunt, acremque dolorem
Præbent, vt nequeant contra durare feroces.

Et ſunt qui ſcribunt, quos iure gallinaceorum perfuderis, hos a leonibus morſu non appeti. 164 ſymbolæ exſors. Zechfrey; daß ich mein Gröſchgen/ Gröſchlein/ gutachten auch dazu gebe. Aſymbolus dicitur, qui nihil ad ſymbolum confert. Translatum a concœnationibus: nam ſymbolum pignus collatitium in cœnam ſignificat, aut potius *ſymbola. æ.* 165 Scrinii magiſter ſ. cancellarius ſub Henrico VIII. ſecuri percuſſus; homo nimium facetus, vt iam decollandus non ſine riſu carnifici diceret; *Vide ne*

clarissimi apud Anglos viri. Alebat[166] domi simium prægrandem: tum forte, quo reualesceret[167] a vulnere, solutus[168] obambulare sinebatur. In extremo horti erant inclusi cuniculi[169], quibus insidiabatur mustela. Id simius procul[170] quietus & otiosus spectabat, donec videret cuniculis esse nihil[171] periculi. Cæterum posteaquam mustela labefactasset* caueam a muro reuulsam, iamque periculum esset, ne cuniculi tergo[172] nudati prædæ essent hosti, accurrit simius, & conscensa trabe quadam, caueam[173] retraxit in locum pristinum, tanta arte, vt homo non posset dexterius. Ex quo perspicuum, hoc animantium genus simiis esse carum. Ipsi cuniculi non intelligebant suum periculum, sed hostem suum per cancellos osculaban-

eodem ictu barbam disseces, quandoquidem in mandatis tibi solummodo datum, vt caput amputes. Prostat eius de optimo Reipublicæ statu deque noua insula Vtopia libellus, editus cura M. Petri Ægidii, qui Hieronymo Bussidio, Præposito Ariensi, eum dedicauit. De nominibus in ea confictis vid. Voss. Epist. 548. ad Sorberium. Et Iosephus Scaliger Animaduersionum in controuersos Titii locos. lib. X. c. 9. scripsit: Verbum *Vtopia* quanquam a docto & ornato viro, Anglo confictum, tamen Græcum non est; & qui Vtopiam Græcum putant, ii, quid sit Græca componere, nesciunt. Opera eius coniunctim prodiere Louanii 1566. Vid. Quæst. Hist. Eccl. ad Summarium Rechenbergianum Cap. IV. Sect. I. Lips. 1709, excusæ. p. 248. §. 7. 166 Habebat. 167. restitueretur, instauraretur, sanaretur. 168 liber; non ligatus, vinculis non adstrictus. 169 Caninchen. Gaudet in effossis habitare cuniculus antris. Mart. lib. 13. Epigr. 60. 170 e longiquo, eminus. 171 imminere, incumbere. * Elegans verbum, quod pro corrumpere, vitiare, & destruere ponitur. 172 a tergo, post tergum, quoad tergum. 173 domunculam, ædiculam, tuguriolum cuniculi.

bantur. Simius opitulatus est [174] periclitanti simplicitati. *Ep.* Omnibus catulis minoribus delectantur simii, gaudentque fouere sinu & complecti. Sed pius ille simius dignus erat aliquo pietatis præmio. *Io.* Habuit [175]. *Ep.* Quod? *Io.* Reperit illic frustum panis a pueris, vt opinor, proiectum: id arreptum comedit. *Ep.* Verum mihi videtur mirabilius, hoc genus sympathias & antipathias* (sic enim Græci vocant amicitiæ & inimicitiæ naturales affectus,) etiam in rebus anima aut certe sensu carentibus deprehendi. Omitto iam dicere de fraxino [176], cuius nec [177] vmbram quamuis in longum porrectam [178] ferunt serpentes: adeo vt si locum in gyrum [179] circundes igni *, serpens citius in flammam

eat,

---

174 opem tulit, subsidio venit. 175 sc. præmium pietatis.
* Συμπαθεῖν Græcis significat compati: non tamen id est, quod vulgo accipiunt indocti, permoueri malis alterius, sed socium esse & imitatorem atque æmulum afflictionum alicuius. Eum autem affectum atque impulsum συμπάθειαν appellant, hoc est, mutuam quandam rerum cognationem & voluntatem: ad verbum sonat compassionem. ἀντιπάθεια vero e contra repugnantem affectum, & rerum inter se, vel potius contra se, differentiam significat, quasi tu dicas contrapassionem: & ἀντιπαθῶς ἔχειν ἀλλήλων, est inter se pugnare & differre multum. Sic dicitur in Græcorum scholis, τὴν κράμβην καὶ ἄμπελον ἀντιπαθῶς ἔχειν ἀλλήλων, hoc est, brassicam & vitem inter se pugnare, de quo mox plura annotabimus. 176 Aeschen-Baum. 177 ne quidem vmbram, vmbram ne quidem. Schatten auch nicht einmahl. 178 quamuis in longum porrigatur. wenn es auch gleich in die Ferne ist/ in die Weite kömmt. 179 in circulum. circum circa. Um und um; rings/ runde herum.
* Hoc Plinius se expertum dicit.

eat, quam ad arborem fugiat. Nam huius generis exempla ſunt innumera. Erucæ * cum membranis [180] incluſæ, occulto naturæ opificio [181] transfigurantur in papiliones [181], mortuis ſimillimæ videntur, ne ad contactum [182] quidem ſeſe mouent, niſi tranſeunte araneo: hominis prementis digitum non ſentiunt, & ſentiunt leuiſſimi animantis leuiter incedentis pedes: ibi demum viuit. *Io.* Sentit hoſtem capitalem nondum natum inſectum [183]. Iſti non omnino [184] diſſimile eſt, quod narrant de ferro cæſis [185]: ad quos ſi [186] cæteri accedant [187], nihil accidere noui; ſin [188] is qui necauit, continuo perfluere [189] ſanguinem, velut ex recenti vulnere: atque hoc indicio ferunt frequenter proditum cædis auctorem [190]. *Ep.* Nec eſt vanum quod audiſti. Sed ne perſequamur fabulas Democriticas *, nonne comperimus

*Autor eſt Plinius lib. 11, cap. 32. 18 omembranulis. Häutlein. 181 artificio. 181 Schmetterlinge / Molcken-Diebe. 182 contactæ, etiamſi fuerint contactæ. 183 Inſectum hoc, animalculum hoc inſectum. Dieſes kleine Ungeziefer / Thierlein / cum nondum natum eſt, ſentit hoſtem capitalem. 184 prorſus, penitus, omni ex parte. 185 occiſis, trucidatis, interfectis, enecatis, interemtis, confoſſis gladio. Cæſos in hoc loquendi genere non tantum percuſſos, ſed cæſos, occiſos notat. Ferrum generale pro omnibus armis ferreis, quibus corpus vulneratur. 186 ſi ad hos. 187 appropinquent. 188 ſi vero, quod ſi tamen ille. 189 ſtillare. 190 homicidam, interfectorem, percuſſorem. Ex cruentatione cadauerum de Homicida præſente certum quoddam iudicium deſumi nequit. Vide de hac materia Diſſertat. Kirchmaieri Wittebergæ 1669. habitam Sect. II. * Democritus poſt Pythagoram Philoſophum magiam profeſſus, mi-

mus? experimentis, tantum esse dissensionis inter quercum & oleam *, vt vtraque in alterius scrobe [191] posita emoriatur; quercui autem tam male conuenire [192] cum iuglande, vt in propinquo posita extinguatur [193]: tametsi iuglans cunctis fere satis [194] & arboribus noxia est. Rursus cum vitis clauiculis suis [195] omnia complecti soleat, solam brassicam * refugit, & perinde quasi sen-

mirabiles commentationes reliquit, in quibus de naturæ secretioribus fabulosissima quæuis descripta reliquit. Hinc fabulæ Democriticæ videntur dictæ, de naturalibus quidem rebus traditæ, sed quæ, ob insignem vanitatem & inexperientiam, fidem non merentur. Scripsit hic artem, quo pacto auium garritus possit intelligi: item non exiguum volumen de illis quæ apud inferos vsu veniunt, vt Athenæus refert, prodigiosis, vt coniectandum est, fabulis refertum. * De his omnibus sequentibus recurre ad indices Plinii. 191 fissura, fouea, Grüblein/Grube. 219 so übel vertrag. 193 emoriatur, intereat, pereat, pessum eat, exarescat. 194 sc. rebus plantatis. 195 Wein-Gäblein/ Häcklein. * Causam fabulosam fingunt Græci, quam recenset Aristophanis interpres. Lycurgus fuit homo scelestus, qui omnes vites falce demetere in animum induxerat: hunc comprehensum Bacchus vitibus alligauit, vt supplicium de illo sumeret: sed is dum vitibꝰ alligatus lachrymas effunderet, ex illis brassica enata est: atque hinc esse aiunt, quod etiamnum male conueniat viti & brassicæ hostis sui reliquiis. Hanc autem fabulam rusticorum filios credere dicit: quia si quis brassicæ radice vitem contingat, vitiue alliget, nullos vitem fructus editurum: vnde etiam illam primo loco in symposiis proponi: & Ægyptii ante omnia fercula coctas brassicas degustabant, ne possent vino inebriari. Hæc ille.

ſentiat, in diuerſam partem ſeſe vertit[196]. Quis admonet vitem, hoſtem eſſe in propinquo? Eſt enim braſſicæ ſuccus vino contrarius; eoque ſolet edi aduerſus ebrietatem. Nec deeſt braſſicæ ſuus hoſtis: ſiquidem oppoſita cyclamino[197] & origano[198] exareſcit. Similis affectus eſt inter cicutam & vinum; cicuta homini venenum eſt, cicutæ vinum *. Quod eſt illud arcanum commercium[199] inter lilium & allium, vt in propinquo naſcentia mutuo ſibi gratificentur? Nam allio plus eſt vigoris, & lilii flores ſuauius

196 Cauſa vera & phyſica emarceſcentiæ vitis in vicinia copioſæ braſſicæ in propatulo eſt, braſſicæ ſcilicet laxa bibulaque ſubſtantia, in quam ſuccus terreſtris aëris incumbentis pondere ferme omnis multo promptius exprimitur & ſic lignoſis vitium fibris, quæ difficilius dilatabiles illum tardius admittunt, præripitur. Vid. Sturmii Phyſ. Elect. ſ. Hypothet. Parte general. c. IX. de Qualitatibus inſenſibilibus vulgo occultis dici ſolitis. p. 469. 197 Schweinbrod/ Erd-Aepffel; dicitur & cyclamen, inis, canis porcinus, umbilicus terræ, arthanita. 198 Origanum Wohlgemuth. * Nec hoc mirandum, quum illa ſit omnium herbarum & forte etiam venenorum frigidiſſima: vinum vero egregie calidum a Phyſicis proditur: vnde & αἴθοπα οἶνον dicit Homerus. Lege de his Plinium. 199 arcana amicitia, mutuus amor, naturæ conuenientia, ſympathia, concordia. Opponitur diſſidio & odio naturali ſuperius expoſito. Vtrumque & commercium & diſſidium declarabitur a qualitatibus variarum exſpirationum ſeu exhalationum, quæ diffuſæ e corporibus & plantis certas virium ſuarum ſphæras obtinent, prout vel acceptæ vel minus gratæ ſunt: naturales enim a contrariis aſpernationes obſeruante Merbitzio in Diſſertat. Hiſtorico-Phyſica de Diſſidio Animalium Lipſ. 1672. propoſita.

ſuauius olent. Quid heic memorem [200] de coniugiis arborum, quarum fœminæ ſterileſcunt, niſi in propinquo ſit maſcula? Oleum ſoli calci miſcetur [201], cum vtraque res pariter oderit aquam. Pix attrahit oleum, cum vtrumque ſit pingue. Argento viuo [202] innatant omnia, excepto auro. Id ſolum ad ſe trahit & complectitur. Quis ille naturæ ſenſus [203], vt adamas, quamlibet duris reſiſtens, ſanguine hircino molleſcat? Quin & inter ipſa venena diſſidia videas. Scorpius ſi forte repat per aconitum [204], palleſcit ac torpeſcit. Eidem adeo noxia eſt herba, cui nomen ceraſtis [205], vt, qui ſemen modo eius tractarit digitis, impune [206] contrectet ſcorpium. Sed harum rerum, quæ ſunt innumeræ, conſideratio ad rei medicæ profeſſores pertinet. Quænam eſt illa vis vel amicitiæ, vel diſſidii, inter chalybem & magnetem [207], vt materia natura grauis ad lapidem currat, & inhæreat velut oſculo, & ab eodem citra contactum refugiat? Iam cum aqua ſe facile miſceat rebus omnibus, maxime ſibi; tamen ſunt, quæ tanquam odio mutuo mixturam refugiunt; velut amnis qui in Fucinum lacum [208] in-

200 commemorem, eloquar. 201 miſceri poteſt. Läſſt ſich bloſſ miſchen. 202 Mercurio. 203 affectus; quæ propenſio, perceptio. 204 aconitum Wolffs-Kraut/ Wolff-Wurtz. 205 quæ ceraſtis vocatur. Welches Ceraſtis heiſſt. 206 ſine damno, ſine noxa accepta. 207 Magnes chalybem ferrumque attrahit, quia ferrum & chalybs habent poros magneticis ſimiles, nec alia re differre videtur, niſi quod ſit mollius adeoque mutabilius ferrum. Ioannes Clericus lib. II. Phyſ. c. VI. §. 7. 208 Marſicus, Lago de Ros-

inuectus supermeat, in Larium [209] Addua [210], in Verbanum [211] Ticinus [212], in Benacum [213] Mincius, in Seuinum [214] Ollius [215], in Lemanum [216] Rhodanus [217]; e quibus nonnulli multorum millium transitu [218]; hospitales [219] suas aquas tantum, nec largiores, quam intulere, euehunt [220]. Tigris [221] influit in lacum Arethusam, ac

silon Erythræo, Lago di Celano And. Braccio dicitur alias. 209 Larius lacus Comacenus, Lago di Como Alberto & Iouio dictus. 210 Adda. Die Adde. 211 Verbānus penult. breui, Lombardiæ lacus, nunc *Lago Maiore*. Die lange See. 212 Tesino, der Fluß Tesin. 213 Lago di Garda; Gard-See. 214 Der Jser-See. 215 Oglio fluuius prope Tridentum emanans. 216 Lacus Lemanus vulgo *Lac de Geneue*. 217 die Rhone. 218 affluxu, influxu, meatu. 219 aduentitias, accessorias. 220 emittunt, propellunt, eliminant, exigunt, abigunt. 221 Magnum Asiæ flumen, de quo dicit Plinius Naturæ mysta lib. VI. c. 27. *A celeritate Tigris incipit vocari. Ita appellant Medi sagittam. Influit lacum Arethusam omnia illata pondera sustinentem. Vnum genus ei piscium est, idque transcurrentis non miscetur alueo, sicut nec e Tigri pisces in lacum transnatant.* Conferatur Plinii liber II, c. 103. de miraculis aquarum; vnde hæc omnia sua depromsit manifeste Erasmus. *Nec aquarum natura*, inquit Plinius, *a miraculis cessat. Dulces mari inuehuntur, leuiores haud dubie. Quædam vero & dulces inter se supermeant alias. Vt in Fucino lacu inuectus amnis, in Lario Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Seuinno Ollius, in Lemano Rhodanus, hic trans Alpes, superiores in Italia, multorum millium transitu hospitales suas tantum, nec largiores, quam intulere aquas*

ac per eum velut hospes fertur, sic, vt nec color, nec pisces, nec aquarum natura misceatur. Ad hæc cum cætera fere flumina properent in mare procurrere, quædam tamen velut exosa mare, prius quam eo perueniant, abdunt sese in terram. Simile quiddam videmus & in ventis. Auster homini pestilens est; huic contrarius Boreas salubris: alter nubes contrahit [222], alter dissipat. Iam, si qua fides est astrologis [223], sunt & sideribus quidam amicitiæ & inimicitiæ affectus; quædam amica homini, quædam infesta; rursus sunt quæ homini aduersus nocentium vim opitulantur [224]. Adeo nihil est in vlla naturæ parte, quod

---

euehentes. *Quidam vero odio maris ipsa subeunt v da sicut Arethusa fons Syracusanus* &c. Idem videmus & de ventis, vt patet ex lib. II. c. 47. de Ventorum generibus: *Saluberrimus omnium Aquilo; noxius Auster & magis siccus.* 222 colligit, conglomerat. 223 habenda venit. 224 De Influxu siderum fusius disserit Chassanæus Catal. Glor. Mundi Consid. vlt. P. X. p. m. 674. sq. Bene vero Iean d' Espagne Homil. VI. p. 101. Erschrecket nicht/ wegen der Zeichen des Himmels: die Sonne und der Mond werden dir/o Mensch/ nichts schaden/ wenn du deine Augen über dieselbigen zu dem erhebest/ der sie in seiner Hand hat. Scilicet:

Sidera corporibus præsunt cœlestia nostris
influxuque regunt cuncta elementa suo;
Cogere sed nequeunt animam ratione fruentem,
Namque sub imperio solius illa DEI est.

Οἴδαμεν δὲ ὅτι τοῖς ἀγαπῶσι τὸν Θεὸν πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθὸν, τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν. Scimus vero amantibus Deum *omnia* cooperari in bonum, vt qui iuxta propo-

quod non per hæc dissidia, concordiasque, & noxam, & remedium, homini suppeditet [225]. *Io.* Fortasse & vltra [226] cœlos quiddam deprehendere liceat. Etenim si magis [227] credimus [228], vnumquemque mortalium duo comitantur genii [229], alter amicus [230], alter maleuolus.

---

situm *vocati* sunt. Rom. IIX, 28. Conf. Sirac. c. 39. v. 21. *Τὰ ἔργα κυρίου πάντα καλὰ σφόδρα.* V. 32. *Πάντα ταῦτα τοῖς εὐσεβέσιν ἀγαθὰ· οὕτως τοῖς ἁμαρτωλοῖς τραπήσεται εἰς κακά.* V. 39. *Τὰ ἔργα κυρίου πάντα τὰ ἀγαθὰ καὶ οὐκ ἔστιν εἰπεῖν τοῦτο τούτου πονηρότερον.* Ierem. X, 2. A signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt. Cæterum videatur de influxu siderum quoad naturalia Vossius de Origine & Progressu Idolol. lib. II. c. 47. Sic stellæ cancri nebulosæ a Ptolomæo dicuntur *suffocantes & pestilentes.* Et hydropici nunquam laborant vehementius, quam circa plenilunia. 225 Hinc Sirac. c. 37. v. 30. bene monet & salutariter: *Τέκνον ἐν ζωῇ σου πείρασον τὴν ψυχήν σου, καὶ ἴδε τί πονηρὸν αὐτῇ καὶ μὴ δῷς αὐτῇ· οὐ γὰρ τὰ πάντα πᾶσι συμφέρει.* Fili, in vita tua explora animam (id est, naturam animalem) tuam & vide quid noxium ei & ne da ei: neque enim omnia omnibus conducunt. 226 præter aut supra, trans. 227 Magis præstigiarum artificibus, incantatoribus, veneficis, superstitiosis præstigiatoribus. 228 attendimus, subscribimus, suffragamur, pollicem premimus. 229 Spiritus quasi proprii & destinati angeli aut dæmones s. *δαιμόνια.* 230 genius tutelæ salutis appositus, vt dicitur Ammiano Marcellino lib. 21. Est hic *natale comes qui temperat astrum,* vt Horatius lib. 2. epist. 2. describit. Platonici recti hortatorem & monitorem in dubiis crediderunt, qui tibi queat tum somniis, tum signis, tum etiam fortasse coram, cum vsus postulat, mala auerruncare, bona prosperare; qualem *Socrates*

lus[231]. *Ep.* Nobis, amice, satis est ad cœlum vsque peruenisse, etiamsi non hoc quoque septum transiliamus [232]. Redeamus ad boues & equos. *Io.* Næ tu præclarum facis saltum. *Ep.* Illud nobis magis admirandum est, quod in eadem prorsus animantium specie deprehendamus amoris & odii vestigia, nulla euidente causa. Sic enim nobis persuadere conantur equisones & bubulci: in iisdem pascuis, aut eodem in stabulo, bos bouem, equus equum gaudet habere vicinum, qui alium non ferat. Equidem arbitror similes esse affectus in omni animantium genere, præter sexus fauorem:

Dæmonem Deum suum cognouit & coluit teste Apuleio; que de re insigne decus & ornamentum Lipsiæ, Vir magnificus & excellentissimus D. Gottofridus Olearius doctissimam anno 1702. Dissertationem Philosophicam habebat. 231 Binos Genios ab ipso natali die cuique mortali Deorum munere datos, bonum scilicet & malum Empedocles, vnum Menander reputauit, vt obseruat Alexander ab Alexandro Dierum Genial. lib. VI. c. IV. Vtrum vero bonos coluerint genios an malos Platonici Vossius Idololat. lib. I. c. VIII. p. 61. disquirit, atque, quin propositum iis fuerit bonos venerari nullum esse dubium asserit, cum ieiuniis se bona fide ea de causa præparauerint. Sed pro bonis se mali spiritus oggerere debebant, quod boni cultum eiuscemodi, vt DEI proprium, auersabantur: ὑρανοπετεῖς itaque δαίμονας, vt Empedocles apud Plutarchum de non fœnerando vocat, inuocarunt victimasque immolarunt. 232 prætervolemus, prætergrediamur, excedamus.

rem: sed in nullo genere euidentius quam in homine. Si quidem in plurimis manifestum est quod de suo in Volusium affectu profitetur Catullus [233]: *Non amo te, Volusi, nec possum dicere quare: Hoc tantum possum dicere, non amo te.* Verum in adultis fortasse diuinet alius aliam caussam: in pue-

233 Martialis potius, quam Catulli verba sunt, vt qui Epigr. 33. de Sabidio ita loquitur:

Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare;
Hoc tantum possum dicere: non amo te.

Fuit alias Volusius, Poëta ineptus, patria Patauinus, qui Ennium secutus rerum gestarum populi Romani Annales carmine scripsit; quemque perstringit aliquoties Catullus; vt:

At vos interea venite in ignem
Pleni ruris & infacetiarum
Annales Volusi cacata charta.

Sabidius autem gulæ deditus Romanus plus ingerebat, quam digerebat; vnde halitus eius ita fœtebat, vt nemo posset cum eo loqui. Poterat itaque dixisse Martialis Sabidio, *quare non amaret*, modo voluisset. Morum nempe rusticitas & dissimilitudo vsque fere fuerit in culpa auersationis illius, quæ quandoque nobis videbatur esse naturalis, si res penitius examinetur; quod comprobat ipse Autoris nostri in subsequentibus contextus. Suetonius c. 14. decl. Grammaticis refert Ciceronem ad Curtii Niciæ imbecillitatem, mollitiem & consuetudinem victus prouocantem, ob quam secum illum habere in solitudine & secessu non potuerit; molestus nimirum illi esse nolebat, cum ille sibi iucundus esse non posset. Sie schickten sich nicht zusammen. Cumque Augustus morum peruersitatem Scriboniæ pertæsus esset, diuortium cum ea fecit, vt est apud eundem Tranquillum in Vita Aug. c. 62.

pueris, qui ſolo naturæ ſenſu ducuntur, quid eſt illud, quod ſi hunc illi tanto amore conciliat, rurſus alium ab hoc tanto diſſidio ſeparat? Ipſe quum puer eſſem, natus annos plus minus octo, incidi in quendam meæ ætatis, aut fortaſſis anno maiorem, prodigioſæ vanitatis, adeo vt ad omnem occaſionem ex tempore monſtroſa quædam confingeret. Occurrebat mulier, *Vides*, inquit, *hanc*? Video. *Cum hac decies concubui.* Tranſibamus ponticulum anguſtum iuxta molam, vbi vidit me horreſcentem ad conſpectum aquæ ob profunditatem nigrantis: *In hanc*, inquit, *aquam aliquando prolapſus ſum. Quid ais? Illic reperi cadauer hominis, accinctum crumena; in ea erant annuli tres.* Quum nullus eſſet mentiendi finis, ſic puer horrui puerum, vt viperam minus, nulla certa ratione, cum talibus mendaciis alii delectarentur [234], ſed tantum arcano naturæ ſenſu. Neque vero id fuit temporarium: imo & hodie ſic horreo natura vanos, vt conſpectis illis ſentiam totum corporis habitum commoueri [235]. Tale quiddam in Achille no-

---

234 vt illi, quos taxat Pſaltes Pſ. IV, 3. mendaciorum oſor Pſ. 119. v. 163. Odit enim mendacia iuſtus Prov. XIII, 5. Et merito quidem cum turpiſſimum ſit mentiri. Sirac. XX, 27. Monet hinc Apoſtolus veritatis ſtudioſiſſimus Rom. IX, 1. 2. Cor. XI, 31. Gal. I, 20. 1. Tim. II, 7. vt deponantur mendacia, Epheſ. IV, 25. Col. III, 9. Conf. Vita Eraſmi Eraſmo Autore ſub finem. 235 concuti, percelli.

notat Homerus*, quum profitetur, *mendaces sibi aeque odiosos atque ipsas inferorum portas* [236]. Hoc ingenio quum natus sim, tamen hoc contra fato natus videor, vt per omnem vitam mihi cum mendacibus & impostoribus fuerit res. *Io.* At nondum video scopum, quo totus hic sermo confertur. *Ep.* Expediam paucis. Sunt qui felicitatem petant a magicis artibus, sunt qui ab astris: ego nullam certiorem ad felicitatem viam arbitror inueniri posse, quam si quisque abstineat ab eo vitæ genere, a quo naturæ sensu tacito abhorret [237]; ad id se conferat, quo propensus est: semper excludo turpia. Item ab eorum consuetudine se subducat, cum quorum geniis sentit suo genio non conuenire; & his se copulet, ad quos arcano natura fertur affectu. *Io.* Id si fiat, inter paucos erit amicitia [238]. *Ep.* Christiana caritas se dilatat

---

* Versus Homeri sunt *Illad.* I.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς αἴδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.

h. e. Non exosa magis nigri est mihi ianua Ditis.
Quam qui mente aliud celant quam lingua profatur.

236 Er sey, vt loquuntur Christiani, dem Teufel in der Hölle nicht so gram und Feind als den Lügen oder Lügnern. 237 Tu nihil inuita dices faciesue Minerua. Horat. de Arte, v. 385. Archidamus König zu Lacedæmonien sprach zu einem Medico, der sichs sehr sauer werden ließ / einige Verse zu wege zu bringen: es nähme ihn Wunder / daß er lieber vor einen armseligen Poeten als rechtschaffenen Medicum passiren wolte; vt est in Budd. Lex. vniuers. P. I. p. 82. 238 Rari quippe boni vix sunt numero totidem quot Thebarum portæ. Bene dicebat quisquis dicebat: *Cui non est inimicus, illi nec amicus est*; sentiens, displicere malis veræ virtutis signum haberi.

tat ad vniuersos ; familiaritas autem cum paucis habenda est. Et qui nullum quamuis malum lædit, gauisurus etiam si resipiscat, satis, opinor, Christiane diligit omnes.

PROBLEMA*.

CVRIO, ALPHIVS.

Cu. IVbens ex te rerum plurimarum perito discerem quiddam, si tibi non sit molestum. *Al.* Age, Curio, percunctare quod voles, ne non [1] respondeas tuo nomini. *Cu.* Equidem non granabor dici Curio, modo ne addas animal illud * mo-

Vir pius est cœli, malus est telluris alumnus:

Quos igitur cœlum diligit, odit humus.

* Problema dictus est hic dialogus, quod quæstiones quædam in eo proponuntur, quibus responsio mox subiungitur. Est enim problema quæstio proposita cum responsione. Et quamuis hoc vocabulum de naturalibus quæstionibus præcipue dicatur, tamen omni etiam dubitabili quæstioni commune est. Nam & extant Plutarchi problemata de rebus Romanorum: & fertur Alcippus quispiam problemata scripsisse de rebus domesticis. *Curio* interloquutor nomen habet facile ac apertum, a cura scilicet & diligentia percontandi; *Alphius* vero a candore respondendi. ἀλφὸν siquidem Græcum, candidum Latinis est: vel ab inueniendi & indagandi scientia, quod ἀλφεῖν inuenire & excogitare significet. Vnde homines Alphestæ dicuntur repertores & excogitatores apud Homerum. 1 vt, quo.

* Istud animal sus est, quod additum nomini Curio, Curiosus erit. Est autem Mineruæ odiosa sus, propter immundiciem & indocilitatem, (vt ita loquar,) quum Minerua omnium artium præses habeatur. Lege prouerbium

monoſyllabum, Veneri iuxta ac Mineruæ inuiſum. *Al.* Dic igitur quid velis. *Cu.* Scire cupio quid ſit, quod appellamus *graue* & *leue*. *Al.* Eadem opera roga, quid ſit frigidum & calidum. Quin [2] tu iſtuc problema baiulis proponis potius, quam mihi; aut, ſi mauis, aſinis, qui grauitatem oneris demiſſis [3] auriculis indicant. *Cu.* At ego non aſininam, ſed philoſophicam reſponſionem exſpecto; præſertim ab Alphio. *Al.* *Graue* eſt quod ſuapte natura fertur deorſum; *leve*, quod ſurſum. *Cu.* Cur igitur Antipodes, qui infra nos ſunt, non decidunt [4] in ſubiectum [5] cœlum; *Al.* Pariter illi mirantur quam ob rem tu non decidas in cœlum non ſubiectum, ſed imminens [6]. Cœlum enim eſt ſupra omnia, quæ intus complectitur. Nec *Antipodes* ſunt infra te nihilo magis, quam tu ſupra illos: *contra* nos eſſe poſſunt, *infra* nos non poſſunt, alioqui iuſtius admiraretis, cur rupes, quas ſuſtinet Antipodum terra, non decidant, cœlumque perrumpant. *Cu.* Quæ eſt igitur natiua ſedes *grauium*, quæ contra *leuium?* *Al.* Ad terram *natiuo motu* deferuntur omnia grauia, ad cœlum leuia; de *motu violento* aut *animali* iam non loquimur. *Cu.* Eſt igitur motus aliquis, qui dicitur *animalis?* *Al.* Eſt. *Cu.* Quinam? *Al.* Is fertur iuxta quatuor corporis ſitus;

Sus Mineruam. Quod vero Venus hanc beſtiam proſequatur odio, in cauſ eſt, Adonidis amati ab illa interitus. Nam dum incautius per ſyluas vagatur Adonis, a porco ſylueſtri interemptus eſt, vt refert Theocritus. 2 Quid ni? Cur non? 3 depreſſis, poſitis. 4 delabuntur, feruntur. 5 ſuppoſitum, ſubſtratum. 6 ſuper impoſitum, ſuperiniectum.

situs; prorsum[7], retrorsum[8], ad dextram ac læuam, & in circulum: & in principio ac fine celerior est, in medio lentior; nam in initio vigor addit alacritatem; in fine propinquo spes perueniendi[9] quo tendit animal. *Cu.* Nescio quid aliis accidat animalibus; sed habeo famulam, quæ lassa[10] est prius quam incipit, delassata[11] prius quam opus absoluat. Verum redi ad id quod agere cœpisti. *Al.* *Natiuo*, inquam, *motu*, quæ grauia sunt, feruntur deorsum. Et quo quidque grauius est, hoc celeriore motu fertur ad terram; quo leuius, hoc maiore impetu rapitur in cœlum[12]. Contra fit in motu *violento*, qui celerior in initio, paullatim segnescit[13], quum contra fiat in motu naturali: *veluti sagitta in altum missa, & saxum ex alto decidens.* *Cu.* Atqui ego putabam, homines sic per orbem terræ discurrere, quemadmodum minutissimæ formicæ cursitant in prægrandi sphæra, hærent vndique, nec vlla decidit. *Al.* In causa sunt, *sphæræ superficies*, nonnihil habens *asperum*, tum *scabrities*[14] quædam in formicarum pedibus, quam habent insecta fere omnia, postremo corpusculorum *leuitas*: id si non credis, fac sphæram vitream bene læuam & glabram, videbis solas formicas non decidere quæ in summo versantur orbe. *Cu.* Si quis Deus orbem terræ medium perterebret[15], hinc vsque ad An-

7 vorwerts. 8 rückwerts ex retro, vt prorsum ex pro. 9 scil. alacritatem addit. 10 fessa. 11 defessa. 12 cœlum versus. 13. defetiscitur, remittit, cessat, infirmatur, languescit. 14 asperitas. 15 terebra perforaret.

Antipodes perpendiculo per centrum demisso, quemadmodum solent Cosmographi [16], terræ totius situm in globis ligneis repræsentantes, tum si saxum conicias in foramen, quo [17] perferetur? *Al.* Vsque ad terræ centrum [18]; ibi quies est omnium grauium. *Cu.* Quid si Antipodes quoque ex aduerso mittant lapidem? *Al* Tunc lapis occurret lapidi circa centrum: ibi conquiescet vterque. *Cu.* Age, si verum est, quod dixisti, *motum natiuum progressu magis ac magis incitari, si nihil obest;* lapis aut plumbum coniectum in foramen ob motus vehementiam prætercurreret centrum, iamque prætermisso centro rursum motus erit violentus. *Al.* Plumbum nunquam perueniret ad centrum, nisi liquefactum; sed lapis si prætereat centrum motu tam violento, primum segnius feretur, nec aliter redibit ad centrum quam lapis vi in altum proiectus redit in terram. *Cu.* Sed recurrens natiuo motu, rursus concitato impetu præteruehetur centrum: itaque fiet, vt nunquam quiescat lapis. *Al.* Conquiescet tandem, prætercurrens, ac recurrens, donec peruentum fuerit ad æquilibrium*. *Cu.* At si nihil est in rerum natura vacuum, e-portet foramen illud aëre plenum esse. *Al.* Esto. *Cu.* Pendebit igitur in aëre corpus natura graue. *Al.* Quid ni? quemadmodum chalyps in aëre pendet, vndique librantibus [19] magne-

16 mundi descriptores. 17 quousque? quorsum, vsque quo? 18 punctum medium globi. * Hoc est, ad eam partem medii vbi æquo pondere suspendatur & libretur, vbi nec huc nec illuc cadat, sed in æquamento & quasi trutina consistat. 19 ponderantibus, quasi in trutina suspendentibus.

magnetibus[20]. Quid autem prodigii[21], si vnicum saxum pendeat in meditullio[22] aëris, cum tota terra tot rupibus onusta ad istum pendeat modum? *Cu.* Sed vbi est terræ centrum? *Al.* Vbi est circuli centrum? *Cu.* Id quidem est punctum indiuisibile. Si tantillum est terræ centrum, quisquis perforauerit mediam terram, auferet centrum, nec habebunt grauia quo ferantur. *Al.* Næ tu satis otiose nugaris. *Cu.* Ne quæso succenseas[23]: discendi studio loquor quidquid loquor. Si quis terræ sphæram perterebret, non per ipsum centrum, sed a latere, puta vt absit a centro certum stadiis[24], quo tum feretur coniectus lapis? *Al.* Non feretur recta per foramen; imo potius recta, sed ad centrum: itaque prius quam perueniet ad medium, iam conquiescet in terra quæ ad læuam est, si centrum est ad læuam. *Cu.* Sed quid est hoc quod reddit corpus *graue* aut *leue*? *Al.* Ad istuc respondeat tibi Deus, cur ignem fecerit omnium leuissimum, aërem proxima leuitate, terram grauissimam, proxima gra-

20 Dinocrates architectus Alexandriæ Arsinoës templum *magnete* concamerare inchoauerat, vt in eo simulacrum Arsinoës *e ferro* pendere in aëre videretur. Intercessit vero mors & Dinocratis & Ptolemæi, qui id sorori suæ iusserat fieri. Plin lib. 34. c. 14. 21 miri. 22 medio, media parte, regione. 23 indigneris, irascaris. 24 *Stadium* hic significat mensuram sexcentorum pedum siue centum viginti quinque passuum. Vt vulgo supputatur triginta duo stadia conficiunt vnum milliare: ergo centum stadia paulo plus quam tria milliaria communia.

grauitate aquam[25]. *Cu.* Cur igitur nubes aquæ pendent in sublimi aëre? *Al.* Quoniam a sole attrahente concipiunt naturam igneam, quemadmodum fumus e lignis humentibus violento calore excussus. *Cu.* Cur igitur tanto pondere decidunt, vt interdum montes in planitiem redigant? *Al.* Concretio densitasque addit pondus: alioqui possunt sic videri sustineri ab aëre subiecto, quemadmodum tenuis ferri lamina sustinetur summa aqua. *Cu.* Sic igitur putas, quod plurimum habet *igneæ naturæ*, esse *leuissimum*; quod *terrenæ grauissimum*. *Al.* Haud procul abes a scopo. *Cu.* Atqui nec quiuis aër pariter leuis est, nec quæuis terra pariter grauis: idem de aqua fortasse sentiendum. *Al.* Nec mirum, cum ista quæ nominasti, non sint *elementa pura*, sed *ex variis* elementis *temperata*. Itaque probabile est, eam *terram* esse *leuissimam*, quæ *plurimum* habet *ignis* aut *aëris* admixtum; eam *aquam* esse *grauissimam*, quæ *grauiorem terram* habet admixtam; qualem arbitror esse marinam, & eam vnde conficitur sal: itidem aër, aquæ terræue proximus, grauior est, aut certe minus leuis est, eo qui procul abest a terra. *Cu.* Vtrum habet plus terrenæ naturæ, lapis,

25 Vt Ouidius lib. 1. Metamorph. canit:
Ignea conuexi vis & sine pondere cœli
Emicuit, summaque locum sibi legit in arce,
Proximus est aër illi leuitate locoque.
Densior his tellus elementaque grandia traxit,
Et pressa est grauitate sui, circumfluus humor
Vltima possedit, solidumque coërcuit orbem.

pis, an plumbum? *Al.* Lapis. *Cu.* Et tamen plumbum lapide grauius eſt, pro ratione portionis. *Al.* In cauſſa eſt *denſitas:* lapis enim *rarior* eſt, eoque *plus* habet *aëris* quam plumbum. Hinc eſt quod videmus, quoddam terræ genus deſiccatum, ſi coniiciatur in aquam, non ſubſidere [26], ſed natare, eadem de cauſa videmus totos agros natantes: ſuſtinentur enim cauis radicibus arundinum aliarumque paluſtrium herbarum inter ſe connexis. *Cu.* Hinc fortaſſis & *pumicum leuitas.* *Al.* Quia pleni cauernis ſunt, præterea multo igni decocti: ſubmittuntur enim e locis ardentibus. *Cu.* Vnde tanta *ſuberis leuitas*? *Al.* Iam dictum eſt: *raritas* enim in cauſa eſt. *Cu.* Vtrum eſt *grauius*, plumbum, an *aurum?* *Al.* Aurum, opinor. *Cu.* Aurum tamen videtur habere plus igneæ naturæ. *Al.* Quia noctu velut ignis lucet, vt ait Pindarus *. *Cu.* Scilicet. *Al.* Sed *denſitas* in auro maior. *Cu.* Vnde id deprehenditur? *Al.* Reſpondebunt aurifices: nec argentum, nec plumbum, nec æs Cyprium [27], nec vllum ſimile genus latius diducitur malleo [28], quam au-

---

26 mergi. Unterſincken; ſich ſetzen. Subſideo & ſubſido penult. producta, qſ. ſubtus ſedere am Boden ſitzen / aut ſubtus cadere, ſich an den Boden ſetzen / differunt vt ſedere & ſidĕre Verbum ſecundæ & tertiæ Coniugat. ceu conſequens & antecedens; conſidimus ante, quam conſedemus. Erſtlich läßt man ſich nieder / hernach ſitzt man. * In primo hymno Olympiorum. Ὁ δὲ χρυσὸς, αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπει νυκτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου. hoc eſt, Aurum vero, tanquam lucidus ignis nocte, ſplendet inter præcipua diuitiarum. 27 cuprum. 28 In tenuiſſimas diducitur bracteas. Cardanus de rerum variet. teſtatur tertiam partem grani poſſe exten-

aurum. Eadem ratione Philosophi deprehenderunt, nihil esse liquidius melle & oleo: quod si quis hæc inunctione dilatet, & latissime diffunditur humor, & siccescit serius. *Cu.* Sed vtrum grauius est, *oleum*, an aqua? *Al.* Si de *oleo lini* loqueris, arbitror oleum esse grauius. *Cu.* Cur igitur aquæ supernatat *oleum*? *Al.* Leuitas non est in causa, sed ignea olei natura [28], tum peculiaris omnium pinguium vis ab aqua abhorrens, quæ est in herba quæ dicitur ἀβαπ]ος *. *Cu.* Cur igitur non natat ferrum igni candens? *Al.* Quia non est calor natiuus, & ideo citius penetrat aquam, quod caloris magnitudo dispellat obstantem liquorem. Sic cuneus ferreus citius petit ima, quam lamina [29]. *Cu.* Vtrum intolerabilius est, ferrum candens, an frigidum? *Al.* Candens. *Cu.* Grauius igitur. *Al.* Est, si commodius est gestare manu paleam incensam, quam silicem frigidum. *Cu.* Quid est in causa, quod *lignum ligno leuius* aut *grauius* est? *Al.* *Densitas* ac *raritas*. *Cu.* At ipse noui quendam e familia regis Britanniæ, qui in conuiuio ostendit nobis

---

di in filum 134. pedum longitudine. Stupendam auri extensib litatem deductam vide ex Boylio in Sturmii Physica Electiua s. Hypothetica Cap. II. Phænom. VI. de communi omnium Corporum natural. Materia. p. m. 19. & 20. Ducatum vnum in 660. folia extendi & diduci posse Bractearii fatebuntur. 28 Vossius de Physiolog. Christ. & Theolog. Gentili lib. V. c. 13. ita ca culum adiicit. *Est oleum natura calidum igneæque naturæ, eoque contrariæ virtutis ac aqua: & hæc ratio est, cur licet vtrumque sit humidum, aqua tamen & oleum commisceri non possint.* * Id est, quæ immergi aquæ non potest. 29 ferrea. Lamina crassior bractea est & per hoc differt a bractea. Eisern Blech.

bis lignum eius, vt aiebat, arboris, quæ fert *aloën*[30]: adeo solidum erat, vt lapis videri posset: adeo manibus libranti[31] leue, vt arundo videri posset, & si quid sicca arundine lenius: impositum vino[32] (putabat enim ita depelli venena) mox properabat ad fundum, vt vix plumbum celerius. *Al.* Nec densitas, nec raritas semper in causa est, sed peculiaris & occulta in rebus cognatio[33], quæ facit vt quædam sese amplectantur, aut refugiant, veluti magnes attrahit chalybem[34], vitis refugit brassicam, & flamma etiam e longinquo ad naphtham[35] trans-

30 ξυλαλόη, Xylaloën seu Agallochum indigitat; quod tamen præstantissimum cognosci dicit Schröderus in Pharmacop. exinde, si *aquis* innatet. Ita lignum eius arboris, quæ fert cinnamomum, Xylocinnamomum dicitur, de quo Plinius Hist. nat. lib. XII. c. 19. De *Xyloaloë* vero agit lib. 27. c. 4. cum *caulem* Aloës tenerum, rubentem medium perhibet. 31 ei qui manibus libraret, trutinaret, penicularetur, pensitaret, ponderaret, expenderet. 32 Alia forsitan *vini* quam alterius cuiusdam liquoris ratio est; nec corpus aliquod in se vel graue est vel leue, sed respectu alterius se vel leuioris vel grauioris. 33 Occulta illa cognatio Neotericis refertur inter Ignorantiæ Asyla. Cleric. lib. II. Phys. c. VI. p. 163. 34 Magnes attrahit chalybem non per occultam quandam cognationem, sed mutuum effluuiorum vtriusque contactum. 35 Naphtha ignem facilius concipit bitumine & difficilius extinguitur; constat tenuissimis partibus iisque flexibilibus & ramosis & poris præterea refertis; ingentem odorem emittit, qui instar fumi nares adstantium subit & statim ac flamma vim sensit eam ad Naphtham defert. Ioh. Clericus lib. II. Phys. c. II. §. 18.

transuolat, aliquanto inferiore loco positam, cum naphtha sit natura grauis, flamma leuis. *Cu.* Omne genus æris innatat argento viuo, solum aurum subsidit & circumuoluitur [36]; cum argentum viuum sit materia liquidissima. *Al.* Non habeo quod respondeam, nisi peculiarem naturæ cognationem: ad hoc enim natum est argentum viuum, vt purget aurum. *Cu.* Cur Arethusa fluuius subter mare Sicanum transit, ac non potius innatat; cum antea dixeris, marinam aquam fluuiatili esse grauiorem [37]. *Al.* Naturale dissidium est in causa, sed arcanum. *Cu.* Cur natant cygni, cum homines eandem aquam ingressi pessum eant [38]: *Al.* In causa est non tantum pennarum concauitas leuitasque, verum etiam siccitas, quam aqua refugit: hinc est quod in panno linoue vehementer sicco si ponas aquam aut vinum, in globum se contrahit; sin in humidum, mox spargitur. Itidem si infundas liquorem in cyathum siccum, aut marginibus pingui oblitis [39], & infundas aliquanto plus, quam cyathus capit, liquor circa medium citius col-

36 Omnia innatant Hydrargyro propter eius grauitatem; sed aurum ad se trahit, quia mobilibus cylindris auri superficiem terens eius partes quadrangulos & oblongas mouet, diuulsasque motu commodissime poris excipit. Clericus lib. II. c. V. Phys. p. 140. 37 Pondus aquæ diuersum est, potestque Arethusa fluuii aqua grauioribus particulis esse impragnata, quam maris Sicani s. Siculi. 38 Hominum corpus animatum pondus aquæ non æquat, vt cygni. Clericus l. cit. p. 173. 39 illitis, qui sunt illiti, obliti.

colligit sese in rotundum, quam transeat margines *Cu.* Cur in fluminibus naues minus sustinent oneris, quam in mari? *Al.* Quia subtilior est fluuiatilis aqua. Eadem de caussa volucres facilius sese librant in aëre crassiore, quam vehementer subtili. *Cu.* Cur non subsidunt Floræ [40]. *Al.* Quoniam cutis sole desiccata & leuior facta est, & humorem respuens. *Cu.* Cur ferrum diductum in amplam laminam natat, cum idem contractum sidat [41]? *Al.* Partim siccitas est in caussa, partim aër inter aquam & laminam mixtus [42]. *Cu.* Vtra res grauior, aqua an vinum? *Al.* Arbi-

40 Pisces sunt, qui & flutæ, a Græcis πλῶντες & πλῶτες appellati, a continua nauigatione: nunquam enim submerguntur. Murænas esse volunt in freto Siculo, alii mugilem. Sicilianische Pricken. Macrob. lib. II. Saturnal. c. 11. 41 mergatur, sinckt. 42 Quotiescunque videmus, ait Clericus lib. V. Phys. cap. 15. de Grauitate & Leuitate num. 24. 1) corpus liquori immersum fundum petere, certum hoc argumentum esse colligunt Physici, quo constat, id corpus grauius esse, quam similem liquoris molem; contra vero, si id corpus supernatet, inde sequi aiunt, id corpus simili mole esse leuius. 2) Si corpus durum in duos liquores immersum alteri supernatet, alterius fundum petat; priorem liquorem necessario posteriore grauiore esse. Hinc videmus aquam salsam, qualis est marina, grauiora onera seu naues onustas ferre, quam aquam dulcem fluuiorum & lacuum. 3) Si duo liquores inæqualis sint ponderis, vix eos posse misceri; quod animaduertere est in aqua & oleo, cum oleum leuius supernatet, aqua grauior ad fundum deprimatur.

bitror vinum non cedere aquæ. *Cu.* Quam ob rem ergo qui ab œnopolis emunt vinum, aquam pro vino reperiunt in imo dolio? *Al.* Quia vinum habet pingue quiddam, quod aquæ refugit liquorem, non aliter quam oleum. Argumentum in promptu est: Quo vinum est generosius, hoc & difficilius admiscetur aquæ [43], & incensum ardet vehementius. *Cu.* Cur in Asphaltite [44] lacu nullum corpus animalis viuum [45] mergitur? *Al.* Non est meum ad omnia naturæ miracula respondere. Habet illa quædam arcana, quæ nos mirari voluit, scire noluit. *Cu.* Cur homo macilentus obeso grauior est, si cætera sint paria? *Al.* Quoniam ossa densiora sunt carne, & ideo grauiora. *Cu.* Cur idem homo ieiunus grauior est se ipso pranso, cum corpori onus accesserit? *Al.* Cibo potuque spiritus augentur, & ii addunt corpori leuitatem. Vnde & hilaris leuior est mœrente, & mortuus viuo longe grauior. *Cu.* Sed qui fit, vt idem homo, cum vult, faciat se grauiorem, aut leuiorem? *Al.* Contento spiritu reddit se leuiorem, emisso grauiorem. Sic natat vesica inflata, & clausa pertusa sidit. Sed quando Curio desinet nobis occinere, Cur? *Cu.* Desinam

43 ab leuitatem & spirituositatem. 44 Iudææ lacu bituminoso, mari mortuo, salso, planitiei & solitudinis dicto. Plinius lib. V. cap. 16. Hist. nat. Iustinus lib. 36. cap. 3. §. 6.
45 Fit illud ob leuitatem corporis viuentis, & grauitatem bituminosæ aquæ.

nam, si mihi pauca etiam dixeris; cœlum vtrum graue sit, an leue. *Al.* An leue sit, nescio; certe graue non potest esse, cum sit naturæ igneæ. *Cu.* Quid igitur sibi vult vetus prouerbium: *Quid si cœlum ruat* [46]? *Al.* Quia rudis antiquitas Homerum secuta credidit cœlum esse ferreum. Sed Homerus a coloris similitudine ferreum dixit, non a pondere: quemadmodum nos cineraceum dicimus quod cineris colorem præ se fert. *Cu.* Est igitur cœlum coloratum? *Al.* Non vere, sed tale nobis videtur propter aërem, & liquorem medium: quemadmodum sol nobis nunc rubet, nunc fuluet, nunc candicat, cum is nihil talium mutationum recipiat. Itidem & iridis pictura non in cœlo est, sed in aëre humido [47]. *Cu.* Verum, vt finiam, fateris cœlo nihil esse sublimius,

46 Germanus respondet: **Wenn der Himmel bricht / so fällt alles.** Græcus dicit: *Τί εἰ οὐρανὸς ἐμπέσοι;* per Ironiam in illos, qui tutissimis etiam rebus timent. Terent. Heaut. IV, 3, 41. Quidsi nunc cœlum ruat? **Wie wenn der Himmel einbräche? Wie bist du so in vergeblicher Furcht? Wie fürchtest du dich so / da du dich nicht zu fürchten hast.** Priscis illis & rudibus mortalibus, Aristotele censente, persuasum erat, cœlum hoc, quod videbant imminere, Atlanticis humeris sustineri; quos si subduxisset, fore, vt e sublimi in terram decideret credebant. Virgil. Æn. 4. *Vbi cælifer Atlas axem humero torquet.* Allusit & huc Horatius:

Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

47 Isidorus lib. 13. Origin. cap. 10. scribit: *Iris* est quasi

mius, quacunque tegit orbem terræ? *Al.* Fateor. *Cu.* Et centro terræ nihil esse profundius? *Al.* Scilicet. *Cu.* Inter omnes rerum species quid est grauissimum? *Al.* Aurum, opinor. *Cu.* Heic abs te vehementer dissentio. *Al.* An scis aliquid auro grauius? *Cu.* Scio, & quidem multis partibus. *Al.* Proinde me vicissim doce, quando scis quod me nescire profiteor. *Cu.* Quod igneos illos spiritus e summo cœli vertice depressit in ima tartari (nam ea collocant in centro terræ) nonne oportuit omnium esse grauissimum? *Al.* Fateor: sed quidnam fuit illud? *Cu.* *Peccatum*, quod & hominum animas, quas Maro vocat auri simplicis ignes, eodem demergit. *Al.* Si libet ad istud Philosophiæ genus demigrare, fateor & aurum, & plumbum esse plumeæ leuitatis, si cum *peccato* conferatur. *Cu.* Qui fiet igitur, vt qui hac sarcina sunt onusti, subuolent in cœlum? *Al.* Profecto non video. *Cu.* At qui sese parant ad cursum, saltumue, non solum quidquid est oneris abiiciunt, verum etiam contento spiritu sese reddunt leuiusculos; & ad hunc cursum saltumque, quo

---

aëris, quod per *aërem* ad terram descendat. Illuminatur autem Sole vel Luna nubes rorida & aquosa, quæ illuminatio in oculo humano reflectitur, si fumus inter nubem & Solem ipsum constituti, quia nubes est instar speculi a quo fit ad oculos reflexio. Commendat pulchritudinem Siracid. cap. 43. v. 12. Valde speciosus est in splendore suo.

quo ferimur in cœlum, non ſtudemus illud abiicere, quod omni ſaxo, omni plumbo grauius eſt. *Al.* Faceremus, ſi vel micam ſanæ mentis haberemus.

EPICVREVS [1].

HEDONIVS*, SPVDÆVS.

He. QVid venatur meus Spudæus, quod ſic totus incumbuit libro, neſcio quid ſecum murmurans? *Sp.* Plane venor, Hedoni, ſed nihil aliud quam venor [2]. *He.* Quid voluminis eſt, quod habes in ſinu? *Sp.* Dialogi Ciceronis de Finibus [3] bonorum. *He.* At quanto ſatius eſſet quærere bonorum initia, quam fines? *Sp.* Sed Marcus Tullius *finem boni* appel-

1 *Epicureus* inſcribitur hic Dialogus, quod in eo de vera felicitate hominis diſſeritur, quam Epicureus Philoſophus in voluptate conſiſtere docuit, qui non recte a vulgo intellectus peſſime audit, tanquam voluptariæ vitæ magiſter, cum tamen voluptatem eam non e corpore ſed ex animo peti iuſſerit. * Collatio honeſtæ ac turpis voluptatis. *Hedonius*, voluptuarius, ἀπὸ τῆς ἡδονῆς, hoc eſt, a voluptate, nomen habet. *Spudæus*, frugalis, honeſtus, ſtudioſus, virtuoſus, vt aiunt. 2 *Venandi* vocem per *Plocen* repetit inuariatam. 3 Extant Ciceronis de finibus bonorum & malorum libri V. quibus præcipue probare nititur voluptatem non eſſe ſummum bonum aduerſus Epicurum: deque eodem diſputat contra Stoicos & Peripateticos.

pellat, *bonum omnibus numeris absolutum*, quod qui sit assequutus, præterea nihil desideret [4]. *He.* Opus cum primis eruditum & eloquens: sed num tibi videris aliquod operæ pretium fecisse, quod ad veri cognitionem attinet? *Sp.* Hoc mihi videor fecisse lucri, quod nunc magis etiam ambigam [5] de finibus, quam antea. *He.* Agricolarum est ambigere de finibus *. *Sp.* Nec satis queo mirari, de re *tanta* inter *tantos* viros *tantam* [6] fuisse sententiarum pugnam. *He.* Nimirum, quia *fœcundus* est *error* [7], *cum simplex sit veritas.* Quoniam totius negotii caput ac fontem ignorant, diuinant [8], ac delirant omnes. Sed quæ sententia tibi videtur esse scopo [9] vicinior? *Sp.* Cum audio *impugnantem* M. Tullium, displicent singulæ [10]: rursus cum audio *defendentem*, fio prorsus ἐφεκτικός *. Mihi tamen Stoici [11] viden-

4 finem vltimum, bonum optimum & perfectissimum. 5 dubitem, hæream, ancipiti sim animo, fluctuem, titubem, vacillem. *Ambigere* autem quandoque est *litem habere*, vt mox deinceps; qua æquiuocatione Hedion ludit. * Fines dicuntur cuiuscunque rei extrema. Fines in agris sunt limites, qui agrum ab agro dirimunt. 6 Vox: *tantus, a*, per Polyptoton varia Casuum & Generis inflexione & mutatione repetitur. 7 ψεῦδος πολυσχιδὲς Mendacium multiplex. 8 Coniectura assequi student. 9 veritati, rei, metæ. 10 Sententiæ a Tullio impugnatæ. * H. e. dubitans & suspensus in opinione. Tractum a Philosophis Academicis, qui ἐφεκτικοὶ dicebantur, hoc est, de nulla re pronunciantes, sed semper hærentes. 11 Stoici a porti-

dentur minus aberrare a vero; quibus proximum locum tribuo Peripateticis [12]. *He.* At mihi nulla secta magis arridet, quam Epicureorum [13]. *Sp.* Atqui inter omnes nulla damnatior, omnium suf-

eu *στοᾷ* dicti, in quam variis picturis illustratam & amoenam conuenire solebant, & in qua zeno homo inclinatiore collo in alteram partem, gracili corpore, statu procero, atra cute, cruribus turgidis, docere solitus fuerat. 12 Quorum Princeps Aristoteles; nomen habent ab *ambulando ἀπὸ τοῦ περιπατεῖν*, quod ambulantes docerent. 13 Ab Epicuro Philosopho, qui tempore tertiae Olympiadis, septem post Platonis obitum annis in pago Gargetti non procul ab Athenis natus Patre Neocle ludi magistro, ob educationem Samius dictus est, & a loco diuturnae commorationis Lampsaco Lampsacenus, vnde annum agens octauum & decimum aetatis Athenas concessit, quo tempore Xenocrates in Academia, Aristoteles Chalcide scholam habebat. Illum audiuisse Praeceptorem Demetrius Magnesius apud Laërtium; alii Pamphilum quendam, Nausiphanem & Praxiphanem perhibent. Cicero lib. 1. de Nat. Deorum: *Nihil olet*, inquit, *Epicurus ex Academia, nihil ex Lyceo, nihil ne e puerilibus quidem disciplinis. Xenocratem audire potuit; quem virum Dii immortales! & sunt qui putant audiuisse, ipse non vult.* Fatis concessit anno primae Olympiadis 127. aetat. 72. Primus hortos Athenis instituit, cum moris antea non fuisset rura in oppidis haberi, vt Plinius docet lib. 19. Hist. nat. cap. 4. *hortorum magistrum* eum appellitans. In iis scholam habuit. Cic. lib. II. de Finibus: *Philosophus*, inquit, *nobilis Epicurus, quo non solum Graecia, Italia, sed etiam omnis Barbaria commota est.*

ſuffragiis[14]. *He.* Miſſam faciamus[15] hominum inuidiam, fuerit Epicurus[16], qualem quisque velit: rem per ſe conſideremus. Ille felicitatem hominis collocat in *voluntate, eamque vitam iudicat beatiſſimam, quæ plurimum habeat voluptatis, triſtitiæ quam minimum.* *Sp.* Sic eſt. *He.* Quid dici potuit hac ſententia ſanctius[17]? *Sp.* Imo clamitant omnes, *hanc eſſe vocem pecudis, non hominis.* *He.* Scio ſed iſti errant in rerum vocabulis. Quod ſi de veris loquamur[18], nulli magis ſunt Epicurei quam Chriſtiani pie viuentes. *Sp.* Cynicis[19] propiores: nam iſti ſe macerant ieiuniis, deplorant ſua commiſſa, & aut ſunt tenues, aut benignitas in egenos conciliat illis inopiam: opprimuntur a potentioribus, deridentur a plerisque.

14 calculis, ſententiis, iudiciis, æſtimatione. 15 Omittamus, ſeponamus, negligamus, prætereamus, ne attendamus. 16 Alex. ab Alex. Dierum Genial. lib. 3. cap. 11. victu frugali & modeſto contentum aqua & polenta aut pane hordeaceo victum quæſiuiſſe contraque paupertatem inuictum animum geſſiſſe ſcribit, non quod voluptates auerſaretur, ſed quod in tenui victu ſe plus voluptatis experiri aiebat. 17 Seneca de vita beata cap. 13. In ea quidem ipſe ſententia ſum, *ſancta Epicurum & recta præcipere.* Epiſt. 23. Epicuri dicta vocat *egregia.* Sententiam Epicuri *nobilem* hanc eſſe fatetur Epiſt. 21. *Si vis Pythoclea diuitem facere, non pecuniæ adiiciendum ſed cupiditatibus detrahendum eſt.* 18 Quod ſi dicendum quod res eſt. Die Wahrheit zu bekennen. 19 *Cynici* a Diogene *Cynico* ob *caninos* ſqualidosque mores cognominati.

que. Si voluptas adfert felicitatem, hoc vitæ genus a voluptatibus quam longissime videtur abesse. *He.* Admittisne auctoritatem Plautinam *? *Sp.* Si quid recte dicat. *He.* Accipe igitur nequissimi serui dictum omnibus Stoicorum paradoxis sapientius. *Sp.* Exspecto. *He.* *Nihil est miserius quam animus sibi male conscius.* *Sp.* Non reiicio dictum: sed quid hinc colligis? *He.* Si nihil miserius animo sibi male conscio, consequitur nihil esse felicius animo sibi bene conscio [20]. *Sp.* Recte quidem colligis [21]: sed in qua tandem regione inuenies istum animum nullius mali sibi conscium? *He.* Malum appello, quod dirimit amicitiam inter Deum & hominem. *Sp.* Et ab hoc mali genere puto perpaucos esse puros. *He.* Ego vero & purgatos habeo pro puris. Qui lixiuio lacrymarum, ac pœnitentiæ nitro, aut caritatis igni maculas absterserunt [22], eis non solum nihil nocent peccata, ve-

* Plautus in Mostell. sc. 1. Act. III. 20 Argumentatur ex fonte *Oppositorum*, quorum *opposita est ratio.* 21 concludis, ratiocinaris, argumentaris, nectis consequentiam. 22 Vbi sanguis Christi emundans nos ab omnibus peccatis? altum, Erasme, silentium. Liceat vero heic afferre dictum Ierem. II, 22. *Etiamsi lixiuio te purges* &c. Ita vero requirebat tua Papicola religio! Pertinet huc, quam alibi de lacrymarum a peccatis emundatione ad Bellarmini Gradus VIII. cap. X. de Ascens. Mentis in Deum, lingua vernacula, animaduersionem dedimus. p. 231.

verum etiam frequenter in maioris boni materiam cedunt. *Sp.* Equidem nitrum & lixiuium noui; igni purgari maculas nunquam audiui. *He.* Atqui si adeas argentarias officinas, videbis aurum igni purgari. Quanquam & lini * genus est, quod coniectum in ignem non exuritur, sed nitidius splendescit, quam vlla possit aqua; eoque viuum appellant. *Sp.* Næ tu nobis adfers paradoxum omnibus Stoicorum paradoxis παραδοξότερον **. Viuunt illi vitam voluptariam, quos Christus appellauit ob id beatos [23], quod lugeant? *He.* Mundo videntur lugere, sed re vera deliciantur, ac, quod dici solet, *toti melle peruncti suauiter viuunt*, adeo vt cum his collati, Sardanapalus, Philoxenus *, Apitius, aut si quis alius est voluptatum studio nobilitatus [24], tristem ac miseram peregerint vitam. *Sp.* Noua narras; sed vix credenda [25]. *He.* Experire; &

* Lege Plinium, qui de hoc lino admiranda prodit. Ἀσβέστινον vocant, a natura, quod sit inextinctum, & flammis non obnoxium. Vide Acta Erudit. Lipsiens. 1686. p. 400. ** i. e. Admirabilius. 23 Matth. V, v. 4. Beati lugentes, quoniam illi consolationem accipient. * Hic & *Sardanapalus* & *Apitius* luxu perditissimi fuere, vt passim scriptum est. *Philoxenus* gulosissimus fuit, vtpote qui nasi mucum in catinum emungere solitus sit, quo reliquis conuiuis deterritis, ipse solus, cibis appositis frueretur. Narrat ex Plutarcho Hermolaus Barbarus in præfatione Themistii. 24 clarus, cognitus, conspicuus redditus. 25 incredibilia, fidem exsuperantia.

& omnia terque quaterque [26] dices vera fuiſſe mea. Efficiam tamen, vt arbitror, ne videatur vsque adeo veri diſſimile [27]. *Sp.* Accingere [28]. *He.* Faciam, ſi mihi prius quædam conceſſerit [29]. *Sp.* Modo tu æqua poſtules. *He.* Lucrum annumerabo, ſi ſortem dederis [30]. *Sp.* Age. *He.* Primum illud, opinor, dabis [31], nonnihil intereſſe inter animam & corpus [32]. *Sp.* Quantum inter cœlum & terram, inter immortale & mortale. *He.* Deinde falſa bona non eſſe ponenda in bonis. *Sp.* Nihilo magis quam vmbræ habendæ ſunt pro corporibus, aut præſtigiæ [33] magorum [34], ſomniorumue ludibria, ducenda [35] ſunt pro veris. *He.* Hactenus commode reſpondes. Dabis, opinor, & illud, *veram voluptatem non cadere, niſi in animum ſanum.* *Sp.* Quid ni? Nullus enim ſole delectatur, ſi lippiant [36] oculi; aut *vino*, ſi febris palatum infecerit. *He.* Nec ipſe, ni fallor, Epicurus amplecteretur voluptatem, quæ longe maiorem crucia-tum

26 Id eſt, valde, maxime, oppido, apprime, vltra modum, bene vera, veriſſima. 27 abſonum, a vero alienum, 28 Annitere, Fac, Aggredere, Incipe. 29 dederis, largitus fueris tanquam indubitata. 30 Metaphora ab iis, qui ſortem, id eſt, pecunias mutuo dant & cum vſura recuperant. 31 concedes eſſe verum, non negabis. 32 intercedere corpus inter & animam diſcrimen præſtantiæ. 33 vanæ rerum ſpecies, glaucomata. 34 præſtigiatorum. 35 reputanda, habenda, aſſumenda, amplectenda. 36 lippitudine laborent.

ſum, multoque diuturniorem ſecum adduceret. *Sp.* Non arbitror, ſi quis modo ſapiat. *He.* Nec illud negabis, *Deum eſſe ſummum bonum, quo nihil pulchrius, nihil amabilius, nihil dulcius.* *Sp.* Iſtud nullus iuerit inficias, niſi Cyclopibus [37] immanior; quid tum poſtea? *He.* Iam mihi donaſti [38], *nullos ſuauius viuere, quam qui pie viuunt; nullos miſerius & afflictius, quam qui viuunt impie.* *Sp.* Plus igitur largitus ſum quam putabam. *He.* *Sed quod recte datum eſt*, vt ait Plato, *non oportet, repoſcere.* *Sp.* Age. *He.* Catella [39], quæ habetur in deliciis, paſcitur lautiſſime, cubat molliter, ludit ac laſciuit iugiter [40], an non viuit ſuauiter? *Sp.* Viuit. *He.* Optares tibi talem vitam? *Sp.* Bona verba [41], niſi pro homine velim eſſe canis [42]. *He.* Fateris igitur, præcipuas voluptates ab animo proficiſci, velut a fonte? *Sp.* Apparet [43]. *He.* Tanta enim animi vis eſt, vt ſæpe doloris externi ſenſum adimat: nonnunquam quod per ſe eſt amarum, reddat iucundum. *Sp.* Iſtuc quotidie videmus in aman-

---

37 ferociſſimis, immaniſſimis. 38 faſſus, largitus, adſtipulatus es. 39 Catula, catellum. Ein junger Hund. ſexus ſequioris. 40 indeſinenter. Eſt vero in his Adverbiis elegans Homœoteleuton: *molliter, iugiter, ſuauiter.* 41 Charientiſmus. Ey/ hat ſich wohl! grade/ grade! 42 Poſt expreſſiones adductas Germanus affirmatiue loqui amat: Wenn ich ein Hund ſeyn wolte. pro: Wo nicht. 43 Videtur, manifeſtum eſt, claret.

amantibus, quibus dulce est peruigilium, & hibernis noctibus excubare ad amicæ fores. *He.* Iam illud reputa, si tantam vim habet amor humanus, qui nobis cum tauris & canibus est communis, quanto plus valeat amor ille cœlestis, a Christi spiritu profectus [44]: cuius tanta vis est, vt mortem quoque, qua nihil terribilius, reddat amabilem. *Sp.* Quid alii sentiant intus [45], nescio; certe [46] carent multis voluptatibus, qui adhærent veræ pietati. *He.* Quibus? *Sp.* Non ditescunt, non assequuntur honores, non conuiuantur, non saltant, non canunt, non olent vnguenta, non rident, non ludunt [47]. *He.* De diuitiis & honoribus nulla erat hic facienda mentio, quæ non adferunt vitam iucundam, sed solicitam potius & anxiam [48]; de cæteris agamus, quæ cum primis ve-

44 Cant. VIII, 6. Rom. VIII, 35. II. Cor. V, 14. Apoc. XII, 11. 45 secum, foueant in scrinio pectoris. 46 profecto, sane. 47 Sap. II, 6, 7, 8, 9. 48 Extat Athenæi Epigramma in laudem Epicuri, quod huc respicit:

Quis furor, o ciues, vt vos ob vile lucellum
Rixas & bellum sollicitetis atrox?
Nam natura opibus facile est contenta pusillis;
Contenta est nullis ambitio est opibus.
Hoc Epicurus ait, dulces quem nempe Camœnæ
Aut Suada tripodes edocuere sacri.

Luc. VIII, 14. Saluator noster meritissimus curas, sollicitudines & diuitias connectit indiuulso nexu. Sir. XXXI, v. 1. sq. I. Tim. VI, v. 6, 7, 8, 9.

venantur quibus studio est suauiter viuere. Nonne quotidie vides ebrios fatuos & insanos, ridentes ac saltantes? *Sp.* Video. *He.* Num putas, illos suauiter viuere? *Sp.* Hostibus contingat illa suauitas! *He.* Quam ob rem? *Sp.* Quia non adest sana mens. *He.* Tu igitur malles ieiunus incumbere libro, quam ad eum modum delectari? *Sp.* Plane mallem vel agrum fodere. *He.* Nam inter *dementem* ac *temulentum* nihil interest, nisi quod huic insaniae medetur somnus, illi vix medicorum cura succurrit. Natura fatuus nihil differt ab animante bruto, praeter formam corporis; sed leuius miseri sunt, quos natura genuit brutos, quam qui belluinis cupiditatibus obbrutuerunt[49]. *Sp.* Fateor. *He.* Iam num tibi sobrii videntur aut sani, qui propter praestigias ymbrasque voluptatum, & veras animi voluptates negligunt, & veros sibi cruciatus accersunt? *Sp.* Non videntur. *He.* Non sunt illi quidem temulenti vino, sed amore, sed ira, sed auaritia, sed ambitione, aliisque prauis cupiditatibus: quae longe perniciosior est ebrietas, quam quae vino contrahitur. Syrus ille in comoedia [50] posteaquam edormiuerat villum [51] quod biberat, sobria loquitur: at ani-

49 bruta facti, in bruta conuersi sunt. 50 Seruus in Terentii Adelph. Act. III, Sc. 2. ita loquitur: *Interea in angulum aliquo abeam, atque edormiscam hoc villi, sic agam.* 51 vinum vile, pro: ebrietate per Metonymiam. Est Deminutiuum *a vino*, q.s. *vile vinum.*

animus vitiosa cupiditate ebrius, quam grauate [52] redit ad sese! quot annis vrget mentem amor, ira, odium, libido, luxus & ambitio! quam multos videmus ab adolescentia ad decrepitam [53] vsque ætatem, ab ambitionis, auaritiæ, libidinis, luxusque temulentia nunquam expergisci [54] ac resipiscere! *Sp.* Istiusmodi noui nimium multos [55]. *He.* Largitus es, falsa bona non esse in bonis ducenda. *Sp.* Nec reposco. *He.* Nec est vera voluptas, nisi quæ ex veris nascitur. *Sp.* Fateor. *He.* Non sunt igitur vera bona, quæ vulgus hominum per fas nefasque venatur. *Sp.* Non arbitror. *He.* Si vera essent bona, non contingerent nisi bonis [56], & beatos redderent quibus obueniunt. Quid autem *voluptas?* num vera videtur quæ non ex veris bonis, sed ex falsis bonorum vmbris nascitur? *Sp.* Nequaquam. *He.* At *voluptas* efficit vt suauiter viuamus. *Sp.* Maxime. *He.* *Nullus* igitur *vere viuit suauiter, nisi qui pie viuit*, hoc est, qui veris fruitur bonis: *sola autem pietas reddit hominem beatum, quæ Deum summi boni fontem homini sola conciliat* [57]. *Sp.* Propemodum assentior. *He.*

52 ægre. 53 extremam, vltimam senectutem. 54 Rom. XIII, v. 11. & 13. Ephes. V, 14. I. Thess. V. v. 6, 7, 8. 55 multis plus satis. 56 Hinc Isocrat. in Epist. *Talia bona non valde amanda sunt*, inquit, *quæ malis etiam contingunt.* 57 Pietas ad omnia vtilis. I. Tim. IV, 8. Sir. XXV, 15, 16, 17. Sirac. I. v. 10. 11.

He. Nunc mihi vide quot parasangis [58] absint a voluptate, qui vulgo videntur præter voluptates nihil sequi. Primum animus illorum impurus est, & cupiditatum fermento vitiatus, vt etiamsi quid incidat dulce, protinus amarescat, quemadmodum fonte vitiato non potest non esse liquor insipidus. Deinde non est vera voluptas, nisi quæ sano percipitur animo. Nam irato nihil vindicta iucundius [59]: sed ea voluptas vertitur in dolorem, simul atque morbus animum reliquerit. *Sp.* Non refragor [60]. *He.* Postremo voluptates illæ sumantur ex falsis bonis: vnde consequitur, & illas esse præstigias. Quid porro diceres, si videres hominem magicis artibus delusum, vesci, bibere, saltare, ridere, plaudere, cum nihil earum rerum vere adesset, quas se videre credit? *Sp.* Equidem & insanum dicerem, & miserum. *He.* Simili spectaculo ipse nonnunquam interfui. Sacerdos erat, qui callebat artem præstigiatoriam. *Sp.* Eam non didicerat e litteris sacris. *He.* Imo e sacerrimis, hoc est, execratissimis. Hunc aliquot aulicæ fœminæ frequenter appellabant, vt acciperentur ab eo conuiuio, sordes & parsimoniam opprobrantes [61]; annuit, inuitauit. Venerunt ieiunæ,

58 milliaribus Persicis. Parasanga, æ, est triginta stadiorum mensura. 59 Est vindicta bnnum vita iucundius ipsa. Iuuen. 60 Repugno, obnitor, dissentio, contradico. 61 exprobrantes, exagitantes, obiicientes.

hæ, quo libentius epularentur. Accubuerunt; nihil aberat, vt videbatur, lautitiarum: explerunt [62] sese affatim: peracto conuiuio, egerunt conuiuatori gratias, ac discesserunt suam quæque domum. At mox cœpit oblatrare [63] stomachus: demirantur quid esset hoc monstri [64], statim a prandio tam splendido esurire ac sitire. Res tandem erupit, & in risum abiit. *Sp.* Et merito: præstiterat domi lenticula [65] placare stomachum, quam inanibus spectris [66] deliciari. *He.* At mihi videtur multo magis esse ridiculum, vulgus hominum pro veris bonis inanes bonorum vmbras amplecti, & his præstigiis delectari, quæ non exeunt [67] in risum, sed in luctus sempiternos. *Sp.* Quo propius intueor, hoc mihi videre minus absurda loqui. *He.* Age, largiamur, vt interim in nomen [68] voluptatis veniant, quæ re vera non sunt: appellaresne mulsum [69] dulce, cui longe plus esset admixtum aloës [70] quam mellis? *Sp.* Non dicerem, si vel triens [71] aloës esset admixtus. *He.* Aut optares tibi malam scabiem, quod

62 per Syncop. pro: *expleuerunt.* 63 obloqui, monere, cibum poscere. 64 Portenti, prodigii. 65 Vili cibo, lentibus vel leguminibus. 66 laruis; vmbris; præstigiis. 67 euadunt, finiunt, terminantur. 68 censum; numerum; æstimationem. 69 melle mistus potus *mulsum* dicitur. Wein-Meth. 70 amarissimi succi herba. 71 Tertia pars assis aut mensuræ genus quatuor cyathos continens dicitur *triens.*

quod ſcalpendi ſit aliqua voluptas? *Sp.* Non, ſi compos ſim mentis. *He.* Fac igitur tecum ſubducas rationem [72], quantum amaritudinis admixtum ſit iſtis falſo nomine voluptatibus, quas gignit amor impudicus, libido illicita, comeſſatio ac temulentia. Omitto nunc, quod eſt omnium caput, conſcientiæ cruciatus, inimicitiam cum Deo, exſpectationem æterni ſupplicii. Quod obſecro in his voluptatibus genus eſt quod non ingens externorum etiam malorum agmen [73] ſecum adducat? *Sp.* Quænam? *He.* Rurſus omittamus [74] auaritiam, ambitionem, iram, ſuperbiam, inuidiam, quæ per ſe triſtia ſunt mala: conferamus illa quæ præcipue delectationis nomine commendantur. Cum largiori potationi ſuccedit febris, capitis dolor, alui tormina, ingenii ſtupor, famæ macula, memoriæ detrimentum, vomitus, & ruina ſtomachi, tremor corporis, num vel Epicurus [75] exiſtimaret, eam voluptatem expetendam? *Sp.* Fugiendam diceret. *He.* Cum adoleſcentes e ſcortatione nouam lepram, quam nunc ὑποκορίζοντες * quidam Neapoli-

72 expendas æqua animi lance, ſupputes. 73 ingentem malorum vim, cateruam, turbam, nubem, ſegetem, theſaurum, id eſt, quam plurima, numeroſa, innumera mala. Vid. El. Mai. de varianda Orat. Sect. IV. Append. qua ratione multitudo aliqua inſignis enuncianda. 74 taceamus, prætereamus, ſilentio inuoluamus. 75 Ethnicus, gentilis. * Hoc eſt, eleuantes, & honeſto nomine rem execrabilem & pudendam eloquentes:

litanam ſcabiem [76] appellant, ſibi, vt fere fit, contrahunt, per quam toties ſit illis in vita moriendum, ſemperque viuum cadauer circumferendum; nonne belle videntur ἐπικουρίζειν* ? *Sa.* Imo ἐπὶ κουρεῖα θεῖν**. *He.* Iam finge delectationis ac doloris æquilibrium [77]: optaresne tam diu cruciari dolore dentium, quam diu durauit potationis aut ſcortationis voluptas? *Sp.* Equidem mallem vtroque carere: nam *voluptatem emere dolore, non eſt lucrum, ſed penſatio* [78]: heic ſane potior eſt ἀναλγησία [79], quam Cicero auſus eſt in-

quamuis proprie ὑποκορίζειν, per diminutionem loqui ſignificet. 76 Deſignat morbum Gallicum, luem Veneream, Veneris iſtud flagellum, dignamque impudicorum pœnam, qua de acute Martialis:

Itala terra mihi patria eſt, Gallique parentes:
Gallicus in dubio eſt Italicusne vocer.

Neapolitana lues dicitur, quod ibi originem ab Indis occidentalibus eo translata habuit; vt obſeruat Camer. Hor. ſubciſ. Cent. II. cap. 74. pag. 292. * Epicurum agere, hoc eſt, voluptatibus ſtudere. ** Hoc eſt, rectà ad tonſtrinas currere. Noſtra tempeſtate qui tonſores ſunt, vt plurimum ſimul Chirurgicen exercent: poſuit itaque tonſtrinam pro chirurgi domo, in qua eiusmodi puſtulæ & poccæ Gallicæ curantur. Sed interim eleganter alludit ad etymologiam τοῦ ἐπικουρίζειν, quod ad verbum videtur ſonare, ad puellas ſe applicare, cum puellis conuerſari. 77 æquale pondus, æqualem menſuram. 78 nocet empta dolore voluptas. *Penſatio* autem pro *Compenſatione* minus Latine dicitur. 79 doloris abſentia; ἀναλγὴς dolorem nullum ſentiens. ἀναισθησία inſenſibilitas, ſtupor. Unempfindligkeit.

indolentiam appellare. *He.* At nunc voluptatis illicitæ titillatio [80], præterquam quod longe minor eſt cruciatu quem adducit, temporis etiam exigui eſt: lepra [81] vero contracta per omnem vitam miſere diſcruciat, totiesque mori cogit, priusquam mori liceat. *Sp.* Tales diſcipulos non agnoſceret Epicurus. *He.* Luxuriæ comes plerumque eſt egeſtas, onus & miſerum & graue: libidinis immodicæ, paralyſis, tremor neruorum, lippitudo ac cæcutientia, lepra: at non hæc tantum. An non egregia negotiatio [82], nec veram, nec ſinceram, ad hæc breuem delectationem, tot tanto grauioribus ac diuturnioribus commutare malis? *Sp.* Vt [83] non accedat cruciatus, mihi ſtultiſſimus negotiator eſſe videatur *qui gemmas vitro permutet. He.* Illud dicis [84], *qui vera animi bona ob fucatas corporis voluptates amittat. Sp.* Ita ſentio. *He.* Nunc redeamus ad exactiorem [85] ſupputationem. Nec febris aut egeſtas ſemper comitatur luxum, nec noua lepra aut paralyſis ſemper comitatur Veneris immodicum vſum; ſed conſcientiæ cruciatus, quo nihil eſſe mi-

80 irritatio, das Kützeln / Reitzen / blanditia, delinitio. Liebkosung / Besänfftigung. 81 Lepram vocat luem Veneream, quæ nihil aliud eſt, quam lepræ ſpecies, niſi quod ideo non vitatur, quia multorum eſt communis præcipue nobilium. 82 permutatio, Tausch / Handel / Wechsel. 83 Licet vel maxime, quamuis, vtut vero. 84 innuis, id vis, ille verborum tuorum ſenſus eſt. 85 magis accuratam, præciſiorem, ſtrictiorem.

miſerius iam inter nos conuenit [86], ſemper comes eſt illicitæ voluptatis. *Sp.* Imo præcurrit interdum, & in ipſa voluptate fodicat animum [87]. Sunt tamen quos dicas hoc ſenſu carere [88]. *He.* Iam hoc ipſo infeliciores. Quis enim non malit ſentire dolorem, quam corpus habere ſtupidum & ſenſus expers [89]? Verum vt [90] nonnullis vel cupiditatum intemperantia, velut ebrietas quædam; vel vitiorum aſſuetudo, ceu callus quidam, mali ſenſum adimat in iuuenta; cum [91] ad ſenectutem peruentum fuerit, ac, præter innumera incommoda, quorum theſaurum ſuperioris vitæ commiſſa repoſuerunt [92], de propinquo terret mors nulli mortalium euitabilis, tanto grauius diſcruciat conſcientia, quanto magis per omnem vitam ſtupuit: tum enim, velit nolit, expergiſcitur animus. Senectus autem cum per ſe ſit triſtis, quippe multis naturæ incommodis obnoxia, quanto miſerior eſt, atque etiam turpior, ſi vrgeat animus ſibi male conſcius? Conuiuia, comeſſationes, amores, choreæ, cantilenæ, cæteraque

86 conſentimus, conſpiramus, concordamus. 87 Conſcientia *ante* peccatum eſt *refrenatrix*, *in* peccato *obiurgatrix*, *poſt* peccatum *flagellatrix*. 88 ἀναίσθητοι. Unempfindliche; qui cauteriati ſunt conſcientia. I. Timoth. IV, 2. 89 Laxata in Alexandro M. ægrotante vis morbi ob hoc ſolum videbatur, quia magnitudinem mali ſentiebat; teſte Curtio lib. III. c. 5. 90 quantumuis, quamlibet. 91 quando, ſicubi. 92 condiderunt, collegerunt, coaceruarunt.

que quæ iuueni videbantur suauia, seni sunt amara: nec aliud habet ætas illa quo se fulciat, nisi si adsit vitæ innocenter actæ recordatio, ac spes vitæ melioris. Hi sunt duo scipiones [93], quibus nititur senecta. Quod si pro his subductis, imponas geminam sarcinam, vitæ perperam [94] actæ memoriam, & futuræ felicitatis desperationem; obsecro quod animal fingi potest afflictius aut miserius? *Sp.* Equidem non video, etiamsi quis τὸ ἵππου γῆρας [95] obiiciat. *He.* Tum denique *sero sapiunt Phryges* [96]: & illud verissime dictum, *Extrema gaudii luctus occupat* *: &, *Non oblectamentum super cordis gaudium* **: &, *Animus gaudens floridam ætatem facit: Spiritus tristis exiccat ossa* ***: item illud, *Omnes dies pauperis, mali*, hoc est, afflicti ac miseri: *secura mens quasi iuge conuiuium* ****. *Sp. Sapiunt* igitur *qui mature rem faciunt* [97], *& colligunt viaticum venturæ senectuti.* *He.* Scriptura mystica [98] non tam

93 baculi, fulcra, fulcimenta. 94 male, improbe, nefarie, flagitiose. 95 *equi senectutem.* Prouerbium dici solet in eos, qui præclaris, posteaquam consenuerunt, ad sordidas curas semet abiiciunt, vt generosi equi, senio segnes, in nullo pretio sunt. 96 Prouerb. in eos, quos stulte sero factorum pœnitet; siquidem Troiani tot iam acceptis cladibus de restituenda Menelao reposcenti Helena cogitare cœperunt. * Prouerb. XIV, v. 13. ** Eccles. XXX, v. 16. *** Prouerb. XVII, 22. **** Prouerb. XV, 15. 97 rem domesticam locupletant. 98 quæ mysteria & arcana complectitur.

tam humi repit, vt fortunæ bonis metiatur hominis felicitatem: is demum eximie pauper est, qui nudus est omni virtute, & animam simul cum corpore debet Orco[99]. *Sp.* Is quidem exactor est implacabilis[100]. *He.* *Is vere diues est, qui Deum habet propitium.* Quid autem metuat, qui talem habeat protectorem[101]? num homines? minus potest vniuersorum hominum potestas aduersus Deum quam culex aduersus elephantem Indicum; num mortem? ea piis transitus est ad æternam beatitudinem; num inferos? sed confidenter Deo loquitur vir pius: *Etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es*[102]. Cur metuat dæmones, in pectore gerens eum quem tremunt dæmones? nam hominis pii mentem templum esse Dei, non vno in loco prædicat scriptura[103], vere ἀναντίῤῥητον*. *Sp.* Equidem non video, quibus rationibus ista queant reuelli[104], quanquam videntur plurimum abesse a sensu communi[105]. *He.* Qui sic? *Sp.* Nam ad tuam ratiocinationem quiuis Franciscanus vitam ageret magis voluptuariam[106], quam alius, opi-

99 Inferno. 100 Horat. lib. 2. Od. *Orcus nil miserans.* 101 Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. VIII, 31. 102 Extat locus Psalm. XXIII. v. 4. 103 Vide I. Corinth. III. v. 16. VI, 19. II. Corinth. VI, 16. * Id est, authentica, cui nequit contradici. 104 refutari. 105 vulgari, vulgi, consueto. 106 voluptate magis exuberantem.

mus homines vere pios maiore cum alacritate morientes, quam alios conuiuantes. *Sp.* Istuc profecto non raro sum admiratus. *He.* Atqui non est admirandum, illic esse inuincibile gaudium, vbi adest omnis lætitiæ fons Deus. Quid autem noui est, animum vere pii hominis gaudere iugiter in mortali corpore, cum idem, si ad intima tartari demergatur [116], nullum felicitatis detrimentum facturus sit? *Vbicunque pura mens, ibi Deus est: vbicunque Deus est, ibi paradisus est, vbi cœlum est, ibi felicitas est: vbi felicitas est: ibi gaudium est verum, & alacritas sincera* [117]. *Sp.* Attamen suauius viuerent, si absint incommoda quædam, & adessent oblectamenta, quæ vel negligunt [118], vel non assequuntur [119]. *He.* Quæ vero mihi narras incommoda? quæ lege communi comitantur conditionem humanam? famem, sitim, morbum, lassitudinem, senectutem, mortem, fulmina, terræ motus, inundationes, bella? *Sp.* Et ista quoque. *He.* At nos de mortalibus interim agimus, non de immortalibus. Et tamen in his quoque malis longe tolerabilior est piorum conditio, quam voluptates corporis per fas nefasque venantium

116 præceps daretur, præcipitaretur. 117 Elegans Sorites, cuius tandem pressa hæc est conclusio: Ergo: *Vbicunque pura mens, ibi gaudium verum & alacritas sincera.* 118 flocci pendunt, nihili æstimant. 119 consequuntur impetrant.

tium [120]. *Sp.* Qui ſic? *He.* In primis, quoniam animos habent ad temperantiam ac tolerantiam exercitatos, cæteris exercitatis moderatius ferunt [121] ea quæ vitari non poſſunt [122]. Dein quoniam intelligunt illa omnia a Deo immitti, vel ad purgationem eriminum [123], vel ad exercitationem virtutis, non modo patienter, verum etiam gaudenter [122], tanquam obedientes filii, illa de manu propitii patris accipiunt, atque etiam gratias agunt vel pro clementi correctione, vel pro inæſtimabili lucro [123]. *Sp.* Sed multi ſibi accerſunt corporis moleſtias. *He.* Sed plures adhibent

120 quam eorum, qui voluptates corporis per fas nefasque ſectantur, aucupantur, ambiunt, venantur. 121 perferunt, tolerant, patiuntur. 122 ferendum, quod non mutandum, quod mutarier nequit. 123 non antéactorum, ſed ſubuerendorum cauendorumque. Paſſionibus enim noſtris & afflictionibus nil quicquam meremur aut expiamus. Calamitatum a DEO nobis immiſſarum vſus eſt vel τιμωρία ſeu pœna, vel δοκιμασία ſeu exploratio, vel μαρτύριον, ſeu confeſſionis de fide conſtantis teſtimonium. Pœna autem eſt vel ſupplicii, vel caſtigationis paternæ. Satisfactoriam afflictionem & calamitatem Chriſtus pleniſſime & ſolus perſoluit. Vid. Ioh. Conr. Dürrii & Theodor. Hackſpanii Termin. Diſtinct. & Diuiſ. Philoſoph. Theolog. 122 cum gaudio, hilari animo. *Gaudenter* vero apud Claſſic. vix reperitur, niſi quod per analogiam vocis: *gratanter*, quam ad Latinitatem cadentem retulit Cellarius in *Curis poſter.* pag. 210. & Anti-Barb. pag. 38. inter voces nullius aut obſcuræ auctoritatis, eam excuſare velis. 123 emolumento, commodo, fructu.

bent medicorum remedia, quo corporis ſanitatem vel tueantur, vel recuperent. Cæterum accerſere moleſtias, hoc eſt, inopiam aduerſam valetudinem, perſequutionem infamiam, niſi cum huc impellit Chriſtiana caritas, non eſt pietatis, ſed ſtultitiæ. Cæterum quoties infliguntur ob Chriſtum & ob iuſtitiam, quis auſit eos vocare miſeros, cum ipſe Dominus appellet eos beatos, & horum gratia gaudere iubeat [124]? *Sp.* Habent tamen interim & iſta ſenſum [125] cruciabilem [126]. *He.* Habent, ſed quem facile abſorbet hinc metus gehennæ, illinc ſpes æternæ beatitudinis. Age, ſi tibi perſuaſum eſſet, te nunquam ægrotaturum, aut vllam corporis moleſtiam ſenſurum in omni vita, ſi ſemel patiaris cuſpide aciculæ tibi ſummam pungi cutem; nonne lubens & gaudens acciperes tantillum dolorem? *Sp.* Maxime. Imo ſi certo ſciam, mihi nunquam in vita dolituros dentes, æquo animo patiar vel altius infigi acum, atque etiam ambas aures fibula [127] perforari. *He.* Atqui quidquid

---

124 Matth. V, 10, 11, 12. 125 perceptionem. 126 cruciari valentem, aptum, qui cruciari poteſt. Verbalia in BILIS habent ſignificationem Paſſiuam, vt: nubilis, conuertibilis, labilis, patibilis, odibilis, das ſich heyrathen / verkehren / fällen / leyden / haſſen läßt. Placabilis, flebilis, perſuaſibilis, volubilis. Das ſich begüttigen / beweinen / überreden / wältzen läßt. Sic: amabilis, horribilis, vincibilis. Multa tamen & *actiue* ſignificant, vt *penetrabile* telum, id eſt, quod penetrare poteſt. 127 *ſubula* legunt Montanus & Ra-

quid in hac vita accidit afflictionis, leuius ac breuius est ad [127] æternos cruciatus, quam momentaneum acus vulnusculum [128] ad hominis vitam, quamuis longam: nulla enim analogia [129] rei finitæ ad infinitam. *Sp.* Verissima prædicas. *He.* Iam si quis tibi persuadeat, te per omnem vitam omni molestia cariturum [130], si semel manu *flammam diuidas* [131], quod fieri vetuit Pythagoras [132], nonne lubens id faceres? *Sp.* Ego sane vel centies, modo ne me fallat promissor. *He.* Deus ne potest quidem fallere: sed ille flammæ sensus diuturnior est ad totam hominis vitam collatus [133], quam tota vita collata ad cœlestem beatitudinem, etiamsi quis trium Nestorum excedat annos [134]. Siquidem illa quantumlibet breuis manus iniectio [135], nonnul-

---

bus, instrumentum suendi, quo corium perforant sutores. Pfrieme / Ahl. fibula autem est circulus, quo fit fibulatio. eine Zusammenhefftung oder Fügung; Ohren-Spange / Ohren-Gehencke. 127 Si conferas, contendas. 128 leuiculum vulnus. 129 proportio, mensura, collatio, paritas, æqualitas. II. Cor. IV, 17. 130 liberum fore, immunem futurum, liberatum iri. 131 disseces, cædas, scindas. 132 Legitur sententia: *Ignem gladio ne fodias, ne scalpas* in Arcanis Moralibus Francisci Bernii detectis omniumque vsibus expositis per Paulum Patrem sub titulo Symboli VIII. pag. 84. & explicatur de Ira & furore non irritandis, deque *Incongruis* non patrandis. 133 cum tota hominis vita collatus, comparatus. 134 id est *nongentos*: namque *tria secula*, aut annos *trecentos* vixisse Græcorum eloquentissimus *Nestor* ferebatur. 135 Insertio, illatio, in flammam scil.

nulla [136] huius vitæ portio est: sed tota hominis vita, nulla portio est æternitatis. *Sp.* Non habeo quod contradicam. *He.* Ad hanc igitur qui toto pectore, certaque spe properant, cum tam breuis sit transcursus [137], an credis, eos huius vitæ molestiis discruciari? *Sp.* Non arbitror, modo adsit certa persuasio, firmaque spes assequendi. *He.* Venio nunc ad oblectamenta, quæ obiiciebas. Abstinent a choreis, a comessationibus, a spectaculis: hæc nimirum ita contemnunt, vt fruantur multo iucundioribus, nec minus [138] oblectentur, sed aliter. *Oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis ascenderunt quæ solatia Deus parauerit diligentibus ipsum**. Beatus Paulus agnouit, quæ sint cantica, quæ choreæ, quæ tripudia, quæ comessationes piarum mentium, etiam in hac vita. *Sp.* At sunt quædam voluptates licitæ, quas isti sibi ipsis interdicunt [139]. *He.* *Etiam licitarum voluptatum immodicus vsus est illicitus*: hunc si excipias, in cæteris omnibus superant [140], qui videntur asperam vitam degere. Quod potest esse magnificentius spectaculum, quam *huius mundi contemplatio?* Ex eo longe plus capiunt voluptatis homines Deo cari, quam cæteri. Siqui-

136 aliqualis, quantulacunque. 137 transitio, transitus. 138 & pariter, & æque. * I. Corinth. II. Esaiæ LXIV. 139 a quibus isti semetipsos abstinent, abstrahunt. 140 antecellunt, anteuertunt.

quidem *hi* dum curiosis oculis contemplantur admirandum hoc opus, anguntur animo, quod multarum rerum causas non assequantur. In quibusdam etiam ceu Momi [141] quidam obmurmurant opifici: neque raro *naturam* pro matre [142] nouercam appellant: quod conuicium verbo tenus [143] quidem naturam ferit, sed re vera in eum redundat qui naturam condidit, si qua est omnino natura [144]. At homo pius religiosis ac simplicibus oculis magna cum animi voluptate spectat opera Domini [145], patrisque sui, demirans singula, nihil reprehendens, sed pro cunctis gratias agens, cum reputat, hæc omnia propter hominem esse condita: atque adeo in singulis rebus adorat omnipotentiam, sapientiam, ac bonitatem conditoris, quarum vestigia perspicit in rebus conditis [146]. Iam finge mihi, esse aliquod *palatium* re vera tale,

141 *Momum* nocte matre & somno patre genitum reprehensionis Deum fingunt; qui, cum ipse quidem nihil operis edat, aliorum tamen Deorum opera carpit summa cum audacia. 142 Pertinet huc Plinii Prooemium libri VII. Hist. natural. Est vero Natura mater fœcundissima, optima, indefessa, patientissima, fidelissima. 143 *Tenus* cum Ablatiuo, & Genitiuo rarius, constructum per Anastrophen vbiuis Casui postponitur; vt: oretenus, sermone tenus, rumore tenus, hominetenus, titulotenus, capulotenus, crurum tenus, laterum tenus. 144 Natura nihil aliud est, quam rerum creatarum ex materia & forma constitutio atque structura. 145 Psalm. VIII, v. 4, 5. 146 Psalm. XIX, v. 2, 3.

le, quale Pfychæ [147] fingit Apuleius, aut fi quod potes magnificentius elegantiusque: huc adhibe duos fpectatores, alterum peregrinum, qui tantum vifendi caufa venerit; alterum, feruum aut filium eius, qui conftruxit hoc ædificium: vter impenfius delectabitur; hofpes ille, ad quem illa domus nihil attinet; an filius, qui cariffimi patris ingenium, opes ac magnificentiam in ædificio magna cum voluptate fpeculatur; præfertim cum cogitat, totum hoc opus ipfius gratia factum effe? *Sp.* Percunctatio [148] tua non eget refponfo: fed plerique non piis moribus [149], fciunt cœlum & quæ cœlo clauduntur, hominis caufa effe condita. *He.* Sciunt plerique omnes: fed non omnibus hoc venit in mentem; & fi venit in mentem, plus tamen capit voluptatis qui magis amat opificem: quemadmodum alacrius intuetur cœlum qui ad vitam cœleftem adfpirat. *Sp.* Veri fimillima dicis. *He.* Iam conuiuiorum fuauitas non eft fita in lautitiis palati, aut coquorum conditeris, fed in profpera cor-

---

147 Animæ feu Vitæ; quam fingit Apuleius puellam formofiffimam in fcopulo feu monte fedentem, vbi amœniffimum videret fpectaculum. Metamorph. lib. 5. *Prope fontis ad lapfum domus regia eft ædificata non humanis manibus fed diuinis artibus. Iam fcires ab introitu DEI cuiuspiam luculentum & amœnum videre te diuerforium.* Quis fuerit Apuleius fupra dictum. 148 Quæftio, ζήτημα tuum. 149, fcil. imbuti, improbi.

corporis valetudine, & stomachi appetentia. Caue igitur putes vllum Lucullum [150] cœnare iucundius appositis perdicibus, phasianis, turturibus, leporinis, scaris, siluris, aut murænis [151]; quam vir pius cibario pane, holeribus [152] aut leguminibus, potu vel aquæ, vel ceruisiæ tenuis; vel vini probe diluti [153]: propterea quod hæc accipit tanquam missus [154] a benigno patre datos: omnia condit oratio, omnia sanctificat precatio *præcedens*, sacra lectio *comes*, magis animum reficiens, quam esca corpus, & gratiarum actio *succedens*: postremo surgit a mensa non distentus, sed recreatus; non onustus, sed refectus [155]; & refectus mente pariter & corpore. An tu putas vllum istarum vulgarium cupediarum [156] architectum [157] conuiuari iucundius? *Sp.* Sed in Venere [158] summa est delectatio, si quid Aristoteli credimus. *He.* Et hac in parte vincit [159] homo

150 Imperatorem, Quæstorem, Prætorem, Opulentum, Prædiuitem. 151 de quibus supra dictum. De Muræna Martial. lib. 13. Epigr. 8. Quæ natat Siculo grandis muræna profundo. De Romanorum insania in hoc pisce æstimando legi potest doctiss. Ludou. Nonnii libellus de piscium esu, cap. 17. 152 oleribus. 153 dilútum penult. longa; ex luo & diluo. 154 Missus, ûs, id est, immissio ferculorum Ein Tracht. Essen. v. g. opsonia missa; bellaria missa, edulia quæuis alia. 155 Est Paradiastole: 156 lautitiarum deliciarum. 157 artificem, opificem; cupediarium. 158 amore; expletione libidinis: 159 superior euadit, victor est.

homo pius, non minus quam in conuiuio. Rem ſic accipe : Quo vehementior eſt erga vxorem caritas, hoc congreſſus ille connubialis eſt iucundior. Nulli porro vehementius *amant* vxores ſuas, quam qui eas *diligunt*, ſicut Chriſtus *dilexit* [160] eccleſiam : nam qui eas voluptatis gratia diligunt, ne diligunt quidem. Adde, quod quo rarior eſt cum vxore congreſſus, hoc eſt ſuauior : quæ res nec impium poëtam, latuit qui ſcripſit, *Voluptates commendat rarior vſus* [161]. Quamquam minima voluptatis pars in coitu ſita eſt. Longe maior eſt in perpetuo conuictu, qui inter nullos poteſt eſſe iucundior, quam inter eos, qui ſe Chriſtiana caritate ſinceriter amant, & amant pariter mutuo. In aliis frequenter cum ſeneſcente voluptate ſeneſcit amor. Chriſtiana caritas hoc [162] magis *vireſcit*, quo magis delecta-

160 *Amo* & *Diligo* hoc differunt obſeruante Popma, quod *Amo* maiorem vim atque affectionem denotet, quam *Diligo*. Hinc Cic. ad Brutum : Me aut *amabis*, aut, quo contentus ſum *diliges*. Præterea *diligere* nos ſcribit ex *virtute* ; *amare* vero interdum *vtilitatis* aut *voluptatis* cauſa; quas tamen differentias hic negligit Eraſmus, dum *voluptatis* gratia quosdam *diligere* perhibet vxores. 161 Iuuenalis Satyram II. claudit his verbis ; dum vero *impius* audit Eraſmo eo ſenſu dicitur, quo *impius* eſt, qui *pius* non eſt ; qui profanus eſt, qui gentilis ; niſi obſcœnitatem arguit verſuum, quibus minimam voluptatis partem viro in coitu adſcribit, fœminæ longe maiorem ; quosque hoc modo concludit : *Hæc tamen ipſa Vir nollet fieri, nam quantula noſtra voluptas?*
162 eo, tanto.

ctatio carnis *decrescit* [163]. An nondum tibi persuasi, *nullos viuere iucundius quam qui cum pietate degunt* ? *Sp.* Vtinam itidem sit persuasum omnibus ! *He.* Quod si Epicurei sunt, qui suauiter viuunt, nulli verius sunt Epicurei quam qui sancte pieque viuunt. Et si nos tangit cura nominum, nemo magis promeretur cognomen Epicuri, quam adorandus ille Christianæ philosophiæ princeps [164]. Græcis enim ἐπίκουρος *auxiliatorem* declarat. Cum naturæ lex esset vitiis tantum non [165] oblitterata [166], cum Mosis lex magis irritaret cupiditates [167], quam sanaret, cum impune regnaret in mundo tyrannus Satanas, solus ille pereunti humano generi præsentaneam [168] attulit opem. Proinde vehementer falluntur quidam, qui blaterant [169], Christum natura fuisse tristem quempiam ac melancholicum [170], nosque ad inamœnum [171] vitæ genus inuitasse. Imo is vnus ostendit vitam omnium suauissimam, veræque voluptatis plenissimam : tan-

163 adhibetur figura dictionis, quæ dicitur Homœoteleuton. 164 Meritissimum Saluatorem nostrum indigitat, Iesum Christum. 165 fere, ferme, maxima ex parte. 166 obfu cata, obtenebrata. 167 Rom. VII. v. 5. τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου ἐνεργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν ; & v. 8. Ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν ἐπιθυμίαν. χωρὶς γὰρ νόμου ἁμαρτία νεκρά. 168 certissimam, efficacissimam. 169 garriunt, ganniunt, oggranniunt. 170 tetricum, morosum. 171 austerum.

tantum absit lapis ille Tantaleus [172]. *Sp.* Quid istuc ænigmatis est? *He.* Ridebis fabulam: sed *hic iocus seria ducit* [173]. *Sp.* Exspecto iocum serium. *He.* Narrant ii quibus olim studio fuit Philosophiæ præcepta fabularum inuolucris tegere, Tantalum quendam adhibitum fuisse Deorum mensæ, quam volunt esse lautissimam. Cum hospes esset dimittendus, Iupiter hoc suæ dapsilitatis [174] esse ratus, ne conuiua discederet absque xenio [175], permittit vt quod vellet peteret, accepturus quidquid petiisset. Tantalus autem stolidus, vt qui beatitudinem hominis, ventris & gulæ delectatione metiretur [176], optauit, vt sibi per omnem vitam liceret tali mensæ accumbere [177]. Annuit Iupiter; & ratum [178] erat votum. Translatus assidet mensæ omni genere deliciarum instructæ: appositum est nectar [179]; nec desunt rosæ, nec odores, qualibus Deorum nares possint oblectari; adstat pocillator Ganymedes aut Ganymedi similis [180]; circumstant Musæ suauiter canentes; saltat ridiculus Silenus [181], nec absunt moriones: breuiter quidquid

172 mala conscientia. 173 Hier ist Schertz und Ernst beysammen. 174 lautioris hospitalitatis, liberalitatis, abundantiæ. 175 munusculo, quod datur hospitibus. 176 æstimaret, expenderet. 177 assidere, cibisque victitare appositis. 178 firmum, validum, firmatum. 179 Deorum potus. 180 puer formosissimus iussu Iouis ab aquila raptus in cœlum, vt nectari miscendo præficeretur. 181 senex ebrius, Bacchi Pædagogus.

quid vllum hominis ſenſum poſſit oblectare: ſed inter hæc omnia ille ſedet triſtis, ſuſpirans & anxius, nec hilareſcens riſu, nec attingens appoſita [182]. *Sp.* Quid in cauſa? *He.* Quoniam ſupra caput accumbentis de pilo [183] pendet ingens ſaxum iam iam caſuro ſimile. *Sp.* Ego me e tali menſa ſubducerem [184]. *He.* Sed illi votum tranſiit in neceſſitatem: neque enim Iupiter tam placabilis eſt, quam noſter Deus, qui pernicioſa vota mortalium reſcindit [185], ſi modo pœniteat. Quanquam & alioqui, ne ſe Tantalus ſubducat, vetat [186] idem lapis, qui prohibet veſci. Metuit enim, ne ſi ſe commouerit, illico [187] ſaxi ruina [188] conteratur. *Sp.* Ridiculam fabulam. *He.* At nunc audi [189] quod non rideas. Vulgus a rebus externis petit vitam iucundam, cum eam non præſtet niſi mens ſecura: nam ſibi male conſciis ſaxum multo grauius *impendet*, quam *impendet* [190] Tantalo. Imo non *impendet* [191], ſed vrget premitque mentem; nec inani metu diſcruciatur animus, ſed in ſingulas horas exſpectat, vt coniiciatur in ge-

182 edulia, eſculenta & potulenta. 183 crine, ſeta. 184 ſubriperem. 185 diſſoluit, diſſecat, rumpit. 186 prohibet, negat. 187 derepente, ſubito. 188 lapſu, caſu. 189 aliquid ſcilic. 190 Geminum *impendendi* genuinumque ſignificatum inculcat; quod *a ſuperiori pendere velut caſurum & prope eſſe, proximumque fore* verbum illud denotat. 191 imminet.

gehennam [191]. Obſecro quid eſt tam ſuaue in rebus humanis, quod mentem tali ſaxo preſſam poſſit vere exhilarare [192]? *Sp.* Nulla profecto res, niſi vel dementia, vel incredulitas. *He.* Hæc ſi perpenderent adoleſcentes, qui voluptatibus ceu poculo Circeo [193] dementati, pro vere iucundis amplectuntur mellita venena, quanto ſtudio cauerent, ne quid per incogitantiam admitterent, quod in omnem vitam mordeat animum [194]? Quid non facerent, vt hoc *viaticum* pararent *ſenectuti* venturæ, *mentem ſibi bene conſciam, & famam nulla labe contaminatam?* Quid autem illa ſenectute miſerius, quæ cum reſpicit *in tergum* [195], magno cum horrore videt, quam ſpecioſa ſint quæ neglexit; quam fœda quæ amplexa eſt? Rurſus cum *a fronte* [196] proſpicit, cernit imminere diem ſupremum, & ab hoc protinus æterna gehennæ ſupplicia. *Sp.* Feliciſſimos arbitror, qui primam ætatem ſeruarunt incontaminatam; & in pietatis ſtudio ſemper proficientes, peruenerunt vsque ad ſenectutis

191 infernum, tartarum, orcum. 192 erigere, attollere, ſolari. 193 Circe venefica homines poculo venenato mutabat in beſtias. Ideoque recte quis voluptatum illecebras *Pocula Circæa* appellet penult. producta aut per Diphthongum (æ) *Circæa* conſignata. Horat. Epiſt. 2. lib. 1. *Sirenum voces & Circes pocula noſti.* 194 contra illud Hiobi cap. XXVII. v. 6. 195 retro vertit oculos in tempus anteactum. 196 in futurum & imminens, inſtans.

tis metam. *He.* Proximus locus debetur iis, qui a iuuenili temulentia mature resipuerint [197]. *Sp.* Sed quid consilii das illi misero seni? *He.* *Nulli desperandum, quam diu spirat* [198]: iubebo ad Domini clementiam confugere. *Sp.* Sed quo fuit vita longior, hoc magis accreuit scelerum cumulus, iam arenam exuperans quæ est in littore maris. *He.* Sed eas arenas longe superant misericordiæ Domini. Arena tametsi non est homini numerabilis, finito tamen est numero: at Domini clementia nec modum, nec finem nouit [199]. *Sp.* Sed non est spatium breui morituro. *He.* Quo minus est spatii, hoc clamet ardentius. Apud Deum satis longum est, quod

197 ad sanitatem reuersi sint. Iul. Cæs. de Bell. Gall. cap. 42. *Magnos sane viros perdita pene ac desperata adolescentia in patriæ salutem natos accepimus. L. Valerium Flaccum, quem Roma proiectæ libidinis iuuenem, virum omnis postea modestiæ ac probitatis exemplum vidit. Iam quid Q. Fabii Maximi adolescentia fœdius? quid vero illo sene ornatius, quid augustius Roma tulit? Q. autem Catuli iuuentutem deliciis & luxu diffluentem, quis credidisset in Patriæ aliquando Principem exsurrecturum? Duos in vno Sylla homines fuisse dixeris, turpem adolescentem & virum fortem: duos etiam in Iulio Cæsare, in Vespasiano, imperatoribus*; Crucii verba sunt inter Epist. cl. Viror. ad Vossium Epist. 129. & Mercur. Bataui lib. II. Epist. 10. p. m. 129. 198 Spiritum ducit, iuxta illud: *Dum spiro, spero.* 199 Rom. V, v. 20. Maior est DEI misericordia, quam omnium hominum peccata, teste Augustino.

quod a terris ad cœlum valeat pertingere. Penetrat autem & breuis precatio cœlum, modo vehementi spiritus impetu eiaculetur [200]. Euangelica peccatrix fertur per omnem vitam egisse pœnitentiam; sed latro in ipsa morte quam paucis verbis impetrauit a Christo paradisum? Si toto pectore clamauerit, *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam* *; Dominus tollet saxum Tantaleum [201], dabit auditui illius gaudium [202], & lætitiam; & exultabunt de condonatis peccatis ossa per contritionem humiliata.

200 Iac. V. v. 16. Sir. XXXV, 21. emittatur. Hinc *preces iaculatoriæ*, Stoß-Gebethgen / Stoß-Seuffzer; de quibus peculiari Dissertat. egit Dn. D. Godofredus Wegnerus Regiomonti anno 1708. mens. Iulio. * Psalm. LI.
201 onus peccatorum grauissimum. Psal. XXXVIII, 5.
202 Psalm. LI. v. 10.





CORONIS APOLOGETICA PRO COLLOQVIIS ERASMI


Ex ipsius scriptis, quantum per otium licuit, fideliter collecta

à

P. SCRIVERIO.

Accedit eiusdem

DE COLLOQVIORVM VTILITATE *DISSERTATIO.*



Viro Clarissimo

PETRO SCRIVERIO

Amico veteri

DANIEL HEINSIVS

S. D.

MVlta sunt quæ pridem nos coniungunt, Vir Clarissime, inprimis autem literarum amor atque eorum admiratio quos hæ commendant. Inter quos Erasmus noster, non naturæ minus quam Bataviæ parentis tuæ decus ac

ac miraculum : in tanta eruditionis luce ac veritatis, quam stertentibus plerisque inuexit, adhuc scopulus eorum, qui hanc ferre nondum didicerunt. Quae autem caussa semper fuit, quod ad Solem, quibus firmi parum oculi, caligent; eadem futura semper est, cur Solem hunc dissimiles non ferant. Nocte ipsa atque in tenebris exortus est, quas semper amant atque amabunt, quorum interfuerat, ne vnquam generi mortalium lucesceret: qui die medio conniuent, oscitant, pandiculantur, ac per interualla, vt somniculosi solent, vbi se attollunt, lucem ipsam detestantur, quam oderunt, quam defugiunt. Hesternum merum necdum edormisse dicas. Ipse, cum se totum, atque in solidum deberet sibi, eo praeceptore vsus, qui futurus erat publicus Europae, hoc est, semet, libertatem, pietatem, eruditionem, ita cum iudicio coniunxit, vt in expugnandis publicis erroribus ac morbis totus, vnum hoc cum cura ageret: solius veritatis cliens idem ac patronus, nulli, quod stupendum, supplex: nulli Reipublicae aut Principi in terris vitae caussa, vt plerique, aut stipendioli, addictus: ne fortunae quidem, cuius eruditi quoque legibus imperioque haud raro ancillantur, vel obnoxius vel manceps: patrocinii nullius, non iudicii, non opum affectator, non culinae. Qui ita denique egit, ita vixit, vt, cum sibi vixerit, de omnibus praeclare mereretur. Ipse pars haud contemnenda vniuersi, neque minus necessaria quam ipsa rerum elementa: sine quibus totum hoc, nec est, nec constat. Cum maiori in-

terim quam quisquam hactenus inuidia commissus, eos, qui vel erudiri nollent, vel monenti optime detraherent, ridendo sapere aut plorare iussit, voluit: non minus ad amoenitatem quam ad omnium cognitionem natus. Scripta Euangelica ac Apostolica Latine dedit: Paraphrasi sententiam eorum candide expressit. Scripta Patrum spuria ac illegitima a veris separauit ac distinxit. Controuersias tractauit, intellexit. Alibi errasse dicent. Quod est hominis. nec hoc de se negabit qui se hominem non diffitetur. Vitam quae plerunque viuitur, non aliter inspexit, quam qui instrumento a mechanicis reperto, eminus quae vident, oculis subiiciunt, ac, quasi cominus, ex arte intuentur; vt sic de futuris, quod prudentiae est, iudicaret. Non minus interim securus, quam qui ludos scenicos cum voluptate, extra scenam ipsi, ea lege tamen, vt sententiam mox ferant, intuentur. Et, vt medici nonnulli retrimenta ac vrinam contemplantur, vt non recte affectos valetudini restituant ac sibi: ita noster sordes quoque vitiorum contrectauit, vt errori mederetur. nunquam tristis aut morosus, & vbique suus. Vere Terminus, quem cum effigie delineatum vides: qui vt olim Diis caeteris cedentibus in templo de manubiis erecto restitisse fertur, ita hic nec statione hostibus nec loco cessit. Nusquam tamen magis quam in lepidissimo Colloquiorum libro hanc ideam animi expressit: in quo medicum, non grauem, non morosum, sed festiuum ac familiarem, agit. Quicquid luditur aut di-

dicitur, e vita media petitum est, vt hanc emendet, ita, vt eadem opera, & linguæ, quæ non paucis sordibus infecta erat, medeatur: barbaris præcipue infestus. Verus Proteus: qui vt formas quaslibet induere, ac pro persona qualibet repræsentare natus, ita similis vbique sui; hoc est, simplex candidusque; vt ii quoque, quos ad partes vocat, vel inuiti, quod non omnes assequuntur, Batauum agnoscant. Sed nec ignorabat, quis Dialogi iam olim vsus esset, quem Philosophiæ a Platone cæterisque sapientiæ consultis consecratum, ad theatrum Comici antiqui, ad facetias iocosque, numeris exutum, Lucianus reuocarat. Nihil illi magno constat: omnia ex tempore vt nata, ita huic & occasioni lepide accommodata sunt. Quæ deesse illi tempestate ea nunquam potuit, qua ludos maxime exhibebant, qui religionis pariter ac pietatis larua vtebantur. Quam detractam, veritati pariter ac genio suspendit. *Hoc volebam, ne, quid de eo ipse iudicem, nescires, de quo optime tum iudicare tum mereri soles. Quis enim nescit, quantum scripta eius tibi debeant? Vale, & me ama. Lugd. Batau.* A. cIↃ.IↃc.XXXVI.

DE



DE SYCOPHANTIIS ET IMPOSTVRIS CVIVSDAM DOMINICANI, QVI IN GALLIA COLLOQVIA ERASMI A SE RIDICVLE INTERPOLATA EDI CVRAVERAT,

ERASMI ADMONITIVNCVLA.

PRodierat Colloquiorum libellus, partim e confabulationibus domesticis, partim e schedis meis consarcinatus; sed admixtis næniis quibusdam, non tantum ineptis, verum etiam male Latinis, planeque solœcis [1]; & hoc nugamentum miro applausu exceptum est, vt in his rebus quoque ludit fortuna. Coactus sum igitur hisce næniis [2] manum admoliri [3]. Tandem

1 barbaris, agrestibus. Solœcus, qui Atticus ortu inter Solenses viuens decus suæ linguæ corrupit. Solorum autem conditor Solon in Cilicia; vid. Diogen. Laërt. 2 ineptiis, facetiis, ludicris. 3 admouere, adhibere.

dem adhibita paulo maiore cura, non pauca adiecimus, vt esset iusta libelli magnitudo; iamque vel hoc honore dignus videri posset, vt Ioanni Erasmio, Ioannis Frobenii filio, puero tum sex annos nato, sed indole incredibili, dicaretur: id factum est anno MCCCCCXXII. Quamquam huius operis natura est, vt quoties visum[4] fuerit recipiat accessionem. Itaque in gratiam[5] studiosorum & Ioannis Frobenii, frequenter iam auctarium[6] adiecimus; sed ita temperatis[7] argumentis, vt præter lectionis voluptatem, ac sermonis expoliendi fructum, inesset quod ad mores quoque formandos conduceret. Porro donec præter meras ineptias nihil haberet ille libellus, miro omnium fauore legebatur. Vbi accesserat vberior vtilitas, non potuit effugere τῶν συκοφαντῶν δήγματα[8]. Theologus quidam

4 reuisum, denuo perlustratum, retractatum. 5 vsum & fauorem. 6 additamentum, accessionem. 7 mixtis, dispositis, selectis. 8 Cauillatorum morsus, quos aduersus nihil tutum. Eleganter Iohannes Heermannus Epigramm. lib. VI. pag. 355. ad Gastonem Medicum celeberrimum scribit:

Vulnerat innocuum me seua nouacula Momi;
Omnem animi mentem cuspis acuta ferit.
Pharmaca mitte mihi. Sed quid desidero? contra
morsus Archilochi nulla medela valet.
Gratia me CHRISTI iuuat & mens conscia recti,
Detractor Satanam gestat in ore meus.

Nesciunt etiamnum hodie, quando sine galea debeant

dam Louaniensis, mire lippiens [9] oculis, sed multo magis ingenio, vidit illic quatuor locos hæreticos. Accidit & aliud quiddam huic operi memorabile. Excusum est nuper Lutetiæ, correctis, hoc est deprauatis, aliquot locis, quæ videbantur attingere *monachos*, *Vota*, *Peregrinationes*, *Indulgentias*, *aliaque huius generis*. Quæ si plurimum valerent apud populum, vberior esset istis quæstus. Verum hoc fecit adeo stulte, adeo indocte, vt scurram quempiam e triuio [10] fuisse iures: quum auctor tam insulsæ [11] fabulæ feratur Theologus quidam ordinis Dominicani, natione Saxo. Quorsum attinet addere nomen & cognomen, quod nec ipse cupit supprimi? ne-

---

prodire homines; tot conuitiorum tela, tot criminationum catapultas vbique viarum in obuios quosuis integros vitæ, scelerisque puros iactat calumnia, fœda carpendi & iniqua censendi libido. Crede mihi quæso; L. Beneu. *Experto* crede Ruperto; vt hic Rect. Funccii ex Progr. quodam verba mea faciam. Lepide vero Bakius in Ps. VII. pag. 128. Mimis & Momis, Sciolis & Zoilis, Opticis & Scopticis, Marculis & Quarculis nostris fides, inquit, non habebitur, si bonæ conscientiæ studeamus. I. Pet. II. 12. III. 16. Nullam mihi iniuriam facit serpentina lingua, sic eius venena fero quomodo Iupiter ineptias Poëtarum; quorum illi alius alas imposuit, alius cornua. 9 Lippire est putri humore diffluere, madere oculis. 10 Ioculator, Nugator communis & publicus, vulgaris; Empæcta, Sannio, nugarum mango, nugiuendulus. 11 stolidæ, fatuæ, desipientis, Abderitanæ.

nescit tale portentum pudescere; citius laudem etiam petat ex scelere [12]. Addidit Impostor nouam Præfationem meo nomine, in qua fecit tres viros in vno puero instituendo sudantes; *Capitonem*, qui tradidit literas Hebraicas: *Beatum*, qui Græcas: *me*, qui Latinas. Horum vtroque facit me tum literatura, tum pietate inferiorem: significans, in Colloquiis inspersa quædam quæ Lutheri resipiant [13] dogmata. Atque hic scio quosdam sublaturos cachinnum, quum legent Capitonem [14] ab isto, qui sic odit Lutherum, optimi doctissimique viri elogio prædicatum. Hæc atque huiusmodi multa me loquentem facit, huius audaciæ exemplo sumpto ex epistola Hieronymi, qui queritur æmulos [15] suos ipsius nomine confictam epistolam sparsisse apud Afros in conuentu Episcoporum, in qua fateretur *se deceptum a Iudæis quibusdam falso vertisse Vetus Testamentum ex Hebræis*. Et omnino persuasissent eam epistolam esse Hieronymi, si sty-

12 scelus sibi reputauerit, duxerit laudi. 13 sipiant, spirent. 14 Wolffg. Fabr. Capito Hagenoæ anno 1481. natus Concionator primum & Consiliarius Archi-Episcopi Moguntini, post Pastor Argentinensium, trium facultatum promotus Doctor, institutionibus Hebraicis & tractatibus de Missa & matrimonio clarus, sed in Zwinglianam factionem inclinatus; qua de causa literis Lutherus grauiter cum eo expostulauit, vt videre licet Tomo I. German. p. 55. Obiit anno 1541. 15 maleuolos, inuidos, inimicos, aduersarios.

ſtylum Hieronymi aliqua ex parte potuiſſent aſsequi. Hoc facinus quum Hieronymus referat velut extremæ deploratæque malitiæ, tamen vnum hoc arriſit iſti Phormioni [16], quod eſt quouis libello famoſo ſceleratius. Sed defuit malitioſæ voluntati facultas perficiendi quod deſtinarat. Stylum Eraſmi quamuis incultum aſſequi non potuit: ſic enim claudit florulentam [17] ſuam Præfationem: *Ita monuit ætas, ita iuſſit pietas, vt dum viuere datur prægraui ſenecta, ſcripta mea repurgem, ne functos manes triſtibus transſcribant ſequaces inferiis.* Quum talis ſit hominis ſermo, tamen non veritus eſt ſuos floſculos noſtris coronis intexere; aut inſaniſſime ſibi placens, aut peſſime ſentiens de iudiciis Theologorum: nam his iſta cudit; quos omnes tam ſtupidos eſſe putat, vt non ſtatim deprehenſuri ſint infeliciter aſſutos huius pannos. Tam abiecte vbique adulatur Galliæ, Lutetiæ, Theologis, Sorbonæ, Collegiis, vt nemo mendicus poſſit abiectius. Itaque ſi quid parum magnifice [18] dictum videtur in Gallos, transfert in Britannos; ſi quid in Lutetiam, vertit in Londinum. Addidit quædam odioſa, velut a me dicta, quo mihi conflet inuidiam apud eos quibus

16 maxime deliro, de quo Hannibal: *Multos ſe vidiſſe deliros ſenes, ſed qui magis quam Phormio deliraret, vidiſſe neminem.* 17 floribus plenam ſcilicet. 18 honorifice, laute.

bus dolet [19] me esse charum. Quid multis? passim suo commodo resecat, addit, mutat, veluti sus oblita [20] cœno volutans sese in horto alieno, nihilque non conspurcans, perturbans, euellens; nec interim sentit perire captatam a nobis argutiam. Etenim quum ille cuidam dicenti, *ex Hollando versus es in Gallum*, responderetur, *Quid? an capus eram, quum hinc abirem?* ille mutauit, *ex Hollando versus es in Britannum. Quid? an Saxo eram, quum hinc abirem?* Rursum, quum idem dixisset, *Vestis indicat te mutatum ex Batavo in Gallum*; ille ex *Gallo* facit *Britannum*: quumque ille respondisset, *hanc metamorphosin malim, quam in Gallinam*, alludens ad *Gallum*; ille mutauit *Gallinam* in *Bohemum*. Mox, quum iocatur *se Latinum sermonem sonare Gallice*, ille pro *Gallice* vertit, *Britannice*; & tamen reliquit quod sequitur, *Nunquam igitur bona carmina facies, quia periit tibi syllabarum quantitas*, quod in Britannos non congruit. Item, quum illic dicatur, *Quid accidit Gallis, vt bellum suscipiant cum Aquila?* ille sic corrumpit iocum, *Quid accidit pardis, vt bellum suscipiant cum liliis?* quasi lilia soleant prodire in bellum. Interdum non sentit ea quæ sequuntur cum his quæ mutauit non cohærere. Velut

19 ægre est; qui ægre ferunt. 20 contaminata, incrustata, inquinata.

Velut hoc ipſo in loco. Ego ſcripſeram, *Eſtne Lutetia immunis a peſtilentia?* ille mutat, *Eſtne Londinum immunis a peſtilentia?* Rurſus alio loco, quod a quodam dicitur, *Quid trepidamus hunc gallum lacerare?* ille *gallum* vertit in *leporem*; nec tamen mutauit quod ſequitur, *vtrum mauis de ala, an de poplitibus?* Porro quum Dominicalibus adeo tenere [21] faueat, vt voluerit, apud illos ſedere Commiſſarios, tamen Scotum atrociter attactum æquo fert animo. Nec enim mutauit quod illic dicit quidam, *citius patiar perire totum Scotum, quam libros vnius Ciceronis.* Verum vt hæc ſtultitiæ plena ſunt, ita inſunt permulta quæ parem habent ſtultitiæ iunctam malitiam. Quidam illic irridet ſodalem, qui quum eſſet perditæ vitæ, tamen fideret bullis Indulgentiariis: hic Corrector [22] facit illum fatentem ſe cum Luthero ſuo ſentire Indulgentias Pontificias nihil valere; ac mox fingit eundem reſipiſcentem, profiteri erroris ſui pœnitentiam. Atque hæc videri vult a me correcta [23]. O miros fidei Atlantes [24]! Hoc perinde ac ſi quis offis [25] ſanguine imbutis vulnus mentiatur in humano corpore, ac mox idem ſublatis quæ admouerat, vulneri medeatur. Dicit

21 teneriter, molliter. 22 Corruptor, Interpolator, Nouator. 23 immutata, innouata. 24 mira fidei fulcra, columnas miras, mira fulcimenta. 25 maſſis, decoctis, cataplaſmatibus.

cit illit puer quispiam, *confessionem quæ sit Deo præcipuam esse* ; ille correxit [26], asseuerans *confessionem quæ sit Sacerdoti præcipuam esse* ; ita prospexit periclitanti Confessioni. Vnum hoc exempli causa retuli, quum in huius generis sycophantiis creber sit. Atque hæc respondent palinodiæ, quam ille sub meo nomine pollicetur in falsaria [27] Præfatione ; quasi cuiusquam sit canere palinodiam [28] erroris alieni : aut quasi quicquid illic sub quacunque persona dicitur, meum sit dogma. Nihil enim me mouet, quod hominem nondum sexagenarium facit prægraui senecta. *Olim capitale erat edere quicquam alieno nomine* ; nunc tales sycophantias in vulgus spargere, ficto ipsius nomine qui traducitur, ludus est Theologorum : nam vult Theologus videri, quum res illum clamitet ne pilum quidem tenere [29] rei Theologicæ. Nec dubito, quin furcifer [30] ille mendaciis suis imposuerit famelico [31] typographo : non enim arbitror, quemquam esse tam insanum, qui sciens tam indoctas nænias velit excudere [32]. Deploratam hominis audaciam

26 supposuit. 27 supposita, suppositiia, spuria, Pseudepigrapha. 28 recantationem, reuocationem. 29 fouere, possidere, gestare. 30 furca, patibulo dignus. **Der Galgen-Vogel / Galgen-Schelm / Galgen-Schwengel.** 31 cum inedia conflictanti, pauperrimo, indigo, inopi. 32 imprimere, typis vulgare, exscribere.

ERASMVS ROTERODAMVS

THEOLOGIS LOVANIENSIBVS,

fratribus in Domino chariſſimis,

S. D.

Res ad me delata eſt, non ſolum rumore, ſed ex amicorum haud futilium literis, & illa nominatim exprimentium, *quibus verbis, quo loco, apud quos* mihi intentata ſit calumnia per illum perpetuo ſui ſimilem; cuius etiam mores ac priora geſta faciunt, vt quod alioqui probabile futurum erat, pro comperto [36] poſſit haberi. Proinde non arbitratus ſum mihi diſſimulandum [37] eſſe: præſertim apud Vos, quorum partes erant tam effrenem [38] hominis petulantiam, ſi non mea cauſa, certe ordinis veſtri gratia coërcere.

Iactat ac vociferatur, in libello Colloquiorum quatuor eſſe loca plus quam hæretica: De *eſu carnium, & ieiunio*: De *Indulgentiis*, ac de *Votis*. Hoc quum ille fortiter & impotenter [39] aſſeue-

36 certo, manifeſto, indubitato. 37 reticendum. 38 infrunitam. 39 dementer.

ſeueret, tamen ſecus habere [40] comperiet, quisquis libellum legerit integre [41]. Quod ſi cui non vacat eiusmodi nugas legere, rem paucis aperiam. Id vero priusquam aggrediar, tria quædam præfari viſum eſt.

Primum, hac in re non poſſe mihi obiici contemptum Edicti Cæſarei, quod audio publicatum VI. Maii, anno MDXXII, quum hic libellus multo ante fuerit excuſus: idque Baſileæ, vbi tamen nullum adhuc Cæſaris Edictum vel publice vel priuatim fuit exhibitum.

Deinde, quod in eo libello non trado dogmata Fidei, ſed formulas loquendi Latine: tametſi quædam admixta ſunt obiter, quæ faciunt ad bonos mores. Quod ſi Grammaticus præſcripto themate Germanico, Gallicoue, ſic doceret pueros hunc ſenſum Latine reddere: *Vtinam nihil edant præter allia, qui nobis hos dies piſculentos inuexerunt.* Aut hoc: *Vtinam inedia pereant, qui liberos homines adigunt ad ieiunandi neceſſitatem.* Aut hoc: *Digni ſunt vt fumo pereant, qui nobis Diſpenſationum ac Indulgentiarum fumos tam care vendunt.* Aut hoc: *Vtinam vere caſtrentur, qui nolentes arcent a matrimonio.* Quæſo, num is cauſam dicere cogeretur, qui ſenten-

40 eſſe rem. 41 non interpolatum, non corruptum, non mutilatum.

tentiam, licet improbam, doceret verbis bene Latinis efferre : Neminem arbitror esse tam iniquum, qui hoc censeat æquum.

Tertio, cum primis illud videndum erat, qualis sit persona cui sermonem in Dialogo tribuo. Non enim illic facio Theologum concionantem, sed bellos homunculos inter se nugantes. Quod si quis tam iniquus sit, vt nolit mihi suffragari personæ qualitatem, is eadem opera debet imputare, quod illic Augustinus (opinor) quidam contemnit honestum Stoicorum, & præfert sectam Epicureorum, qui summam boni posuerunt in voluptate. Idem imputet quod illic miles quidam inter multa, quæ sane militariter loquitur, ait, se velle quærere sacerdotem confessurus, cui quam minimum sit bonæ mentis. Idem imputaret, opinor, si in Dialogo tribuerem Ario sermonem ab Ecclesiastico dogmate dissonantem. Hæc si mihi absurde imputarentur, cur in cæteris non debet respici personæ qualitas? Nisi forte, si Turcam loquentem facerem, mihi censeant imputandum quidquid ille diceret.

Hæc præfatus in genere, de locis ab isto taxatis pauca dicam. In primo loco puer quidam, sedecim annos natus, ait *se confiteri peccata duntaxat certo capitalia, aut vehementer suspecta :* quum Lutherani, sicut audio doceant, non esse necesse confiteri omnia crimina capitalia. Proinde res ipsa declarat, hunc pueri sermonem multum dissonare a dogmate quod vos

damnatis. Mox puer idem rogatus, *an ipsi sufficiat confiteri Christo ;* Respondet, *satis futurum animo suo, si idem visum fuisset Ecclesiæ proceribus.* Ex hoc ratiocinatur, non per artem Dialecticam, sed per malitiam sycophanticam: *Me videlicet autorem esse, hanc Confessionem, qua nunc vtimur, non esse institutam a Christo, sed ab Ecclesiæ præsulibus.* Ista collectio posset videri probabilis, si Christus non esset vnus e primatibus Ecclesiæ, quum iuxta Petri dictum sit *Princeps pastorum* [42], ac iuxta vocem Euangelicam, *Pastor bonus* [43]. Ergo qui proceres Ecclesiæ dicit, non *excludit* Christum, sed *complectitur & illum cum Apostolis, & Apostolorum successoribus:* quemadmodum qui præcipua corporis membra nominat, non excludit caput. Quod si cui videbitur hæc responsio non carere stropha [44]: age, demus puerum illum sensisse de puris [45] hominibus, *Ecclesiæ proceribus :* An puero non est satis quod in confitendo sequitur autoritatem illorum, etiamsi non habeat certum, an Pontifices potuerint hoc instituere de suo, an tradiderint nobis ex institutione Christi ? quum illi sit animus parere [46], quocunque modo tradiderint.

---

42 Ἀρχιποιμὴν der Ertz-Hirte. I. Pet. V, 4. 43 Ποιμὴν ὁ καλός. Der gute Hirte/derselbe gute Hirte. Ioh. X, 11, 14. 44 torsione, conuersione, contorsione, peruersitate, subdola tergiuersatione, subtilitate fraudulenta. Spitzfündige Ausflucht/Verdrehung. 45 meris, nudis, puris putis. 46 obsequi, obedire, morem gerere.

rint. Ne mihi quidem ipsi satis adhuc plene constat, *quod Ecclesia definierit hanc Confessionem*, vt nunc fit, *esse ex institutione Christi.* Sunt enim permulta argumenta, mihi quidem insolubilia, quæ suadent contrarium. Et tamen hunc animi mei sensum vbique submitto iudicio Ecclesiæ, libenter sequuturus, simul atque certum vigilans claram illius vocem audiero. Iam, si maxime hoc expressisset Bulla Leonis, & aliquis vel nesciret, vel non meminisset, sufficeret interim (opinor) hac in re obsequi autoritati Ecclesiæ, cum animo parendi, si & illud constaret. Neque vero recte colligi potest, *Hæc Confessio est ex institutione hominum, ergo non habet autorem Christum.* Apostoli instituebant Ecclesiarum disciplinam, haud dubie, quin ex institutione Christi: instituebant Baptismum, instituebant Episcopos; sed autoritate Christi. Et tamen negari non potest, multa huius Confessionis pendere ex constitutione Pontificum: videlicet, quod confitemur semel in anno, quod ad Pascha, quod huic aut huic sacerdoti, quod nos quiuis sacerdos absoluit a quibuslibet admissis. Ex his arbitror liquere, quam sit manifesta calumnia, quod ad *Confessionem* attinet.

Porro, non fit illic mentio de *Ieiunio*, ad quod nos hortatur Euangelium, & Apostolicæ litteræ, sed *de delectu ciborum*, quem palam contemnit in Euangelio Christus[47], nec raro damnant Pau-

47 Matth. XV, 11. Ὀυ τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ σόμα κοινοῖ

Paulinæ literæ [48]: præsertim Iudaicum, & superstitiosum. Dicet aliquis, *hoc est accusare Pontificem Romanum, qui hoc præcipiat quod damnat Apostolus.* Quid doceat Euangelium, in propatulo est. Pontifex ipse declaret, quo animo iubeat quod non exigit Euangelium. Quamquam nullus illic dicit, quod nescio an doceat Lutherus, *constitutiones Pontificum non reddere nos obnoxios crimini, nisi contemptus accesserit.* Imo qui loquitur illic, concedit *Pontificem posse constituere*: tantum quærit, *an hic fuerit animus Pontificis, obligare ex æquo omnes ad carnium abstinentiam*; *sic, vt qui comederit, obnoxius sit Gehennæ, etiamsi non accedat peruersus contemptus?* Et qui hoc dicit in Colloquiis, addit *se non aliter odisse pisces, quam anguem.* Sunt autem quidam sic affecti, vt piscis sit illis venenum: quemadmodum inueniuntur, qui similiter abhorreant a vino. Qui sic affectus est erga pisces, si prohibeatur vesci carnibus & lactariis, nonne dure tractabitur? An hunc quisquam homo velit obnoxium fieri pœnæ Gehennæ, si pro corpusculi necessitate vescatur carnibus? Si quæuis constitutio Pontificum & Episcoporum obliget ad pœnam Gehennæ, dura nimirum est conditio Christianorum.

τὸν ἄνθρωπον· ἀλλὰ τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ στόματος, τοῦτο κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον. Conf. v. 18, 19. 48 Coloss. II, 16. 17. *Μὴ οὖν τις ὑμᾶς κρινέτω ἐν βρώσει ἢ ἐν πόσει.* &c. I. Timoth. IV, 4. *Πᾶν κτίσμα Θεοῦ καλὸν καὶ οὐδὲν ἀπόβλητον, μετ' εὐχαριστίας λαμβανόμενον.*

rum. Si quædam obligant, quædam non obligant, nemo melius declarabit animum suum quam ipse Pontifex. Atque id sane declaratum esse, faceret ad tranquillitatem conscientiarum. Quid si Pontifex aliquis statueret, vt sacerdotes incederent cincti: an probabile erit eum hoc animo statuisse, vt si quis ob dolorem renum deponeret cingulum, redderetur obnoxius Gehennæ? non opinor. Diuus Gregorius constituerat, *Vt si quis noctu cognouisset vxorem, abstineret postridie ab ingressu templi:* hic, si quis dissimulato coitu templum fuisset ingressus, non ob aliud, nisi vt audiret Euangelicam concionem, an is obnoxius fieret Gehennæ [49]? Non arbitror virum sanctissimum fuisse tam immitem. Si quis cum ægrotante vxore vesceretur carnibus, quod aliter ad edendum non posset prouocari, & valetudo posceret cibum, num Pontifex vellet illum ob id factum esse obnoxium Gehennæ? Hoc tantum ibi quæritur, nec quicquam asseueratur. Et certe ante Cæsaris Edictum hisce de rebus licebat quærere.

Iam

49 Paphnutius concubitum cum propria vxore *castitatem* appellat in Hist. tripartita lib. II. cap. 14. Socrat. lib. I. cap. 8. De vxore sua Christianus ait, Hieronymi applicans verba ex Epist. 3. ad Heliodorum T. I. Op. Epistolar. pag. 21. *Vxor hac mea est, imo Christi; & quia Christi id circo plus mea.* De castitate seu Pudicitia coniugali tres Bonfinius Dialogos scripsit, quos Ioh. Sambucus ex Bibliotheca Viennensi seu Vindoboniensi publici iuris fecit.

Iam vero nec illic, nec alibi simpliciter damno Pontificum *Indulgentias*, quanquam hactenus plus satis indultum est illis. Tantum quidam ridet congerronem suum, qui quum alias esset nugacissimus nugator (nam talis fingitur) tamen præsidio Bullæ credebat se peruenturum in cœlum. Hoc adeo non arbitror hæreticum esse, vt existimem, *nihil esse sanctius quam admonere populum, ne Bullis confidant*, nisi studeant mutare vitam,& prauos affectus corrigant.

Sed ridentur illic *Vota*. Imo ridentur & admonentur isti,quorum plurima turba est, qui domi relictis liberis & vxore,voto temere inter pocula concepto, cum aliquot combibonibus Romam, Compostellam, aut Hierosolymam procurrunt. Quanquam, vt nunc sunt mores, arbitror *sanctius, in totum homines a talibus votis dehortari*, quam adhortari.

Hæ videlicet sunt execrabiles hæreses, quas ille lynceus [50] vidit in libello puerili. Mirum autem cur non excutiat [51] & Catunculum meum, & Mimos Publianos [52]. Quis non intelligit, ista pro-

50 Argus. 51 Arguat. 52 Publii Syri Mimos. Aliquot Syri Mimos Scaliger dedit in lucem ; aliquot Henricus Stephanus. Sententiæ illæ Publii lepidæ & ad communem vsum commendatissimæ. vid. Seneca lib. I. Epistol. 8. lib. I. de Tranquill. vitæ. c. II. lib. VII. Controuers. 3. Macrob. II. Saturnal. cap. 7. Gellius Noct. Attic. lib. XVII. cap. 14.

proficisci a priuato quodam odio? Quanquam a me quidem in nulla re læsus est, nisi quod faui bonis literis, quas ille plus quam capitaliter odit, nec scit quam ob rem. Et interim gloriatur, sibi quoque telum esse, quo se vlciscatur. Si quis illum in conuiuio dixerit Coroebum [53] aut ebrium, ille vicissim in concione clamabit eum hæreticum, aut falsarium, aut schismaticum. Credo, si coqua in cœna poneret carnes adustas postridie in concione clamaret, illam de hæresi suspectam. Nec pudescit, aut resipiscit, toties ipsa re deprehensus in manifesto mendacio.

Primum, quam stulta, quam insana blaterauit [54] in Nouum Testamentum a me recognitum? Deinde, quid insanius illa voce, quam iecit in Iacobum Fabrum [55] & me, quum ipsa res loqueretur illum non intelligere quid mihi cum Fabro conueniret, aut quid esset in controuersia?

---

53 Coroebus insano Cassandræ incensus amore Prouerbio locum fecit: *Stultior Coroebo.* 54 oblatrauit, **entgegen pelfern/bellen.** 55 Stapulensem, qui obiit 1547. Lutheranismi suspectus Paulo Iouio anno ætatis centesimo primo cum Margaretha, Francisci I. Regis Galliæ soror, pransum ad eum venisset, quam hæredem suam instituit, negotium distribuendi bona inter pauperes commendando. Cudit Commentarios initiatorios in 4. Euangelia; item Apologiam, ***quod vetus & vulgata Interpretatio Epistolarum Pauli non sit Hieronymi***, & alia, quæ recenset Freherus in Theat. P. I. Sect. III. p. 150.

ſia ? Quid impudentius, quam quod in publica lectione falſi crimen & hæreſim impegit, quod iuxta Græcos verterim : *Omnes quidem non reſurgemus, ſed omnes immutabimur.* Quid furioſius, quam quod Mechliniæ in publica concione monuit populum, vt caueret ab hæreſi Lutheri & Eraſmi ? Quid enim nunc commemorem, quas voces euomat [56] verius quam eloquatur in lautis conuiuiis, quoties e poculis accreſcit zelus domus Dei ? Nuper apud Hollandos dixit me apud Theologos Louanienſes haberi pro falſario : (ſcripſit ad me qui præſens audiuit.) Rogatus, quam ob rem ? *Quare*, inquit, *toties caſtigat Nouum Teſtamentum ?* O ſtolidam linguam ! Hieronymus toties caſtigauit Pſalterium, an ideo falſarius eſt ? Denique ſi falſarius eſt, qui vel imprudens, vel ob inſcitiam vertit aliquid ſecus quam oportet, falſarius fuit hic cuius hodie translatione vtitur Eccleſia. Quantum autem proficit iſtiusmodi moribus ? Omnes rident vt Morychum [57], horrent vt ceritum [58], fugitant vt moroſum & intra-

---

56 eructet, temere effutiat. 57 Bacchum, cuius faciem vindemiæ tempore muſto & recentibus ficis oblinere conſueuerunt. Hinc Prouerbium : *Morycho ſtultior.* Ein gemahltes Görgel. 58 cerritum, quaſi *cereriſum*, a Cerere percuſſum, & laruarum occurſatione vexatum. Ein Unſinniger/Wahnwitziger/ der mit Haſen-Schrote geſchoſſen iſt.

tractabilem. Nec possunt non bene sentire de eo, de quo ille tam odiose prædicat. Et quum omnibus displiceat, vni sibi displicere non potest.

Hoc scilicet habet Edictum Cæsaris, vt furiosa linguæ petulantia in quemcunque vellet, debaccharetur. Sic sustinet negotium orthodoxæ Fidei vir sapiens & grauis. *Non est iste zelus Dei, lædere innoxios, sed furor est Diaboli.* Semel collaudatus est Iudaicus zelus Phinees, sed ita vt exemplum non transeat ad Christianos. Et tamen ille palam impias occidit. Isti, quidquid odit, *Lutheranum* est & hæreticum. Sic opinor tenue zythum [59], vapidum vinum, & ius insipidum [60], isti *Lutheranum* vocabitur: & lingua Græca, quam vnice odit, opinor ob id quod hanc Apostoli tanti honore dignati sint, vt non alia scripserint, *Lutherana* vocabitur. *Poëtica*, nam & hanc odit, magis amans *potaticam*, erit *Lutherica*.

Clamat, per nos minui suam autoritatem seque meis scriptis ludicrum [61] fieri: imo ipse sese propinat doctis & cordatis omnibus deridendum: nec vllum facit finem. Ego calumniam a me depello. Quod si docti bonique male sentiunt de eo qui immerenti calumniam intendit, vtri par est imputare; iure depellenti, quod agno-

59 cereuisia tenuis, aqua permixta. 60 offa insipida, iusculum male sapidum. 61 ludibrium iocum.

agnoſcere non debet, an per iniuriam intendenti ? Si quis affirmans *aſinis eſſe alas in Brabantia*, rideretur : nonne ipſe faciat ridiculum ? Clamat TOTVM LVTHERVM ESSE IN LIBRIS MEIS, omnia vndique ſcatere hæreticis erroribus. Cæterum vbi qui mea legunt, nihil tale reperiunt, etiamſi Dialecticen neſciant, tamen facile colligunt quod conſequitur. Habet autoritatem a Cæſare : rem igitur gerat ex animo Cæſaris, qui nocentes ſanari mauult quam puniri : certe innoxios lædi non vult. Concredidit hoc muneris ignoto : vbi reſcierit [62] qualis ſit homo, dubium non eſt, quin quod credidit [63] ſit repetiturus. Nec Cæſaris mitiſſimi, nec Pontificis integerrimi mens eſt, vt qui ſuis vigiliis & ornare ſtudent & iuuare Rempublicam, dedantur odiis talium : etiamſi quid humani lapſus eſſet. Tantum abeſt, vt bonos & integros velint alienari, & in diuerſam partem protrudi.

Hæc magis ad Vos pertinent, quam ad me. Nam huius mores multum dedecoris conciliant ordini veſtro, dum vulgus ex hoc vno vos omnes æſtimat : iniuria quidem, fateor : ſed ſic ſunt hominum mores ; neque paucos a Theologiæ ſtudio alienat iſtius aſperitas. Scio totum hominem

62 reſciuerit, certior factus fuerit, inaudiuerit, cognouerit. 63 concredidit, commiſit, demandauit, delegauit.

nem vobis displicere, præter duos aut tres combibones, & vnum veteratorem [64], qui stultitia hominis ad suas cupiditates abutitur. Sed ita demum intelligerent omnes, eum vobis non probari, si, posteaquam coërceri non potest, eieceritis [65] e vestro contubernio. Difficillimum quidem istud erit, sat scio. Nam ægre tales auelluntur a nidore conuiuiorum, solemnium, opiparorum, & gratuitorum. Sed tamen hoc pertinet ad honorem ordinis vestri: cui merito faueo. Bene valete.

Scripta anno (opinor) MDXXXI.

EX EPISTOLA ERASMI AD IOANNEM OECOLAMPADIVM,

An. 1529. Id. Iul. [66].

Hodie mihi narrauit Hieronymus Frobenius, esse, qui nescio quid sinistri suspicentur de animo in te meo, quasi te scriptis meis perstrinxerim [67], deinde, quasi nuper deflexerim [68] ab itinere, ne te salutarem. Scito, vtrumque esse vanissimum somnium. Nullam literam scripsi qua

64 Alastorem, Versipellem. 65 eiicerétis, expellerétis, expuleritis. 66 decimo quinto Iulii seu Quinctilis. 67 lacessiuerim, lacerauerim, pupugerim. 68 declinauerim, decesserim.

qua te perstrictum volui, aut quam scribens de te cogitaui. Quum excuderetur Colloquium *Cyclops*, quidam ex operis Frobenianis suspicati sunt, quod dicitur de *oue in capite*, *vulpe in pectore*, deque *longo naso*, ad te pertinere ; quum constet, hoc lusum in *Nicolaum Cannium* famulum meum, qui ambiebat in Colloquiis celebrari ; : is talem gestat pileum, & nasum habet longum, & colore est fusco, capillitio nigro. Te simili vti pileo, nunquam audieram, nisi hac occasione. Non sum tam ineptus, vt talibus nugis vtar in viros eruditos. Ambiebat & *Polyphemus* celebrari, qui circumferebat Codicem Euangelicum belle ornatum, quum ipsius vita nihil esset inquinatius. Sic res habet de scriptis. Iam ea via soleo fere semper adire hortum Frobenii, quum cœlum est commodius, quod altera sit angustior, & fœteat. Itaque si nullus adfuisset, illac tamen eram iturus. Nec te tum noui [69] aduersum [70], sed famulus admonuit. Itaque reflexissem [71] iter ad te, nisi plures adfuissent mihi ignoti, quorum cœtum turbare nolui. Idque tum dixi famulo. Sic habet de suspicione, &c. *Adde eiusdem Epistolam* Bilibaldo suo *inscriptam eodem tempore*, Editionis Scriuerianæ *pag.* 212.

EX

69 sciui. 70 imminentem, obuium, obuiam futurum, 71 reduxissem, instaurassem, reuertissem.

EX ERASMI EPISTOLA AD IOANNEM CHOLERUM, Præpositum Curiensem.

An. 1532. 5. Octobris.

LAmbertus Campester, qui olim Lutetiæ edidit Colloquia mea velut a me emendata, persuaso typographo rem esse vendibilem, & sub nomine meo præfatus, & admixtis per totum opus miris emblematibus, quibus me ipsum accusabam, omnia plena scurrilis cuiusdam stoliditatis: quo peracto fugit Lugdunum; &, simulans se summum Erasmi amicum, reperit patronum; cui mox suffuratus trecentos coronatos fugit, & in fuga deprehensus est inter aliquot puellas, suffigendus in crucem, nisi sacra cuculla Dominici seruasset eum: Is, inquam, multis aliis flagitiis ac sceleribus designatis, tandem in ciuitate quadam Germaniæ, *Zorst* [72] opinor dicitur, ditionis Iuliacensis, excussa cuculla docet Euangelium, hoc est, meras seditiones. Dux petiit, vt hominem eiicerent. Responderunt, *se non posse carere suo Ecclesiasta* [73]. Et ista pestis serpit indies.

An.

72 Zonst, Zontium seu Sontina, vicus ad Rhenum quinque milliaribus distat Colonia Agrippina; nisi forte Dorsta indigitatur, Archi-Episcopatus Coloniensis oppidulum, qui ditionibus Iuliacensi, Cliuensi & Montensi veluti cingitur. 73 Videtur designari Franciscus Lam-

An. 1536. 10. Kal. Maias [74].

Atqui non omnia in hoc scribuntur, vt euulgentur: lusimus quædam adolescentes, styli exercendi gratia: quædam aliis dictauimus sic inambulantes, nihil minus cogitantes quam de euulgando: nonnulla scripsimus discipulis tardis. Huius generis erant Colloquia, quæ Helenius quidam, haud scio vnde nactus, nam apud me nullum vnquam fuit exemplar, care vendidit Ioanni Frobenio simulans, alios esse ty-

---

bertus, qui obiit anno 1530. April. die 18. Marpurgi, cui Iacobus Thysius his versibus parentauit:

Auinione satus Monachorum ex ordine fratrum
Lambertus cernens Pontificum furias:
Romulidem damnat lernam, motoque cucullo
Asseruit veram pectore & ore fidem.
Ite, ait, o malesuada cohors immersa barathro,
Quo vos præcipites Cerberus ater agit:
Et simul Italiam fugiens, tua sacra professus,
Magne Philippe, Scholæ Martia tecta petit.

Hic scilicet monastica vita, quam iuuenis, vt in otio cum dignitate versari posset, ingressus fuerat, se abdicauit, & vicesimo primo Octobris anni 1526. ad Synodum, quam decreti Spirensis memor Philippus Heros instituerat, profectus 158. Paradoxa secundum verbum DEI discutienda proposuit, eorumque veritatem Latino asseruit sermone; vt habet Freherus P. I. Sect. III. Theat. Virorum Erudit. clar. p. 104. Scripsit de Synodo Homburgi Hessorum pro reformatione Ecclesiarum habita. 74 die 22. Aprilis.

typographos qui empta cuperent. Hæc emendi orexis [75].

Erasmus in Epistola scripta Basileæ.

Anno MDXXXVI, XVII. *Maii.*

Demiror, Dolæ [76] tantum posse [77] duos Franciscanos. Colloquia & venduntur & excuduntur Lutetiæ, & Dolæ exulant [78]. Qui dicunt in illis aliquid esse hæreticum, siue docti siue indocti, mentiuntur. Id liquido perspiciet qui legerit meas Declamationes.

---

75 auiditas, cupiditas appetentia, appetitus. 76 Comitatus Burgundiæ metropolis *Dola*. 77 valere, efficere, tam potentes esse. 78 non venduntur, inter libros prohibitos relata.

DE VTILITATE COLLOQVIORVM,

Ad Lectorem.

ADeo nunc in omnes & in omnia per vniuerſum orbem graſſatur comitata Furiis ἡ διαϐολὴ*, vt tutum non ſit vllum emittere[1] librum, niſi ſatellitio[2] munitum. Quanquam quid ſatis eſſe *tutum poſſit aduerſus ſycophantæ morſum, qui velut aſpis ad vocem incantantis, ita ad omnem purgationem quamuis iuſtiſſimam obturat aures?* Prima pars huius operis, quæ mea fuit & non mea, temeritate cuiusdam erat edita. Quam cum ingenti applauſu viderem exceptam a ſtudioſis, abuſus ſum affectu vulgari ad profectum ſtudiorum. Quandoquidem nec medici ſemper ægrotis miniſtrant ſaluberrima, ſed illis nonnihil concedunt ob hoc ipſum, quod vehementer appetant. Itidem mihi viſum eſt, hoc genus[3] illecebris ineſcare *teneram ætatem, quæ iucundis facilius ducitur, quam*

* hoc eſt, Calumnia, quæ apud Græcos hinc nomen habet, quod omnia in aliam partem trahat & coniiciat, atque exiſtimata aut edita ſunt. 1 in lucem; edere, publicare, euulgare. 2 præſidio; vide ſupra princ. Coronid. Apologet. 3 huius generis.

quam feriis aut exactis. Itaque quod editum erat repurgaui ; deinde adieci quæ moribus etiam formandis conducerent, velut irrepens in animos adolefcentium, quos recte fcripfit Ariftoteles *inidoneos auditores Ethicæ Philofophiæ*, dumtaxat eius quæ feriis præceptis traditur. Quod fi quis clamet, indecorum homini feni fic pueriliter ludere, nihil moror quam pueriliter, modo vtiliter. Et, fi laudantur litteratores ætate prouecti, qui pueritiæ cruftulis blandiuntur, *elementa velint vt difcere prima* ; mihi non arbitror vitio verti debere, quod fimili ftudio iuuentutem illecto vel ad elegantiam Latini fermonis, vel ad pietatem. Adde quod *bonæ prudentiæ pars eft, noffe ftultas vulgi cupiditates & abfurdas opiniones.* Eas arbitror fatius ex hoc libello difcere, quam *experientia ftultorum magiftra.* Multis amara funt Grammatices præcepta : Ariftotelis Ethice [4] non eft apta pueris : Theologia Scoti minus : ne viris quidem admodum vtilis ad parandam bonam mentem : & *plurimum habet momenti, guftum optimarum rerum protinus inſeuiffe* [5] *teneris animis. Et haud fcio an quidquam difcitur felicius: quam quod ludendo difcitur. Eft hoc nimirum fanctiffimum fallendi genus, per impofturam dare beneficium. Laudantur enim medici qui fic fallunt ægrotos* [6]. Et tamen fi nihil heic

4 Ethica. Græce ἠθικά. 5 implantaffe. 6 Per piam fcilicet fraudem ; vt ille apud Chryfoftomum

heic aliud quam nugatus fuissem, videbantur laturi [7]; nunc quoniam præter linguæ politiem [8] inspersi quædam, quæ mentem instruant ad Religionem, calumniantur, ac perinde quasi dogmata Christianæ professionis heic serio pronuntientur, ita syllabas etiam ad viuum excutiunt [9]. Id quam faciant inique, magis erit perspicuum, vbi declararo *Colloquiorum aliquot non vulgarem vtilitatem.* Vt enim omittam tot serias sententias mediis iocis admixtas, tot fabulas, tot historias, tot rerum naturas dignas cognitu: In Colloquio *de visendo loca sacra*, cohibetur superstitiosus & immodicus quorundam affectus, qui summam pietatem esse ducunt vidisse *Hierosolymam*; & huc per

Medicus, qui testam recens coctam & calentem generosissimi vini odore imbuerat, inque ea medicamentum febrienti ingratum diluit. Æger simul ac ori vas admouit; falsus odore vini bibit medicatam potionem ratus vinum se bibisse & reualuit. Casaubonus in Exercitat. I. ad Apparat. Annal. Baronii num. 10. pag. 67. ***Illud**, inquit, **me vehementer mouet, quod videam primis Ecclesiæ temporibus quamplurimos extitisse, qui facinus palmarium iudicabant, cœlestem veritatem figmentis suis ire adiutum: quo facilius videlicet noua doctrina a gentium sapientibus admitteretur. Officiosa hæc mendacia vocabant bono fine excogitata.*** Sic pia fraude ***festo Matris Deorum*** surrogatum esse statuit ***natiuitatis CHRISTI festum*** mense Decembri Henricus a Dieſt Epist. 386. ad Vossium. 7 veniam daturi, passuri, condonaturi. 8 munditiem, puritatem, elegantiam. 9 resecant, examinant.

per tanta terrarum marisque spatia currunt senes Episcopi, relicto grege, qui curandus erat : huc viri principes relicta familia ac ditione : huc mariti relictis domi liberis & vxore, quorum moribus ac pudicitiæ necessarius erat custos : huc adolescentes ac fœminæ, non sine graui discrimine morum & integritatis. Quidam etiam iterum atque iterum recurrunt, nec aliud faciunt per omnem vitam ; & interim superstitioni, inconstantiæ, stultitiæ, temeritati *prætexitur* Religionis titulus ; ac desertor suorum, contra doctrinam Pauli, sanctimoniæ laudem aufert, ac sibi quoque pietatis omnes numeros expleſſe videtur. Paulus 1. Timoth. 2. intrepide pronuntiat: *Si quis autem suorum & maxime domesticorum, curam non habet, fidem abnegauit, & est infideli deterior.* Atqui heic Paulus loqui videtur de viduis, quæ liberos atque nepotes negligunt, idque *prætextu Religionis*, dum sese mancipent obsequiis Ecclesiæ. Quid dicturus de maritis, qui destitutis teneris liberis, vxore iuuencula idque in re tenui, proficiscuntur Hierosolymam ? Ex multis vnicum exemplum proferam, nec tam recens, vt metuenda sit inuidia, nec tam vetus, quin nepotes superſint, quos damni magnitudo non sinit obliuisci rei gestæ. *Vir quidam præpotens decreuerat ante mortem inuisere Hierosolymam, pio quidem animo, sed parum felici consilio. Rebus igitur ordinatis, facultatum omnium, vxoris, quam grauidam reliquit, oppidorum & arcium curam tutelamque commisit Archiepiscopo, ceu parenti. Vbi rumor*

allatus est, hominem in ea peregrinatione perisse, Archiepiscopus pro parente gessit prædonem ; occupauit possessiones omnes defuncti : denique & arcem munitiorem ; in quam grauida confugerat, vi expugnauit : & ne superesset vltor atrocissimi facti, grauida confossa simul cum fœtu periit [10]. Nonne pium erat, tali viro dissuadere periculosam & non necessariam profectionem ? Huius generis quam multa comperiantur exempla, cæteris æstimandum relinquo. Ne quid interim dicam de sumtibus, quos, vt fateamur non omnino perire, tamen nemo prudens non fatebitur in vsus longe meliores expendi potuisse. Quod autem ad Religionem attinet, diuus Hieronymus laudat *Hilarionem, quod* cum esset *Palæstinus*, & in Palæstina viueret, tamen *semel* duntaxat *viserit Hierosolymam*, ob loci viciniam, ne videretur contemnere loca sacra. Si merito laudatus est Hilarion, quod abstinuit ab Hierosolyma, tam vicinus, ne Deum angusto loco claudere videretur ; semel tantum adierit, ob loci propinquitatem, ne quos offenderet ; quid dicendum de his qui ex Anglia & Scotia tantis impendiis per tot discrimina pe-

10 Egregium vero Tutorem Archi-Episcopum, qui referendus in censum *Ruffini* Tutoris Arcadii Alaricum Gothorum Regem in Græciam attrahentis ; & *Stiliconis* Tutoris Honorii per speciem tutelæ Principatum affectantis omnemque excientis barbariem eo consilio, vt turbata re Romana filio suo Eucherio imperium pararet.

petunt Hierosolymam; præsertim domi relictis carissimis, quibus iuxta doctrinam Apostoli debent perpetuam curam? Clamat sanctus Hieronymus: *Non magnum est Hierosolymis fuisse; sed bene vixisse magnum est.* Et tamen ætate Hieronymi probabile est euidentiora vestigia veterum monumentorum extitisse quam nunc exstant: *De Votis* disputationem aliis relinquo; tantum hoc agit Colloquium, ne quis *temere* talia vota suscipiat. Id esse verum, declarant hæc mea verba: *Præsertim cum domi haberem vxorem, integra adhuc ætate, liberos, & familiam quæ pendebat ex me, & opera mea quotidiana alebatur:* & cætera quæ sequuntur. De votis igitur susceptis nihil dicam, nisi quod si summus essem Pontifex, non admodum grauate relaxarem obstrictos. In suscipiendis, quemadmodum fateor fieri posse vt aliquis cum fructu pietatis eat Hierosolymam, ita non dubitarem, multis, ex rerum circumstantiis, dare consilium vt eas impensas, tempus, & operam insumerent in alia quæ propius conducunt ad veram pietatem. Hæc arbitror esse pia: eoque considerata multorum vel leuitate, vel ignorantia, vel superstitione, visum est super ea re monere iuuentutem: neque video quos offendere debeat hæc admonitio, nisi forte quosdam istos, *quibus carior est quæstus quam pietas* [11]. Nec illic da-

11 *νομίζοντας πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν.* I. Tim. VI, 5. existimantes quæstum esse Pietatem.

damno *Pontificias Indulgentias*, aut diplomata; sed taxo nugacissimum nugatorem, qui ne cogitans quidem de corrigenda vita, totam spem collocarit in condonationibus humanis. Heic si quis mihi consideret, quanta iactura pietatis nata sit inter mortales, partim ex eorum vitio qui prostituunt Pontificias Indulgentias, partim eorum culpa qui illas secus quam oportet accipiunt, fatebitur operæ pretium, iuuentutem super hac re commonitam esse. Verum hoc modo parum consultum est commissionariis. Audio, o bone: si viri boni sunt, gaudebunt esse monitos simplices: sin potior est illis quæstus quam pietas, valeant [12].

In colloquio *de captandis sacerdotiis*, taxo eos, qui Romam cursitant, venanturque sacerdotia, crebro graui iactura tum morum, tum pecuniæ [13]: eo-

12 apage illos, abeant. 13 Alexander Seuerus apud Lampridium: Fieri non posse censuit, vt, qui officium emerit, idem & vendere non intendat. Scilicet tenera res est religio & tenerior adeo exigitur conscientia in iis, qui religionis normam profitentur; vt scribit in Dissertat. Iustinianea doctiss. Caspar Zieglerus de Clerico renitente. pag. 7. §. V. *Nemo gradum sacerdotii pretii venalitate mercetur.* l. 31. Codic. de Episc. & Cler. præcipit Imperator Leo & Anthemius AA. Armasio P. P. Oportet gratiam esse semper gratiam & argentum nequaquam intercedere. Gregorius M. magno quoque studio crimen hoc Simoniæ extirpare conatus est. Committitur autem Simonia a lingua, manu & obsequio;

eoque deduco sermonem, vt sacerdos pro concubina, lectione bonorum auctorum semet oblectet.

In *militis confessione*, taxo facinora militum, & impiam militum confessionem, vt adolescentes ab eiusmodi moribus abhorreant.

In *monitis paedagogicis* doceo puerum verecundiam ac mores aetati decoros.

In *pietate puerili*, nonne piis praeceptis imbuo puerilem animum ad studium pietatis? Nam quod quidam arrodebant *de confessione*, mera fuit calumnia: cui iam pridem respondi. Doceo confessionem esse suscipiendam perinde quasi nobis esset instituta a Christo. Caeterum an id sit factum, nec refellere est animus, nec asseuerare, quod nec mihi satis persuasum est, nec aliis probare possim. Quod autem admoneo *de genere vitae serio deligendo, deque seligendo Sacerdote cui committas arcana tua*, iudicabam adolescentibus esse necessarium, nec video cur me debeat poenitere. At sic erunt pauciores monachi & sacerdotes. Fortassis erunt, sed meliores. Idem probabit quisquis vere monachus est. Porro qui venantur proselytos * vel ad praedam, vel ob superstitionem, dignissimi sunt qui omnibus omnium scriptis traducantur, quo resipiscant [14].

In

estque alia realis, alia conuentionalis, mentalis alia. vid. loc. cit. Ziegleri pag. 74. seqq. * Venantur proselytos, qui ad vitae suae institutum vel sectam callida persuasione simplicium animos illectant, tanquam esca proiecta in retia perducentes. 14 Pertinent huc CHRI-

In *Conuiuio profano*, non damno constitutiones Ecclesiæ *de ieiuniis*, ac *delectum ciborum*; sed indico superstitionem quorundam, qui his plus tribuunt quam oportet, negligentes eorum quæ magis faciunt ad pietatem: damnoque eorum crudelitatem, qui hæc exigunt ab his, a quibus Ecclesiæ mens non exigit: item eorum præpostεram sanctimoniam, qui ex huiusmodi rebus condemnant proximum. Heic si quis reputet quanta veræ pietatis lues hinc nata sit inter mortales, fatebitur vix aliam admonitionem esse magis necessariam. Sed hac de re copiosius alias respondebimus.

In *Conuiuio religioso* cum omnes faciam *alienos a sacris*, *omnes coniugatos*, satis doceo quale debeat esse conuiuium omnium Christianorum. Ad quam formam [15] si sacerdotes quidam & monachi conferant [16] sua conuiuia, intelligent quantum absint ab ea perfectione qua conueniebat illos laicis antecellere.

In *Apotheosi* doceo quantum honoris debeatur egregiis viris, qui suis vigiliis bene meriti sunt de liberalibus studiis.

Sunt

STI verba Matth. XXIII. v. 15. Οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, ὅτι περιάγετε τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηρὰν, ποιῆσαι ἕνα προσήλυτον· καὶ ὅταν γένηται, ποιεῖτε αὐτὸν υἱὸν γεέννης διπλότερον ὑμῶν. 15 normam, regulam. 16 contendant, examinent.

Sunt inepti, quibus *Colloquium proci & puellæ* videatur lasciuum, cum nihil fingi possit castius. Si res honesta est matrimonium, & procum agere honestum est. Atque vtinam omnes proci tales essent qualem heic fingo, nec aliis colloquiis coirent matrimonia! Quid facias istis ingeniis tetricis [17], & in omnibus Gratiis [18] alienis, quibus impudicum videtur quidquid amicum est ac festiuum? Hæc puella negat proco discessuro osculum, quo totam virginitatem illi seruet illibatam. Quid autem nunc vulgo non dant puellæ procis? Deinde non vident quam multa Philosophica sint inspersa iocis, *de non præcipitando coniugio*, *de delectu non solum corporum, sed multo magis animorum*, *de firmitate coniugii*, *de non contrahendo matrimonio sine consensu parentum*, *de caste colendo matrimonio*, *de sancte educandis liberis*: postremo puella comprecatur Christum, vt illius auspiciis sit felix connubium. An hæc non conuenit scire iuuenes? Et qui hanc lectionem ob lasciuiam putant esse noxiam pueris, patiuntur illis prælegi Plautum & facetias Pogii [19]. Præclara iudicia!

In

17 austeris, morosis, seueris. 18 amœnitatibus, iocis, salibus. 19 Poggii Florentini Oratoris eloquentissimi, sed in facetiis nimium lasciuientis & honestatis sæpe limites excedentis. Selectiores quidam sales adiecti minus proterui inueniuntur Facetiis Frischlini & Bebelii Argentorati 1615. typis Iohannis Caroli impressis; cuius farinæ est lepida narratiuncula *de Sacerdote, Epiphania vir-*

In *Virgine Misogamo* deteſtor eos, qui adoleſcentes aut puellas *inuitis* parentibus pelliciunt in monaſterium, abutentes illorum vel ſimplicitate, vel ſuperſtitione; perſuadentes eis, *non eſſe ſpem ſalutis extra monaſteria.* Niſi talibus piſcatoribus plenus eſſet mundus; niſi innumera feliciſſima ingenia per iſtos infeliciſſime ſepelirentur ac defoderentur viua, quæ fuiſſent electa vaſa Domini, ſi iudicio ſumſiſſent inſtitutum naturæ congruens; non recte admonui. At ſi quando cogar in hoc argumento proferre quod ſentio, ſic depingam & plagiarios * illos, & ipſius mali magnitudinem, vt nullus non faſſurus ſit me non ſine cauſa hæc monuiſſe: quamquam ciuiliter [20] id quidem a me factum eſt, ne malis daretur anſa delinquendi.

In proximo colloquio *Virginis pœnitentis*, non induco virginem, quæ profeſſa [21] mutarit inſtitutum, ſed

---

ne eſſet an fœmina ignorante; item *de eo qui vxorem in flumine quærebat aduerſus aquam proficiſcendo*, cauſam hanc promens; *fuiſſe eam ita dum vixiſſet difficilem ac moroſam, reliquorumque moribus contrariam, vt nunquam niſi contrario & aduerſo flumine etiam poſt mortem ambulet.* Sunt, qui Poggio huic Florentino Concilii Conſtantienſis Secretario tribuunt librum famoſiſſimum *de Tribus Impoſtoribus*, quem Thomas Browne de Religione Medici Bernhardino Ochino vendicat; Petro Aretino alii. * Recte illos plagiarios vocat, quod quodammodo furtum in alterius corpus committant. 20 vrbane, ſubtiliter. 21 cum iam profeſſa eſſet, ſe addixiſſet.

sed quæ ante peractam professionem redient ad parentes, quos habebat optimos.

In *Mempsigamo* quam multa sunt Philosophica, *de celandis maritorum vitiis, de non interrumpenda coniugum beneuolentia, de sarciendis offensis, de corrigendis maritorum moribus: de obsequiis erga maritos?* Quid aliud docet Plutarchus, Aristoteles, & Xenophon, nisi quod heic personæ vitam quandam addunt orationi?

In colloquio *Militis & Carthusiani*, simul depingo & *insaniam iuuenum* qui procurrunt ad bellum, & *pii Carthusiani vitam*, quæ sine studiorum amore non potest non esse tristis & inamœna.

In *Pseudocheo* depingo quorundam ingenia, *qui nati sunt ad mentiendum*, quo quidem hominum genere nihil est execrabilius; vtinam esset rarius!

In colloquio *Adolescentis & Scorti*, nonne & *lupanaria facio casta* [22]? Quid autem dici potuit efficacius, vel ad inserendam adolescentum animis pudicitiæ curam, vel ad reuocandas ab instituto non minus ærumnoso quam turpi puellas ad quæstum expositas? Vnica vox com-

---

22 castitatem edoceo, ad castitatem assuefacio, adigo, impello.

commouit quosdam, quod impudica puella blandiens adolescenti vocat illum *suam mentulam*, cum hoc *apud nos* vulgatissimum sit etiam honestis matronis. Hoc qui ferre non potest, pro *mea mentula*, scribat *mea voluptas*, aut si quid aliud mauult.

In *Conuiuio Poëtico*, doceo cuiusmodi debeat esse conuiuium inter studiosos, parcum, sed festiuum & hilare, conditum litteratis fabulis, sine rixis, sine obtrectatione, sine turpiloquio [23].

In *Inquisitione*, doceo summam Catholicæ professionis, idque aliquanto viuidius ac liquidius quam docent Theologi quidam magni nominis, inter quos pono & Gersonem, quem interim honoris causa nomino. Ideo porro fingo personam Lutherani, quo facilius redeant in concordiam, inter quos de præcipuis articulis orthodoxæ professionis conuenit; etiamsi reliquam Inquisitionis partem non addidi, propter hæc exulceratissima tempora.

In *Senili colloquio*, quam multa velut in speculo exhibentur, quæ vel fugienda sunt in vita, vel illam reddunt tranquillam? Hæc præstat adolescentes ex festiuis colloquiis quam experimentis discere. Socrates Philosophiam e cœlo deducendam

23 sermonibus obscœnis.

duxit in terras: ego Philoſophiam etiam in luſus, confabulationes, & compotationes deduxi. Oportet enim & ludicra Chriſtianorum ſapere Philoſophiam.

In *Ptochoplusiis*, quam multa ſunt, ad quæ paſtores ruſticani, rudes & indocti, nihilque minus quam paſtores, poſſint ſuam vitam corrigere? prætereaque ad tollendam ſtultam gloriam veſtium, rurſus ad coërcendam illorum inſaniam, qui monachorum cultum exſecrantur, quaſi per ſe mala ſit veſtis. Et obiter deſcribitur forma, quales debeant eſſe Monachi, qui per vicos obambulant. Neque enim admodum multi tales ſunt, quales heic deſcribo.

In *Erudita Puella*, ſimul & Paullæ, Euſtochii, Marcellæ, vetus exemplum renouo, quæ cum integritate morum coniunxerunt ſtudium litterarum; & monachos Abbateſque ſacrorum ſtudiorum oſores, luxui, otio, venationibus, aleæque deditos, puellæ coniugatæ exemplo exſtimulo ad aliud ſtudiorum genus ipſis magis congruens.

In *Spectro* detego technas impoſtorum, qui credulis ſimplicium animis ſolent illudere, fingentes apparitiones dæmonum & animarum, voceſque diuinas. Quantam vero peſtem hæ præſtigiæ inuexerunt pietati Chriſtianæ! Quoniam autem rudis ac ſimplex ætas huiuſmodi fraudibus potiſſimum eſt obnoxia, viſum eſt exemplo non inamœno depingere modum impoſturæ. Sic ima-

positum fuit Cælestino * Pont. Romano. Sic Bernæ delusus inuenis a monachis **. Sic commenticiis oraculis & hodie plurimi deluduntur.

Nec minima pars humanarum calamitatum est *Alcumistica* : quæ doctis etiam & cordatis viris imponit; adeo morbus his adlubescit [24], si quem corripuerit [25]. Huic affinis [26] est *Magia*, eodem nomine, sed cognomine blandiens, *naturalis*. Similes imposturas taxo in *Hippoplano*, & *Ptochologia* ; rursus in *Conuiuio fabuloso*. Ex his si nihil aliud discerent pueri, quam Latine loqui, quanto plus laudis mea mereretur industria, qui per lusum ac voluptatem id facio, quam illorum, qui miseræ iuuentuti Mammetrectos [27], Brachylogos [28], Catholicontas [29], & significandi modos obtrudebant?

In *Puerpera*, præter naturalium rerum cognitionem, quam multa sunt moralia de cura matrum erga liberos, primum infantes, mox grandiores [30].

In

---

* De hoc vide Platinam. ** Prædicatoribus, qui D. Francisci fratres quinque vulnerum stigmatis frustrari conabantur. 24 perplacet, arridet. 25 infecerit, inuaserit. 26 non dissimilis, contermina est. 27 *Mammothreptus*, diutius quam decet sugens ; sed *Mammetrectus* est qs. Mammas trahens. Argentoratensis edit. habet pag. 697. *Mammethreptos*. 28 breuiloquos βραχυλόγους. 29 καθολικόντας. 30 natu maiores, prouectiores ætate.

In *Peregrinatione religionis ergo*, taxo istos, qui per tumultum eiecerunt omnes imagines e templis [31]: rursus eos qui insaniunt in peregrinationes [32], quæ suscipiuntur prætextu religionis; vnde iam & sodalitates inuentæ sunt. Qui Hierosolymæ fuerunt, *Equites aurati* vocantur, seque Fratres vocant, & in die Palmarum serio rem agunt ridiculam, fune trahentes asinum, ipsi non multum differentes ab asino ligneo quem trahunt. Id imitati sunt qui *Compostellam* adierunt. Dentur hæc sane, dentur affectibus hominum: at non ferendum, quod hinc sibi vendicant pietatem [33]. Notantur & ii, qui reliquias incertas pro certis ostendunt, qui his plus tribuunt quam oportet, qui quæstum ex his sordide faciunt.

In *Ichthyophagia* tracto quæstionem *de constitutionibus humanis*, quas quidam prorsus reiiciunt, multum aberrantes a recta ratione: quidam propemodum anteponunt diuinis legibus: rursus alii abutuntur & diuinis, & humanis constitutionibus ad quæstum ac tyrannidem. Conor itaque partem vtramque ad moderationem temperare; inquirens vnde natæ sint, & quibus gradi-

31 εἰκονοκλάςας, qualis fuit Carlstadius eiusque asseclæ. Die Bilder-Stürmer. 32 depereunt peregrinationes. Sie wollen kurtz umb/durchaus; sie haben sich einen Narren gefressen; sie toben auf das Reisen. 33 quodque sub opinione cultûs & meriti faciunt, peragunt, suscipiunt.

dibus huc vsque progressæ *constitutiones humanæ*; quos & quatenus obligent, ad quid conducant, quantum distent a diuinis; obiter indicans præpostera mortalium iudicia, quibus iam olim mundus plenus est, & vnde totus hic orbis tumultus natus est. Hæc ideo quoque tractaui copiosius, quo doctis suppeditarem occasionem accuratius hisce de rebus scribendi. Nam quæ adhuc prodierunt, non satisfaciunt curiosis. Traducere scortationem, temulentiam, adulterium, non perinde ad rem pertinebat; quandoquidem hæc mala nullum fallunt: *sed ex his est periculum veræ pietatis, quæ vel non sentiuntur, vel sanctimoniæ fallaci specie blandiuntur.* Quod si quis calumnietur, personis sordidis affingi Theologicam disputationem; ab his talia nunc in omnibus conuiuiis disputantur: & huiusmodi personis opus erat familiarius crassiusque rem tractaturo.

In *Funere*, quoniam mors arguere solet Christianam fiduciam, in duobus idiotis depinxi diuersum mortis genus, velut imagine viua ponens ob oculos dissimilem excessum eorum qui fidunt rebus commenticiis, & qui spem salutis fixerunt in misericordia Domini: obiter taxans diuitum stultissimam ambitionem, qui luxum ac superbiam suam & vltra mortem proferunt, quam mors saltem debebat auferre: simul eorum perstringens vitium, qui sui compendii [34] gratia stulti-

34 lucri. Vortheil. Compendium est lucrum temporis, pecuniæ & operæ.

titia locupletum abutuntur, quam ipsi potissimum debebant corrigere. Quis enim audebit libere monere potentes ac diuites, si monachi, qui se profitentur mundo mortuos, palpantur illorum vitiis? Si nulli tales sunt, quales descripsi, tamen ostensum est exemplum quod oportet vitari: sin vulgo referuntur longe his quæ proposuimus execrabiliora; qui sunt æqui, meam agnoscant ciuilitatem, suumque vitium corrigant: & si vitio vacant ipsi, alios peccantes vel emendent, vel coërceant. Nullum ordinem perstrinximus; nisi forte totum Christianismum infamat qui quidquam monendi gratia dixerit in corruptos Christianorum mores. Quos tantopere mouet honos ordinis, eos [35] in primis compescere debebant qui palam factis suis dehonestant ordinem. Nunc cum illos vt germanos sodales agnoscant, foueant ac tueantur; qua fronte causantur a bene monente lædi existimationem ordinis? Quanquam quæ ratio dictat, sic habendam huius aut illius humanæ sodalitatis rationem, vt publicam Christianorum vtilitatem negligas?

In *Differentia verborum ac rerum*, taxo præpostera quorundam iudicia.

In *Conuiuio vario* seu πολυδαιτία, commonstro rem ciuilitati congruam.

In *Charonte*, detestor bellum inter Christianos.

In

35 illi *scilicet*.

In *Synodo Grammaticorum* rideo studium cuiusdam Carthusiani, suo iudicio doctissimi, qui cum in Græcas literas soleat stolidissime debacchari, nunc libro suo indiderit Græcum titulum, sed ridicule, *Anticomaritas* dicens, quos appellare poterat *Antimarianos* vel *Antidicomarianos*.

In *Cyclope*, taxo quosdam qui *Euangelium* semper habent in ore, cum in vita nihil sit *Euangelicum*.

In *Coniugio impari*, pono ob oculos vulgi stultitiam, qui in sponsalibus supputant *dotis* modum, nec ad rationem vocant sponsi scabiem lepra deteriorem. Atque id hodie fit tam passim, vt nemo miretur, cum nihil sit in liberos crudelius.

In *Ementita nobilitate*, depingo genus hominum, qui sub *vmbra nobilitatis* existimant sibi nihil non licere; quæ præcipua pestis est Germaniæ.

In *Senatulo*, traducturus eram vitia quædam *mulierum*, sed ciuiliter, ne quis exspectet tale quippiam quale habet Iuuenalis *: verum hoc agenti, obortus est quidam ἱππεὺς ἄνιππ☉, *lupus*, vt aiunt, *in fabula*. Reliqua fere comparata sunt ad voluptatem, sed non illiberalem. Non hoc est dehonestare ordines, sed erudire. Quapropter omnibus ordinibus, & priuatim, & publice rectius con-

* Qui dum apertius vitia insectatur, cogitur subinde turpiora ob oculos ponere.

consultum fuerit, si deposita quiduis calumniandi rabie candidis animis amplectamur omnes quidquid pio studio in publicam vtilitatem adfertur. *Aliis aliæ sunt dotes, & alios alia capiunt, milleque modis homines trahuntur ad pietatem.* Laudatum est *Iuuenci* studium, qui sacram Euangeliorum historiam carmine prodidit [36]. Nec sua laude fraudatus est *Arator*, qui idem fecit in Acta Apostolorum. Aduersus hæreticos tubam intendit *Hilarius*, argutatur *Augustinus*, *Hieronymus* dialogis pugnat, *Prudentius* vario metri genere dimicat, *Thomas* & *Scotus* dialectices ac philosophiæ præsidiis pugnant. Simile studium omnium; sed dissimilis singulorum ratio. Non reprehenditur diuersitas, quæ scopum eundem petit [37]. Prælegitur pueris *Petrus Hispanus*, quo dociliores veniant ad *Aristotelem*. Multum enim promouit, qui gustum dedit. Atqui hic libellus, si teneræ pubi prælegatur, tradet illos ad multas disciplinas magis habiles, ad poëticen, ad rhetoricen, ad physicen, ad ethicen, demum ad ea quæ sunt pietatis Christianæ. Stulti personam suscepi, factus ipse mearum rerum encomiastes *: sed me compulit par-

36 De modo propagandi religionem per Carmina Dissertationem Historico-Theologicam vide, quam Præside Io. Andrea Schmidio Abbate Mariæuallensi SS. Theol. D. & Antiqq. SS. P. P. O. in illustri Academia Iulia habuit Ludou. Guntherus, Gelhud Brunsuicensis. A. & R. anno 1710. 37 modo illa diuersitas per se non sit in vitio, sed legitimis nitatur mediis; sola enim intentio bona, scopus solum bonus non sufficit ad moralitatem facti. * Laudator. Vulgi est prouerbium.

partim quorundam improbitas nihil non calumniantium, partim Christianæ iuuentutis vtilitas in quam oportet omnes omnibus ſtudiis incumbere.

Hæc ita cum habeant, omnibusque qui literas didicerunt perſpicua ſunt; eſt tamen quoddam hominum genus mire bliteon*. *Deputatos* appellant Galli; opinor quod male *putati* ſint; aut certe *plus ſatis putati*, qui ſic pronunciant de meis colloquiis, *opus eſſe fugiendum, præſertim monachis*, quos illi *Religioſos* appellant, *& adoleſcentibus; eo quod ieiunia & abſtinentia eccleſiæ parui penderentur: beatæ Virginis & Sanctorum pro ludibrio haberentur ſuffragia, virginitas ſi coniugio conferatur, nullius eſſe aut parui momenti, religionis etiam diſſuaderetur omnibus ingreſſus: quodque in eo arduæ difficileſque Theologiæ quæſtiones Grammaticulis proponantur, contra ſtatuta per Magiſtros in artibus iurata.* Agnoſcis, *mi lector*, Atticam eloquentiam. Vt ad poſtremum primo loco reſpondeam, quid *artium Magiſtri* proponant Grammaticulis, neſcio; quæ tractantur in Colloquiis, *de ſymbolo, de miſſa, de ieiuniis, de votis, de confeſſione*, nihil habent Theologicæ difficultatis, ſed eius generis ſunt vt non oporteat ea quenquam neſcire. Et ſi pueris prælegüntur *epiſtolæ Pauli*, quid periculi eſt, ſi guſtus quidam illis præbeatur Theologicæ diſputationis? Ad hæc cum non ignorent, pueris Sophi-

* Betaceum, nihil ſapiens, inconditum.

phiſtices candidatis perplexas de perſonis diuinis ſtatim quæſtiones ſummæ difficultatis proponi, ne dicam otioſæ ſubtilitatis; cur nolunt pueros hoc diſcere, quod ad communem vitam pertinet? Iam ſi putant nihil referre, quid ſub qua [38] perſona dicatur; intelligunt, opinor, quam multa comperiantur [39] in Euangelicis & Apoſtolicis litteris, quæ, ſecundum hanc legem manifeſtam habent blaſphemiam. Multis locis approbo ieiunium, nusquam damno. Qui ſecus aſſeuerat, *eum* declarabo *impudentiſſime mentiri*. Sed in pietate puerili, *inquiunt*, leguntur hæc verba: *Cum ieiunio mihi nihil eſt negotii.* Finge [40] hæc verba dici *ſub perſona militis aut temulenti*, num protinus Eraſmus damnat ieiunia? Non opinor. Nunc dicuntur *ab adoleſcente nondum adulto*; quam ætatem lex non obſtringit ad ieiunandum: & tamen is adoleſcens præparat ſe ad iuſta ieiunia. Sic enim ſubiicit; *Sed tamen ſi ſenſero opus, prandeo cœnoque parcius, quo me præbeam alacriorem ſtudiis pietatis per diem feſtum.*

Abſtinentias vero quam damnem, declarant hæc verba, quæ ſunt in *Conuiuio profano*: *In plerisque non res, ſed animus diſcernit nos a Iudæis. Illi manum abſtinebant a certis cibis, velut ab immundis & animum inquinaturis; Nos cum in-*

38 ſub qua perſona quid, aliquid, quidpiam. 39 deprehendantur, inueniantur, reperiantur. 40 Cogita, expende.

intelligamus, omnia munda esse mundis ; tamen carni lasciuienti, velut equo ferocienti, pabulum subducimus, quo magis sit audiens dicto spiritui. Nonnunquam immoderatum suauium rerum vsum abstinentiæ molestia castigamus. Paulo post reddit rationem quare Ecclesia interdixerit esum quorundam ciborum. *Omnibus*, inquit, *conducet. Nam tenuibus, cochleis aut ranis licebit vesci, aut cæpas, porrumue arrodere ; mediocres detrahent nonnihil quotidianis obsoniis; quod si quid diuites deliciantur hac occasione, suæ gulæ imputent, non incusent Ecclesiæ constitutionem.* Mox loquor his similia. Rursus aliquanto post ; *Scio medicis magnopere damnatum esse piscium esum : sed secus visum est maioribus nostris, quibus obtemperare religiosum est.* Inibi protinus doceo heic vitandum etiam offendiculum infirmiorum.

Æque falsum est, in colloquiis irrideri *suffragia beatæ Virginis, & aliorum Sanctorum* ; sed illos irrideo qui petunt a sanctis quæ non auderent *a bono viro* petere ; aut *hoc animo* petunt a certis diuis, quasi hoc aut illud, hic aut ille citius velit aut possit præstare quam alius *aut quam ipse Christus.* Imo in puerili pietate sic loquitur puer: *Salutem dixi nonnullis, Quibus ? Christo ac diuis aliquot.* Et aliquanto post : *Rursus tribus verbis saluto Iesum, ac diuos diuasque omnes; sed nominatim Virginem matrem ; tum eos quos habeo mihi peculiares.* Et infra commemorat nominatim quos diuos salutet quotidie.

Mi-

Mirum vero si procus amans laudat nuptias, dicitque *castum coniugium non multum abesse a laude virginitatis*, cum Augustinus patriarcharum polygamiam * anteponat nostro cælibatui.

Quod obiiciunt *de ingressu religionis*, quam sit manifestæ vanitatis, declarant mea verba *in virgine misogamo*. Sic enim loquitur virgo: *Damnas igitur hoc totum vitæ institutum?* Respondet iuuenis; *Nequaquam: Verum quemadmodum nemini suaderi velim, vt quæ se in hoc vitæ genus coniecerit, luctetur emergere, ita non dubitem hortari puellas omneis, præsertim indolis generosæ, ne se temere eo præcipitent, vnde post sese non possint explicare.* Hæc est illius colloquii conclusio, vtcunque certatum est argumentis. Obsecro, an hoc est omnibus dissuadere ingressum religionis? *Non* damnatur *ingressus*, sed *præceps temeritas* damnatur. Hæc igitur malitiose detorquent ad calumniam. At non perpendunt quam multa illic discunt grammaticuli [41], quæ pugnant cum decretis Lutheranorum.

In *Puerili pietate*, traditur ratio *bene & vtiliter audiendi missam.* Docetur ratio *bene & efficaciter* confitendi. Admonetur puer vt antequam sumat eucharistiam confessione purget animum. Ibidem docentur grammaticuli, quæ recepta sunt vsu

---

* Polygamus, qui multas duxit vxores, aut qui multas habet. Polygamiam Augustinus nuptias multiplices interpretatur.

41 *Grammaticuli* Diminutiuum per contemptum & irrisionem a Grammaticus, pro *Grammatici illi miseri, Grammaticastri.*

vsu populi Christiani, cum tamen in sacris literis non habeantur, hactenus esse seruanda, ne cui simus offendiculo.

In *Profano conuiuio*, docentur *magis obtemperandum pontificum constitutionibus, quam medicorum consiliis*: tantum admonentur, *in necessitate* cessare vigorem[42] constitutionis humanæ, & mentem legislatoris. Ibidem probat quispiam *benignitatem* in monachorum collegia, modo detur *ad vsum, non ad luxum*, & potissimum detur religionis disciplinam obseruantibus.

De constitutionibus humanis hæc pronuntiantur in colloquio Ἰχθυοφαγία· Pugnent qui volent, ego censeo, *leges maiorum reuerenter suscipiendas & obseruandas religiose, velut a Deo profectas; nec esse tutum, nec esse pium, de potestate publica sinistram concipere aut serere suspicionem. Et si quid est tyrannidis, quod tamen non cogat ad impietatem, satius est ferre quam seditiose reluctari.* Huiusmodi permulta grammaticuli discunt ex meis colloquiis, quibus sic obmurmurant isti. Sed indecorum est, *Theologum iocari*[43]; saltem hoc mihi concedant apud pueros, quod ipsi permittunt sibi viri apud viros *in Vesperiis*, vt vocant *rem insulsam insulso vocabulo*.

Insulsas calumnias, quas in Hispaniis obiecere quidam, ostendi mera esse somnia hominum nec sobriorum, nec Latine scientium. Nec minus indoctum est, quod quidam pronuntiauit hæreti-

42 rigorem & vigorem. 43 Tcil. obiiciunt, perhibent, dicunt, dictitant.

tice dictum, quod in Symbolo *pater* dicitur simpliciter *auctor omnium*. Verum is deceptus inscitia Latini sermonis, existimat *auctorem* nihil aliud quam *creatorem* aut *fabricatorem* significare. Atqui si consulat eos, qui callent elegantiam Romani sermonis, si euoluat *Hilarium*, aliosque vetustos auctores, comperiet, *auctoritatem* accipi pro eo quod Scholastici vocant *rationem perfectissimam principii*, eoque *patri* peculiariter tribuunt, & *auctoris* nomine sæpe designant *patrem*, *cum personas inter se conferunt*. An pater recte dicatur *causa filii*, nihil mea refert, cum nunquam eo verbo sim abusus, nisi quod illud est verissimum, *nos de Deo non posse loqui nisi verbis impropriis*; nec magis proprium verbum est *fons* aut *principium*, aut *origo*, quam *causa* [44].

Iam hinc mihi perpende, lector, quales sint interdum qui suis sententiis homines pertrahunt [45] ad incendium. *Nihil turpius, quam reprehendere quod non intelligas.* At *ista quiduis calumniandi febris quid aliud gignit quam amarulentiam ac dissidia? Quin potius aliena candide interpretemur, nec statim nostra pro oraculis haberi velimus* [46]; *nec*

44 Causa filii num Pater prima Deitatis persona recte dicatur, merito dubitatur, cum Filius non sit natura Patre posterior, sed eandem numero essentiam habeat, quam Pater; licet sub alio *ὑπάρξεως τρόπῳ* quam Pater. Patres Græci *αἴτιον* *causam* pro *Principio* *καταχρηστικῶς* dixerunt; Latini nomen *causæ* nullatenus admiserunt. 45 rapiunt, trahunt, abripiunt. 46 Iuxta illud Poëtæ:

Diuersum sentire duos de rebus iisdem
Incolumi licuit semper amicitia.

nec eorum iudicia pro oraculis ducamus qui quod legunt non intelligunt. Vbi in consilio est odium, ibi cæcum est iudicium 47. Pacificator vniuersorum Spiritus, qui suis organis variis vtitur modis, faciat nos omnes concordes, & vnanimes in sana doctrina, sanctisque moribus: quo contingat pariter ad cœlestis Hierosolymæ, quæ nescit vlla dissidia, consortium peruenire. Amen.

Anno MDXXVI. XII. Cal. Iunias.

Basileæ.

Solius in Christi iuraui verba Magistri:
Solus enim Christus verba salutis habet.


Cæterum Spinosismum; quo Benedictus Spinoza conatu improbo demonstratum ire voluit *Libertatem philosophandi* siue *de doctrina religionis pro lubitu iudicandi, sentiendi & docendi* solide ad veritatis lancem examinauit B. Dn. D. Iohannes Musæus Ienæ 1674. in Tractatu Theologico-Politico Witebergæ anno 1708. recuso & Summe venerando & Magnifico Viro, D. Iohanni Henrico Feustkingio dicato. *Pessimum* quoque εὕρημα *sentiendi & credendi Libertinismum* iussu Venerandæ Facult. Theol. in Alma Rosarum Præsidente Iusto Christophoro Schomero Doct. & Prof. Theol. celebratiss. pro summis in Theologia honoribus consequendis solenniter disputauit & ipse νῦν ἐν ἁγίοις Vir summus Dominus D. Gottlob Fridericus Seligmann, Metaphys. & Phys. eo tempore Prof. anno 1686.

47 Vt per nebulam corpora, sic per affectum res videntur maiores. Et vt obnixe amanti nihil vnquam satis laudatur; ita odio persequenti nihil vnquam satis vituperatur, suggillatur & taxatur: ex musca elephantum facit. Vt oculus in quem humor illapsus est, parum clare videt; sic mens, in quam odium aut inuidia.

DESI-



DESIDERII ERASMI
Roterodami
ΜΩΡΙΑΣ ΕΓΚΩΜΙΟΝ,
Sive
DECLAMATIO
IN
LAVDEM STVLTITIÆ.



PRÆFATIO.
ERASMVS ROTERODAMVS
THOMÆ MORO SVO
S. D.



Uperioribus diebus cum me ex Italia in Angliam reciperem, ne totum hoc tempus, quo equo fuit insidendum, 1 *ἀμούσοις & illiteratis fabulis tereretur, malui mecum aliquoties vel de communibus studiis nostris aliquid agitare,*

1 Indoctis.

re, vel amicorum (quos hic vt doctissimos, ita suauissimos reliqueram) recordatione frui. Inter hos tu, mi More, vel in primis occurrebas. Cuius equidem absentis absens memoria, non aliter frui solebam, quam præsentis præsens consuetudine consueueram: qua, dispeream, si quid vnquam in vita contigit mellitius. Ergo quoniam omnino aliquid agendum duxi, & id tempus ad seriam commentationem parum videbatur accommodatum, visum est Moriæ encomium ludere. 1 *Quæ Pallas istuc tibi misit in mentem inquies? Primum admonuit me Mori cognomen tibi gentile, quod tam ad Moriæ vocabulum accedit, quam es ipse a re alienus. Es autem vel omnium suffragiis alienissimus. Deinde suspicabar, hunc ingenii nostri lusum, tibi præcipuè probatum iri, propter ea quod soleas huius generis iocis, hoc est, nec indoctis, ni fallor, nec vsque quaque insulsis, impendio delectari; & omnino in communi mortalium vita* 2 *Democritum quendam agere. Quanquam tu quidem, vt pro singulari quadam ingenii tui perspicacitate, longe lateque à vulgo dissentire soles, ita pro incredibili morum suauitate facilitateque, cum omnibus* 3 *omnium horarum hominem agere & potes, & gaudes. Hanc igitur declamatiunculam non solum lubens accipies,* ceu

1 Alludit ad Homeri consuetudinem, qui subinde inducit Palladem Heroas suos monentem. Vid. U. A.
2 Philosophum qui quicquid esset in vita mortalium ridebat. 3 Id est, qui nunquam moroso est animo. Vid. Chiliades.

ceu 1 μνημόσυνον *tui sodalis , verum etiam tuendam suscipies, vtpote tibi dicatam, iamque tuam non meam. Etenim non deerunt fortasse vitilitigatores, qui calumnientur, partim leuiores esse nugas, quam vt Theologum deceant, partim mordaciores, quam vt Christianæ conueniant modestiæ: nosque clamitabunt, veterem Comœdiam, aut Lucianum quempiam referre, atque omnia mordicus arripere. Verum quos argumenti leuitas, & ludicrum offendit, cogitent velim, non meum hoc exemplum esse, sed idem iam olim a magnis auctoribus factitatum; cum ante tot secula* 2 βατραχομυομαχίαν *luserit Homerus, Maro culicem, & moretum, nucem Ovidius. Cum Busiridem laudarit Policrates, & huius castigator Isocrates, Iniustitiam Glauco, Tersiten, & quartanam febrim Phavorinus, calvitium Synesius, muscam & parasiticam Lucianus. Cum Seneca Claudii luserit* 3 ἀποθέωσιν *, Plutarchus Grylli cum Vlysse dialogum, Lucianus & Apuleius asinum, & nescio quis Grunnii Corocottæ porcelli testamentum, cuius & diuus meminit Hieronymus. Proinde si videbitur, fingant isti me latrunculis interim, animi causa lusisse, aut si malint, equitasse in arundine longa. Nam quæ tandem est iniquitas, cum omni vitæ instituto suos lusus concedamus, studiis nullum omnino lusum permittere, maxime si nugæ seria ducant, atque ita tractentur ludicra, vt ex his aliquanto plus frugis referat lector, non omnino naris obesæ*

1 *Pignus memoriæ causa relictum.* 2 *Pugnam Ranarum & Murum.* 3 *Relationem in Deorum numerum.*

obesa, quam ex quorundam tetricis ac splendidis argumentis? Veluti cum alius diu consarcinata oratione rhetoricem, aut philosophiam laudat, alius principis alicuius laudes describit, alius ad bellum versus Turcas movendum adhortatur, alius futura prædicit, alius novas de lana caprina comminiscitur quæstiunculas. Vt enim nihil nugacius, quam seria nugatorie tractare, ita nihil festiuius, quam ita tractare nugas, vt nihil minus, quam nugatus fuisse videaris. De me quidem aliorum erit iudicium. Tametsi, nisi plane me fallit 1 φιλαυτία, *Stultitiam laudauimus, sed non omnino stulte. Iam vero vt de mordacitatis cauillatione respondeam, semper hæc ingeniis libertas permissa fuit, vt in communem hominum vitam salibus luderent impune, modo ne licentia exiret in rabiem. Quo magis admiror his temporibus aurium delicias, quæ nihil iam fere nisi solennes titulos ferre possunt. Porro nonnullos adeo præpostere religiosos videas, vt vel grauissima in Christum conuitia ferant citius, quam pontificem, aut principem leuissimo ioco aspergi: Præsertim si quid* 2 πρὸς τὰ ἄλφιτα *attinet. At enim qui vitas hominum ita taxat, vt neminem omnino perstringat nominatim, quæso, vtrum is mordere videtur, an docere potius, ac monere? Alioqui quot obsecro nominibus ipse me taxo? Præterea qui nullum hominum genus prætermittit, is nulli homini, vitiis omnibus iratus videtur. Ergo si quis extiterit, qui sese læsum clamabit, is aut conscientiam prodet suam, aut certe metum. Lusit hoc in genere multò liberius ac mordacius Diuus Hie-*

1 *Amor mei ipsius.* 2 *Ad farinas.* i. ad reditus.

Hieronymus, ne nominibus quidem aliquoties parcens. Nos præterquam quod a nominibus in totum abstinemus, ita præterea stylum temperauimus, vt cordatus lector facile sit intellecturus, nos voluptatem magis, quam morsum quæsisse. Neque enim ad Iuuenalis exemplum, occultam illam scelerum sentinam vsquam mouimus, & ridenda magis quam fœda recensere studuimus. Tum si quis est, quem nec ista placare possunt, is saltem illud meminerit, pulchrum esse a stultitia vituperari: quam cum loquentem fecerimus, decoro personæ seruiendum fuit. Sed quid ego hæc tibi, patrono tam singulari, vt causas etiam non optimas, optime tamen tueri possis? Vale disertissime More, & Moriam tuam suauiter defende. Ex rure. V. Idus Junias.



ΜΩΡΙΑΣ ΕΓΚΩΜΙΟΝ,
Id est
STVLTITIÆ LAVS,
ERASMI ROTERODAMI DECLAMATIO.

STVLTITIA LOQVITVR.

Stultorum risus

VTcunque de me vulgo mortales loquuntur, neque enim sum nescia, quam male audiat stultitia etiam apud stultissimos, tamen hanc esse, hanc inquam esse vnam, quæ meo numine Deos atque homines exhilaro, vel illud abunde magnum est argumentum, quod, simul atque in hunc cœtum frequentissimum dictura prodii, sic repente omnium vultus noua quadam atque insolita hilaritate enituerunt, sic subito frontem exporrexistis, sic læto quodam & amabili applausistis risu, vt mihi profecto, quotquot vndique præsentes intueor, pariter Deorum Homericorum nectare, non sine 1 Nepenthe, temulenti esse videamini, cum antehac tristes ac solliciti sederitis, perinde quasi nuper e Trophonii specu reversi. Cæterum quemadmodum fieri consueuit, vt cum sol primum formosum illud & aureum os terris ostenderit, aut vbi post asperam hyemem, nouum ver blandis aspirarit

1 Herba quæ vino infusa lætitiam parit.

ſpirarit Fauoniis, protinus noua rebus omnibus facies, nouus color ac plane iuuenta quædam redeat, ita vobis me conſpecta, mox alius acceſſit vultus. Itaque quod magni alioqui Rhetores, vix longa diuque meditata oratione poſſunt efficere, nempe vt moleſtas animi curas diſcutiant, id ego ſolo ſtatim aſpectu præſtiti.

Orationis argumentum. Quam ob rem autem hoc inſolito cultu prodierim hodie, iam audietis, ſi modo non grauabimini dicenti præbere aures non eas ſane, quas concionatoribus, ſed quas fori circulatoribus, ſcurris ac morionibus conſueuiſtis arrigere, quasque olim Midas ille noſter exhibuit Pani. Lubitum eſt enim pauliſper apud vos Sophiſtam agere, non quidem huius generis, quod hodie nugas quasdam anxias inculcat pueris, ac plusquam muliebrem rixandi pertinaciam tradit, ſed veteres illos imitabor, qui quo infamem Sophorum appellationem vitarent, ſophiſtæ vocari maluerunt. Horum ſtudium erat, deorum ac fortium virorum laudes encomiis celebrare. Encomium igitur audietis non Herculis, neque Solonis, ſed meum ipſius, hoc eſt, Stultitiæ.

Laus ſui ipſius. Iam vero non huius facio ſapientes iſtos, qui ſtultiſſimumo & inſlentiſſimum eſſe prædicant, ſi quis ipſe laudibus ſe ferat. Sit ſane, quam volent ſtultũ, modo decorum eſſe fateantur. Quid enim magis quadrat, quam vt ipſa Moria ſuarum laudum ſit buccinatrix, & 1 ἀυτὴ ἑαυτὴν ἀυλῇ; Quis enim me melius exprimat quam ipſa me? Niſi ſi cui forte

1 *Ipſa ſui ipſius Tibicina ſit.* Prouerbium.

forte notior ſim, quam egomet ſum mihi. Quanquam ego hoc alioqui, non paulo etiam modeſtiuș arbitror, quam id quod optimatum ac ſapientum vulgus factitat, qui peruerſo quodā pudore, vel Rhetorem quempiam palponē, pel poëtam vaniloquum, ſubornare ſolent, eumque mercede conductum, a quo ſuas laudes audiant, hoc eſt, mera mendacia, & tamen verecundus interim ille, pauonis in morem pennas tollit, criſtas erigit, cum impudens aſſentator nihili hominem diis æquiparat, eum abſolutum omnium virtutum exemplar proponit, a quo ſciat ille ſe plus quam 1 δὶς διὰ πασῶν abeſſe, cum corniculam alienis conueſtit plumis: cum 2 τὸν αἰθίοπα λευκαίνει, denique cum 3 ἐκ μυίας τὸν ἐλέφαντα ποιεῖ. Poſtremo ſequor tritum illud vulgi prouerbium, quo dicitur is recte laudare ſeſe, cui nemo alius contigit laudator. Quamquam hic interim demiror mortalium ingratitudinem dicam, an ſegnitiem, quorum cum omnes me ſtudioſe colant, meamque libenter ſentiant beneficentiam, nemo tamen tot iam ſeculis extitit, qui grata oratione Stultitiæ laudes celebrarit, cum non defuerint, qui Buſirides, Phalarides, febres quartanas, muſcas, calvitia, atque id genus peſtes, accuratis magnaque & olei & ſomni iactura elucubratis laudibus vexerint. A me extemporariam quidem illam, & illaboratam, ſed tanto veriorem audietis orationem.

Laudatores conducti.

Id

1 *Bis per omnia.* Prouerbialis locutio, i. multum. V. Chiliades. 2 *Æthiopem dealbat.* Prouerbium de eo qui fruſtra laborat. 3 *Ex muſca Elephantem facit.* Prouerbium.

Irrisio Oratorum. Id quod nolim existimetis ad ingenii ostentationem esse confictum, quemadmodum vulgus oratorum facit. Nam ii, sicuti nostis, cum orationem totis triginta annis elaboratam nonnunquam & alienam proferunt, tamen triduo sibi quasi per lusum scriptam, aut etiam dictatam esse deierant. Mihi porro semper gratissimum fuit, 1 ὅττι κεν ἐπ' ἀκαιρίμαν γλῶτταν ἔλθῃ dicere. At ne quis iam a nobis expectet, vt iuxta vulgarium istorum Rhetorum consuetudinem, me ipsam finitione explicem, porro vt diuidam, multo minus. Nam vtrumque ominis est inauspicati, vel fine circumscribere eam, cuius numen tam late pateat, vel secare, in cuius cultum omne rerum genus ita consentiat. Tametsi quorsum tandem attinet mei velut umbram atque imaginem finitione repræsentare, cum ipsam me coram præsentes præsentem oculis intueamini? Sum etenim uti videtis, vera illa largitrix 2 ἐάων, quam Latini stultitiam, Græci μωρίαν appellant.

Stultitia latere nequit. Quamquam quid vel hoc opus erat dicere, quasi non ipso ex vultu fronteque, quod aiunt, satis quæ sim præ me feram, aut quasi si quis me Minervam, aut Sophiam esse contendat, non statim solo possit obtutu coargui, etiamsi nulla accedat oratio, minime mendax animi speculum. Nullus apud me fucis locus, nec aliud fronte simulo aliud in pectore premo. Sumque mei vndique simillima, adeo vt nec ii me dissimulare possunt, qui maxime Sa-

1. *Quicquid in linguam intempestivam venerit.*
2 *Bonorum.*

Sapientiæ personam ac titulum sibi vendicant 1 *καὶ ἐν τῇ πορφύρᾳ πίθηκοι καὶ ἐν τῇ λεοντῇ ὄνοι* obambulant. Quamuis autem sedulo fingant, tamen aliunde prominentes auriculæ Midam produnt. Ingratum me hercle & hoc hominum genus; qui, cum maxime sint nostræ factionis, tamen apud vulgum cognominis nostri sic pudet, vt id passim aliis magni probri vice obiiciant. Proinde istos cum sint 2 *μωρότατοι* re, cæterum sophi ac Thaletes videri velint, nonne iure optimo 3 *μωροσόφους* appellabimus?

Oratorum affectatio

Visum est enim hac quoque parte nostri temporis Rhetores imitari, qui plane Deos esse sese credunt, si hirudinum ritu bilingues appareant, ac præclarum facinus esse ducunt, latinis orationibus subinde græculas aliquot voculas, velut emblemata intertexere, etiamsi nunc non erat his locus. Porro si desunt exotica, è putribus chartis quatuor aut quinque prisca verba eruunt, quibus tenebras offundant lectori, videlicet, vt qui intelligunt, magis ac magis sibi placeant: qui non intelligunt, hoc ipso magis admirentur, quo minus intelligunt. Quandoquidem est sane & hoc nostratium voluptatum genus non inelegans; quam maxime peregrina maxime suspicere. Quod si qui paulo sunt ambitiosiores arrideant tamen & applaudant, atque asini exemplo 4 *τὰ ὦτα κινῶσι*, quo cæ-

1. *In purpura Simia, in Leontina pelle asini.* Prouerb. 2. *Stultissimi.* 3. *Stulto Sapientes.* 4. *Aures mouent.*

cæteris probe intelligere videantur, 1 καὶ ταῦτα δὴ μὲν ταῦτα. Nunc ad institutum recurro.

Stultitiæ nomen & genus Nomen igitur habetis viri. Quid addam epitheti? Quid nisi stultissimi? Nam quo alio honestiore cognomine Mystas suos compellet Dea Stultitia? Sed quoniam non perinde multis notum est, quo genere prognata sim, id iam Musis bene iuuantibus exponere conabor. Mihi vero neque Chaos, neque Orcus, neque Saturnus, neque Japetus, aut alius id genus obsoletorum, ac putrium deorum quispiam pater fuit. Sed

Pluti laus Stultitiæ 2 πλοῦτος, ipse vnus, vel inuitis Hesiodo & Homero, atque ipso adeo Ioue, 3 πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Cuius vnius nutu, vt olim; ita nunc quoque sacra profanaque omnia sursum ac deorsum miscentur. Cuius arbitrio bella, paces, imperia, consilia, judicia, comitia, connubia, pacta, fœdera, leges, artes, ludicra, seria, (iam spiritus me deficit) breuiter, publica priuataque omnia mortalium negotia administrantur. Citra cuius opem, totus ille poëticorum Numinum populus, dicam audacius, ipsi quoque dii selecti, aut omnino non essent, aut certe 4 οἰκόσιτοι sane quam frigide victitarent. Quem quisquis iratum habuerit, huic ne Pallas quidem satis auxilii tulerit. Contra; quisquis propitium, is vel summo Ioui, cum suo

1. *Atque hæc sunt hæc.* Aristophanis Pluto. 2. Deus divitiarum. 3. *Pater hominum & Deorum.* 4. *Domi cœnarent.* 5. Sacrificiis carerent. Ex Luciani libro de sacrificiis.

ſuo fulmine mandare laqueum poſſit, 1 τούτου πατρὸς εὔχομαι εἶναι. Atque hic quidem me progenuit non e cerebro ſuo, quemadmodum tetricam illam ac toruam Palladem Iupiter, verum ex 2 Neotete nympha multo omnium venuſtiſſima, pariter ac feſtiuiſſima. Neque rurſum id triſti illi alligatus coniugio, quomodo faber ille claudus natus eſt, verum quod non paulo ſuauius 3 ἐν φιλότητι μιχθείς, quemadmodum noſter ait Homerus. Genuit autem, ne quid erretis, non Ariſtophanicus ille Plutus, iam capularis, iam oculis captus, ſed quondam integer adhuc calidusque iuuenta, neque iuuenta ſolum, verum multo magis nectare, quod tum forte in deorum conuiuio largius ac meracius hauſerat.

Stultitiæ Patria. Quod ſi locum quoque natalem requiritis, (quando quidem id hodie vel inprimis ad nobilitatem intereſſe putant, quo loco primos edideris vagitus) ego nec in erratica Delo, nec in vndoſo mari, nec 4 ἐν σπέεσι γλαφυροῖσι ſum edita, ſed in ipſis inſulis fortunatis, ubi 5 ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα omnia proueniunt. In quibus neque labor, neque ſenium, neque morbus eſt vllus nec vsquam in agris aſphodelus, malua, ſquilla, lupinumue, aut faba, aut aliud hoc genus nugarum conſpicitur. Sed paſſim oculis, ſimulque naribus adblandiuntur moly, panace, nepenthes, amaracus, am-

1. *Huius patriæ eſſe glorior.* Ex Homero. 2. *Iuuentute.* 3. *In amore mixtus.* 4. *In ſpecubus cauis.* Ex Homero. 5. *Inſeminata & inarata.* Ex Homero.

mbroſia, lotus, roſa, viola, hyacinthus, Adonidis ıortuli. Atque in his quidem nata deliciis, nequaȷuam a fletu ſum auſpicata vitam, ſed protinus blanle arriſi matri. Iam vero non inuideo 1 τῷ ὑπάτῳ κρονίωνι, capram altricem, cum me duæ lepidiſſimæ nymphæ ſuis aluerint mammis, 2 Methe Baccho progenita, & 3 Apædia Panos filia.

Stultitiæ comites. Quas hic quoque in cæterarum comitum ac pediſequarum mearum conſortio videtis. Quarum me Hercle nomina, ſi voletis cognoſcere, ex me quidem non niſi Græce audietis. Hæc nimirum quam ſublatis ſuperciliis conſpicamini, 4 φιλαυτία eſt. Huic, quam velut arridentibus oculis, ac plaudentem manibus videtis, 5 κολακία nomen, Hæc ſemiſomnis ac dormitanti ſimilis (6) λήθη vocatur. Hæc cubito vtroque innitens, conſertisque manibus, 7 μισοπονία dicitur. Hæc, roſeo reuincta ſerto, & vndiqne delibuta vnguentis, 8 ἡδονή. Hæc lubricis & huc atque illuc errantibus luminibus, 9 ἄνοια dicitur, hæc nitida cute, probeque ſaginato corpore 10 τρυφὴ nomen habet. Videtis & Deos duos, puellis admixtos, quorum alterum 11 κῶμον vocant, alterum 12 νήγρετον ὕπνον. Huius, inquam, famulitii fidelibus auxiliis

1. *Summo Iovi.* 2. *Temulentia.* 3. *Imperitia.* 4. *Amor ſui ipſius.* 5. *Adulatio.* 6. *Oblivio.* 7. *Odium laboris*, i. pigritia. 8. *Voluptas.* 9. *Amentia.* 10. *Deliciæ.* 11. *Deum conuiuiorum.* 12. *Altiſſimum ſomnum.*

xiliis genus omne rerum meæ ſubiicio ditioni, ipſis etiam imperans imperatoribus.

Stultitia Dea. Genus, educationem, & comites audiſtis. Nunc ne cui ſine cauſa videar mihi Deæ nomen vſurpare, quantis commoditatibus Deos ſimul & homines adficiam, quamque late meum pateat numen, arrectis auribus accipite. Etenim ſi non inſcite ſcripſit quidam, hoc demum eſſe Deum, iuuare mortales, & ſi merito in deorum ſenatum aſciti ſunt, qui vinum, aut frumentum, aut vnam aliquam huiusmodi commoditatem mortalibus oſtenderunt, cur non ego iure deorum omnium ἄλφα dicar, habearque, quæ vna omnibus largior omnia?

Stultitia cauſa propagationis generis humani. Principio quid eſſe poteſt vita ipſa vel dulcius vel precioſius? At huius exordium cui tandem acceptum ferri conuenit, niſi mihi? Neque enim aut 1 ὀβριμοπάτρης haſta Palladis, aut 2 νεφεληγερέτȣ Iouis ægis hominum genus vel progignit, vel propagat. Verum ipſe Deum pater atque hominum rex, qui totum nutu tremefactat olympum, fulmen illud triſulcum ponat oportet, & vultum illum Titanicum, quo, cum lubet, Deos omneis territat, planeque hiſtrionum more, aliena ſumenda miſero perſona, ſi quando velit id facere, quod nunquam non facit, hoc eſt, 3 παιδοποιεῖν. Iam vero Stoici ſe diis proximos autumant. At date mihi terque quaterque, aut ſi libet, ſexcenties Stoicum

1. *Potente patre prognatæ* 2. *Nubes cogentis.* 3. *Liberorum procreationi operam dare.*

um, tamen huic quoque, si non barba insigne sapientiæ, etiamsi cum hircis commune, certe supercilium erit ponendum, explicanda frons, abiicienda dogmata illa adamantina, ineptiendum ac delirandum aliquantisper. In summa, me, me, inquam, sapiens ille accersat oportet, si modo pater esse velit. Et cur non apertius meo more vobiscum fabuler? Quæso num caput, num facies, num pectus, num manus, num auris, quæ partes honestæ putantur, progenerant Deos aut homines? Non opinor, imo ea pars adeo stulta, adeoque ridicula, vt nec nominari citra risum possit, humani generis est propagatrix. Is demum est sacer ille fons vnde vitam hauriunt omnia verius, quam ille Pythagoricus 1 quaternio. Age vero, qui vir obsecro matrimonii capistro velit præbere os, si quemadmodum isti sapientes facere consueuerunt, prius eius vitæ incommoda secum perpenderit: aut quæ tandem mulier virum admissura sit, si partûs periculosos labores, si educationis molestiam, vel norit, vel cogitarit? Porro si coniugiis debetis vitam, coniugium autem debetis 2 ἀνοίᾳ pedisequæ, mihi nimirum quid debeatis intelligitis. Tum quæ semel hæc experta, denuo repetere velit, nisi 3 λήθης præsens numen adfuerit? Neque vero id Venus ipsa, vel reclamante Lucretio, vnquam inficias iuerit, sine nostri numinis accessione, suam vim mancam atque irritam esse. Itaque ex nostro illo temulento ridiculoque lusu, proueniunt & superciliosi philosophi, in quorum locum nunc

1. Pythagoras ex quatuor principiis omnia esse putabat. 2. *Amentiæ.* 3. *Obliuionis.*

nunc successere, quos vulgus Monachos appellat, & purpurei reges, & pii sacerdotes, & ter sanctissimi pontifices. Postremo totus etiam ille deorum poëticorum cœtus, adeo frequens, vt turbam vix iam ipse capiat olympus, tametsi spaciosissimus.

Stultitiæ debentur vitæ commoda. At sane parum sit mihi vitæ seminarium, ac fontem deberi, nisi quicquid in omni vita commodi est, id quoque totum ostendero mei muneris esse. Quid autem hæc, num omnino vita videtur appellanda, si voluptatem detraxeris? Applausistis. Equidem sciebam neminem vestrum ita sapere, vel desipere magis, imo sapere potius, vt in hac esset sententia. Quanquam ne Stoici quidem isti voluptatem aspernantur, tametsi sedulo dissimulant milleque conuiciis eam apud vulgus dilacerant, nimirum vt deterritis aliis, ipsi prolixius fruantur. Sed dicant mihi per Iovem, quæ tandem vitæ pars est, non tristis, non infestiua, non inuenusta, non insipida, non molesta, nisi voluptatem, id est, stultitiæ condimentum adiunxeris? Cuius rei cum satis idoneus testis esse possit, ille nunquam satis laudatus Sophocles, cujus extat pulcherrimum illud de nobis elogium 1 ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν, ἥδιςος βίος, tamen age, rem omnem singulatim aperiamus.

Infantia stulta. Principio quis nescit primam hominis ætatem multo lætissimam multoque omnibus gratissimam esse? quid est enim illud in infantibus, quod sic exosculamur, sic amplectimur, sic fouemus, vt hostis etiam huic ætati ferat opem, nisi stultitiæ

1. *In nihil sapiendo vita iucundissima.*

tiæ lenocinium, quod data opera prudens natura
ecens natis adiunxit, vt aliquo voluptatis velut au-
toramento, & educantium labores delinire queant,
tuentium fauores eblandiantur? Deinde quæ ſucce-
doleſcentia dit huic adoleſcentia, quam eſt apud omnes
ratioſa, quam illi candide fauent omnes, quam ſtu-
ioſe prouehunt, quam officioſe porrigunt auxiliares
anus? At vnde quæſo iſta iuuentæ gratia? vnde niſi
me? cuius beneficio quam minimum ſapit, atque
id quam minime ringitur. Mentior, niſi mox
irilis ætas. vbi grandiores facti per rerum vſum,
diſciplinas virile quiddam ſapere cœperint, con-
nuo defloreſcit formæ nitor, langueſcit alacritas,
igeſcit lepos, labaſcit vigor. Quoque longi-
nectus. us a me ſubducitur, hoc minus minusque
uit, donec ſuccedat τὸ χαλεπὸν γῆρας, id eſt,
oleſta ſenectus, non iam aliis modo, verum etiam
imet inviſa. Quæ quidem prorſus nulli morta-
im foret tolerabilis, niſi rurſum tantorum miſer-
laborum dextra adeſſem, & quemadmodum Dii
ëtarum ſolent pereuntibus aliqua metamorphoſi
ccurrere, itidem ego quoque iam capulo proximos
enuo quoad licet, ad pueritiam reuocarem. Unde
on abs re vulgus eos 1 παλίμπαιδας appellare
nſueuit. Porro, ſi quis transformandi rationem
quirat, ne id quidem celarim. Ad Lethes noſtræ
ntem, nam in inſulis fortunatis oritur (ſiquidem
ud inferos tenuis modo riuulus labitur,) eos pro-
ico, vt ſimul atque illic longa potarint obliuia, pau-
la-

1 *Iterum pueros.*

latim dilutis animi curis repubeſcant. At iſti iam delirant, inquiunt, iam deſipiunt. Eſto ſane. Sed iſtuc ipſum eſt repueraſcere. An vero aliud eſt puerum eſſe, quam delirare, quam deſipere? An non hoc vel maxime in ea delectat ætate, quod nihil ſapit? Quis enim non ceu portentum oderit, atque execretur puerum virili ſapientia? Aſtipulatur & vulgo iactatum prouerbium, Odi puerulum præcoci ſapientia. Quis autem ſuſtineret habere commercium aut conſuetudinem cum eo ſene, qui ad tantam rerum experientiam, parem animi vigorem, iudiciique acrimoniam adiunxiſſet? Itaque delirat ſenex meo munere. Sed tamen delirus iſte meus interim miſeris illis curis vacat, quibus ſapiens ille diſtorquetur. Interim non illepidus eſt compotor. Non ſentit vitæ tædium, quod robuſtior ætas vix tolerat. Nonnunquam cum ſene Plautino ad tres illas literas reuertitur, infeliciſſimus ſi ſapiat. At interim meo beneficio felix, interim amicis gratus, ne congerro quidem inſeſtiuus. Quandoquidem & apud Homerum e Neſtoris ore fluit oratio melle dulcior, cum Achillis ſit amarulenta, & apud eundem ſenes in mœnibus conſidentes, 1 τὴν λειριόεσσαν vocem edunt. Quo quidem calculo ipſam etiam ſuperant pueritiam, ſuauem quidem illam, ſed infantem, ac præcipuo vitæ oblectamento, puta garrulitate carentem. Addite huc, quod pueris quoque gaudeant impenſius ſenes, ac pueri viciſſim ſenibus delectantur. 2 ὡς αἰεὶ ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον. Quid enim inter illos non conuenit niſi

1 *Gracilem.* 2 *Ut ſemper ſimilem ducit Deus ad ſimilem.*

nisi quod hic rugosior & plures numerat natales? Alioqui capillorum albor, os edentulum, corporis modus minor, lactis appetentia, balbuties, garrulitas, ineptia, obliuio, incogitantia, breuiter omnia cætera congruunt. Quoque magis accedunt ad senectam, hoc propius ad pueritiæ similitudinem redeunt, donec puerorum ritu, citra vitæ tædium, citra mortis sensum emigrant e vita.

Stultitia potentissima dearum iuuentam perpetuam facit.

Eat nunc, qui volet, & hoc meum beneficium reliquorum deorum metamorphosi comparet. Qui quid irati faciant, non libet commemorare, sed quibus quam maxime propitii sunt, eos solent in arborem, in auem, in cicadam aut etiam in serpentem transformare: quasi vero non illud ipsum sit perire, aliud fieri. Ego vero hominem eundem optimæ ac felicissimæ vitæ parti restituo. Quod si mortales prorsus ab omni sapientiæ commercio temperarent, ac perpetuo mecum ætatem agerent, ne esset quidem nullum senium, verum perpetua iuuenta fruerentur felices. An non videtis tetricos istos & vel Philosophiæ studiis, vel seriis & arduis addictos negotiis, plerumque priusquam plane iuuenes sint, iam consenuisse, videlicet curis, & assidua acrique cogitationum agitatione sensim spiritus & succum illum vitalem exhauriente? Cum contra Moriones mei pinguiculi sint, & nitidi, & bene curata cute, plane 1 χοῖροι, quod aiunt, ἀκαρνάνιοι, nunquam profecto senectutis incommo-

1 *Porci Acarnanii*, Proverb.

modum vllum ſenſuri, niſi nonnihil, vt fit, ſapientum contagio inficerentur. Adeo nihil patitur hominum vita, omni ex parte beatum eſſe. Accedit ad hæc vulgati prouerbii non leue teſtimonium, quo dictitant, Stultitiam vnam eſſe rem, quæ & iuuentam alioqui fugaciſſimam remoretur, & improbam ſenectam procul arceat. Vt non temere de Brabantis populari ſermone iactatum ſit, Cum cæteris hominibus ætas prudentiam adferre ſoleat, hos quo propius ad ſenectam accedunt, hoc magis atque magis ſtulteſcere. Atqui hac gente non eſt alia, vel ad communem vitæ conſuetudinem feſtiuior, vel quæ minus ſentiat ſenectutis triſtitiam. His quidem vt loco, ita & vitæ inſtituto confines ſunt Hollandi mei, cur enim non meos appellem, vsque adeo ſtudioſos mei cultores, vt inde vulgo cognomen emeruerint? cujus illos adeo non pudet, vt hinc vel præcipue ſeſe iactitent. Eant nunc ſtultiſſimi mortales, & Medeas, Circes, Veneres, Auroras, & fontem neſcio quem requirant, quo ſibi iuuentam reſtituant, cum id ſola præſtare & poſſim & ſoleam. Apud me ſuccus eſt ille mirificus, quo Memnonis filia Tithoni aui ſui iuuentam prorogauit. Ego ſum Venus illa cuius fauore Phaon ille repubuit, ita vt a Sapphone tantopere deamaretur. Meæ ſunt herbæ ſi quæ ſunt, mea precamina, meus ille fons, qui non ſolum reuocat elapſam adoleſcentiam, ſed, quod eſt optabilius, perpetuam ſeruat. Quod ſi omnes huic ſententiæ ſubſcribitis, adoleſcentia nihil eſſe melius, ſenectute deteſtabilius, quantum mihi debeatis videtis opinor, quæ tantum bonum retineam, tanto excluſo malo.

Sed

Dii stultitia commendabiles.

Sed quid adhuc de mortalibus loquor? Cœlum omne lustrate, & mihi meum nomen opprobret licebit, quicunque voet, si quem omnino deorum reperit non insuauem & ispernabilem, nisi meo numine commendetur. Etenim cur semper ephebus & comatus Bacchus? Nempe quia vecors ac temulentus, conuiuiis, salutaionibus, choreis, lusibus vitam omnem transigens, ne tantulum quidem habet cum Pallade commercii. Denique tantum abest, vt sapiens haberi postulet, vt udibriis ac iocis coli gaudeat. Neque prouerbio offenditur, quod illi fatui cognomentum attribuit, d est huiusmodi, 1 μορύχου μωρότερος. Porro Moricho nomen verterunt, quod illum pro templi oribus sedentem, musto ficisque recentibus, agriolarum lasciuia consueuerit oblinere. Tum auem quid non scommatum in hunc vetus iacit conœdia? O insulsum, inquiunt, Deum, & dignum qui ex inguine nasceretur. At quis non malit nic fatuus & insulsus esse, semper festiuus, semper pubescens, semper omnibus lusus ac voluptatem aderens, quam vel 2 ἀγκυλομήτης ille Iupiter omnibus formidabilis, vel Pan suis tumultibus omnia fenio vitians, vel fauillis oppletus Vulcanus ac semper officinæ laboribus squalidus, aut Pallas etiam ipsa sua Gorgone & hasta terribilis, 3 καὶ αἰεὶ ἐνορῶσα δριμύ. Cur semper puer Cupido? Cur? nisi quia nugator est, 4 καὶ μηδὲν ὑγιὲς neque facit, neque cogitat? Cur aureæ Veneri semper vernat sua forma? Nimi-

1 *Morycho stultior.* Vid. Chiliad. 2 *Profundi consilii.* 3 *& semper aspiciens torve.* 4 *Nihil sanum.*

mirum, quia mecum habet affinitatem, vnde & patris mei colorem vultu refert, atque hac de causa est apud Homerum, 1 χρυσῆ ἀφροδίτη. Deinde perpetuo ridet, si quid modo poetis credimus, aut horum æmulis statuariis. Quod numen vnquam religiosius coluere Romani, quam Floræ omnium voluptatum parentis? Quanquam si quis etiam tetricorum deorum vitam diligentius requirat ab Homero, reliquisque poetis, reperiet, stultitiæ plena omnia. Quid enim attinet reliquorum facta commemorare, cum Iovis ipsius fulminatoris amores ac lusus probe noritis? cum seuera illa Diana oblita sexus, nihil aliud quam venetur. Endymionem interim deperiens. Verum illi sua facinora a Momo audiant malim, a quo sæpius quondam audire solebant. Sed hunc nuper irati vna cum 2 Ate in terras præcipitem dederunt, quod sapientia sua felicitati deorum importunus obstreperet, neque mortalium vllus exulem dignatur hospitio, tantum abest vt illi in principum aulis sit locus, in quibus tamen mea 3 κολακία primas tenet, cui cum Momo non magis conuenit, quam cum agno lupis. Itaque sublato illo iam multo licentius ac suauius nugantur dii, vere 4 ῥᾶον ἄγοντες, vt inquit Homerus, nullo videlicet censore. Quos enim non præbet iocos ficulnus ille Priapus? Quos non ludos exhibet furtis ac præstigiis suis Mercurius? Quin & Vulcanus ipse in deorum conuiuiis 5 γελωτοποιὸν agere consueuit, ac modo

1 *Aurea Venus.* 2 *Noxa.* Hanc Homerus fingit a Ioue in terram deturbatam & huius opera inter mortales dissidia nasci. 3 *Adulatio.* 4 *Beate viuentes.* 5 *Mirionem.*

ıodo claudicatione, modo cauillis, modo ridiculis ictis exhilarare compotationem. Tum & Silenus le senex amator 1 τὸν κόρδακα saltare solitus, cum na Polyphemo 2 τὴν τρεταν ελό, Nymphis 3 τὴν υμνοποδίαν saltantibus. Satyri semicapri 4 Atelınas agitant. Pan insulsa quapiam cantiuncula riım omnibus mouet, quem ita malunt, quam ipsas udire musas, præcipue cum iam nectare cœperint ıadere. Porro quid ego nunc commemorem, quæ robe poti dii post conuiuium agitent? adeo me Iercle stulta, vt ipsa nonnunquam a risu temperare ıequeam. At satius est in his Harpocratis meminisse, ne forte nos quoque 5 Corycæus aliquis Deus uscultet, ea narrantes, quæ ne Momus quidem imune proloquutus est.

tultitia nnata hominibus. Sed iam tempus est, vt ad Homericum exemplar relictis cœlitibus vicissim in terram demigremus, quamquam ibi niil lætum, aut felix, nisi meo munere dispiciamus. n primis videtis quanta prouidentia natura parens, & humani generis opifex, illud cauerit, ne vsquam leesset stultitiæ condimentum? Etenim cum Stoiis definitoribus nihil aliud sit sapientia, quam duci atione: contra stultitia, affectuum arbitrio moue-i, ne plane tristis ac tetrica esset hominum vita. upiter quanto plus indidit affectuum quam rationis? quasi semiunciam compares ad assem. Præterea rationum

1 Genus saltationis. 2 Vox ficta, qua repræsentatur saltatio Polyphemi. 3 Saltationis genus nudis pedibus. 4 Choreas ab Atella vrbe. 5 Id est, explorator. Prouerbialis loquutio de qua Vid. Chiliad.

tionem in angustum capitis angulum relegauit, reliquum omne corpus perturbationibus reliquit. Deinde duos quasi tyrannos violentissimos vni opposuit: iram, quæ præcordiorum arcem obtinet, atque adeo ipsum vitæ fontem, cor, & concupiscentiam, quæ ad imam vsque pubem latissime imperium occupat. Aduersus has geminas copias quantum valeat ratio, communis hominum vita satis declarat, cum illa, quod vnum licet, vel vsque ad rauim reclamat, & honesti dictat formulas, verum hi laqueum regi suo remittunt, multoque odiosius obstrepunt, donec iam his quoque fessus vltro cedit, ac manus dat.

Mulieres stultæ. Cæterum quoniam viro administrandis rebus nato, plusculum de rationis vnciola erat aspergendum, vt huic quoque pro virili consuleret, me hic sicut in cæteris in consilium adhibuit, moxque consilium dedi me dignum, nempe vti mulierem adiungeret: animal videlicet stultum quidem illud atque ineptum, verum ridiculum & suaue, quo conuictu domestico, virilis ingenii tristitiam, sua stultitia condiret atque edulcaret. Nam quod Plato dubitare videtur, vtro in genere ponat mulierem, rationalium animantium, an brutorum, nihil aliud voluit, quam insignem eius sexus stultitiam indicare. Quod si qua forte mulier sapiens haberi voluerit, ea nihil aliud egerit quam vt bis stulta sit, perinde quasi bouem aliquis ducat ad 1 ceroma, inuita reluctanteque, vt aiunt, Minerua. Conduplicat enim vitium, quisquis contra naturam virtutis fucum

1 Vnguentum quo vngebantur athletæ.

m inducit, atque alio deflectit ingenium. Quemadodum, iuxta Græcorum prouerbium, simia semper t simia, etiam si purpura vestiatur; Ita mulier sem- r mulier est, hoc est stulta, quamcunque personam duerit. Neque vero mulierum genus vsque adeo ultum arbitror, vt eam ob rem mihi succenseant, od illis & ipsa mulier, & stultitia stultitiam attri- am. Etenim si rem recta reputent via, hoc ipsum ıltitiæ debent acceptum ferre, quod sint viris mul- s calculis fortunatiores. Primum formæ gratiam, am illæ merito rebus omnibus anteponunt, cu- isque præsidio in tyrannos etiam ipsos tyrannidem ercent. Alioqui vnde nam horror ille formæ, spida cutis, & barbæ sylua, plane senile quiddam viro, nisi a prudentiæ vitio, cum fœminarum mper læues malæ, vox semper exilis, cutis mollila, quasi perpetuam quandam adolescentiam imintur? Deinde quid aliud optant in vita, quam vt ris quam maxime placeant? Nonne huc spectant tot ıltus, tot fuci, tot balnea, tot compturæ, tot vnguenta, t odores, tot componendi, pingendi, fingendi vul- s, oculos, & cutem, artes? Jam, num alio nomine vi- s magis commendatæ sunt, quam stultitiæ? Quid im est, quod illi mulieribus non permittunt? At o tandem auctoramento, nisi voluptatis? Deleant autem fœminæ non alia re, quam stultitia. Id se verum non ibit inficias, quisquis secum repurit, quas vir cum muliere dicat ineptias, quas a- ıt nugas, quoties fœminea voluptate decreuerit i.

Conuiuia iucunda facit Moria.

Habetis igitur primum & præcipuum vitæ oblectamentum, quo fonte proficiscatur. Sed sunt nonnulli, cum primis autem senes, bibaces quidem illi magis quam mulierosi, qui summam voluptatem in compotationibus constituunt. Equidem an sit vllum lautum conuiuium vbi mulier non adsit, viderint alii. Illud certe constat, citra stultitiæ condimentum, nullum omnino suaue esse. Adeo vt si desit, qui seu vera, seu simulata stultitia risum moueat, γελωτοποιὸν quempiam vel mercede conductum accersant, aut ridiculum aliquem parasitum adhibeant, qui ridendis, hoc est, stultis dicteriis, silentium ac tristitiam compotationis discutiat. Quorsum enim attinebat tot bellariis, tot lauticiis, tot cupediis onerare ventrem, nisi & oculi pariter & aures, nisi totus animus, risu, iocis, leporibus pasceretur? At istiusmodi tragematum ego sum architectrix vnica. Quanquam illa ipsa iam in conuiuiis solennia, regem sortiri talis, lusitare tesseris, 1 Philotesiis inuitare, certare 2 συμπεριφορᾶς, ad 3 Myrtum canere, saltare, gesticulari, non a septem Græciæ sophis, verum a nobis ad humani generis salutem reperta sunt. Atqui omnium huiusmodi rerum ea natura est, vt quo plus habebant stultitiæ, hoc plus conferant vitæ mortalium, quæ si tristis sit, nec vita quidem appellanda videatur. Tristis autem euadat oportet, nisi cognatum tædium, hoc genus oblectamentis absterseris.

Sede-

1 Est quod vocamus *bibere ad sanitatem.* 2 *Circumlationibus* poculoru m in orbem. 3 Cantaturus sertum ab eo, qui prior cecinerat accipiebat. Vid. Chiliad.

micitia
ie Stulti-
i non est.

Sed erunt fortassis, qui hoc quoque voluptatis genus negligant, & in amicorum charitate & consuetudine acquieant, amicitiam dictitantes vnam rebus omnibus nteponendam, quippe rem vsque adeo necessariam, : nec aër, nec ignis, nec aqua magis. Rursum a-:o iucundam, vt qui hanc de medio sustulerit, solem stulerit, adeo denique honestam, si quid tamen oc ad rem pertinet, vt nec ipsi Philosophi vereanir eam inter præcipua bona commemorare. Sed uid si doceo me huius quoque tanti boni & puppim se & proram? Docebo autem non 1 Crocodilitis, it Soritis, Ceratinis, aut aliis id genus dialecticoim argutiis, sed pingui, quod aiunt, Minerua, rem igito propemodum ostendam. Age, conniuere, bi, cæcutire, hallucinari in amicorum vitiis, quæam etiam insignia vitia pro virtutibus amare, mirique, an non stultitiæ videtur affine? Quid cum ius exosculatur næuum in amica, alium delectat olypus Agnæ, cum filium Strabonem appellat pem pater, quid, inquam, hoc est, nisi mera stultitia? lament terque quaterque stultitiam esse; atque hæc na *stultitia, & iungit, iunctos & seruat amicos.* e mortalibus loquor, quorum *nemo sine vitiis nastur*: ***optimus ille est, qui minimis vrgetur.*** Cum terim inter sapientes istos Deos, aut omnino non coale-

---

1 Genus est Sophismatis, quod Dialectici fingunt Crocolum proposuisse mulieri cuius filium rapuerat: Si dixeris, quit, quod sum facturus reddam tibi filium. Illa respon-;, non reddes; & petebat sibi reddi quia verum dixerat. io, inquit Crocodilus, si reddidero non dixeris verum. De rite & Cornuto argumento seu Dilemmate Vid. Logicos.

coaleſcit amicitia, aut tetrica quædam & inſuauis intercedit, nec ea niſi cum pauciſſimis, nam cum nullis dicere religio eſt, propterea quod maxima pars hominum deſipit, imo nullus eſt, qui non multis modis deliret, & non niſi inter ſimiles cohæret neceſſitudo. Quod ſi quando inter ſeueros iſtos coierit mutua beneuolentia, ea certe haud quaquam ſtabilis eſt, nec admodum duratura, nimirum inter moroſos & plus ſatis oculatos, vt qui in amicorum vitiis tam cernunt acutum, quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius. At ipſi in propriis vitiis quam lippiunt, & quam non vident manticam in tergo pendentem? Itaque cum ea ſit hominum natura, vt nullum ingenium reperiatur non magnis obnoxium vitiis: adde tantam animorum ac ſtudiorum diſſimilitudinem, tot lapſus, tot errata, tot caſus vitæ mortalis, quo pacto vel horam conſtabit inter Agros iſtos amicitiæ iucunditas, niſi acceſſerit ea, quam mire Græci 1 εὐήθειαν appellant, hanc ſeu ſtultitiam, ſeu morum facilitatem vertas licebit. Quid autem? an non Cupido ille omnis neceſſitudinis auctor & parens, prorſum oculis captus eſt, cui quemadmodum τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται, itidem inter vos quoque efficit, vt ſuum cuique pulchrum videatur, vt caſcus caſcam, perinde ut pupus pupam, deamet. Hæc paſſim & fiunt & ridentur, ſed tamen hæc ridicula iucundam vitæ glutinant copulantque ſocietatem.

Coniugium infelix absque ſtultitia. Porro quod de amicitia dictum eſt, id multo magis de coniugio ſentiendum, quod quidem nihil eſt aliud, quam

1 *Fatuitatem.*

am indiuidua vitæ coniunctio. Deum immorem, quæ non diuortia, aut etiam diuortiis detera passim acciderent, nisi viri fœminæque domeca consuetudo, per adulationem, per iocum, per ilitatem, errorem, dissimulationem, meum vti e satellitium, fulciretur, alereturque? Papæ, quam uca coirent matrimonia, si sponsus prudenter exireret, quos lusus delicata illa, sicuti videtur, ac dens virguncula iam multo ante nuptias luserit? am quanto pauciora cohærerent inita, nisi plurima orum facta per viri vel negligentiam, vel stupon laterent? Atque hæc quidem merito stultitiæ buuntur: verum ea interim præstat, vt marito cunda sit vxor, vxori iucundus maritus, vt tranilla domus, vt maneat affinitas. Ridetur, cucu-, curruca, & quid non vocatur, cum mœchæ larymas labellis exorbet. At quanto felicius, sic are, quam zelotypiæ diligentia cum sese conficetum omnia miscere tragœdiis?

lla societ- sine ltitia. In summa vsque adeo nulla vitæ coniunctio sine me vel iucunda, vel stabilis esse potest, vt nec populus princim, nec seruum herus, nec heram pedisequa, nec cipulam præceptor, nec amicus amicum, nec maum vxor, nec locator conductorem, nec contunalis contubernalem, nec conuictor conuictorem itius ferat, nisi vicissim inter sese nunc errent, nc adulentur, nunc prudentes conniueant, nunc quo stultitiæ melle sese delineant. Iam hæc scio leri maxima, sed audietis maiora.

Quæso

Nemo absque eadem sibi ipsi carus. Quæso num quemquam amabit, qui ipse semet oderit? Num cum alio concordabit, qui secum ipse dissidet? Num vlli voluptatem adferet, qui sibimet ipsi sit grauis ac molestus? Illud opinor nemo dixerit, nisi qui sit ipsa stultior stultitia. Atqui si me excluseris, adeo nemo poterit alterum ferre, vt ipse etiam sibi quisque puteat, sua cuique sordeant, sibi quisque sit inuisus. Quandoquidem id mali natura, non paucis in rebus noverca magis quam parens, mortalium ingeniis inseuit, præcipue paulo cordatiorum, vt sui quemque pœniteat, admiretur aliena. Quo fit vt omnes dotes, omnis elegantia decorque vitæ vitietur pereatque. Quid enim proderit forma, præcipuum deorum immortalium munus, si putiditatis vitio contaminetur? Quid iuuenta, si senilis tristitiæ fermento corrumpatur? Denique quid in omni vitæ munere vel tecum, vel apud alios acturus es cum decoro (est enim non artis modo, verum etiam omnis actionis caput, decere quod agas) nisi adsit dextra hæc Philautia, quæ mihi merito germanæ est vice? Adeo strenue meas vbique partes agit. Quid autem æque stultum, atque tibi ipsi placere? teipsum admirari? At rursum quid venustum, quid gratiosum, quid non indecorum erit, quod agas, ipse tibi displicens? Tolle hoc vitæ condimentum, & protinus frigebit cum sua actione orator, nulli placebit cum suis numeris musicus, explodetur cum sua gesticulatione histrio, ridebitur, vna suis cum Musis poëta, sordebit cum arte pictor, esuriet cum pharmacis medicus. Postremo pro

Nireo Therſites, pro 2 Phaone Neſtor, pro
inerva ſus, pro facundo infans, pro vrbano ruſti-
s videberis. In tantum neceſſe eſt, vt ſibi quo-
e quiſque blandiatur, & aſſentatiuncula quapiam
i prius commendetur, quam aliis poſſit eſſe com-
endatus. Denique cum præcipua felicitatis pars
, vt quod ſis, eſſe velis, nimirum totum hoc præ-
t compendio mea Philautia, vt neminem ſuæ ſor-
æ, neminem ſui ingenii, neminem generis, nemi-
m loci, neminem inſtituti, neminem patriæ pœ-
teat, adeo vt nec Hirlandus cum Italo, nec Thrax
m Athenienſi nec Scytha cum inſulis fortunna-
cupiat permutare. Et ô ſingularem naturæ
icitudinem, vt in tanta rerum varietate paria
it omnia! Ubi dotibus ſuis nonnihil detraxit,
i pluſculum Philautiæ ſolet addere, quanquam
c ipſum ſtulte profecto dixi, cum hæc ipſa dos
vel maxima. Vt ne dicam interim, nullum e-
egium facinus adiri, niſi meo impulſu, nullas e-
egias artes, niſi me auctore fuiſſe repertas. An
n omnium laudatorum facinorum ſeges ac fons eſt
llum?

llum ex titia um. Porro quid ſtultius, quam ob cau-
ſas, neſcio quas, certamen eiuſmodi ſu-
ſcipere, vnde pars vtraque ſemper plus
ert incommodi, quam boni? Nam eorum qui
unt, veluti Megarenſium, 3 οὐδεὶς λόγος. Dein
n iam vtrimque conſtitere ferratæ acies, & *rau-
ce*

Nireus pulcherrimus; Therſites turpiſſimus omnium ad Troiam venerunt. 2 Phaon beneficio Veneris e ſene enis factus; Neſtor ſenex trium ſæculorum. 3 *Nulla ra-* habetur. Prouerbium. Vid. Chiliad.

eo crepuerunt cornua cantu, quis oro ſapientum iſtorum vſus, qui ſtudiis exhauſti, vix tenui frigidoque ſanguine ſpiritum ducunt: craſſis ac pinguibus opus eſt, quibus quam plurimum adſit audaciæ, mentis quam minimum. Niſi ſi quis Demoſthenem militem malit, qui Archilochi ſequutus conſilium, vix conſpectis hoſtibus, abiecto clypeo fugit tam ignauus miles, quam orator ſapiens. Sed conſilium, inquiunt, in bellis plurimum habet momenti. Equidem fateor, in duce, verum id quidem militare, non philoſophicum, alioqui paraſitis, lenonibus, latronibus, ſicariis, agricolis, ſtupidis, obæratis, & huiusmodi mortalium fece res tam præclara geritur, non philoſophis lucernariis.

Philoſophos inutiles & pernicioſos eſſe Reip.

Qui quidem quam ſint ad omnem vitæ vſum inutiles, vel Socrates ipſe vnus Apollinis oraculo ſapiens, ſed minime ſapienter iudicatus, documento eſſe poteſt, qui neſcio quid publice conatus agere, ſummo cum omnium riſu diſceſſit. Quanquam vir is in hoc non vſquequaue deſipit, quod ſapientis cognomen non agnoſcit, atque ipſi DEO reſcribit, quodque cenſet ſapienti a Rep. tractanda abſtinendum eſſe, niſi quod potius monere debuerat, a ſapientia temperandum ei, qui velit in hominum haberi numero. Deinde quid eundem accuſatum ad cicutam bibendam adegit, niſi ſapientia? Nam dum nubes & ideas philoſophatur, dum pulicis pedes metitur, dum culicum vocem miratur, quæ ad vitam communem attinent, non didicit. Sed adeſt præceptori capite periclitanti diſcipulus Plato, egre-

gregius ſcilicet patronus, qui turbæ ſtrepitu offenſus, vix dimidiatam illam periodum pronunciare potuit. Jam quid dicam de Theophraſto? Qui progreſſus in concionem protinus obmutuit, perinde quaſi repente lupo conſpecto. Qui militem animaſſet in bello? Iſocrates ob ingenii timiditatem nec hiſcere vnquam eſt auſus. M. Tullius eloquentiæ Romanæ parens, ſemper indecora trepidatione, perinde quaſi puer ſingultiens exordiri conſueuit. Idque Fabius interpretatur cordati oratoris & periculum intelligentis argumentum. Verum cum hoc dicit, an non palam fatetur ſapientiam obſtare ad rem probe gerendam? Quid iſti facient, cum res ferro geritur, qui tum metu exanimatur, cum nudis verbis eſt decertandum? Et poſt hæc celebratur, ſi diis placet, præclara illa Platonis ſententia, beatas fore reſpublicas, ſi aut imperent philoſophi aut philoſophentur imperatores. Imo ſi conſules hiſtoricos, reperis nimirum nullos reipublicæ peſtilentiores fuiſſe principes, quam ſi quando in philoſophaſtrum aliquem aut literis addictum inciderit imperium. Cujus rei ſatis, opinor, faciunt fidem Catones: quorum alter inſanis delationibus Reipublicæ tranquillitatem vexauit, alter libertatem Populi Romani dum nimium ſapienter vindicat funditus ſubuertit. Adde his Brutos, Caſſios, Gracchos, ac Ciceronem etiam ipſum, qui non minus peſtilens fuit Romanorum Reipub. quam Demoſthenes Athenienſium. Porro M. Antonius, vt donemus bonum imperatorem fuiſſe (nam id ipſum extorquere poſſim) fuit enim hoc ipſo nomine grauis, atque

inuisus ciuibus, quod tam Philosophus esset. Sed tamen vt donemus fuisse bonum, at certe pestilentior fuit Reipublicæ tali relicto filio, quam fuerat sua administratione salutaris. Quandoquidem solet hoc hominum genus, qui se sapientiæ studio dediderunt, cum cæteris in rebus, tum præcipue in liberis propagandis infelicissimum esse, prouidente opinor natura, ne malum hoc sapientiæ inter mortales latius serpat. Itaque Ciceroni degenerem fuisse filium constat, & sapiens ille Socrates liberos habuit matri similiores quam patri, vt non omnino pessime scripsit quidam, id est, stultos.

Sapientes plerumque habent liberos stultos.

Ad omnia inepti sapientes.

Sed vtcunque ferendum, si tantum ad publica munia forent 1 ὄνοι πρὸς λύραν, nisi ad omnem prorsus vitæ functionem nihilo essent dexteriores. Ad conuiuium adhibe sapientem, aut tristi silentio, aut molestis quæstiunculis obturbabit. Ad choream aduoca, camelum saltare dices. Ad publicos ludos trahe, ipso vultu populi voluptatibus obstabit, & cogetur e theatro migrare sapiens Cato, quandoquidem supercilium non potest ponere. In colloquium inciderit, repente lupus in fabula. Si quid emendum, si contrahendum, breuiter si quid eorum agendum, sine quibus hæc quotidiana vita transigi non potest, stipitem dicas sapientem istum, non hominem. Usque adeo neque sibi neque patriæ, neque suis vsquam vsui esse potest, propterea quod communium rerum sit imperitus & a populari opinio-

ne,

1 *Asini ad lyram.* Prouerb. Hoc est inepti, inidonei.

ne, vulgaribusque institutis longe lateque discrepet. Qua quidem ex re odium quoque consequatur necessum est, nimirum ob tantam vitæ atque animorum dissimilitudinem. Quid enim omnino geritur inter mortales non stultitiæ plenum, idque a stultis, & apud stultos? Quod si quis vnus vniuersis velit obstrepere, huic ego suaserim, vt Timonem imitatus, in solitudinem aliquam demigret, atque ibi solus sua fruatur sapientia.

Stultitia Respublicas constituit. Verum vt ad id, quod institueram, reuertar, quæ vis saxeos, quernos, & agrestes illos homines in ciuitatem coëgit, nisi adulatio? Nihil enim aliud significat illa Amphionis & Orphei cithara. Quæ res plebem Romanam iam extrema molientem, in concordiam ciuitatis reuocauit? Num oratio philosophica? Minime. Imo ridiculus ac puerilis apologus de ventre, reliquisque corporis membris confictus. Idem valuit Themistoclis apologus consimilis de vulpe & erinacio. Quæ sapientis oratio tantundem potuisset, quantum commentitia illa cerua Sertorii potuit, quantum Laconis illius de duobus canibus, deque vellendis equinæ caudæ pilis ridendum modo dicti Sertorii commentum? Vt ne quid dicam de Minoë, deque Numa, quorum vterque fabulosis inuentis stultam multitudinem rexit. Huiusmodi nugis commouetur ingens ac potens illa bellua, populus.

Stultitia Respublica conseruatur. At rursum, quæ ciuitas vnquam Platonis, aut Aristotelis leges, aut Socratis dogmata recepit? Tum autem quæ res Deciis

 persua-

persuasit, vt vltro sese diis manibus deuouerent? Quid Q. Curtium in specum traxit, nisi inanis gloria, dulcissima quædam Siren, sed mirum quam a sapientibus istis damnata? Quid enim stultius, inquiunt, quam supplicem condidatum blandiri populo, congiariis fauorem emere, venari tot stultorum applausus, acclamationibus sibi placere, in triumpho veluti signum aliquod populo spectandum circumferri, æneum in foro stare? Adde his nominum & cognominum adoptiones. Adde diuinos honores homuncioni exhibitos, adde publicis ceremoniis in Deos relatos etiam sceleratissimos tyrannos. Stultissima sunt hæc, & ad quæ ridenda non vnus sufficiat Democritus. Quis negat? Atqui hoc fonte nata sunt fortium Heroum facinora, quæ tot eloquentium virorum literis in cœlum tolluntur. Hæc stultitia parit ciuitates, hac constant imperia, magistratus, religio, consilia, iudicia, nec aliud omnino est vita humana, quam stultitiæ lusus quidam.

Artium inuentrix stultitia. Iam vero vt de artibus dicam, quid tandem mortalium ingenia ad excogitandas prodendasque posteris, tot egregias, vt putant, disciplinas excitauit nisi gloriæ sitis? Tantis vigiliis, tantis sudoribus, famam nescio quam, qua nihil esse potest inanius, redimendam putarunt homines vere stultissimi, sed interim stultitiæ tot tam egregia vitæ commoda debetis, quodque est longe dulcissimum, aliena fruimini insania.

Stulti omnium prudentissimi. Ergo posteaquam mihi fortitudinis & industriæ laudem vindicaui, quid si prudentiæ quoque vindicem? Sed di-

xe-

xerit aliquis eadem opera ignem aquæ misceas, licebit. Verum hoc quoque successurum arbitror, si vos modo quod ante hæc fecistis, auribus atque animis fauebitis. Principio si rerum vsu constat prudentia, in vtrum magis competet eius cognominis honos, in sapientem, qui partim ob pudorem, partim ob animi timiditatem nihil aggreditur, an in stultum, quem neque pudor, quo vacat, neque periculum, quod non perpendit, ab vlla re deterret? Sapiens ad libros veterum confugit atque hinc meras vocum argutias ediscit. Stultus adeundis cominusque periclitandis rebus, veram (ni fallor) prudentiam colligit. Id quod vidisse videtur Homerus, etiamsi cæcus, cum ait 1 ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω. Sunt enim duo præcipua ad cognitionem rerum parandam obstacula, pudor qui fumum offundit animo, & metus, qui ostenso periculo, dehortatur ab adeundis facinoribus. At his magnifice liberat stultitia. Pauci mortales intelligunt ad quam multas alias quoque commoditates conducat, nunquam pudescere & nihil non audere. Quod si prudentiam accipere malunt eam, quæ rerum iudicio constat, audite obsecro quam procul absint ab hac, qui hoc nomine sese venditant. Principio constat res omnes humanas, velut Alcibiadis Silenos, binas habere facies minimum inter sese dissimiles. Adeo vt quod prima, vt aiunt, fronte mors est, si interius inspicias, vita sit: contra quod vita, mors: quod formosum, deforme: quod opulentum, id pauperrimum:

1 *Factum etiam stultus cognouit.*

persuasit, vt vltro sese diis manibus deuouerent? Quid Q. Curtium in specum traxit, nisi inanis gloria, dulcissima quædam Siren, sed mirum quam a sapientibus istis damnata? Quid enim stultius, inquiunt, quam supplicem condidatum blandiri populo, congiariis fauorem emere, venari tot stultorum applausus, acclamationibus sibi placere, in triumpho veluti signum aliquod populo spectandum circumferri, æneum in foro stare? Adde his nominum & cognominum adoptiones. Adde diuinos honores homuncioni exhibitos, adde publicis ceremoniis in Deos relatos etiam sceleratissimos tyrannos. Stultissima sunt hæc, & ad quæ ridenda non vnus sufficiat Democritus. Quis negat? Atqui hoc fonte nata sunt fortium Herorum facinora, quæ tot eloquentium virorum literis in cœlum tolluntur. Hæc stultitia parit ciuitates, hac constant imperia, magistratus, religio, consilia, iudicia, nec aliud omnino est vita humana, quam stultitiæ lusus quidam.

Artium inuentrix stultitia.

Iam vero vt de artibus dicam, quid tandem mortalium ingenia ad excogitandas prodendasque posteris, tot egregias, vt putant, disciplinas excitauit nisi gloriæ sitis? Tantis vigiliis, tantis sudoribus, famam nescio quam, qua nihil esse potest inanius, redimendam putarunt homines vere stultissimi, sed interim stultitiæ tot tam egregia vitæ commoda debetis, quodque est longe dulcissimum, aliena fruimini insania.

Stulti omnium prudentissimi.

Ergo posteaquam mihi fortitudinis & industriæ laudem vindicaui, quid si prudentiæ quoque vindicem? Sed dixe-

xerit aliquis eadem opera ignem aquæ misceas, licebit. Verum hoc quoque successurum arbitror, si vos modo quod ante hæc fecistis, auribus atque animis fauebitis. Principio si rerum vsu constat prudentia, in vtrum magis competet eius cognominis honos, in sapientem, qui partim ob pudorem, partim ob animi timiditatem nihil aggreditur, an in stultum, quem neque pudor, quo vacat, neque periculum, quod non perpendit, ab vlla re deterret? Sapiens ad libros veterum confugit atque hinc meras vocum argutias ediscit. Stultus adeundis cominusque periclitandis rebus, veram (ni fallor) prudentiam colligit. Id quod vidisse videtur Homerus, etiamsi cæcus, cum ait 1 ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω. Sunt enim duo præcipua ad cognitionem rerum parandam obstacula, pudor qui fumum offundit animo, & metus, qui ostenso periculo, dehortatur ab adeundis facinoribus. At his magnifice liberat stultitia. Pauci mortales intelligunt ad quam multas alias quoque commoditates conducat, nunquam pudescere & nihil non audere. Quod si prudentiam accipere malunt eam, quæ rerum iudicio constat, audite obsecro quam procul absint ab hac, qui hoc nomine sese venditant. Principio constat res omnes humanas, velut Alcibiadis Silenos, binas habere facies minimum inter sese dissimiles. Adeo vt quod prima, vt aiunt, fronte mors est, si interius inspicias, vita sit: contra quod vita, mors: quod formosum, deforme: quod opulentum, id pauperrimum:

1 *Factum etiam stultus cognouit.*

mum: quod infame, gloriosum: quod doctum, indoctum: quod robustum, imbecille: quod generosum, ignobile: quod lætum, triste: quod prosperum, aduersum: quod amicum, inimicum: quod salutare, noxium: breuiter omnia repente versa reperies, si Silenum aperueris. Id si cui forte nimis philosophice dictum videtur, age pinguiore, quemadmodum dici solet, Minerua planius faciam. Quis regem non & opulentum, & dominum fatetur? Atqui nullis animi bonis instructus est, atqui nihil illi satis est, iam videlicet pauperrimus est. Tum animum habet plurimis addictum vitiis, iam turpiter seruus est. Ad eundem modum in cæteris quoque philosophari licet. Sed hoc exempli vice posuisse satis sit. At quorsum hæc? inquiet aliquis: Audite quo rem deducamus. Si quis histrionibus in scena fabulam agentibus personas detrahere conetur, ac spectatoribus veras natiuasque facies ostendere, nonne is fabulam omnem peruerterit, dignusque habeatur, quem omnes e theatro velut lymphatum saxis eiiciant? Exorietur autem repente noua rerum species, vt qui modo mulier, nunc vir; qui modo iuuenis, mox senex: qui paulo ante Rex, subido Dama: qui modo Deus, repente homunculus appareat. Verum eum errorem tollere, est fabulam omnem perturbare. Illud ipsum figmentum & fucus est, quod spectatorum oculos detinet. Porro mortalium vita omnis quid aliud est, quam fabula quæpiam, in qua alii aliis obtecti personis procedunt aguntque suas quisque partes, donec choragus educat e proscenio? Qui sæpe tamen eundem diuerso cultu prodire iubet, vt qui modo regem

gem purpuratum egerat, nunc seruulum pannosum gerat. Adumbrata quidem omnia, sed hæc fabula non aliter agitur. Hic si mihi sapiens aliquis cœlo delapsus subito exoriatur, clamitetque hunc, quem omnes vt Deum ac dominum suspiciunt, nec hominem esse, quod pecudum ritu ducatur affectibus, seruum esse infimæ sortis quod tam multis, tamquæ fœdis dominis sponte seruiat. Rursum alium, qui parentem extinctum luget, ridere iubeat, quod iam demum ille viuere cœperit, cum alioqui vita hæc nihil aliud sit quam mors quædam. Porro alium stemmatis gloriantem, ignobilē ac nothum appellet, quod a virtute longe absit, quæ sola nobilitatis sit fons, atque ad eundem modum de cæteris omnibus loquatur, quæso quid is aliud egerit, nisi vt demens ac foriosus omnibus esse videatur? Vt nihil est stultius præpostera sapientia, ita peruersa prudentia nihil imprudentius. Siquidem peruerse facit, qui sese non accommodat rebus præsentibus, foroque nolit vti, nec saltem legis illius conuiualis meminerit, 1 ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι. Postuletque vt fabula iam non sit fabula. Contra, vere prudentis est, cum sis mortalis, nihil vltra sortem sapere velle, cumque vniuersa hominum multitudine vel conniuere libenter, vel comiter errare. At istud ipsum, inquiunt, stultitiæ est. Haud equidem inficias iuerim, modo fateantur illi vicissim hoc esse, vitæ fabulam agere.

Ad summam sapientiam non perueniri nisi per stultitiam.

Cæterum illud o Dii immortales, eloquar ne, an sileam? Cur autem sileam, cum sit vero verius? Sed præstite-

1 *Aut bibe, aut abi.*

stiterit fortassis in re tanta Musas ex Helicone accersere, quas poëtæ sæpius ob meras nugas aduocare solent. Adeste igitur paulisper Iouis filiæ, dum ostendo nec ad egregiam illam sapientiam ac felicitatis, vt ipsi vocant, arcem, aditum esse cuiquam, nisi stultitia duce. Iam primum illud in confesso est, affectus omnes ad stultitiam pertinere: quandoquidem hac nota a stulto sapientem discernunt, quod illum affectus, hunc ratio temperat: eoque Stoici perturbationes omnes ceu morbos a sapiente semouent: verum affectus isti non solum pædagogorum vice funguntur ad sapientiæ portum properantibus, verum etiam in omni virtutis functione, ceu calcaria stimulique quidam adesse solent, velut ad bene agendum exhortatores. Quamquam hic fortiter reclamat bis Stoicus Seneca, qui prorsum omnem affectum adimit sapienti. Verum cum id facit, iam ne hominem quidem relinquit, sed nouum potius Deum quendam 1 δημιουργεῖ, qui nusquam nec extitit vnquam, nec extabit: imo vt apertius dicam, marmoreum hominis simulacrum constituit, stupidum, & ab omni prorsus humano sensu alienum. Proinde si libet, ipsi suo sapiente fruantur, citraque riualem ament licet, cumque eo vel in ciuitate Platonis, vel si malint, in idearum regione, vel in Tantaliis inhabitent hortis. Quis enim non istiusmodi hominem ceu portentum ac spectrum fugitet horreatque, qui ad omnes naturæ sensus obsurduerit, qui nullis sit affectibus, nec amore, nec misericordia magis commoueatur, *quam si dura silex, aut stet Mar-*

1 *Creat.*

Marpesia cautes, quem nihil fugiat, qui nihil erret, sed ceu Lynceus quispiam nihil non perspiciat, nihil non ad amussim perpendat, nihil ignoscat, qui solus seipso sit contentus, solus diues, solus sanus, solus Rex, solus liber, breuiter omnia solus, sed suo solius iudicio, qui nullum moretur amicum, ipse amicus nemini, qui diis quoque ipsis non dubitet mandare laqueum, qui quicquid in omni vita geritur, velut insanum damnet, rideatque? Atqui huiusmodi animal est absolutus ille sapiens. Quæso, si res agatur suffragiis, quæ ciuitas istiusmodi magistratum sibi velit, aut quis exercitus talem optet ducem? imo quæ mulier id genus maritum, quis conuiuator eiusmodi conuiuam, quis seruus talibus moribus dominum vel optet, vel ferat? Quis autem non malit vel vnum quemuis de media stultissimorum hominum plebe, qui stultus stultis vel imperare possit, vel parere, qui sui similibus placeat, sed quam plurimis, qui comis sit in vxorem, iucundus amicis, bellus conuiua, conuictor facilis, postremo qui nihil humani a se alienum putet? Sed me quidem iam dudum istius sapientis piget. Quare ad reliqua commoda sese recipiat oratio.

Sola stultitia solatur homines in vita miseriis.

Agedum, si quis velut e sublimi specula circumspiciat, ita vt Iouem interdum poëtæ facere prædicant, quot calamitatibus hominum vita sit obnoxia, quam misera, quam sordida natiuitas, quam laboriosa educatio, quot iniuriis exposita pueritia, quot sudoribus adacta iuuentus, quam grauis senectus, quam dura

mortis neceſſitas, deinde in omni vita, quot morborum agmina infeſtent, quot immineant caſus, quot ingruant incommoda, quam nihil vſquam non plurimo ſelle tinctum, vt ne commemorem iſta, quæ homini ab homine inferuntur mala; quod genus ſunt, paupertas, carcer, infamia, pudor, tormenta, inſidiæ, proditio, conuitia, lites, fraudes? Sed ego iam plane 1 τὸν ἄμμον ἀναμετρεῖν aggredior. Porro quibus admiſſis iſta commeruerint homines, aut quis Deus iratus eos in has miſerias naſci coëgerit, non eſt mihi fas in præſentia proloqui. Verum iſta qui ſecum perpendat, nonne Mileſiarum virginum probabit exemplum, etiamſi miſerandum? At quinam potiſſimum ſibi vitæ tædio fatum accerſiuere? Nonne ſapientiæ confines? Inter quos, vt interim Diogenes, Xenocrates, Catones, Caſſios, ac Brutos ſileam, Chiron ille cum immortalem eſſe liceret, vltro mortem præoptauit. Videtis opinor, quid futurum ſit, ſi paſſim ſapiant homines: nempe altero luto, altero figulo Prometheo opus fore. Verum ego partim per ignorantiam, partim per incogitantiam, nonnunquam per obliuionem malorum, aliquando ſpem bonorum, aliquoties nonnihil mellis voluptatibus aſpergens, ita tantis in malis ſuccurro, vt ne tum quidem libeat vitam relinquere, cum exacto Parcarum ſtamine, ipſa iam dudum eos relinquit vita, quoque minus ſit cauſæ, cur in vita manere debeant, hoc magis iuuet viuere, tantum abeſt, vt vllo vitæ tædio tangantur. Mei nimirum muneris eſt, quod paſſim Neſtorea ſenecta ſenes videtis, quibus iam ne

1 *Arenam numerare.*

ne ſpecies quidem hominis ſupereſt, balbos, deliros, edentulos, canos, caluos, vel vt magis Ariſtophanicis eos deſcribam verbis, 1 ῥυπῶντας, κυφὸς, ἀθλίυς, ῥυτὺς, μαδῶντας, νωδὸς, ϗ, ψωλὸς, tamen vsque adeo vita delectari, adeoque 2 νεανίζειν, vt alius tingat canos, alius appoſititia coma caluitium diſſimulet, alius dentibus vtatur mutuo fortaſſis a ſue quopiam ſumptis, hic in puellam aliquam miſere depereat, & amatoriis ineptiis quemuis etiam ſuperet adoleſcentulum. Nam vt capulares iam, meraque ſilicernia, teneram aliquam iuuenculam ducant vxorem, eamque & indotatam, & aliis vſui futuram, id adeo frequens, vt propemodum & laudi detur. Sed multo etiam ſuauius, ſi quis animadvertat anus, longo iam ſenio mortuas, adeoque cadaueroſas, vt ab inferis rediſſe videri poſſint, tamen illud ſemper in ore habere 3 Φῶς ἀγαθὸν: adhuc catulire, atque, vt Græci dicere ſolent, 4 καπρῆν, & magna mercede conductum aliquem Phaonem inducere, fucis aſſidue vultum oblinere, nusquam a ſpeculo diſcedere, infimæ pubis ſyluam vellere, vietas ac putres oſtentare mammas, tremuloque gannitu languentem ſolicitare cupidinem, potitare, miſceri puellarum choris, literulas amatorias ſcribere. Ridentur hæc ab omnibus tanquam, vti ſunt, ſtultiſſima: at ipſæ ſibi placent, & in ſummis interim verſantur deliciis, totasque ſeſe melle perungunt, meo videlicet beneficio felices.

Porro

1 *Squalidos*, *incuruos*, *miſeros*, rugoſos, *calvos*, *edentulos*, *verpos*. 2 *Iuuenes agere*. 3 *Lumen bonum*. i. vita bona eſt. 4 *Hircorum more libidinari*.

Porro quibus hæc deridicula videntur, illud ſecum expendant velim, vtrum ſatius ducant huiuſmodi ſtultitia vitam plane melitam exigere an trabem, vt aiunt, ſuſpendio quærere. Porro quod hæc vulgo putantur infamiæ obnoxia, iſtud nihil ad ſtultos meos, qui malum hoc aut non ſentiunt, aut ſi quid ſentiunt, facile negligunt. Si ſaxum in caput incidat, id vere malum ſit. Cæterum pudor, infamia, probrum, maledicta, tantum adferunt noxæ, quantum ſentiuntur. Si ſenſus abſit; ne mala quidem ſunt. Quid lædit, ſi totus populus in te ſibilet, modo tute tibi plaudas? Atque vt id liceat, ſola ſtultitia præſtat.

Diſciplinas inutiles eſſe & noxias.

Sed mihi videor audire reclamantes philoſophos. Atqui hoc ipſum eſt, inquiunt, miſerum, ſtultitia teneri, errare, falli, ignorare. Imo hoc eſt hominem eſſe. Porro miſerum cur vocent, non video, quandoquidem ſic nati eſtis, ſic inſtituti, ſic conditi, ea eſt communis omnium ſors. Nihil autem miſerum, quod in ſuo genere conſtat, niſi forte quis hominem deplorandum exiſtimet, qui neque volare poſſit cum auibus, neque quaternis ingredi pedibus cum reliquo pecudum genere, neque cornibus ſit armatus quemadmodum tauri. Verum is eadem opera, equum etiam belliſſimum infelicem vocabit, quod neque grammaticam didicerit, neque placentis veſcatur, taurum miſerum, quod ad palæſtricam ſit inutilis. Igitur vt equus imperitus grammaticæ miſer non eſt, ita nec homo ſtultus infelix, propterea quod hæc cum illius natura cohærent. Verum rurſus vrgent Logodædali. Eſt, inquiunt, homini pecu-

culiariter addita disciplinarum cognitio, quarum adminiculis id, quod natura diminutum est, ingenio penset. Quasi vero vllam veri faciem habeat, naturam, quæ in culicibus, atque adeo in herbis ac flosculis tam sollicite vigilauerit, in vno homine dormitasse, vt disciplinis opus esset, quas 1 Theutus ille humano generi infensus genius, in summam perniciem excogitauit, adeo non vtiles ad felicitatem, vt illi quoque ipsi officiant, ad quod proprie repertæ dicuntur, vt eleganter arguit apud Platonem, rex ille prudentissimus de literarum inuento. Igitur disciplinæ cum reliquis humanæ vitæ pestibus irrepserunt, iisdem auctoribus, a quibus omnia flagitia proficiscuntur, puta dæmonibus, quibus hinc nomen etiam inuentum, quasi δαήμονας, hoc est, scientes appelles. Siquidem simplex illa aurei seculi gens, nullis armata disciplinis, solo naturæ ductu, instinctuque viuebat. Quorsum enim opus erat grammatica, cum eadem esset omnibus lingua, nec aliud sermone petebatur, nisi vt alius alium intelligeret? Quis vsus dialectices, vbi nulla erat pugnantium inter se sententiarum dimicatio? Quis Rhetoricæ locus, cum nullus alteri negocium facesseret? Quorsum requireretur legum prudentia, cum abessent mali mores, ex quibus haud dubie bonæ leges prognatæ sunt? Porro religiosiores erant quam vt impia curiositate, arcana naturæ, siderum mensuras, motus, effectus, abditas rerum causas scrutarentur, nefas esse rati, si homo mortalis, vltra sortem suam sapere conaretur. Iam quid extra cœlum esset, inquirendi dementia ne in

1 Deus Ægyptiorum.

in mentem quidem veniebat. At labente paulatim ætatis aureæ puritate, primum a malis, vt dixi, geniis inuentæ sunt artes, sed paucæ, atque hæ quidem a paucis receptæ. Postea sexcentas addidit Chaldæorum superstitio, & Græcorum ociosa leuitas, meras ingeniorum cruces adeo vt vel vna grammatica abunde satis sit ad perpetuam vitæ carnificinam.

Maxime in precio artes sunt minime sapientes.

Quanquam inter has ipsas disciplinas, hæc potissimum in precio sunt, quæ ad sensum communem, hoc est, ad stultitiam, quam proxime accedunt. Esuriunt Theologi, frigent Physici, ridentur Astrologi, negliguntur Dialectici. Solus 1 ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Atque in hoc ipso genere, quo quis indoctior, audacior, incogitantiorque, hoc pluris fit etiam apud torquatos istos principes. Atqui medicina, præsertim vt nunc a compluribus exercetur, nihil aliud est quam assentationis particula, non minus profecto quam Rhetorica. Secundum hos proximus datur locus Leguleiis, & haud scio an primus, quorum professionem, ne quid ipsa pronunciem, velut asininam philosophi magno consensu ridere solent. Sed tamen horum asinorum arbitrio maxima minimaque negocia transiguntur. His latifundia crescunt, cum Theologus interim excussis totius diuinitatis scriniis, lupinum arrodit, cum cimicibus ac pediculis assidue bellum gerens. Ut igitur feliciores sunt artes, quæ maiorem habent cum stultitia affinitatem, ita longe felicissimi sunt hi, quibus prorsus licuit ab omnium disciplinarum

1 *Medicus enim multis æquiualet aliis.*

rum commercio abstinere, solamque naturam ducem sequi, quæ nulla sui parte manca est, nisi forte mortalis sortis pomæria transilire velimus. Odit natura fucos, multoque felicius prouenit, quod nulla sit arte violatum.

Animalia ea felicissima quæ sunt a disciplinis alienissima.

Agedum, an non videtis ex vnoquoque reliquorum animantium genere ea felicissime degere, quæ sunt a disciplinis alienissima, nec vllius Magisterio nisi naturæ ducuntur? Quid apibus aut felicius, aut mirabilius? At his ne corporis quidem omnes sensus adsunt. Quid simile in extruendis ædificiis reperiat architectura? Quis vnquam philosophus similem instituit rempublicam? Rursum equus quoniam humanis sensibus affinis est, & in hominum contubernium demigrauit, humanarum item calamitatum est particeps. Quippe qui non raro dum vinci pudet in certaminibus, ducit ilia, & in bellis dum ambit triumphum, confoditur, simulque cum sessore terram ore momordit. Ut ne commemorem interim lupata frena, aculeata calcaria, stabuli carcerem, scuticas, fustes, vincula, sessorem, breuiter omnem illam seruitutis tragœdiam, cui se vltro addixit, dum fortes viros imitatus impensius hostem vlcisci studet. Quanto optabilior muscarum & auicularum vita, ex tempore soloque naturæ sensu degentium, modo per hominum insidias liceat? Quæ si quando caueis inclusæ assuescant humanas sonare linguas, mirum quam a natiuo illo nitore degenerent. Adeo modis omnibus lætius est, quod natura condidit, quam quod fucauit ars. Proinde nun-

nunquam ſatis laudarim Gallum illum Pythagoram, qui cum vnus omnia fuiſſet, philoſophus, vir, mulier, Rex, priuatus, piſcis, equus, rana, opinor etiam ſpongia, tamen nullum animal iudicauit calamitoſius homine, propterea quod cætera omnia naturæ finibus eſſent contenta, ſolus homo ſortis ſuæ limites egredi conaretur.

Stulti omnium feliciſſimi.

Rurſum inter homines, idiotas multis partibus anteponit doctis ac magnis. Et Gryllus ille non paulo plus ſapuit: quam 1 πολυμήτις ὀδυσσεὺς, qui maluerit in hara grunnire, quam cum illo tot miſeris obiici caſibus. Ab his mihi non diſſentire videtur Homerus, nugarum pater, qui cum mortales omnes ſubinde 2 δειλοὺς καὶ μοχθηροὺς appellat, tum Vlyſſem illum ſuum ſapientis exemplar ſæpe numero 3 δύςηνον vocat, Paridem nuſquam, nec Aiacem, nec Achillem. Quamobrem id tandem? Niſi quod ille vafer nihil non Palladis conſilio agebat, nimiumque ſapiebat, a naturæ ductu quam longiſſime recedens. Vt igitur inter mortales ii longiſſime abſunt a felicitate, qui ſapientiæ ſtudent, nimirum hoc ipſo bis ſtulti, quod homines nati cum ſint, tamen obliti conditionis ſuæ, deorum immortalium vitam affectant, & gigantum exemplo, diſciplinarum machinis, naturæ bellum inferunt, ita quam minime miſeri videntur ii, qui ad brutorum ingenium ſtultitiamque quam proxime accedunt, neque quicquam vltra hominem moliuntur. Age experiamur, num hoc quoque non Stoicis

1 *Multi conſilii Vlyſſes.* 2 *Miſeros & calamitoſos.* 3 *Grauiter ſuſpirantem.*

is enthymematis, sed crasso quopiam exemplo queanus ostendere. Ac per Deos immortales, estne uicquam felicius isto hominum genere, quos vulgo noriones, stultos, fatuos, ac bliteos appellant, pulherrimis, vt equidem opinor, cognominibus? lem dicam prima fronte stultam fortassis atque abırdam, sed tamen vnam multo verissimam. Principio vacant mortis metu, non mediocri per Iouem ıalo. Vacant conscientiæ carnificina. Non territantur manium fabulamentis. Non expauescunt pectris ac lemuribus, non torquentur metu impenentium malorum, non spe futurorum bonorum disenduntur. In summa non dilacerantur millibus urarum, quibus hæc vita obnoxia est. Non puescunt, non verentur, non ambiunt, non inuident, on amant. Denique si propius etiam ad brutorum nimantium insipientiam accesserint, ne peccant quiem auctoribus Theologis. Hic mihi iam expenas velim stultissime sapiens, quot vndique solicituinibus noctes diesque discrucietur animus tuus, ongeras in vnum aceruum vniuersa vitæ tuæ incommoda, atque ita demum intelliges, quantis mas meos fatuos subduxerim. Adde huc, quod non olum ipsi perpetuo gaudent, ludunt, cantillant, rient, verum etiam cæteris omnibus quocunque sese etterint, voluptatem, iocum, lusum, risumque fferunt, velut in hoc ipsum a deorum indulgentia ati, vt humanæ vitæ tristitiam exhilararent. Vne fit, vt cum aliis in alios varius sit affectus, hos mnes ex æquo tanquam suos agnoscant, expetant, ascant, foueant, complectantur, succurrant, si quid

acciderit: impune permittant, quicquid vel dixerint, vel fecerint. Adeoque nemo illis nocere cupit, vt feræ quoque belluæ ab illorum iniuria temperent, sensu quodam innocentiæ naturali. Sunt enim vere sacri diis, præcipue mihi, ideoque non iniuria hunc honorem omnes illis habent.

Principibus gratiores moriones sapientibus.

Quid, quod summis etiam regibus adeo sunt in deliciis, vt nonnulli sine his neque prandere, nec ingredi, nec omnino vel horam durare possint. Neque vero paulo interuallo hos bliteos suis illis tetricis sophis anteponunt: quos tamen ipsos aliquot honoris gratia solent alere. Cur autem anteponant, nec obscurum arbitror, nec mirum videri debet, cum sapientes illi nil nisi triste soleant adferre principibus, suaque doctrina freti, non vereantur aliquoties auriculas teneras mordaci radere vero; Moriones autem id præstent, quod vnum vndecunque principes modis omnibus aucupantur, iocos, risus, cachinnos, delicias. Iam accipite & hanc non aspernandam stultorum dotem, quod soli simplices ac veridici sunt. Quid autem veritate laudatius? Quanquam enim Alcibiadem apud Platonem prouerbium, veritatem vino pueritiæque tribuit, tamen omnis ea laus mihi peculiariter debetur, vel Euripide teste, cuius extat illud celebre de nobis dictum 1 μωρὰ γὰρ μωρὸς λέγει. Fatuus quicquid habet in pectore, id & vultu præ se fert, & oratione promit. At sapientum sunt duæ illæ linguæ, vt idem meminit Euripides, quarum altera verum dicunt, altera, quæ pro tempore

1 *Stulta enim stultus dicit.*

e iudicarint oportuna. Horum est nigrum in :andida vertere, & eodem ex ore frigidum pariter & calidum efflare, longeque aliud conditum habere n pectore, aliud sermone fingere. Porro in tanta elicitate, tamen hoc nomine principes mihi videnur infelicissimi, quod deest, a quo verum audiant, & ssentatores pro amicis habere coguntur. Sed abiorrent a vero principum aures, dixerit aliquis, & iac ipsa de causa sapientes istos fugitant, quod verentur, ne quis forte liberior existat, qui vera magis juam iucunda loqui audeat. Ita quidem res habet. nuisa regibus veritas. Sed tamen hoc ipsum mire n fatuis meis vsu venit, vt non vera modo, verum tiam aperta conuitia cum voluptate audiantur, adeo t idem dictum, quod si a sapientis ore proficiscatur, apitale fuerat futurum: a morione profectum, inredibilem voluptatem pariat. Habet enim genuiiam quandam delectandi vim veritas, si nihil accedat juod offendat; verum id quidem solis fatuis dii delerunt. Iisdem ferme de causis hoc hominum geiere mulieres gaudere solent impensius, vtpote ad 'oluptatem & nugas natura propensiores. Proinle quicquid cum huiusmodi factitarint, etiamsi nonnunquam serium nimis, illæ tamen iocum ac lusum nterpretantur, vt est ingeniosus, præsertim ad prætexenda commissa sua, sexus ille.

)um fatui ælices, miserimi sapienes.

Igitur vt ad fatuorum felicitatem redeam, multa cum iucunditate peracta vita, nullo mortis vel metu, vel sensu, recta in campos Elysios demigrant, & illic pias atque ociosas animas lusibus suis delectaturi.

Eamus nunc, & quemuis etiam sapientem cum huius morionis sorte conferamus. Finge iam mihi quod huic opponas exemplar sapientiæ, hominem qui totam pueritiam atque adolescentiam in perdiscendis disciplinis contriuerit, & suauissimam vitæ partem, perpetuis vigiliis, curis, sudoribus perdiderit, ne in reliqua quidem omni vita vel tantillum voluptatis degustarit, semper parcus, pauper, tristis, tetricus, sibi ipsi iniquus ac durus, aliis grauis & inuisus, pallore, macie, valetudine, lippitudine confectus, senio canicieque multo ante diem contracta, ante diem fugiens e vita. Quanquam quid refert quando moriatur istiusmodi, qui nunquam vixerit? Habetis egregiam illam sapientis imaginem.

Refelluntur Stoici & distinguitur duplex insania.

At hic rursus obganniunt mihi 1 οἱ ἐκ τῆς ϛοᾶς βάτραχοι. Nihil, inquiunt, miserius insania, sed insignis stultitia, vel insaniæ proxima est, vel ipsa potius insania. Quid enim aliud insanire, quam errare animo? Sed isti tota errant via. Age hunc quoque syllogismum dissipemus, Musis bene fortunantibus. Argute quidem isti, verum quemadmodum apud Platonem docet Socrates, ex vna Venere secta duas, ex vno Cupidine dissecto duos faciens: itidem & istos dialecticos decebat insaniam ab insania distinguere, si modo ipsi sani videri vellent. Neque enim protinus omnis insania calamitosa est. Alioqui non dixisset Horatius:

An me ludit amabilis insania.

Neque Plato poëtarum, vatum & amantium furorem inter

1 *Ranæ ex Patria*, i. Stoici.

inter præcipua vitæ bona collocasset: Nec vates ille laborem Æneæ vocasset insanum Verum est duplex insaniæ genus: alterum quod ab inferis diræ vltrices submittunt, quoties immissis anguibus, vel ardorem belli, vel inexplebilem auri sitim, vel dedecorosum ac nefarium amorem, vel parricidium, incestum, sacrilegium, aut aliam id genus pestem aliquam in pectora mortalium invehunt, siue cum nocentem & conscium animum furiis ac terriculorum facibus agunt. Est alterum huic longe dissimile, quod videlicet a me proficiscitur, omnium maxime exoptandum. Id accidit quoties iucundus quidam mentis error, simul & anxiis illis curis animum liberat, & multiiuga voluptate delibutum reddit. Atqui hunc mentis errorem ceu magnum quoddam deorum munus, ad Atticum scribens, optat Cicero, nimirum quo tantorum malorum sensu carere posset. Neque perperam sensit Argiuus ille, qui hactenus insaniebat, vt totos dies solus desideret in theatro, ridens, plaudens, gaudens, quod crederet illic miras agi tragœdias, cum nihil omnino ageretur, cum in cæteris vitæ officiis probe sese gereret, iucundus amicis, comis in vxorem, *posset qui ignoscere seruis, Et signo læsa non insanire lagena.* Hunc vbi cognatorum opera datis pharmacis morbo leuasset, sibique iam totus esset redditus, hunc in modum cum amicis expostulans: *Pol, me occidistis amici, Non seruastis, ait, cui sic extorta voluptas, Et demptus per vim mentis gratissimus error.* Et merito quidem: errabant enim ipsi, atque elleboro magis opus habebant, qui tam felicem ac iucundam insaniam, ceu malum ali-

quod, existimarent potionibns expellendam. Quanquam illud equidem nondum statui, num quiuis sensus, aut mentis error, insaniæ nomine sit appellandus. Neque enim si cui lippienti mulus asinus esse videatur: aut si quis indoctum carmen veluti doctissimum admiretur, is continuo videbitur insanire: Verum si quis non sensu tantum, sed animi iudicio fallatur, idque præter vsitatum morem ac perpetuo, is demum insaniæ censebitur affinis esse, veluti si quis quoties asinum audierit rudentem, arbitretur sese miros symphoniscos audire, aut si quis pauperculus infimo loco natus, Crœsum Lydorum regem esse se credat. Sed hoc insaniæ genus, si, quemadmodum fere fit, vergat ad voluptatem, non mediocrem delectationem adfert, tum iis qui eo tenentur, tum illis, quibus est hoc animaduersum, nec tamen eodem insaniunt. Nam hæc insaniæ species multo latius patet, quam vulgus hominum intelligit. Sed vicissim insanus insanum ridet, ac mutuam sibi voluptatem inuicem ministrant. Neque raro fieri videbitis, vt maior insanus, vehementius rideat minorem.

Amabile insaniæ genus.

Verum hoc quisque felicior, quo pluribus desipit modis, Stultitia iudice, modo in eo genere insaniæ maneat, quod nobis est peculiare, quod quidem vsque adeo late patet, vt haud sciam, an ex vniuersa mortalium summa quempiam liceat reperire qui omnibus horis sapiat, quique non aliquo insaniæ genere teneatur. Quanquam hoc tantum interest, qui cucurbitam cum videt, mulierem esse credit, huic insano nomen ponunt,

unt, propterea quia perpaucis id vsu veni-
:. Verum vbi quis vxorem suam, quam cum
nultis habet communem, plusquam Penelopem esse
eierat, sibique maiorem in modum plaudit, feliciter
rrans, hunc nullus insanum appellant, propterea
uod passim maritis hoc accidere videant. Ad hunc
rdinem pertinent & isti, qui præ venatu ferarum
mnia contemnunt, atque incredibilem animi vo-
uptatem percipere se prædicant, quoties fœdum il-
um cornuum cantum audierint, quoties canum eiu-
itus. Opinor etiam cum excrementa canum odo-
antur, illis cinnamomum videri. Deinde quæ
uauitas, quoties fera lanianda est? Tauros & verue-
es humili plebi laniare licet, feram nisi a generoso
ecari nefas. Is nudo capite, inflexis genibus, gla-
lio ad id destinato, neque enim quouis idem facere
as est, certis gestibus, certa membra, certo ordine
eligiose secat. Miratur interim perinde vt in re no-
ua sacraque, circumstans tacita turba, quamuis spe-
ctaculum hoc plus millies viderit. Porro cui con-
igerit e bellua nonnihil gustare, is vero existimat
sibi non parum nobilitatis accedere. Itaque cum
isti assidua ferarum insectatione atque esu, nihil ali-
ud assequantur, nisi vt ipsi propemodum in feras de-
generent, tamen interea regiam vitam agere se pu-
tant. Et his simillimum genus eorum, qui insatia-
bili ædificandi studio flagrant, nunc rotunda qua-
dratis, nunc quadrata rotundis permutantes. Neque
vero finis vllus, neque modus, donec ad extremam
redactis inopiam, nec vbi habitent, nec quid edant,
superfit. Quid tum postea? Interim annos aliquot

summa cum voluptate peregerunt. Ad quos mihi quidem proxime videntur accedere, qui nouis & arcanis artibus, rerum species vertere moliuntur, ac terra marique quintam quandam essentiam venantur. Hos adeo lactat mellita spes, vt neque laborum, neque impensarum vnquam pigeat, miroque ingenio semper aliquid excogitant, quo sese denuo fallant, sibique ipsi gratam faciant imposturam, donec absumptis omnibus, non sit quo iam fornaculam instruant. Non desinunt tamen iucunda somniare somnia, cæteros pro viribus ad eandem felicitatem animantes. Cumque iam prorsus omni spe destituuntur, superest tamen vna sententia, abunde magnum solatium, in magnis & voluisse sat est. Ac tum vitæ breuitatem incusant, vt quæ magnitudini negocii non suffecerit. Porro aleatores nonnihil addubito, num in nostrum collegium sint admittendi. Sed tamen stultum omnino ridiculumque spectaculum est, quoties videmus nonnullos vsque adeo addictos, vt simul atque strepitum tesserarum audierint, protinus illis cor saliat, palpitetque. Deinde cum semper illiciente vincendi spe, omnium facultatum naufragium fecerint, in aleæ scopulum illisa naue, non paulo formidabiliorem 1 Malea, vixque nudi emerserint, quosuis potius fraudant quam victorem, ne scilicet viri parum graues habeantur. Quid cum senes iam & cæcutientes, vitreis etiam oculis lusitant? Postremo cum iam iusta chiragra contudit articulos, vicarium etiam mercede conducunt, qui pro se talos in pyrgum

1 Prouerbialis loquutio. Malea fuit promontorium Laconiæ præternauigantibus periculosissimum.

;um mittat? Suauis quidem res, nisi quod hic lu-lus plerumque solet in rabiem euadere, iamque ad iurias, non ad me pertinere.

Stulta su-perstitio. Cæterum illud hominum genus haud dubie totum est nostræ farinæ, qui miraculis c prodigiosis gaudent mendaciis, vel audiendis vel narrandis, nec vlla satietas talium fabularum, cum portentosa quædam; de spectris, de lemuribus, de laruis, de inferis, de id genus millibus miraculorum commemorantur: quæ quo longius absunt a vero, hoc & creduntur lubentius, & iucundiore pruritu titillant aures. Atque hæc quidem non modo ad leuandum horarum tædium mire conducunt, verum etiam ad quæstum pertinent, præcipue sacrificis & concionatoribus. His rursum adines sunt ii, qui sibi stultam quidem, sed tamen iucundam persuasionem induerunt, futurum, vt si ligneum, aut pictum aliquem Polyphemum Christophorum aspexerint, eo die non sint perituri, aut qui sculptam Barbaram præscriptis verbis salutarit, sit incolumis e prælio rediturus, aut si quis Erasmum certis diebus, certis cereolis, certisque preculis conuenerit, breui sit diues euasurus. Iam vero Georgium etiam Herculem inuenerunt, quemadmodum & Hyppolitum alterum. Huius equum phaleris c bullis religiosissime adornatum tantum non adorant, ac subinde nouo quopiam munusculo demerentur, per huius æream galeam deierare, plane regium habetur. Nam quid dicam de iis, qui sibi fictis scelerum condonationibus, suauissime blandiuntur, ac purgatorii spacia veluti clepsydris metiuntur, secu-

la, annos, menses, dies, horas, tanquam e tabula Mathematica, citra vllum errorem dimetientes. Aut de iis, qui magis quibusdam notulis ac preculis, quas pius aliquis impostor, vel animi causa, vel ad quæstum excogitauit, freti nihil sibi non pollicentur, opes, honores, voluptates, saturitates, valetudinem perpetuo prosperam, vitam longæuam, senectam viridem, denique proximum Christo apud superos consessum, quem tamen nolint, nisi admodum sero contingere, hoc est, cum huius vitæ voluptates inuitos eos ac mordicus retinentes, tamen deseruerint, tum succedant illæ cœlitum deliciæ. Hic mihi puta negociator aliquis, aut miles, aut iudex, obiecto ex tot rapinis vnico nummulo, vniuersam vitæ Lernam semel expurgatam putat, totque periuria, tot libidines, tot ebrietates, ac rixas, tot cædes, tot imposturas, tot perfidias, tot proditiones existimat velut ex pacto redimi, & ita redimi, vt iam liceat ad nouum scelerum orbem de integro reuerti. Quid autem stultius iis, imo quid felicius, qui septem illis sacrorum psalmorum versiculis quotidie recitatis, plusquam summam felicitatem sibi promittunt? Atque hos magicos versiculos dæmon quispiam, facetus quidem ille, sed futilis magis quam callidus, Diuo Bernardo creditur indicasse, sed arte circumuentus miser. Et hæc tam stulta, vt me ipsam propemodum pudeat, tamen approbantur, idque non a vulgo modo, verum etiam a religionis professoribus. Quid iam? nonne eodem fere pertinet, cum singulæ regiones suum aliquem peculiarem vindicant diuum: cumque in singulos singula quædam partiuntur, singulis suos

ſuos quosdam culturæ ritus attribuunt, vt hic in dentium cruciatu ſuccurrat, ille parturientibus dexter adſit, alius rem furto ſublatam reſtituat: hic in naufragio proſper affulgeat, ille gregem tueatur: atque item de cæteris. Nam omnia percenſere longiſſimum fuerit. Sunt qui ſinguli pluribus in rebus valeant, præcipue Deipara virgo, cui vulgus hominum plus prope tribuit, quam filio.

Templorum donaria ſtultitiæ argumenta.

Verum ab his diuis quid tandem petunt homines, niſi quod ad ſtultitiam attinet? Agedum inter tot anathemata, quibus templorum quorundam parietes omnes, ac teſtudinem ipſam refertam conſpicitis, vidiſtiſne vnquam qui ſtultitiam effugerit, qui vel pilo ſit factus ſapientior? Alius enatauit incolumis. Alius ab hoſte perfoſſus vixit. Alius e prælio, pugnantibus cæteris, non minus feliciter quam fortiter aufugit. Alius in crucem ſubactus, fauore diui cuiuſpiam, furibus amici, decidit vt nonnullos etiam male diuitiis onuſtos pergeret exonerare. Alius perfracto carcere fugit. Alius irato medico a febre reualuit. Alii potum venenum aluo ſoluta, remedio non exitio fuit, idque non admodum læta vxore, quæ operam & impenſam luſerit. Alius euerſo plauſtro, equos incolumes domum abegit. Alius oppreſſus ruina vixit. Alius a marito deprehenſus eluſit. Nullus pro depulſa ſtultitia gratias agit. Adeo ſuauis quædam res eſt nihil ſapere, vt omnia potius deprecentur mortales, quam Moriam. Sed quid ego hoc ſuperſtitionum pelagus ingredior?

Non

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omneis fatuorum euoluere formas,
Omnia stultitiæ percurrere nomina possim,

Vsque adeo omnis omnium Christianorum vita istiusmodi delirationibus vndique scatet: quas ipsas tamen sacrifici non grauatim & admittunt & alunt, non ignari quantum hinc lucelli soleat accrescere. Inter hæc, si quis odiosus sapiens exoriatur, succinatque id, quod res est, non male peribis, si bene vixeris: peccata redimis, si nummulo addideris odium malefactorum, tum lachrimas, vigilias, precationes, ieiunia, ac totam vitæ rationem commutaris. Diuus hic tibi fauebit, si vitam illius æmulaberis. Hæc, inquam, atque id genus alia, si sapiens ille obganniat, vide a quanta felicitate repente mortalium animos in quem tumultum retraxerit? Ad hoc collegium pertinent, qui viui qua funeris pompa velint efferri, tam diligenter statuunt, vt nominatim etiam præscribant, quod tædas, quot pullatos, quot cantores, quot luctus histriones velint adesse, perinde quasi futurum sit, vt aliquis huius spectaculi sensus ad ipsos sit rediturus, aut vt pudescant defuncti, nisi cadauer magnifice defodiatur; haud alio studio, quam si ædiles creati, ludos aut epulum edere studeant.

Alterius generis stultitia, Nobilium, Doctorum, &c.

Equidem tametsi propero, tamen haud possum istos silentio prætercurrere, qui cum nihil ab infimo cerdone differant, tamen inani nobilitatis titulo mirum quam sibi blandiuntur. Alius ad Æneam, alius ad Brutum, alius ad Arcturum genus

nus suum refert. Ostendunt vndique sculptas & pictas maiorum imagines. Numerant proavos atque atauos, & antiqua cognomina commemorant, cum ipsi non multum absint a muta statua, pene iis ipsis, quæ ostentant signis, deteriores. Et tamen hac tam suaui Philautia felicem prorsus vitam agunt. Neque desunt æque stulti, qui hoc beluarum genus, perinde vt Deos suspiciunt. Sed quid ego de vno aut altero genere loquor, quasi vero non passim hæc Philautia plurimos vbique miris modis felicissimos efficiat? cum hic quauis simia deformior, sibi plane Nireus videtur. Alius simul atque treis lineas circino duxerit, prorsum Euclidem sese putat. Hic ὄνος πρὸς λύραν, & quo deterius nec ille sonat, quo mordetur gallina marito, tamen alterum Hermogenem esse se credit. Est autem illud longe suauissimum insaniæ genus, quo nonnulli quicquid vlli suorum dotis adest, eo non aliter atque suo gloriantur. Qualis erat ille bis beatus apud Senecam diues, qui narraturus historiolam quampiam, seruos ad manum habebat, qui nomina suggererent, non dubitaturus vel in pugilum certamen descendere, homo alioqui adeo imbecillus, vt vix viueret, hac re fretus, quod multos haberet domi seruos egregie robustos. Porro de artium professoribus, quid attinet commemorare? quando peculiaris est horum omnium Philautia: adeo vt reperias citius, qui velit agello paterno, quam ingenio cedere, verum præcipue histrionum, cantorum, oratorum, ac poëtarum, quorum quo quisque est indoctior, hoc sibi placet insolentius, hoc sese magis iactat, ac dilatat. Et inueni-

ueniunt similes labra lactucas, imo quo quicquam est ineptius, hoc plures admiratores nancifcitur, vt pessima quæque semper plurimis arrident, propterea quod maxima pars hominum, vt diximus, Stultitiæ obnoxia est. Proinde si quis est imperitior, & sibi ipsi multo iucundior est, & pluribus admirationi, quid est quod is veram eruditionem malit, primum magno constaturam, deinde reddituram & putridiorem & timidiorem, postremo multo paucioribus placituram?

Singulis Gentibus sua Philautia ac stultitia.

Iam vero video naturam, vt singulis mortalibus suam, ita singulis nationibus ac pene ciuitatibus communem quandam inseuisse Philautiam: Atque hinc fieri, vt Britanni præter alia, formam, musicam, & lautas mensas proprie sibi vindicent: Scoti, nobilitate & regiæ affinitatis titulo, neque non dialecticis argutiis sibi blandiantur; Galli morum ciuilitatem sibi sumant: Parisienses, Theologicæ scientiæ laudem, omnibus prope submotis, sibi peculiariter arrogent: Itali bonas literas & eloquentiam asserant, atque hoc nomine sibi suauissime blandiantur omnes, quod soli mortalium barbari non sint. Quo quidem in genere felicitatis, Romani primas tenent, ac veterem illam Romam adhuc iucundissime somniant. Veneti nobilitatis opinione sunt felices. Græci tanquam disciplinarum auctores, veteribus illis laudatorum heroum titulis sese venditant. Turcæ, totaque illa vere barbarorum colluuies etiam religionis laudem sibi vindicat, Christianos perinde vti superstitiosos irridens. Ac multo etiam suauius Iudæi

etiam

etiam dum Messiam suum constanter expectant, ac Mosen suum hodieque mordicus tenent. Hispani bellicam gloriam nulli concedunt: Germani corporum proceritate, & magiæ cognitione sibi placent.

Adulatio res saluberrima. Ac ne singula persequar, videtis opinor, quantum vbique voluptatis pariat singulis & vniuersis mortalibus Philautia, cui prope par est Assentatio soror. Nihil enim aliud Philautia, quam cum quis ipse sibi palpatur. Idem si alteri facias: κολακία fuerit. At hodie res quædam infamis est adulatio, sed apud eos, qui rerum vocabulis magis, quam rebus ipsis commouentur. Existimant cum adulatione fidem male cohærere: quod multo secus sese habere, vel brutorum animantium exemplis poterant admoneri. Quid enim cane adulantius? at rursum quid fidelius? Quid sciuro blandius? at hoc quid est homini magis amicum? Nisi forte vel asperi leones, vel immites tigres, vel irritabiles pardi magis ad vitam hominum conducere videntur. Quanquam est omnino perniciosa quædam adulatio, quam nonnulli perfidiosi & irrisores, miseros in perniciem adigunt. Verum hæc mea ab ingenii benignitate, candoreque quodam proficiscitur, multoque virtuti vicinior est, quam ea quæ huic opponitur, asperitas, ac morositas inconcinna, vt ait Horatius, grauisque. Hæc deiectiores animos erigit, demulcet tristes, extimulat languentes, expergefacit stupidos, ægrotos leuat, feroces mollit, amores conciliatos retinet. Pueritiam ad capessenda studia literarum allicit, senes exhilarat, principes citra offensam

sub

sub imagine laudis, & admonet & docet. In summa, facit vt quisque sibi ipse sit iucundior & charior, quæ quidem felicitatis pars est vel præcipua. Quid autem officiosius, quam cum mutuum muli scabunt; Vt ne dicam interim hanc esse magnam illius laudatæ eloquentiæ partem, maiorem medicinæ, maximam poeticæ. Denique esse totius humanæ consuetudinis mel & condimentum.

Opinione pascuntur homines præsertim in sacris.

Sed falli, inquiunt, miserum est, imo non falli miserrimum. Nimium enim desipiunt, qui in rebus ipsis felicitatem hominis sitam esse existimant. Ex opinionibus ea pendet. Nam rerum humanarum tanta est obscuritas, varietasque, vt nihil dilucide sciri possit, quemadmodum recte dictum est ab Academicis meis, inter philosophos quam minimum insolentibus. Aut si quid sciri potest, id non raro officit etiam vitæ iucunditati. Postremo sic sculptus est hominis animus, vt longe magis fucis, quam veris capiatur, cuius rei si quis experimentum expositum & obuium quærat, conciones ac templa petat, in quibus si quid serium narratur, dormitant, & oscitant, nauseant omnes. Quod si clamator ille, (lapsa sum, declamator dicere volebam,) ita vt sæpe faciunt, anilem aliquam fabellam exordiatur, expergiscuntur: inhiant omnes. Item si quis sit diuus fabulosior & poeticus, quod si exemplum requiris, finge huius generis Georgium aut Christophorum, aut Barbaram, videbitis hunc longe religiosius coli, quam Petrum, aut Paulum, aut ipsum etiam Christum. Verum hæc non huius sunt loci.

Iam

Iam quanto minoris constat hæc felicitatis accessio? Quandoquidem res ipsas aliquoties magno negotio pares oportet, vel leuissimas, vti grammaticen. At opinio facillime sumitur, quæ tamen tantundem aut amplius etiam ad felicitatem conducat. Age si quis putribus vescatur salsamentis, quorum alius nec odorem ferre possit, & tamen huic ambrosiam sapiant, quæso quid interest ad felicitatem? Contra si acipenser alicui nauseam sapiat, quid referet ad vitæ beatitudinem? Si cui sit vxor egregie deformis, quæ tamen marito, vel cum ipsa Venere certare posse videatur, nonne perinde fuerit, ac si vere formosa foret? Si quis tabulam minio lutoque male oblitam, suspectet, ac demiretur, persuasum habens, Apellis aut Zeusidis esse picturam, nonne felicior etiam fuerit eo, qui eorum artificum manum magno emerit, fortassis minus ex eo spectaculo voluptatis percepturus? Noui ego quendam mei nominis, qui nouæ nuptæ gemmas aliquot adulterinas dono dedit, persuadens, vt erat facundus nugator, eas non modo veras ac natiuas esse, verum etiam singulari atque inæstimabili precio. Quæso, quid intererat puellæ: cum viro non minus iucunde pasceret & oculos, & animum, nugas perinde vt eximium aliquem thesaurum conditas apud sese seruaret? Maritus interim & sumptum effugiebat, & vxoris errore fruebatur, nec eam tamen sibi minus habebat deuinctam, quam si magno empta donasset. Num quid interesse censetis inter eos, qui in 1 specu illo Platonico variarum

1 Vid. Platon. Reip. Lib. VII.

rum rerum vmbras & simulacra demirantur: modo nihil desiderent, neque minus sibi placeant: & sapientem illum, qui specum egressus, veras res aspicit. Quod si Mycillo Lucianico diues illud & aureum somnium perpetuo somniare licuisset, nihil erat cur aliam optaret felicitatem. Aut nihil igitur interest, aut si quid interest, potior etiam stultorum conditio. Primum quod iis sua felicitas minimo constat, id est, sola persuasiuncula. Deinde, quod ea fruuntur cum plurimis communiter.

Stultitia omnes homines curis liberat, & felices facit.

Porro nullius boni iucunda sine socio possessio. Quis enim nescit quanta sapientum paucitas, si modo quisquam inueniatur? quanquam ex tot seculis Græci septem omnino numerant, quos mehercle, si quis accuratius excutiat, dispeream si vel semisapientem inueniet, imo si vel trientem viri sapientis. Proinde cum inter multas Bacchi laudes, illud habeatur, vt est primarium, quod animi curas eluat, idque ad exiguum modo tempus: nam simul atque villum edormieris, protinus albis, vt aiunt, quadrigis recurrunt animi molestiæ: quanto meum beneficium cum plenius, tum præsentius, quæ perpetua quadam ebrietate, mentem gaudiis, deliciis, tripudiis, expleo, idque nullo negocio? Neque quemquam omnino mortalem mei muneris expertem esse sino, cum reliquæ numinum dotes aliæ ad alios perueniant: Non vbiuis pascitur generosum & lene merum, quod curas abigat, quod cum spe diuite manet. Paucis contigit formæ gratia, Veneris munus, paucioribus eloquentia, Mercurii donum.

Non

Non ita multis obtigerunt opes, dextro Hercule. Imperium non cuiuis concedit Iupiter Homericus. Sæpenumero Mauors neutris fauet copiis. Complures ab Apollinis tripode tristes discedunt. Sæpe fulminat Saturnus. Phœbus aliquando iaculis pestem immittit. Neptunus plures extinguit quam seruat. Vt interim Væioues istos, Plutones, Atas, Pœnas, Febres, atque id genus, non Deos, sed carnifices non commemorem. Ego sum vna illa stultitia, quæ omnes ex æquo tam parata beneficentia complector.

Benignissima Dearum Stultitia ab omnibus vere culta.

Nec vota moror, nec irascor, exposcens piamina, si quid cæremoniarum fuerit prætermissum. Nec cœlum terræ misceo, si quis reliquis inuitatis diis, me domi relinquat, nec admittat ad nidorem illum victimarum. Nam cæterorum deorum tanta in his est morositas, vt prope maius sit operæ pretium, atque adeo tutius, illos negligere quam colere. Quemadmodum sunt & homines nonnulli, tam difficiles, & ad lædendum irritabiles, vt præstiterit eos prorsum alienissimos habere, quam familiares. At nemo, inquiunt, stultitiæ sacrificat, neque templum statuit. Equidem demiror, vt dixi, nonnihil hanc ingratitudinem. Verum hoc quoque pro mea facilitate boni consulo, quanquam ne hæc quidem desiderare possim. Quid enim est cur tusculum aut molam, aut hircum, aut suem requiram, cum mihi mortales omnes vbique gentium eum cultum persoluant, qui vel a Theologis maxime probari solet? Nisi forte Dianæ debeam inuidere, quod

illi humano sanguine litatur. Ego me tum religiosissime coli puto, cum passim, vt faciunt omnes, animo complectuntur, moribus exprimunt, vita repræsentant. Qui quidem diuorum cultus, nec apud Christianos admodum frequens est. Quanta turba eorum, qui Deiparæ virgini cereolum affigunt, idque in meridie, cum nihil est opus? Rursum quam pauci qui eandem vitæ castimonia, modestia, cœlestium rerum amore studeant æmulari? Nam is demum verus est cultus, longeque cœlitibus gratissimus. Præterea cur templum desiderem, cum orbis hic vniuersus templum mihi sit, ni fallor, pulcherrimum? Neque vero desunt mystæ, nisi vbi desunt homines. Nec iam vsque adeo stulta sum, vt saxeas ac coloribus fucatas imagines requiram, quæ cultui nostro nonnunquam officiunt, cum a stupidis & pinguibus istis signa pro diuis ipsis adorantur. Nobis interim vsu venit, quod solet iis, qui a vicariis suis extruduntur. Mihi tot statuas erectas puto, quot sunt mortales, viuam mei imaginem præ se ferentes, etiam si nolint. Iaque nihil est quod reliquis diis inuideam, si aliis in angulis terrarum alii colantur, idque statis diebus; quemadmodum Rhodi Phœbus, in Cypro Venus, Argis Iuno, Athenis Minerua, in Olympo Iupiter, Tarenti Neptunus, Lampsaci Priapus, modo mihi communiter orbis omnis longe potiores victimas assidue præbeat.

Communis hominum vita plena Stultitia.

Atqui si cui videor hæc audacius quam verius dicere, agedum paulisper ipsas hominum vitas inspiciamus, quo palam fiat, & quantum mihi debeant, & quanti me

faciant

faciant maximi pariter ac minimi. At non quorumlibet vitam recensebimus, nam id quidem perlongum, verum insignium tantum, vnde reliquos facile sit æstimare. Quid enim attinet de vulgo, plebeculáque commemorare, quæ citra controuersiam tota mea est? tot enim vndique stultitiæ formis abundat, tot indies nouas comminiscitur, vt nec mille Democriti ad tantos risus suffecerint: quanquam illis ipsis Democritis rursum alio Democrito foret opus. Quin etiam incredibile est dictu, quos risus, quos ludos, quas dilitias homunculi quotidie præbeant superis. Nam hi quidem horas illas sobrias, & antemeridianas iurgiosis consultationibus, ac votis audiendis impertiunt. Cæterum vbi iam nectare madent, neque lubet quicquam serium agere, tum qua parte cœlum quam maxime prominet, ibi consident ac pronis frontibus, quid agitent homines, speculantur. Nec est aliud spectaculum illis suauius. Deum immortalem, quod theatrum est illud! Nam ipsa nonnunquam in deorum poëticorum ordinibus considere soleo. Hic deperit in mulierculam, & quominus adamatur, hoc amat impotentius. Ille dotem ducit, non vxorem. Ille sponsam suam prostituit. Alius zelotypus velut Argus obseruat. Hic in luctu, papæ! quam stulta dicit facitque! conductis etiam velut histrionibus, qui luctus fabulam peragant. Ille flet ad nouercæ tumulum. Hic quidquid vndecunque potest corradere, id totum ventriculo donat, paulo post fortiter esuriturus. Hic somno & ocio nihil putat felicius. Sunt qui alienis obeundis negociis sedulo tumultuantur, sua negligunt. Est

qui versuris, atque ære alieno diuitem se esse putat, mox decocturus. Alius nihil arbitratur felicius, quam si ipse pauper hæredem locupletet. Hic ob exiguum, idque incertum lucellum, per omnia maria volitat, vndis ac ventis vitam committens, nulla pecunia reparabilem. Ille mauult bello diuitias quærere, quam tutum ocium exigere domi. Sunt qui captandis orbis senibus, putant quam commodissime ad opes perueniri. Neque desunt, qui idem malint deamandis beatis aniculis aucupare. Quorum vtrique tum demum egregiam de se voluptatem diis spectatoribus præbent, cum ab ipsis, quos captant, arte deluduntur. Est omnium stultissimum ac sordidissimum negotiatorum genus, quippe qui rem omnium sordidissimam tractent, idque sordidissimis rationibus, qui cum passim mentiantur, peierent, furentur, fraudent, imponant, tamen omnium primos sese faciunt, propterea quod digitos habeant auro reuinctos. Nec desunt adulatores fraterculi, qui mirentur istos, ac venerabiles palam appellent, nimirum, vt ad ipsos aliqua male partorum portiuncula redeat. Alibi videas Pythagoricos quosdam, quibus vsque adeo omnia videntur esse communia, vt quicquid vsquam incustoditum nacti fuerint, id velut hæreditate obuenerit, æquo animo tollant. Sunt qui votis tantum diuites sunt, & iucunda quædam sibi fingunt somnia, idque ad felicitatem satis esse putant. Nonnulli foris diuites haberi gaudent domi gnauiter esuriunt. Hic festinat quicquid habet profundere, ille per fas nefasque congerit. Hic canditatus ambit populares honores, ille ad focum semet

ſemet oblectat. Bona pars lites nunquam finiendas agitat, & hinc certatim contendunt, vt prorogatorem iudicem & colluſorem ditent aduocatum. Hic rebus nouandis ſtudet, ille magnum quiddam molitur. Eſt qui Hieroſolymam, Romam, aut diuum Iacobum adeat, vbi nihil eſt illi negocii, domi relictis cum vxore liberis. In ſumma, ſi mortalium innumerabiles tumultus e luna, quemadmodum Menippus olim, deſpicias, putes te muſcarum, aut culicum videre turbam inter ſe rixantium, bellantium, inſidiantium, rapientium, ludentium, laſciuientium, naſcentium, cadentium, morientium. Neque ſatis credi poteſt, quos motus, quas tragœdias ciat tantulum animalculum, tamque mox periturum. Nam aliquoties vel leuis belli, ſeu peſtilentiæ procella multa ſimul millia rapit ac diſſipat.

Docti quam ſtulti & præſertim Grammatici.

Sed ipſa ſtultiſſima ſim, planeque digna, quam multis cachinnis rideat Democritus, ſi pergam popularium ſtultitiarum, & inſaniarum formas numerare. Ad eos accingar, qui ſapientiæ ſpeciem inter mortales tenent, & aureum illum ramum, vt aiunt, aucupantur, inter quos Grammatici primas tenent, genus hominum profecto, quo nihil calamitoſius, nihil afflictius, nihil æque diis inuiſum foret, niſi ego miſerrimæ profeſſionis incommoda dulci quodam inſaniæ genere mitigarem. Neque enim πέντε κατάραις, id eſt, quinque tantum diris obnoxii ſunt iſti, quemadmodum indicat epigramma Græcum, verum ſexcentis, vt qui ſemper famelici, ſordidique in ludis illis ſuis, in ludis dixi, imo in

qui versuris, atque ære alieno diuitem se esse putat, mox decocturus. Alius nihil arbitratur felicius, quam si ipse pauper hæredem locupletet. Hic ob exiguum, idque incertum lucellum, per omnia maria volitat, vndis ac ventis vitam committens, nulla pecunia reparabilem. Ille mauult bello diuitias quærere, quam tutum ocium exigere domi. Sunt qui captandis orbis senibus, putant quam commodissime ad opes perueniri. Neque desunt, qui idem malint deamandis beatis aniculis aucupare. Quorum vtrique tum demum egregiam de se voluptatem diis spectatoribus præbent, cum ab ipsis, quos captant, arte deluduntur. Est omnium stultissimum ac sordidissimum negotiatorum genus, quippe qui rem omnium sordidissimam tractent, idque sordidissimis rationibus, qui cum passim mentiantur, peierent, furentur, fraudent, imponant, tamen omnium primos sese faciunt, propterea quod digitos habeant auro reuinctos. Nec desunt adulatores fraterculi, qui mirentur istos, ac venerabiles palam appellent, nimirum, vt ad ipsos aliqua male partorum portiuncula redeat. Alibi videas Pythagoricos quosdam, quibus vsque adeo omnia videntur esse communia, vt quicquid vsquam incustoditum nacti fuerint, id velut hæreditate obuenerit, æquo animo tollant. Sunt qui votis tantum diuites sunt, & iucunda quædam sibi fingunt somnia, idque ad felicitatem satis esse putant. Nonnulli foris diuites haberi gaudent domi gnauiter esuriunt. Hic festinat quicquid habet profundere, ille per fas nefasque congerit. Hic candidatus ambit populares honores, ille ad focum

semet

ſemet oblectat. Bona pars lites nunquam finiendas agitat, & hinc certatim contendunt, vt prorogatorem iudicem & colluſorem ditent aduocatum. Hic rebus nouandis ſtudet, ille magnum quiddam molitur. Eſt qui Hieroſolymam, Romam, aut diuum Iacobum adeat, vbi nihil eſt illi negocii, domi relictis cum vxore liberis. In ſumma, ſi mortalium innumerabiles tumultus e luna, quemadmodum Menippus olim, deſpicias, putes te muſcarum, aut culicum videre turbam inter ſe rixantium, bellantium, inſidiantium, rapientium, ludentium, laſciuientium, naſcentium, cadentium, morientium. Neque ſatis credi poteſt, quos motus, quas tragœdias ciat tantulum animalculum, tamque mox periturum. Nam aliquoties vel leuis belli, ſeu peſtilentiæ procella multa ſimul millia rapit ac diſſipat.

Docti quam ſtulti & preſertim Grammatici.

Sed ipſa ſtultiſſima ſim, planeque digna, quam multis cachinnis rideat Democritus, ſi pergam popularium ſtultitiarum, & inſaniarum formas numerare. Ad eos accingar, qui ſapientiæ ſpeciem inter mortales tenent, & aureum illum ramum, vt aiunt, aucupantur, inter quos Grammatici primas tenent, genus hominum profecto, quo nihil calamitoſius, nihil afflictius, nihil æque diis inuiſum foret, niſi ego miſerrimæ profeſſionis incommoda dulci quodam inſaniæ genere mitigarem. Neque enim πέντε κατάραις, id eſt, quinque tantum diris obnoxii ſunt iſti, quemadmodum indicat epigramma Græcum, verum ſexcentis, vt qui ſemper famelici, ſordidique in ludis illis ſuis, in ludis dixi, imo in

1 φροντιστηρίοις, vel pistrinis potius, ac carnificinis inter puerorum greges, consenescant laboribus, obsurdescant clamoribus, fœtore pædoreque contabescant, tamen meo beneficio fit, vt sibi primi mortalium esse videantur. Adeo sibi placent, dum pauidam turbam minaci vultu voceque territant, dum ferulis, virgis, lorisque conscindunt miseros, dumque modis omnibus suo arbitratu sæuiunt, asinum illum Cumanum imitantes. Interim sordes illæ, meræ mundiciæ videntur, pædor amaricinum olet, miserrima illa seruitus regnum esse putatur, adeo vt tyrannidem suam nolint cum Phalaridis aut Dionysii imperio commutare. Sed longe etiam feliciores sunt, noua quadam doctrinæ persuasione. Siquidem cum plerique mera deliramenta pueris inculcent, tamen dii boni! quem non illi Palæmonem, quem non Donatum pro se contemnunt? idque nescio quibus præstigiis mire efficiunt, vt stultis materculis & idiotis patribus tales videantur, quales ipsi se faciunt. Iam adde & hoc voluptatis genus, quoties istorum aliquis Anchisæ matrem, aut voculam vulgo incognitam, in putri quapiã charta deprehenderit, puta bubsequam, bouinatorem, aut manticulatorem, aut si quis vetusti saxi fragmentum, mutilis notatum literis, alicubi effoderit, o Iupiter! quæ tum exultatio, qui triumphi, quæ encomia, perinde quasi vel Africam deuicerint, vel Babylona ceperint. Quid autem cum frigidissimos & insulsissimos versiculos suos passim ostentant, neque desunt qui mirentur, iam plane Maronis animam in suum pectus demigrasse

1 *Sollicitudinis locis.*

grasse credunt. At nihil omnium suauius quam cum ipsi inter sese mutua talione laudant ac mirantur, vicissimque scabunt. Quod si quis alius verbulo lapsus sit, idque forte fortuna hic oculatior deprehenderit, 1 Ἡράκλεις! quæ protinus tragœdiæ, quæ digladiationes, quæ conuicia, quæ inuectiuæ! Male propitios habeam omnes Grammaticos, si quid mentior. Noui quendam πολυτεχνότατον, Græcum, Latinum, Mathematicum, Philosophum, Medicum, 2 καὶ ταῦτα βασιλικὸν, iam sexagenarium, qui cæteris rebus omissis, annis plus viginti se torquet ac discrutiat in Grammatica, prorsus felicem se fore ratus, si tam diu liceat viuere, donec certo statuat, quomodo distinguendæ sint octo partes orationis, quod hactenus nemo Græcorum aut Latinorum ad plenum præstare valuit. Perinde quasi res sit bello quoque vindicanda, si quis coniunctionem faciat dictionem ad aduerbiorum ius pertinentem. Et hac gratia, cum totidem sint grammaticæ quot grammatici, imo plures: quandoquidem Aldus meus vnus, plus quinquies grammaticam dedit, hic nullam omnino quantumuis barbare aut moleste scriptam prætermittit, quam non euoluat, excutiatque, nemini non inuidens, si quid quantumlibet inepte moliatur in hoc genere, misere timens, ne quis forte gloriam hanc præripiat, & pereant tot annorum labores. Vtrum insaniam hanc vocare mauultis, an stultitiam? Nam mea quidem haud magni refert, modo fateamini meo beneficio fieri, vt animal omnium alioqui longe miserrimum, eo felicitatis euehatur, vt sortem

1 *O Hercles.* 2 *Et regis felicitatem æquantem.*

fortem suam neque cum Persarum regibus cupiat permutare.

Poëtæ, Rhetores, scriptores omnes stulti, ideoque felices.

Minus mihi debent Poëtæ, tametsi vel ex professo meæ sunt factionis, quippe liberum genus, vt habet prouerbium, quorum omne studium non alio pertinet, quam ad demulcendas stultorum aures, idque meris nugamentis, ac ridiculis fabulis. Et tamen his freti dictu mirum, vt cum sibi polliceantur immortalitatem, & diis parem vitam; tum aliis eandem promittant. Hinc ordini præ cæteris familiares 1 φιλαυτία κ̀ κολακεία, nec ab vllo mortalium genere color neque simplicius, neque constantius. Porro Rhetores, quamquam nonnihil illi quidem præuaricantur, colluduntque cum Philosophis, tamen hos quoque nostræ factionis esse, cum alia multa, tum illud in primis arguit, quod præter alias nugas, tam accurate, tam multa de iocandi ratione conscripserunt. Atque adeo stultitiam ipsam inter facetiarum species numerat, quisquis is fuit, qui ad Herennium dicendi artem conscripsit: Quodque apud Quintilianum, huius ordinis longe principem, caput est de risu vel Iliade prolixius: tantum denique stultitiæ tribuunt, vt sæpenumero quod nullis argumentis dilui possit, risu tamen eludatur. Nisi si quis hoc arbitretur ad stultitiam non pertinere, ridiculis dictis excitare cahinnos, idque arte. Huius farinæ sunt & isti, qui libris edendis famam immortalem aucupantur.

1 *Amor sui ipsius & adulatio.*

tur. Hic cum omnes mihi plurimum debent, tum præcipue qui meras nugas chartis illinunt. Nam qui erudite ad paucorum doctorum iudicium scribunt, quique nec Persium, nec Lælium iudicem recusant, mihi quidem miserandi magis, quam beati videntur, vt qui sese perpetuo torqueant. Addunt, mutant, adimunt, reponunt, repetunt, recondunt, ostendunt, nonum in annum premunt, nec vnquam sibi satisfaciunt, ac futile præmium, nempe laudem, eamque perpaucorum, tanti emunt, tot vigiliis, somnique rerum omnium dulcissimi tanta iactura, tot sudoribus, tot crucibus. Adde nunc valetudinis dispendium, formæ perniciem, lippitudinem, aut etiam cæcitatem, paupertatem, inuidiam, voluptatum abstinentiam, senectutem præproperam, mortem præmaturam, & si qua sunt alia eiusmodi. Tantis malis sapiens ille redimendum existimat, vt ab vno aut altero lippo probetur. At meus ille scriptor, quanto delirat felicius, dum nulla lucubratione, verum vtcunque visum est animo, quicquid in calamum incidit, leui duntaxat chartarum iactura, non ignarus futurum, vt quo nugaciores nugas scripserit, hoc a pluribus, id est, stultis & indoctis omnibus probetur. Quid enim est negocii, tres illos doctos, si tamen ea legerint, contemnere? Aut quid valebit, tam paucorum sapientium calculus in tam immensa reclamantium turba? Sed magis etiam sapiunt, qui aliena pro suis edunt, & alieno magnoque partam labore gloriam, verbis in se transmouent, hoc videlicet freti, quod arbitrentur futurum, vt etiam si maxime coarguantur, plagii, tamen aliquanti temporis vsu-

vſuram ſint interim lucrifacturi. Videre eſt operæ precium, quam hi ſibi placeant, cum vulgo laudantur, cum digito oſtenduntur in turba, 1 *οὗτός ἐστιν ὁ δεινὸς ἐκεῖνος*, cum apud bibliopolas proſtant, cum in omnium paginarum frontibus leguntur tria nomina, præſertim peregrina, ac magicis illis ſimilia. Quæ, per Deum immortalem! quid aliud ſunt quam nomina? Deinde quam a paucis cognoſcenda, ſi mundi vaſtitatem reſpicias: tum a quanto paucioribus laudanda, vt ſunt etiam indoctorum diuerſa palata. Quid? quod ea ipſa nomina non raro confinguntur, aut e priſcorum libris adoptantur. Cum alius ſeſe Telemachum, alius Stelenum aut Laërtem: hic Polycratem, ille Traſymachum ſeſe nominari gaudet, vt nihil iam referat, etiam ſi chamæleonti aut cucurbitæ, ſiue, quemadmodum ſolent philoſophi loqui, alpha aut beta librum inſcribas. Illud autem lepidiſſimum, cum mutuis epiſtolis, carminibus, encomiis ſeſe viciſſim laudant, ſtulti ſtultos, indoctos indocti. Hic illius ſuffragio diſcedit Alcæus, ille huius Callimachus, ille huic eſt M. Tullio ſuperior, hic illi Platone doctior. Nonnunquam etiam antagoniſtam quærunt, cuius æmulatione famam augeant. Hinc *ſcinditur incertum ſtudia in contraria vulgus*, donec vterque dux re bene geſta victor diſcedit, vterque triumphum agit. Rident hæc ſapientes, vt, veluti ſunt, ſtultiſſima. Quis enim negat? Sed interim meo beneficio ſuauem vitam agunt, ne cum Scipionibus quidem ſuos triumphos commutaturi. Quamquam docti quoque interim

1 *Hic eſt admirandus ille.*

-rim dum hæc magna cum animi voluptate rident, & aliena fruuntur insania, non paulum mihi debent, & ipsi, quod inficiari non possunt, nisi sint omnium ingratissimi.

Iurisconsulti & Dialectici stulti. Inter eruditos Iurisconsulti sibi vel primum vindicant locum, neque quisquam alius æque sibi placet, dum Sisyphi saxum assidue voluunt, ac sexcentas leges eodem spiritu contexunt, nihil refert quam ad rem pertinentes, dumque glossematis glossemata, opiniones opinionibus cumulantes, efficiunt vt stultum illud omnium difficillimum esse videatur. Quicquid enim laboriosum, idem protinus & præclarum existimant. Adiungamus his dialecticos ac sophistas, hominum genus quouis ære Dodonæo loquacius, vt quorum vnusquiuis cum vicenis delectis mulieribus garrulitate decertare possit, feliciores tamen futuri, si tantum linguaces essent non etiam rixosi, adeo vt de lana caprina pertinacissime digladientur, & nimium altercando plerumque veritatem amittant. Hos tamen sua philautia beatos reddit, dum tribus instructi syllogismis, incunctanter audent quauis de re cum quouis manum conserere. Cæterum pertinacia reddit inuictos, etiamsi Stentorem opponas.

Philosophi, Mathematici stulti. Sub hos prodeunt philosophi, barba pallioque verendi, qui se solos sapere prædicant, reliquos omnes mortales, vmbras volitare. Quam vero suauiter delirant, cum innumerabiles ædificant mundos, dum solem, dum lunam, stellas, orbes, tanquam pollice filoue me-

metiuntur, dum fulminum, ventorum, eclipsium ac cæterarum inexplicabilium rerum causas reddunt, nihil vsquam hæsitantes, perinde quasi naturæ rerum architectrici fuerint a secretis, quasive e deorum consilio nobis aduenerint: quos interim natura cum suis coniecturis magnifice ridet. Nam nihil apud illos esse comperti, vel illud satis magnum est argumentum, quod singulis de rebus inexplicabilis inter ipsos est digladiatio. Ii cum nihil omnino sciant, tamen omnia se scire profitentur: cumque seipsos ignorent, neque fossam aliquoties, aut saxum obuium videant, vel quia lippiunt plerique, vel quia peregrinantur animi, tamen ideas, vniuersalia, formas separatas, primas materias, quidditates, ecceitates, formalitates, instantia videre se prædicant, res adeo tenues, vt neque Lynceus, opinor, possit perspicere. Tum vero præcipue prophanum vulgus aspernantur, quoties triquetris, & tetragonis circulis, atque huiusmodi picturis mathematicis, aliis super alias inductis, & in labyrinthi speciem confusis, præterea literis velut in acie dispositis ac subinde alio atque alio repetitis ordine, tenebras offundunt imperitioribus. Neque desunt ex hoc genere qui futura quoque prædicant consultis astris, ac miracula plus quam magica polliceantur, & inueniuntur homines fortunati, quibus hæc quoque credant.

Theologi stulti. Porro Theologos silentio transire fortasse præstiterit, 1 καὶ ταύτην καμαρίναν μὴ κινεῖν, nec hanc 2 Anagyrim tangere, vtpote genus ho-

1 *Hanc Camarinam non mouere.* Prouerbium de iis quæ non sine periculo tractari possunt Vid. Chiliad. 2 Est frutex odore admodum graui. Prouerb.

ominum mire ſuperciliosum atque irritabile, ne orte turmatim ſexcentis concluſionibus adoriantur, & ad palinodiam adigant, quod ſi recuſem, protinus hæreticam clamitent. Nam illico ſolent hoc terrere fulmine; ſi cui ſunt parum propitii. Sane quanquam non alii ſunt, qui minus libenter agnoſcant meam in ſe beneficentiam, tamen hi quoque non mediocribus nominibus obſtricti ſunt, dum felices ſua Philautia perinde quaſi ipſi tertium incolant cœlum, ita reliquos mortales omnes, vt humi reptantes pecudes e ſublimi deſpiciunt, ac prope commiſerantur, dum tanto magiſtralium definitionum, concluſionum, corollariorum, propoſitionum explicitarum & implicitarum agmine ſepti ſunt, tot exuberant 1 κρησφυγέτοις, vt nec Vulcaniis vinculis ſic poſſint irretiri, quin elabantur diſtinctionibus, quibus nodos omneis adeo facile ſecant, vt non Tenedia bipennis melius: tot nuper excogitatis vocabulis, ac prodigioſis vocibus ſcatent. Præterea dum arcana myſteria ſuo explicant arbitratu, qua ratione conditus ac digeſtus ſit mundus. Per quos canales labes illa peccati in poſteritatem deriuata ſit: quibus modis, qua menſura, quantulo tempore in virginis vtero ſit abſolutus Chriſtus: quemadmodum in ſynaxi accidentia ſubſiſtant ſine domicilio. Sed hæc protrita. Illa demum magnis, & illuminatis, vt vocant, Theologis digna putant, ad hæc ſi quando incidunt, expergiſcuntur. Num quod inſtans in generatione diuina? Num plures in Chriſto filiationes? Num poſ-

1 *Subterfugiis.*

possibilis propositio: Pater Deus odit filium? Num Deus potuerit supposita re mulierem, num diabolum, num asinum, num cucurbitam, num silicem? Tum quemadmodum cucurbita fuerit concionatura, editura miracula, figenda cruci? Et quid consecrasset Petrus, si consecrasset eo tempore, quo corpus Christi pendebat in cruce? Et num eodem tempore Christus homo dici potuerit: Et num post resurrectionem edere aut bibere fas sit futurum, iam nunc famem sitimque præcauentes? Sunt innumerabiles 1 λεπτολεσχίαι, his quoque multo subtiliores, de notionibus, relationibus, instantibus: de formalitatibus, de quidditatibus ecceitatibus, quas nemo possit oculis assequi nisi tam Lynceus, vt ea quoque per altissimas tenebras videat, quæ nusquam sunt. Adde nunc his 2 γνώμας illas adeo παραδόξους, vt illa Stoicorum oracula, quæ paradoxa vocant, crassissima præ his videantur, & circumforanea, velut leuius esse crimen, homines mille iugulare, quam semel in die dominico calceum pauperi consuere. Et potius esse committendum, vt vniuersus orbis pereat vna cum victu & vestitu, quod aiunt, suo, quam vnicum quantumlibet leue mendaciolum dicere. Iam has subtilissimas subtilitates subtiliores etiam reddunt tot scholasticorum viæ, vt citius e Labyrinthis temet explices, quam ex inuolucris Realium, Nominalium, Thomistarum, Albertistarum, Occanistarum, Scotistarum, & nondum omnes dixi sectas, sed præcipuas duntaxat. In quibus omnibus tantum est eruditionis, tantum difficultatis, vt existimem

1 *Subtiles nugæ.* 2 *Sententias.*

nem ipſis Apoſtolis alio ſpiritu opus fore, ſi cogan-ur hiſce de rebus cum hoc nouo Theologorum ge-nere conſerere manus. Paulus fidem præſtare po-uit, at idem cum ait: *Fides eſt ſubſtantia rerum ſpe-randarum, argumentum non apparentium*, parum nagiſtraliter definiuit. Idem vt charitatem opti-me præſtitit, ita parum dialectice vel diuidit, vel fi-nit, in priore ad Corinthios epiſtola, cap. decimo ter-tio. Ac pie quidem illi conſecrabant ſynaxim, & tamen rogati de termino a quo, & termino ad quem, de transſubſtantiatione, de modo quo corpus idem ſit in diuerſis locis, de differentia, qua corpus Chriſti eſt in cœlo, qua fuit in cruce, qua in ſacramento ſynaxe-os, quo puncto fiat transſubſtantiatio, cum oratio per quam ea fit, vt quantitas diſcreta ſit in fluxu, non pari, ſicut opinor, reſpondiſſent acumine, quo Scoti-ſtæ diſſerunt hæc, ac definiunt. Nouerant illi Ieſu matrem, ſed quis eorum tam philoſophice demon-ſtrauit, quo modo fuerit ab Adæ macula præſeruata, quam noſtri Theologi? Petrus accepit claues, & ac-cepit ab eo, qui non committat indigno, & tamen an intellexerit, neſcio, certe nusquam attigit, ſubtilita-tem, quomodo ſcientiæ clauem habeat is quoque, qui ſcientiam non habeat. Baptizabant illi paſſim, & tamen nusquam docuerunt, quæ ſit cauſa formalis, materialis, efficiens, & finalis baptiſmi, nec chara-cteris delebilis, & indelebilis apud hos vlla mentio. Adorabant quidem illi, ſed in ſpiritu, nihil aliud ſe-quentes, quam illud Evangelicum, *ſpiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu & veritate oportet*

adorare. Verum haud apparet eis tum fuisse reuelatum, vna eademque adoratione adorandam imagunculam carbone delineatam in pariete, & Christum ipsum, si modo duobus sit porrectis digitis, intonsa coma, & in vmbone qui adhæret occipitio, tres habeat notas. Quis enim hæc percipiat nisi XXXVI. annos totos in physicis, & vltra mundanis Aristotelis & Scoticis contriuerit? Identidem inculcant Apostoli gratiam, at iidem nusquam distinguunt, quid intersit inter gratiam gratis datam, & gratiam gratificantem. Hortantur ad bona opera, nec discernunt opus operans & opus operatum. Passim inculcant charitatem, nec secernunt infusam ab acquisita, nec explicant, accidens ne sit, an substantia, creata res an increata. Detestantur peccatum, at emoriar, si potuerunt scientifice definire, quid sit illud, quod peccatum vocamus, nisi forte Scotistarum spiritu fuerunt edocti. Nec enim adduci possum, vt credam Paulum, e cuius vnius eruditione licet omnes æstimare, toties damnaturum fuisse quæstiones, disceptationes, genealogias, & vt ipse vocat 1 λογομαχίας, si eas percalluisset argutias, præsertim cum omnes illius temporis contentiones, pugnæque rusticanæ fuerint & crassæ, si cum magistrorum nostrorum plusquam Chrysippeis subtilitatibus conferantur. Quamquam homines modestissimi, si quid forte scriptum sit ab Apostolis indolatius parumque magistraliter, non damnant quidem, sed commode interpretantur: hoc videlicet honoris, partim antiquitati, partim Apostolico nomini deferentes.

1 *Disceptationes de verbis.*

entes. Et hercle parum æquum erat, res tantas ab
lis requirere, de quibus ex præceptore suo, ne ver-
um quidem vnquam audissent. Idem si eueniat
n Chrysostomo, Basilio, Hieronymo, tum sat habent
dscribere, non tenetur. Et illi quidem consuta-
unt Ethnicos Philosophos ac Iudæos, suapte natura
ertinacissimos, sed vita magis ac miraculis quam
yllogismis, tum eos quorum nemo fuerit idoneus,
el vnicum Scoti Quodlibetum ingenio consequi.
Junc quis Ethnicus, quis hæreticus non continuo
dat tot tenuissimis subtilitatibus, nisi tam crassus,
t non assequatur, aut tam impudens, vt exsibilet,
at iisdem instructus laqueis, vt iam par sit pugna,
erinde quasi magnum cum magno committas, aut
gladio fortunato pugnet aliquis cum eo, cui gladi-
s sit fortunatus: tum enim nihil aliud quam tela
enelopes retexeretur. Ac meo quidem iudicio
perent Christiani, si pro pinguibus istis militum
ohortibus, per quas iam olim ancipite Marte belli-
erantur, clamosissimos Scotistas, & pertinacissimos
Occamistas, & inuictos Albertistas vna cum tota so-
histarum manu mitterent in Turcas & Saracenos:
ectarent, opinor, & conflictum omnium lepidissi-
ium, & victoriam non ante visam. Quis enim vs-
ue adeo frigidus, quem illorum non inflamment
cumina? Quis tam stupidus, vt tales non excitent
culei? Quis tam oculatus, vt hæc illi non maximas
ffundant tenebras? Verum hæc omnia videor vo-
is propemodum ioco dicere. Nec mirum sane,
um sint & inter ipsos Theologos melioribus insti-
uti literis, qui ad has friuolas, vt putant, Theologo-

rum argutias nauseent. Sunt qui velut sacrilegii genus execrentur, summamque ducant impietatem, de rebus tam arcanis, & adorandis magis, quam explicandis, tam illoto ore loqui, tam prophanis Ethnicorum argutiis disputare, tam arroganter definire ac divinæ Theologiæ maiestatem tam frigidis, imo sordidis verbis simul & sententiis conspurcare. At interim ipsi felicissime sibi placent, imo plaudunt, adeo vt his suauissimis næniis, nocte dieque occupatis, ne tantulum quidem ocii supersit, vt Euangelium, aut Paulinas epistolas vel semel liceat euoluere. Atque interim dum hæc nugantur in scholis, existimant sese vniuersam Ecclesiam, alioqui ruituram, non aliter syllogismorum fulcire tibicinibus, quam Atlas cœlum humeris sustinet apud Poëtas. Iam illud quantæ felicitatis esse putatis, dum arcanas literas, perinde quasi cereæ sint, pro libidine formant, ac reformant, dum conclusiones suas, quibus iam aliquot scholastici subscripserunt, plusquam Solonis leges videri postulant, & vel pontificiis decretis anteponendas, dumque veluti censores orbis ad palinodiam trahunt, si quid vsquam cum explicitis & implicitis illorum conclusionibus, non ad amussim quadrarit, ac non secus atque ex oraculo pronunciant, hæc propositio scandalosa est, hæc parum reuerentialis, hæc hæresin olet, hæc male tinnit, vt iam nec baptismus, nec Euangelium, nec Paulus aut Petrus, nec sanctus Hieronymus aut Augustinus, imo nec ipse Thomas 1 ἀριστοτελικώτατος, Christianum efficiat, nisi baccalauriorum calculus accesserit, tanta est in iudi-

1 *Aristoteli addictissimus.*

ando subtilitas. Quis enim sensurus erat, eum
'hristianum non esse, qui diceret has duas oratio-
es, matula putes, & matula putet, item ollam ferue-
:, & ollam feruêre, pariter esse congruas, nisi sapi-
ntes illi docuissent? Quis tantis errorum tenebris
berasset Ecclesiam, quos ne lecturus quidem vn-
uam quisquam fuerat, nisi magnis sigillis isti prodi-
issent? Verum an non felicissimi dum hæc agunt?
ræterea dum inferorum res omneis sic ex amussim
epingunt, tanquam in ea Republica complureis an-
os sint versati? Præterea dum pro arbitrio nouos
rbes fabricantur, addito denique latissimo illo pul-
herrimoque, ne scilicet deesset vbi felices animæ
ommode vel spatiari, vel conuiuium agitare, vel
tiam pila ludere possent. His atque id genus bis
iille nugis, horum capita adeo distenta differtaque
int, vt arbitrer nec Iouis cerebrum æque grauidum
uisse, cum ille Palladem parturiens Vulcani securim
nploraret. Quare nolite mirari, si videtis caput
lorum tot fasciis tam diligenter obuinctum in pu-
licis disputationibus, alioquin enim plane dissili-
:nt. Illud ipsa quoque nonnunquam ridere soleo,
um ita demum maxime sibi videntur Theolo-
i, si quam maxime barbare spurceque loquan-
ır, cumque adeo balbutiunt, vt a nemine nisi balbo
ossint intelligi, acumen appellant, quod vulgus non
sequatur. Negant enim e dignitate sacrarum li-
:rarum esse, si grammaticorum legibus parere co-
antur. Mira vero maiestas Theologorum, si solis
lis fas est mendose loqui, quanquam hoc ipsum ha-
ent cum multis cerdonibus commune. Postremo
ım diis proximos sese ducunt, quoties quasi religio-

se magistri nostri salutantur, in quo quidem nomine tale quiddam subesse putant, quale est apud Iudæos 1 τετραγράμματον. Itaque nefas aiunt esse MAGISTER NOSTER secus quam maiusculis scribere literis. Quod si quis præpostere Noster Magister dixerit, is semel omnem Theologici nominis peruerterit maiestatem.

Monachorum stultitia ac felicitas. Ad horum felicitatem proxime ii, qui se vulgo religiosos ac monachos appellant, vtroque falsissimo cognomine, cum & bona pars istorum longissime absit a religione, & nulli magis omnibus locis sint obuii. Iis non video quid possit esse miserius, nisi ego multis modis succurrerem. Etenim cum hoc hominum genus omne sic execrentur, vt fortuitum etiam occursum ominosum esse persuasum sit, tamen ipsi sibi magnifice blandiuntur. Primum summam existimant pietatem, si vsque adeo nihil attigerint literarum, vt ne legere quidem possint. Deinde cum Psalmos suos, numeratos quidem illos, at non intellectos, asininis vocibus in templis derudunt, tum vero se putant diuorum aures multa voluptate demulcere. Et sunt ex his nonnulli, qui sordes ac mendicitatem magno vendunt, proque foribus magno mugitu panem efflagitant, imo in nullis diuersoriis, vehiculis nauibus non obturbant, non mediocri profecto reliquorum mendicorum iactura. Atque ad eum modum homines suauissimi, sordibus, inscitia, rusticitate, impudentia, Apostolos (ut aiunt) nobis referunt.

1 *Quadriliterum.* Iehovah quod quatuor literis scribitur apud Hebræos.

unt. Quid autem iucundius, quam quod omnia
iciunt ex præscripto, quasi mathematicis vtentes ra-
ionibus, quas præterire piaculum sit. Quot nodos
abet calceus, quo colore cingula; vestis quot dis-
riminibus varieganda, qua materia, quotque culmis
itum cingulum, qua specie & quot modiorum capax
ucullus: quot digitis latum capillitium, quot dor-
niendum horas. Atque hæc quidem æqualitas in
nta corporum & ingeniorum varietate, quam sit
næqualis, quis non perspicit? Et tamen his nugis
on alios modo præ se nauci faciunt, verum inuicem
lii alios contemnunt, atque homines Apostolicam
haritatem professi, ob aliter cinctam vestem, ob co-
orem paulo fusciorem, omnia miris tragœdiis mi-
cent. Ex his videas quosdam adeo rigide religio-
os, vt summa veste, non nisi Cilicina vtantur, inti-
na Milesia: alios contra, qui superne linei sint, inti-
ne lanei. Rursum alios qui pecuniæ contactum
eu aconitum horreant, nec a vino interim, nec a mu-
erum contactu temperantes. Denique mirum
mnibus studium, ne quid in ratione vitæ conueni-
t. Nec illud studio est, vt Christo similes sint, sed
t inter se dissimiles. Porro magna felicitatis pars
st in cognomentis, dum hi funigeros appellari se
audent, & inter hos alii Coletas, alii Minores, alii
Minimos: alii Bullistas. Rursum hi Benedictinos
li Bernardinos, hi Brigidenses, illi Augustinenses:
i Guilhelmitas, illi Iacobitas, quasi vero parum sit,
ici Christianos. Horum magna pars in tantum
iis nititur ceremoniis, & hominum traditiunculis,
t putet vnum cœlum parum dignum esse tantis me-

ritis præmium, haud cogitantes futurum, vt Christus contemptis his omnibus, suum illud sit exacturus præceptum, nempe charitatis. Alius ostentabit aqualiculum, omni piscium genere distentum. Alius psalmorum centum effundet modios. Alius ieiuniorum myriadas annumerabit, & toties vnico prandio pene disruptam imputabit aluum. Alius tantum ceremoniarum aceruum proferet, quantus vix septem onerariis nauibus vehi possit. Alius gloriabitur sexaginta annos nunquam attactam pecuniam, nisi digitis duplici chirotheca munitis. Alius cucullam ingeret, adeo sordidam & crassam, vt nullus nauta suo dignetur corpore. Commemorabit alius se plusquam vndecim lustris spongiæ vitam egisse, semper eidem affixum loco. Alius raucam assiduo cantu vocem adducet. Alius lethargum solitudine contractum, alius linguam iugi silentio torpentem. At Christus interpellatis, nunquam alioqui finiendis gloriis, vndenam hoc, inquiet, nouum Iudæorum genus? Vnicam ego legem vere meam agnosco, de qua sola nihil audio. Et olim palam nulloque parabolarum vtens inuolucro, paternam hæreditatem pollicitus sum, non cucullis, preculis, aut inediis; sed fidei & charitatis officiis. Nec eos agnosco, qui sua facta nimis agnoscunt: isti qui me quoque sanctiores videri volunt, 1 Abraxasiorum cœlos, si libet, occupent, aut ab his sibi nouum extrui cœlum iubeant, quorum traditiunculas meis præceptis anteposuerunt. Cum hæc audient, & videbunt nautas & aurigas sibi præferri, quibus puta-

1 Basilidianorum Hæreticorum.

ıutatis vultibus sese mutuo contuebuntur? Sed inte-
im spe sua felices sunt non absque meo beneficio.
Atque hos quidem quanquã a republica semotos, ne-
no tamen audet contemnere, præcipue mendicantes,
ıropterea quod omnia omniũ arcana teneant, ex con-
ˈessionibus quas vocant. Quæ tamen prodere nefas
ıabent, nisi si quando poti, fabulis amœnioribus de-
ectare se volunt, sed coniecturis modo rem indicant,
:acitis interim nominibus. Quod si quis hos cra-
ırones irritarit, tum in popularibus concionibus pro-
ɔe vlciscuntur sese, & obliquis dictis hostem notant,
ıdeo tecte, vt nemo non intelligat, nisi qui nihil in-
telligit. Nec prius oblatrandi finem faciunt, quam
in os offam obieceris. Age vero quem tu mihi co-
mœdum, quem circulatorem spectare malis, quam
illos in concionibus suis Rhetoricantes omnino ri-
dicule, sed tamen suauissime imitantes ea quæ Rhe-
tores de dicendi ratione tradiderunt? Deum immor-
talem, vt gesticulantur, vt apte commutant vocem,
vt cantillant, vt iactant sese, vt subinde alios atque
alios vultus induunt, vt omnia clamoribus miscent.
Atque hanc orandi artem ceu rem arcanam fratercu-
lus fraterculo per manus tradit. Eam tametsi mi-
hi non est fas scire, tamen vtcunque coniecturis se-
quar. Primo loco inuocant, id quod a poëtis mu-
tuo sumpserunt: deinde dicturi de charitate, a Ni-
lo Ægypti fluuio sumunt exordium, aut crucis my-
sterium enarraturi, a Babylonio dracone Bel feliciter
auspicantur: aut de ieiunio disputaturi, a duodecim
zodiaci signis principium faciunt: aut de fide ver-
ba facturi, diu de quadratura circuli proloquuntur.

Audiui ipsa quendam eximie stultum, erraui, doctum volebam dicere, qui in concione celeberrima diuinæ Triadis mysterium explicaturus, quo & doctrinam suam non vulgarem ostentaret, & Theologicis satisfaceret auribus, noua prorsus ingressus est via, nimirum a literis, syllabis, & oratione, tum a concordia nominis & verbi, adiectiui nominis & substantiui, mirantibus iam plerisque, ac nonnullis Horatianum illud apud se mussitantibus: Quorsum hæc tam putida tendunt? Tandem huc rem deduxit, vt in grammaticorum rudimentis sic expressum ostenderet totius Triadis simulacrum, vt nemo mathematicorum in puluere posset euidentius depingere. Atque in hac oratione θεολογώτατος ille totos octo menses ita desudarat, vt hodie quoque magis cæcutiat quam talpæ, nimirum tota luminum acie ad ingenii cuspidem auocata. Verum haud pœnitet hominem cæcitatis, ac paruo quoque putat emptam eam gloriam. Auditus est a nobis alius quidam octogenarius, adeo Theologus, vt in hoc Scotum ipsum renatum putes. Is explicaturus mysterium nominis Iesu, mira subtilitate demonstrauit in ipsis literis latere, quicquid de illo dici possit. Etenim quod tribus duntaxat inflectitur casibus, id manifestum esse simulacrum diuini ternionis. Deinde quod prima vox IEsus, desinat in s, secunda IEsum in m, tertia IEsu in u, in hoc ἄῤῥητον subesse mysterium: nempe tribus literulis indicantibus eum esse summum, medium, & vltimum. Restabat mysterium his quoque retrusius, mathematica ratione. IEsus sic in duas æquales diffidit portiones, vt scilicet penthemimeres in medio resi-

esideret. Deinde docuit eam literam apud Hebræos esse ש, quam illi Syn appellent, porro syn, Scotorum opinor linguæ, peccatum sonat: atque hinc palam declarari, IEsum esse qui peccata tolleret mundi. Hoc tam nouum exordium sic inhiantes admirati sunt omnes, præcipue Theologi, vt parum abfuerit, quin illis acciderit, quod olim Niobæ, cum mihi propemodum euenerit, quod ficulno illi 1 Priapo, qui magno suo malo, Canidiæ Saganæque nocturna sacra spectauit. Nec iniuria profecto: nam quando similem ἔφοδον commentus est Demosthenes ille Graius, aut Cicero Latinus? Illis vitiosum habebatur prooemium, quod a re foret alienius: quasi vero non ad istum modum exordiantur & subulci, natura videlicet magistra. At hi docti præambulum suum, sic enim vocant, ita demum eximie Rhetoricum fore ducunt, si nusquam quicquam habeat cum reliquo argumento confine, vt auditor interim admirans, illud secum murmuret *quo nunc se proripit ille*? Tertio loco ceu narrationis vice nonnihil ex Euangelio, sed cursim ac veluti obiter interpretantur, cum id solum fuerit agendum. Quarto loco iam noua sumpta persona, quæstionem mouent Theologalem aliquoties 2 ὄτε γῆς, ὄτε ὀρανῦ ἁπτομένον. Atque id quoque ad artem arbitrantur pertinere. Hic demum Theologicum attollunt supercilium, doctores solennes, doctores subtilissimos, doctores seraphicos, doctores cherubicos, doctores sanctos, doctores irrefragabiles, magnifica nomina auribus inculcantes. Tum syllogismos, maiores, mino-

1 Qui præ metu crepitum ventris emisit. Vid. Horatium.
2 *Nec terram nec cœlum tangentem.*

minores, conclusiones, corollaria, suppositiones, frigidissimas ac plusquam scholasticas nugas apud imperitum vulgus iactitant. Superest iam quintus actus, in quo summum artificem præstare conuenit. Hic mihi stultam aliquam & indoctam fabulam, ex speculo opinor historiali, aut gestis Romanorum in medium adferunt, & eandem interpretantur allegorice, tropologice, & anagogice. Atque ad hunc quidem modum Chimæram suam absoluunt, qualem nec Horatius vnquam assequi potuit cum scriberet: *Humano capiti*, &c. Sed audierunt a nescio quibus, ingressum orationis sedatum, minimeque clamosum esse oportere. Itaque principio sic exordiuntur, vt nec ipsi vocem propriam exaudiant, quasi referat dici, quod nullus intelligat. Audierunt nonnunquam ad concitandos affectus, exclamationibus vtendum esse. Proinde presse alioqui loquentes, subinde repente vocem tollunt furioso plane clamore etiam cum nihil opus. Iures elleboro homini opus esse, perinde quasi nihil referat, vbi clames. Præterea quoniam audierunt oportere sermonem in progressu ferueſcere, in singulis partibus principiis vtcunque sane recitatis, mox mira vocis contentione vtuntur, etiamsi res sit frigidissima, atque ita denique desinunt, vt spiritu defectos credas. Postremo didicerunt, apud Rhetores de risu fieri mentionem, eoque student & ipsi iocos quosdam aspergere, 1 ὦ φίλη ἀφροδίτη, quam plenos gratiarum, quamque in loco, vt plane 2 ὄνον πρὸς τὴν λύραν esse dicas. Mordent quoque nonnunquam, sed ita, vt titillent

1 *O Amica Venus!* 2 *Asinum ad lyram*, i. ineptum.

illent magis quam vulnerent. Nec vnquam verius dulantur, quam cum maxime 1 παῤῥησιάζεσθ vileri ſtudent. Denique tota actio eſt eiusmodi, vt ures eos a fori circulatoribus didiciſſe, a quibus lon;e vincuntur. Quanquam vtrique alteris vſque deo ſunt ſimiles, vt nemo dubitet, quam aut hi ab llis, aut illi ab his Rhetoricen ſuam didicerint. Et amen inueniunt hi quoque mea nimirum opera, lui cum hos audiunt, Demoſthenes meros, ac Ciceones audire ſe putant. Quod genus ſunt præcipue nercatores ac mulierculæ: quorum auribus vnice lacere ſtudent, quod illi nonnullam prædæ portiunulam de rebus male partis ſoleant impertiri, ſi comnode fuerint palpati: illæ cum aliis multis de cauis huic ordini fauent, tum præcipue quod in horum inus ſoleant effundere, ſi quid in maritos ſtomachanur. Videtis opinor, quantopere mihi debeat hoc ominum genus, qui cum ceremoniolis, & nugis leridiculis, clamoribuſque tyrannidem quantam inter mortales exerceant Paulos atque Antonios ſeſe redunt.

Principum Stultitia. Verum ego iſtos hiſtriones tam ingratos beneficiorum meorum diſſimulatores, quam improbos ſimulatores pietatis libenter relinquo. Iamdudum enim iuuat de Regibus ac Principibus aulicis a quibus ſimpliciſſime color, & vt dignum eſt, ingenuis ingenue nonnihil attingere. Qui quidem ſi vel ſemunciam ſani cordis haberent, quid eſſet horum vita triſtior, aut æque fugiendum. Neque enim exiſtimabit vel periurio parricidioque parandum

1 *Libere loqui.*

randum imperium, quisquis perpenderit, quam ingens onus sustineat humeris, qui vere Principem agere velit: eum qui rerum gubernacula susceperit, publicum non priuatum negocium gerere, nihil nisi de commodis publicis oportere cogitare: a legibus, quarum ipse & auctor & exactor est, nec latum digitum discedere: officialium omnium & magistratuum integritatem sibi præstandam esse: sese esse vnum omnium oculis expositum, qui vel ceu sidus salutare, morum innocentia, maximam rebus humanis salutem possit adferre, vel veluti cometa letalis, summam perniciem inuehere. Aliorum vitia neque perinde sentiri, neque tam late manare. Principem eo loco esse, vt si quid vel leuiter ab honesto deflexerit, grauis protinus ad quam plurimos homines vitæ pestis serpat. Tum quod multa secum adferat principum fortuna, quæ soleant a recto deducere, quod genus, deliciæ, libertas, adulatio, luxus, hoc acrius enitendum, ac sollicitius aduigilandum, necubi vel deceptus cesset in officio. Postremo, vt insidias, odia cæteraque vel pericula, vel metus omittam, capiti imminere, verum illum regem, qui paulo post ab eo sit etiam de minimo quoque commisso rationem exacturus, idque tanto seuerius, quanto præstantius gessit imperium. Hæc inquam, atque huiusmodi plurima, si princeps secum perpenderet, perpenderet autem si saperet, is nec somnum, nec cibum opinor iucunde capere posset. At nunc meo munere, has omneis curas diis permittunt, ipsi se molliter curant, neque quenquam ad aurem admittunt, nisi qui iucunda loqui norit, ne quid animo soli-

lici-

icitudinis oboriatur. Se probe Principis partes omneis impleſſe credunt, ſi venentur aſſidue, ſi bellos alant caballos, ſi ſuo commodo vendiderint magiſtratus ac præfecturas, ſi quotidie nouæ rationes excogitentur, quibus ciuium opes attenuent & in uum conuertant fiſcum, verum id appoſite repertis itulis, vt etiamſi ſit iniquiſſimum aliquam tamen equitatis ſpeciem præ ſe ferat. Addunt data opera nonnihil adulationis, quo populares animos, vtcunque ſibi deuinciant. Fingite mihi nunc, quales ſunt nonnunquam, hominem legum ignarum, publicorum commodorum pene hoſtem, priuatis intentum ommoditatibus, addictum voluptatibus, oſorem euditionis, oſorem libertatis ac veri, nihil minus uam de Reipublicæ ſalute cogitantem, ſed omnia ua libidine, ſuisque vtilitatibus metientem. Deinde addite huic torquem auream, omnium virtutum ohærentium conſenſum indicantem, tum coronam gemmis inſignitam, quæ quidem admoneat eum heroicis omnibus virtutibus oportere cæteris antecellere. præterea ſceptrum, iuſtitiæ, & vndecunque incorrupti pectoris ſymbolum, poſtremo purpuram ximiæ cuiusdam in Rempublicam charitatis indicium. Hæc geſtamina ſi princeps cum ſua vita conferret, equidem futurum arbitror, vt plane pudeſcat rnatus ſui, vereaturque, ne quis naſutus interpres, otum hunc tragicum cultum, in riſum iocumque ertat.

ulicorum ultitia. Iam quid de proceribus aulicis commemorem? quorum pleriſque cum nihil ſit ddictius, ſeruilius, inſulſius, abiectius, tamen omni-

um

um rerum primos sese videri volunt. Hac vna in re tamen modestissimi, quod contenti, aurum, gemmas, purpuram, reliquaque virtutum sapientiæ insignia corpore circumferre, rerum ipsarum studium omne concedunt aliis. Hoc abunde felices sibi videntur, quod Regem herum vocare liceat, quod tribus verbis salutare didicerint, quod norint ciuiles titulos subinde inculcare, serenitatem, dominationem, & magnificentiam: quod egregie perfricuerint faciem, quod festiuiter adulentur. Nam hæ sunt artes, quæ vere nobilem & aulicum deceant. Cæterum si vitæ rationem omnem propius inspicias, nimirum meros 1 Phæacas inuenies, sponsos Penelopes, reliquum carmen agnoscitis, quod Echo vobis melius referet quam ego. Dormitur in medios dies, ibi sacrificulus mercenarius ad lectum paratus, qui propemodum cubantibus adhuc sacrum expedite peragat. Mox ad ientaculum, quo vix peracto, iam interpellat prandium. Sub id alea, latrunculi, sortes, scurræ, moriones, scorta, lusus, inficetiæ. Interim vna aut altera merenda. Rursum cœna, post hanc repotia, non vna per Iouem. Atque ad hunc modum, citra vllum vitæ tædium elabuntur horæ, dies, menses, anni, secula. Ipsa nonnunquam saginatior abeo, si quando viderint illos 2 μεγαλοῤῥῦντας, dum inter nymphas vna quæque hoc sibi videtur diis propior, quo caudam longiorem trahit, dum procerum alius alium cubito protrudit, quo Ioui vicinior esse videatur, dum sibi quisque

1 Ignauos & inertes homines, de quibus Homerus in Odyss. 2 *Ostentantes se.*

ue hoc magis placet, quo grauiorem catenam col-
› baiulat, vt robur etiam, non opes tantum o-
:entet.

piscopi ultі. Ac Principum quidem institutum, summi Pontifices, Cardinales, & Episcopi, iam ridem gnauiter æmulantur, ac prope superant. Porro si quis perpendat, quid linea vestis admonet, niueo candore insignis, nempe vitam vndiquaque inculpatam. Quid sibi velit mitra bicornis, vtrumque fastigium eodem cohibente nodo, puta noui pariter ac veteris instrumenti absolutam scientiam. Quid manus chirothecis communitæ, duram & ab omni rerum humanarum contagio immunam sacramentorum administrationem. Quid pedum, nimirum crediti gregis vigilantissimam curam. Quid prælata crux, videlicet omnium humanorum affectuum victoriam. Hæc, inquam, atque id genus alia multa, si quis perpendat, nonne tristem ac sollicitam vitam egerit? Ac nunc belle faciunt, cum sese pascunt. Cæterum ouium curam aut ipsi Christo mandant, aut in fratres, quos vocant, ac vicarios reiiciunt. Neque vel nominis sui recordantur, quid sonet Episcopi vocabulum, nempe laborem, curam, sollicitudinem. Verum in irretiendis pecuniis, plane Episcopos agunt, 1 οὐδ' ἀλαοσκοπιή.

Cardinales stulti. Ad eundem modum Cardinales si cogitent sese in Apostolorum locum successisse, eadem ab ipsis requiri, quæ illi præstiterunt, deinde non dominos esse, sed administratores spiritualium

1 *Neque cæca speculatio*, Hemist. Homericum.

lium dotium, de quibus omnibus sint paulo post exactissime reddituri rationem. Imo si vel in cultu paulisper philosophentur, atque ita secum cogitent, quid sibi vult hic vestitus candor? Nonne summam & eximiam vitæ innocentiam Quid interior purpura? nonne flagrantissimum in Deum amorem? Quid rursus exterior sinuosa capacitate diffluens, ac totam etiam reuerendissimi complectens mulam, quanquam vna vel camelo contegendo suffecerit? Nonne charitatem latissime sese pandentem ad subueniendum omnibus, hoc est, ad docendum, exhortandum, consolandum, increpandum, admonendum, componenda bella, resistendum improbis principibus, & vel sanguinem libenter impendendum gregi Christiano, non solum opes. Quanquam quorsum omnino opes pauperum Apostolorum vicem gerentibus? Hæc si perpenderent, inquam, nec eum locum ambirent & libenter relinquerent; aut certe vitam plane laboriosam, atque sollicitam agerent, cuiusmodi veteres illi vixerunt Apostoli.

Papæ stulti. Iam summi Pontifices, qui Christi vices gerunt, si conentur eiusdem vitam æmulari, nempe paupertatem, labores, doctrinam, crucem, vitæ contemptum, si vel Papæ, id est, patris nomen, vel sanctissimi cognomen cogitent, quid erit in terris afflictius? aut quis eum locum omnibus emat facultatibus: emptum, gladio, veneno, omnique vi tueatur? Quantum his abstulerit commoditatum, si semel incessiuerit sapientia? Sapientia dixi? Imo vel mica salis illius, cuius meminit Christus. Tantum opum,

tan-

tantum honorum, tantum victoriarum, tot officia, tot dispensationes, tot vectigalia, tot indulgentias, tantum equorum, mulorum, satellitum, tantum voluptatum. Videtis quantas nundinas, quantam messem, quantum bonorum pelagus paucis sim complexa. In quorum locum inducet vigilias, ieiunia, lachrymas, orationes, conciones, studia, suspiria, milleque id genus miseros labores. Neque vero negligendum illud, futurum vt tot scriptores, tot copistæ, tot notarii, tot aduocati, tot promotores, tot secretarii, tot mulotribæ, tot equisones, tot mensarii, tot lenones, pene mollius quiddam addideram, sed vereor ne durius sit auribus; in summa, tam ingens hominum turba, quæ Romanam sedem onerat, lapsa sum, honorat sentiebam, ad famem adigatur. Inhumanum quidem hoc, & abominandum facinus, at multo magis detestandum, ipsos etiam summos Ecclesiæ principes, ac vera mundi lumina ad peram & baculum reuocari. At nunc fere, si quid laboris est, id Petro & Paulo relinquunt, quibus abunde satis est ocii. Porro si quid splendoris, aut voluptatis, id sibi sumunt. Atque ita fit mea quidem opera, vt nullum pene hominum genus viuat mollius, minusque solicitum, vt qui abunde Christo satis factum existiment, si mystico ac pene scenico ornatu, cæremoniis, beatitudinum, reuerentiarum, sanctitatum titulis, & benedictionibus, ac maledictionibus, Episcopos agant. Priscum & obsoletum, nec horum omnino temporum, miracula edere: docere populum, laboriosum: sacras interpretari literas, scholasticum: orare, ociosum: lachrymas fundere,

miserum ac muliebre: egere, sordidum: vinci, turpe, parumque dignum eo, qui vix Reges etiam summos, ad pedum beatorum admittit oscula: denique mori, inamabile: tolli in crucem, infame. Restant sola hæc arma ac benedictiones dulces, quarum meminit Paulus: atque harum quidem sunt sane quam benigni, interdictiones, suspensiones, aggrauationes, redaggrauationes, anathematizationes, vltrices picturæ, ac fulmen illud terrificum, quo solo nutu mortalium animas vel vltra tartara mittunt. Quod ipsum tamen sanctissimi in Christo patres, & Christi vicarii, in nullos torquent acrius, quam in eos, qui instigante diabolo, patrimonia Petri minuere atque arrodere conantur. Cuius cum hæc vox sit in Euangelio: *Reliquimus omnia, & sequuti sumus te*, tamen huius patrimonium appellant agros, oppida, vectigalia, portoria, ditiones. Pro quibus dum zelo Christi accensi, ferro ignique dimicant, non absque plurimo Christiani sanguinis dispendio, tum demum Ecclesiam Christi sponsam sese credunt Apostolice defendere, fortiter profligatis, vt vocant, hostibus. Quasi vero vlli sint hostes Ecclesiæ perniciosiores, quam impii Pontifices qui & silentio Christum sinunt abolescere & quæstuariis legibus alligant, & coactis interpretationibus adulterant, & pestilente vita iugulant. Porro cum Christiana Ecclesia sanguine sit condita, sanguine confirmata, sanguine aucta, nunc perinde quasi Christus perierit, qui more suo tueatur suos, ita ferro rem gerunt. Cumque bellum res sit adeo immanis, vt feras non homines deceat, adeo insana, vt poetæ quoque fingant a furiis immit-

mmitti, adeo peſtilens, vt vniuerſam morum luem imul inuehat, adeo iniuſta, vt a peſſimis latronibus ptime ſoleat adminiſtrari, adeo impia, vt nihil coæreat cum Chriſto, tamen omnibus omiſſis, hoc antum agunt. Hic videas etiam decrepitos ſenes, uuenilis animi robur præſtare, nec offendi ſumptius, nec fatigari laboribus, nec deterreri quicquam, i leges, ſi religionem, ſi pacem, ſi res humanas omneis ſurſum ac deorſum miſceant. Neque deſunt dulatores eruditi, qui iſtam manifeſtariam inſaniam, elum, pietatem, fortitudinem appellant, excogitata ia, qua fieri poſſit, vt quis letale ferrum ſtringat, aligatque in fratris ſui viſcera, manente nihilominus haritate illa ſumma, quam ex Chriſti præcepto, deet proximo Chriſtianus.

Epiſcopi Germaniæ quam inſani, & vulgus etiam ſacerdotum.

Equidem incerta ſum adhuc vtrum his rebus exemplum dederint, an potius hinc ſumpſerint Epiſcopi quidam Germanorum, qui ſimplicius, etiam omiſſo cultu, omiſſis benedictionibus, liiſque id genus cæremoniis, plane ſatrapas agunt, deo, vt propemodum ignauum, parumque decorum Epiſcopo putent alibi, quam in acie, fortem animam DEO reddere. Iam vero vulgus ſacerdotum, neas eſſe ducens, a præſulum ſuorum ſanctimonia degenerare, euge quam militariter pro iure decimaum, enſibus, iaculis, ſaxis, omnique armorum vi belligerantur, quam hic oculati, ſi quid ex veterum literis poſſint elicere, quo plebeculam territent, & plusquam decimas deberi conuincant. At interim non venit in mentem, quam multa paſſim

legantur de officio, quod illi viciſſim præſtare, populo debeant. Nec ſaltem admonet eos vertex raſus, ſacerdotem omnibus huius mundi cupiditatibus liberum eſſe oportere, neque quicquam niſi cæleſtia meditari. Sed homines ſuaues, ſe ſuo officio probe perſunctos aiunt, ſi precùlas illas ſuas vtcunque permurmurarint, quas mehercle demiror, ſi quis Deus vel audiat, vel intelligat, cum ipſi fere nec audiant, nec intelligant, tum cum eas ore perſtrepunt. Verum hoc quidem ſacerdotibus eſt cum prophanis commune, vt ad emolumenti meſſem vigilent omnes, neque quiſquam ibi leges ignoret. Cæterum ſi quid ſarcinæ, id prudenter in alienos humeros eiiciunt, & aliis alii tanquam pilam per manus tradunt. Siquidem laici quoque Principes, quemadmodum partes adminiſtrandi regni vicariis delegant, & vicarius item vicario tradit, ita pietatis ſtudium omne plebi modeſtiæ cauſa relinquunt. Plebs in eos reiicit, quos eccleſiaſticos vocant, perinde quaſi ipſis cum Eccleſia nihil omnino ſit commercii, quaſi baptiſmi votis nihil prorſus ſit actum. Rurſus ſacerdotes qui ſeſe vocant ſeculares, quaſi mundo initiati, non Chriſto, in regulares onus hoc deuoluunt, regulares in monachos, monachi laxiores in arctiores, omnes ſimul in mendicantes, mendicantes in Charthuſienſes, apud quos ſolos ſepulta latet pietas, & adeo latet vt vix vnquam liceat conſpicere. Pontifices in meſſe pecuniaria diligentiſſimi, labores illos nimium Apoſtolicos, in Epiſcopos relegant, Epiſcopi in paſtores, paſtores in vicarios, vicarii in fratres mendicantes. Hi rurſum in eos retrudunt, a quibus ouium lana ton-

ondetur. Verum non est huius instituti, Pontificum ac Sacerdotum vitam excutere, ne cui videar atyram texere, non encomium recitare, neue quis xistimet bonos Principes a me taxari, dum malos audo. Sed hæc ideo paucis attigi, quo palam fieet, nullum esse mortalem, qui suauiter viuere posit, nisi meis initiatus sit sacris, meque propitiam nabeat.

Stultis fortuna favet. Nam id quo pacto fieri queat, cum ipsa etiam Rhamnusia, rerum humanarum ortunatrix, mecum adeo consentiat, vt sapientibus stis semper fuerit inimicissima, contra stultis etiam lormientibus omnia commoda adduxerit? Agnocitis Timotheum illum, cui hinc etiam cognomen & prouerbium 1 *ἡ εὕδοντος κύρτος αἱρεῖ*. Rursum aliud 2 *γλαὺξ ἵπταται*. Contra in sapientes quadrat illa, 3 *ἐν τετράδι γεννηθέντες*, & equum habet Seianum, & aurum Tolosanum. Sed desino 4 *παροιμιάζεσθαι*, ne videar Erasmi mei commentaria suppilasse. Ergo vt ad rem. Amat fortuna parum cordatos, amat audaciores, & quibus illud placet 5 *πᾶς ἐῤῥίφθω κύβος*. At sapientia timidulos reddit, ideoque vulgo videtis sapientibus istis cum paupertate, cum fame, cum fumo rem esse: neglectos, inglorios, inuisos viuere: stultos afflue-

re

1 *Dormientis rete capit.* De felicibus absque labore. 2 *Noctua volat.* Prou. de quo Chiliad. vid. 3 *Quarta Luna uti.* Prou. de iis qui summis laboribus aliis multum prosunt, sibi nihil. Vid. Chiliad. vt & de sequentibus. 4 *Prouerbiis vti.* 5 *Iacta est alea.* In audaces dicitur.

re nummis, admoueri Reipublicæ gubernaculis, breuiter, florere modis omnibus. Etenim si quis beatum existimet principibus placuisse viris, & inter aureos illos, ac gemmeos Deos versari, quid inutilius sapientia, imo quid apud hoc hominum genus damnatius? Si diuitiæ parandæ sunt, quid tandem lucri facturus est negociator, si, sapientiam secutus, periurio offendetur, si in mendacio deprehensus erubescet, si anxios illos de furtis, atque vsuris sapientum scrupulos, vel tantuli faciet? Porro si quis honores, atque opes ambiat Ecclesiasticas, ad eas vel asinus, vel bubulus citius penetrabit, quam sapiens. Si voluptate ducaris, puellæ maxima huius fabulæ pars, stultis toto pectore sunt addictæ, sapientem haud secus ac scorpium horrent, fugiuntque. Denique quicunque paulo festiuius ac lætius viuere parant, sapientem inprimis excludunt, ac quoduis animal potius admittunt. Breuiter, quoquo te vertas, apud Pontifices, principes, iudices, magistratus, amicos, hostes, maximos, minimos, omnia præsentibus nummis parantur: quos vti contemnit sapiens, ita illum sedulo fugere consueuerunt. Sed cum laudum mearum nullus sit modus, neque finis, tamen oratio aliquando finem habeat necesse est. Itaque desinam dicere, sed si prius ostendero paucis, non deesse magnos auctores, qui me literis suis pariter ac factis illustrarint, ne cui forte stulte mihi soli videar placere, neue leguleii calumnientur, me nihil allegare. Ad ipsorum igitur exemplum allegabimus, hoc est, 1 οὐδὲν πρὸς ἔπος.

Prin-

1 *Nihil ad rem.*

aus stulti-
æ ex aucto-
ibus.

Principio illud omnibus vel notissimo prouerbio persuasum est, vbi res abest, ibi simulationem esse optimam. Eoque recte statim traditur hic versus pueris: *Stultitiam simulare loco sapientia summa est.* Vos iam osi coniicite quam ingens sit bonum stultitia, cuius tiam fallax vmbra, & imitatio sola tantum laudis neretur a doctis. Sed multo candidius pinguis ille c nitidus Epicuri de grege porcus, miscere stultitim consiliis iubet, tametsi breuem non admodum scie addidit. Item alibi; *Dulce est desipere in loco.* Rursum alio in loco mauult *delirus, inersque videri, quam sapere, & ringi.* Iam apud Homerum Telenachus, quem modis omnibus laudat poëta, subinde, νήπιος appellatur, atque eodem prænomine tanquam elicis ominis libenter pueros & adolescentes vocare olent tragici. Quid autem sacrum Iliadis carmen, nisi stultorum regum & populorum continet æstus? Porro quam absoluta laus illa Ciceronis? *Stultorum plena sunt omnia.* Quis enim ignorat, vnum quodque bonum, quo latius patet, hoc esse præstantius?

Ex scriptura.

Atqui fortassis apud Christianos horum leuis auctoritas: proinde sacrarum quoque literarum testimoniis, si videtur, laudes nostras fulciamus, siue, vt docti solent, fundemus, principio veniam a Theologis præfatæ, vt nobis fas esse velint, deinde quoniam arduam rem aggredimur, & fortassis improbum fuerit, denuo Musas ex Helicone, ad tantum itineris reuocare, præsertim cum res sit alienior, fortasse magis conueniet optare, vt interim

dum Theologum ago, perque has ſpinas ingredior, Scoti anima pauliſper ex ſua Sorbona in meum pectus demigret, quouis hiſtrice atque erinaceo ſpinoſior, moxque remigret lubebit, vel 1 *εἰς κόρακας*. Vtinam & vultum alium liceat ſumere, & ornatus adſit Theologicus. Verum illud interim vereor, ne quis me furti ream agat; quaſi clanculum magiſtrorum noſtrorum ſcrinia compilauerim, quæ tantum rei Theologicæ teneam. Sed non adeo mirum videri debet, ſi tam diutina, quæ mihi arctiſſima eſt, cum Theologis conſuetudine nonnihil arripui, cum ficulnus etiam ille Deus Priapus, nonnullas Græcas voces, legente domino, ſubnotarit tenueritque. Et Gallus Lucianicus longo hominum conuictu ſermonem humanum expedite calluerit. Sed iam ad rem bonis auibus. Scripſit Eccleſiaſticus capite primo: *Stultorum infinitus eſt numerus.* Cum numerum prædicat infinitum, nonne mortales vniuerſos complecti videtur, præter pauculos aliquot, quos haud ſcio, an cuiquam videre contigerit? Sed magis ingenue confitetur hoc Hieremia capite decimo: *Stultus*, inquiens, *factus eſt omnis homo a ſapientia ſua.* Soli Deo tribuit ſapientiam, vniuerſis hominibus ſtultitiam relinquens. Ac rurſum paulo ſuperius: *Ne glorietur homo in ſapientia ſua.* Cur non vis hominem in ſua ſapientia gloriari optime Hieremia? Nimirum, inquiet, ob id, quia non habet ſapientiam. Sed ad Eccleſiaſtem redeo. Hunc cum exclamat, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, quid aliud ſenſiſſe creditis, niſi, quemadmodum dixi-

1 *Ad coruos* i. malum crucem.

liximus vitam humanam nihil aliud quam stultitiæ udicrum esse? nimirum Ciceronianæ laudi album ddit calculum, cuius optimo iure celebratur illud juod modo retulimus: ***Stultorum plena sunt omnia.*** Rursum sapiens ille Ecclesiasticus, qui dixit, ***Stultus mutatur vt luna, sapiens permanet vt sol,*** quid aliud nnuit, nisi mortale genus omne stultum esse, soli Deo sapientis nomen competere? Si quidem lunam humanam naturam interpretantur, solem omnis luminis fontem, Deum. Huic astipulatur quod ipse Christus in Euangelio negat, quenquam appellandum bonum, nisi Deum vnum. Porro si stultus est, quisquis sapiens non est, & quisquis bonus, idem sapiens, auctoribus Stoicis, nimirum mortales omneis stultitia complectatur necessum esse. Iterum Salomon capite decimo quinto: ***Stultitia,*** inquit, ***gaudium stulto,*** videlicet manifeste confitens, sine stultitia nihil in vita suaue esse. Eodem pertinet illud quoque: ***Qui apponit scientiam, apponit dolorem, & in multo sensu multa indignatio,*** An non idem palam confitetur egregius ille concionator, capite septimo? ***Cor sapientum, vbi tristitia est, & cor stultorum, vbi lætitia.*** Eoque non satis habuit sapientiam perdiscere, nisi nostri quoque cognitionem addidisset. Quod si mihi parum habetur fidei, ipsius accipite verba, quæ scripsit capite primo: ***Dedique cor meum vt scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque & stultitiam.*** Quo quidem loco illud animaduertendum, ad stultitiæ laudem pertinere, quod eam posteriore posuit loco. Ecclesiastes scripsit, & hunc scitis esse ordinem Ecclesiasticum, vt qui dignitate primus sit, is locum obtine-

tineat extremum, vel hic certe memor Euangelici præcepti. Sed stultitiam præstantiorem esse sapientia, & Ecclesiasticus ille, quisquis fuit, liquido testatur, capite quadragesimo quarto, cuius mehercle verba non prius proferam, quam 1 εἰσαγωγὴν meam commoda responsione adiuueritis, vt faciunt apud Platonem hi, qui cum Socrate disputant, Vtra magis conuenit recondere, quæ rara sunt & preciosa, an quæ vulgata viliaque? quid tacetis? Etiamsi vos dissimuletis, prouerbium illud Græcorum pro vobis respondet, 2 τὴν ἐπὶ θύραις ὑδρίαν, quod ne quis impie reiiciat, refert Aristoteles, magistrorum nostrorum Deus. An quisquam vestrum tam stultus est, vt gemmas & aurum in via relinquat? non hercle opinor. In abditissimis penetralibus, nec id satis, in munitissimorum scriniorum secretissimis angulis, ista reponitis, cœnum in propatulo relinquitis. Ergo si quod preciosius est, reconditur, quod vilius, exponitur, nonne palam est, sapientiam quam vetat abscondi, viliorem esse stultitia quam recondi iubet? Iam ipsius testimonii verba accipite. ***Melior est homo qui abscondit stultitiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.*** Quid quod animi quoque candorem diuinæ literæ stulto tribuunt, cum sapiens interim neminem sui similem putet? Sic enim intelligo id, quod scribit Ecclesiastes capite decimo: ***Sed & in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omneis stultos existimat.*** An non illud eximii cuiusdam candoris est, omnes æquare tibi ipsi, cumque nemo

1 *Inductionem.* 2 *In ostiis Hydriam.* De rebus vilibus dicitur. V. Chil.

emo non magnifice de se sentiat, omnibus tamen uas communicare laudes? Proinde nec puduit tanum Regem huius cognominis, cum ait capite trige- imo: *Stultissimus sum virorum.* Neque Paulus lle magnus gentium doctor, Corinthiis scribens, tulti cognomen illibenter agnoscit. *Vt insipiens,* nquit, *dico: Plus ego.* Perinde quasi turpe sit vini stultitia. Sed interim obstrepunt mihi Græculi uidam, qui tot huius temporis Theologorum, ceu ornicum oculos student configere, dum annotatioes suas, veluti fumos quosdam aliis offundunt, cuus gregis si non Alpha, certe Beta meus est Erasmus, quem ego sæpius honoris causa nomino. O vere tultam, inquiunt, & ipsa dignam Moria citatioem. Longe diuersa mens Apostoli, quam tu somnias. Nec enim hoc agit his verbis, vt cæteris stultior haberetur, verum cum dixisset Ministri Christi unt, & ego, seque veluti iactabundus in hac quoque parte æquasset cæteris, per correctionem adiecit, *Plus ego,* sentiens se non modo parem reliquis Apostolis in Euangelii ministerio, verum etiam aliquanto superiorem. Idque cum ita verum videri vellet, ne tamen vt arrogantius dictum offenderet aures, præmuniit stultitiæ prætextu: Vt minus sapiens dico, propterea quod sciret esse stultorum priuilegium, vt soli verum citra offensam proloquantur. Verum quid Paulus senserit cum hæc scriberet, ipsis disputandum relinquo. Ego magnos, pingues, crassos, & vulgo probatissimos Theologos sequor, cum quibus magna pars doctorum errare, 1 νὴ τὸν Δία malit,

1 *Per Iouem.*

lit, quam cum istis trilinguibus bene sentire. Neque quisquam illorum Græculos istos pluris facit, quam graculos: præsertim cum quidam gloriosus Theologus, cuius ego nomen prudens supprimo, ne graculi nostri continuo Græcum in illum scomma iaciant ὀνοςλύρας: magistraliter & theologaliter hunc passum enarrans, ab hoc loco. *Vt minus sapiens dico, plus ego*, nouum facit caput, & quod absque summa dialectica non poterat, nouam addit lectionem, ad hunc interpretans modum. Adducam enim ipsius verba, non solum in forma, verum etiam in materia. *Vt minus sapiens dico*, id est, si videor vobis insipiens me pseudapostolis adæquando, adhuc videbor vobis minus sapiens, me eis præferendo. Quamquam idem paulo post, velut oblitus sui, alio delabitur.

Theologi quam fatue scripturam interpretentur.

Sed cur anxie me vnius exemplo tueor? cum hoc publicum ius sit Theologorum, cœlum, hoc est, diuinam scripturam, ceu pellem extendere: cum apud diuum Paulum pugnent diuinæ scripturæ verba, quæ suo loco non pugnant, si qua fides illi 1 πενταγλώττῳ Hieronymo, cum Athenis forte conspectum aræ titulum torqueret in argumentum fidei Christianæ, ac cæteris omissis, quæ causæ fuerant offectura, duo tantum extrema verba decerpserit, nempe hæc, *ignoto Deo*, atque hæc quoque nonnihil immutata: siquidem integer titulus sic habebat, *diis Asiæ, Europæ, & Africæ, diis ignotis & peregrinis*. Ad huius, opinor, exemplum passim iam

1 *Qui quinque linguas norat.*

iam 1 οἱ τῶν θεολόγων παῖδες, hinc atque hinc reuulsa quatuor aut quinque verbula, & si quid opus est etiam deprauata, ad suam accommodant vtilitatem, licet ea quæ præcedunt & consequuntur, aut nihil omnino faciant ad rem, aut reclament quoque. Quod quidem faciunt tam felici impudentia, vt sæpe numero Theologis inuideant iurisconsulti. Quid enim illis iam non succedat, posteaquam magnus ille, pene nomen effutiueram, sed rursus metuo Græcum prouerbium, ex Lucæ verbis sententiam expresserit, tam consentaneam animo Christi, quam igni cum aqua conuenit. Etenim cum immineret extremum periculum, quo tempore solent boni clientes maxime suis adesse patronis, & quanta valent ope 2 συμμαχεῖν, Christus hoc agens vt omnem huiusmodi præsidiorum fiduciam eximeret ex animis suorum, percontatus est eos, num quid rei defuisset vsquam, cum illos emisisset, adeo non instructos viatico, vt nec calceis muniret aduersus spinarum & saxorum iniuriam, nec peram adderet, aduersus famem. Vbi negassent defuisse quicquam, adiecit: *Sed nunc, inquit, qui habet sacculum tollat, similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Cum tota Christi doctrina, nihil aliud inculcet, quam mansuetudinem, tolerantiam, vitæ contemptum, cui non perspicuum, quid hoc loco sentiat? nempe vt magis etiam exarmet suos legatos, vt non tantum calceos negligant, & peram, verum & tunicam insuper abiiciant, nudique prorsus expediti, munus Euangelicum aggrediantur, nihil sibi parent, nisi

1 *Theologorum filii*, Theologi. 2 *Vna pugnare*, i. iurare,

nisi gladium, non istum quo grassantur latrones, & parricidæ, sed gladium spiritus, in intimos quoque pectoris sinus penetrantem, qui semel affectus omneis sic amputat, vt nihil iam illis cordi sit, præter pietatem. At videte, quæso, quorsum hæc torqueat celebris ille Theologus. Gladium interpretatur defensionem aduersus persecutionem, sacculum sufficientem commeatus prouisionem, perinde quasi Christus commutata in diuersum sententia, quod oratores suos parum 1 βασιλικῶς instructos emisisse videretur, superioris institutionis palinodiam canat. Aut velut oblitus quod dixerat beatos fore, cum probris, contumeliis & suppliciis afficerentur, prohibens ne quando resisterent malo, mites enim beatos esse, non feroces, oblitus quod illos ad passerum & liliorum exemplum vocarit, nunc adeo noluerit eos absque gladio proficisci, vt eum vel tunica diuendita iubeat emi, malitque nudos ire, quam non accinctos ferro. Adhæc quemadmodum gladii nomine contineri putat, quicquid ad depellendam vim pertinet, ita marsupii titulo complectitur, quicquid ad vitæ pertinet necessitatem. Atque ita diuinæ mentis interpres Apostolos lanceis, balistis, fundis & bombardis instructos educit ad prædicationem crucifixi. Loculis item, vidulis, & sarcinis onerat, ne forte non liceat illis e diuersorio discedere nisi impransis. Nec vel illud commouit hominem, quod ensem quem tantopere iusserat emi, mox idem obiurgans iubeat recondi, quodque nunquam fando sit auditum, Apostolos ensibus aut clypeis vsos aduersus

1 *Regie.*

uerſus vim ethnicorum, vtique vſurus, ſi Chriſtus hoc ſenſiſſet, quod hic interpretatur. Eſt alius, quem honoris cauſa non nomino, haudquaquam poſtremi nominis, qui è tentoriis, quorum meminit Habacuc, *Turbabuntur pelles terræ Madian*, pellem fecerit Bartholomæi excoriati. Ipſa nuper interfui diſſertationi Theologicæ, nam id facio frequenter. Ibi cum quiſpiam exigeret, quæ tandem eſſet diuinarum literarum auctoritas, quæ iuberet hæreticos incendio vinci, magis quam diſputatione reuinci, Senex quidam ſeuerus, & vel ſupercilio teſte, Theologus, magno ſtomacho reſpondit, hanc legem tuliſſe Paulum Apoſtolum, qui dixerit: *Hæreticum hominem poſt vnam & alteram correptionem deuita.* Cumque ea verba identidem intonaret, & plerique demirarentur quid accidiſſet homini, tandem explanauit, de vita tollendum hæreticum. Riſere quidam, nec deerant tamen quibus hoc commentum plane Theologicum videretur. Cæterum reclamantibus etiamnum nonnullis ſucceſſit a *τενέδιος*, quod aiunt, *συνήγορος* & auctor irrefragabilis, Accipite rem, inquit, Scriptum eſt, maleficum ne patiaris viuere; omnis hæreticus maleficus; ergo, &c. Mirati quotquot aderant hominis ingenium, & in eam ſententiam itum eſt pedibus, & quidem peronatis. Neque cuiquam venit in mentem legem eam ad ſortilegos & incantatores, ac magos attinere, quos Hebræi ſua lingua vocant *Mechaſephim* alioqui fornicationem & ebrietatem capite punire oportuit.

Mmmm Ve-

a *Tenedius Patronus*, i. paucis cauſam agens.

Ex Scriptura iterum laudes stultitiæ depromuntur.

Verum hæc stulte persequor, tam innumera, vt nec Chrysippi, nec Didymi voluminibus omnia comprehendi possint. Illud duntaxat admonitos volebam, cum hæc diuinis illis magistris licuerint, mihi quoque plane 1 συκίνῃ θεολόγῳ, par est dare veniam, si minus omnia ad amussim citauero. Nunc tandem ad Paulum redeo: *libenter*, inquit, *fertis insipientes*, de sese loquens. Et rursum: *Velut insipientem accipite me, & non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia.* Rursus alibi: *Nos*, inquit, *stulti propter Christum.* Audistis a quanto auctore quanta stultitiæ præconia. Quid, quod idem palam stultitiam præcipit, vt rem inprimis necessariam & oppido salutarem. *Qui videtur esse sapiens inter vos, stultus fiat, vt sit sapiens.* Et apud Lucam, duos discipulos, quibus se iunxerat in via Iesus, *stultos* appellat. Illud haud scio, an mirum videatur, cum Deo quoque nonnihil stultitiæ tribuit diuinus ille Paulus: *Quod stultum* est, inquit, *Dei, sapientius est hominibus.* Porro Origenes interpres obsistit, quo minus hanc stultitiam ad hominum opinionem possis referre: quod genus est illud, verbum crucis pereuntibus quidem stultitiam. Sed quid ego frustra anxia, tot testimoniis hæc docere pergo, cum in psalmis mysticis palam ipse Christus loquatur patri: *Tu scis insipientiam meam*: Neque vero temere est, quod Deo stulti tam impense placuerunt: opinor propterea, quod quemadmodum summi principes nimium cordatos suspectos habent, & inui-

1 *Ficulno Theologo.*

inuisos, vt Iulius Brutum & Cassium, cum ebrium Antonium nihil metueret, vtque Nero Senecam, Dionysius Platonem, contra crassioribus ac simplicioribus ingeniis delectantur, itidem Christus σοφοὺς istos, suæque nitentes prudentiæ semper detestatur, ac damnat: testatur id Paulus haudquaquam obscure, cum ait: *Quæ stulta sunt mundi, eligit Deus:* cumque ait, *Deo visum esse, vt per stultitiam seruaret mundum, quandoquidem per sapientiam restitui non poterat.* Quin ipse idem satis indicat, clamans per os Prophetæ: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Rursum cum agit gratias, quod salutis mysterium celasset sapientes, paruulis autem, hoc est stultis, aperuisset. Nam græce pro paruulis est νηπίοις, quos opposuit σοφοῖς. Huc pertinet quod passim in Euangelio Pharisæos & scribas, ac legum doctores incessit, vulgus indoctum sedulo tuetur. Quid enim aliud est, *Væ vobis, Scribæ & Pharisæi,* quam væ vobis, sapientes? At paruulis, mulieribus, ac piscatoribus potissimum delectatus esse videtur. Quin & ex animantium brutorum genere, ea potissimum placent Christo, quæ a vulpina prudentia quam longissime absunt. Eoque asino maluit insidere, cum ille, si libuisset, vel leonis tergum impune potuisset premere. Ac spiritus ille sacer in columbæ specie delapsus est, non aquilæ aut milui. Præterea ceruorum, hinnulorum, agnorum crebra passim in diuinis literis mentio. Adde quod suos ad immortalem vitam destinatos, oues appellat. Quo quidem animante non est aliud insipientius: vel Aristotelico prouerbio

teste, 1 προβάτων ἦθος quod quidem admonet, ab eius pecudis ſtoliditate ſumptum, in ſtupidos & bardos conuicii loco dici ſolere. Atqui huius gregis Chriſtus ſeſe paſtorem profitetur, quin etiam ipſe agni nomine delectatus eſt, indicante eum Ioanne, *ecce Agnus Dei:* cuius multa fit & in Apocalypſi mentio. Hæc quid aliud clamitant, niſi mortales omneis ſtultos eſſe, etiam pios? ipſum quoque Chriſtum, quo ſtultitiæ mortalium ſubueniret, cum eſſet ſapientia patris, tamen quodammodo ſtultum eſſe factum, cum hominis aſſumpta natura, habitu inuentus eſt vt homo: quemadmodum & peccatum factus eſt, vt peccatis mederetur. Neque alia ratione mederi voluit, quam per ſtultitiam crucis, per Apoſtolos idiotas, ac pingues: quibus ſedulo ſtultitiam præcipit, a ſapientia deterrens, cum eos ad puerorum, liliorum, ſinapis, & paſſerculorum exemplum prouocat, rerum ſtupidarum ac ſenſu carentium, ſoloque naturæ ductu, nulla arte, nulla ſolicitudine, vitam agentium. Præterea cum vetat eſſe ſolicitos, qua eſſent apud præſides oratione vſuri, cumque interdicit, ne ſcrutentur tempora vel momenta temporum, videlicet, ne quid fiderent ſuæ prudentiæ, ſed totis animis ex ipſo penderent. Eodem pertinet, quod Deus ille orbis architectus interminatur, ne quid de arbore ſcientiæ deguſtarent, perinde quaſi ſcientia felicitatis ſit venenum. Quamquam Paulus aperte ſcientiam veluti inflantem & pernicioſam improbat. Quem diuus Bernardus, opinor, ſequutus, montem eum in quo lucifer ſedem ſta-

1 Ouium mos.

ſtatuerat, Scientiæ montem interpretatur. Fortaſſe nec illud omittendum videatur argumentum, gratioſam eſſe apud ſuperos ſtultitiam, quo huic ſoli datur erratorum venia, ſapienti non ignoſcitur, vnde qui veniam orant, etiamſi prudentes peccauerint, tamen ſtultitiæ prætextu patrocinioque vtuntur. Nam ſic Aaron ſororis pœnam deprecatur in Numerorum, ſi ſatis commemini, libris. *Obſecro, Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod ſtulte commiſimus.* Sic & Saul apud Dauid culpam deprecatur, *Apparet enim* inquiens, *quod ſtulte egerim.* Rurſum ipſe Dauid ita blanditur Domino: *Sed precor, Domine, vt transferas iniquitatem ſerui tui, quia ſtulte egimus:* perinde quaſi non impetraturus veniam, niſi ſtultitiam & inſcitiam obtenderet. Sed illud acrius vrget, quod Chriſtus in cruce, cum oraret pro ſuis inimicis: *Pater, ignoſce illis:* non aliam prætexuit excuſationem, quam imprudentiæ, *Quia neſciunt,* inquit, *quid faciant.* Ad eundem modum Paulus ſcribens ad Timotheum: *Sed ideo miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Quid eſt, *ignorans feci,* niſi per ſtultitiam feci, non maliciam? Quid eſt, *ideo miſericordiam conſecutus ſum,* niſi non conſecuturus, ni ſtultitiæ patrocinio commendatus? Pro nobis facit & myſticus ille Pſalmographus, qui ſuo loco non veniebat in mentem, *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Audiſtis quæ duo prætexat, nimirum ætatem, cui ſemper comes eſſe ſoleo, & ignorantias, idque numero multitudinis, vt ingentem ſtultitiæ vim intelligeremus.

Christianam religionem stultitiam præse ferre.

At ne, quæ sunt infinita, persequar, vtque summatim dicam, videtur omnino Christiana religio quandam habere cum aliqua stultitia cognationem, minimeque cum sapientia conuenire. Cuius rei si desideratis argumenta, primum illud animaduertite, pueros, senes, mulieres, ac fatuos sacris ac religiosis rebus præter cæteros gaudere, eoque semper altaribus esse proximos, solo nimirum naturæ impulsu. Præterea videtis primos illos religionis auctores, mire simplicitatem amplexos, acerrimos literarum hostes fuisse. Postremo nulli moriones magis desipere videntur, quam hi, quos Christianæ pietatis ardor semel totus arripuit: adeo sua profundunt, iniurias negligunt, falli sese patiuntur, inter amicos & inimicos nullum discrimen, voluptatem horrent, inedia, vigilia, lachrymis, laboribus, contumeliis saginantur, vitam fastidiunt, mortem vnice optant, breuiter ad omnem sensum communem prorsus obstupuisse videntur, perinde, quasi alibi viuat animus, non in suo corpore. Quod quidem quid aliud est quam insanire? Quo minus mirum videri debet, si Apostoli musto temulenti sunt visi, si Paulus iudici Festo visus est insanire. Sed posteaquam semel τὴν λεοντῆν induimus, age doceamus & illud, felicitatem Christianorum, quam tot laboribus expetunt, nihil aliud esse, quam insaniæ stultitiæque genus quoddam: absit inuidia verbis, rem ipsam potius expendite. Iam primum illud propemodum Christianis conuenit cum Platonicis, animum immersum alligatumq; esse corporeis vinculis, huiusq; crassitudine

dine præpediri, quo minus ea, quæ vera sunt, contemplari, fruique possit. Proinde philosophiam definit esse mortis meditationem, quod ea mentem a rebus visibilibus, ac corporeis abducat, quod idem vtique mors facit. Itaque quam diu animus corporis organis probe vtitur, tam diu sanus appellatur. Verum vbi ruptis iam vinculis, conatur in libertatem asserere sese, quasique fugam ex eo carcere meditatur, tum insaniam vocant. Id si forte contingit morbo, vitioque organorum, prorsus omnium consensu insania est. Et tamen hoc quoque genus hominum videmus futura prædicere, scire linguas, ac literas, quas ante nunquam didicerant, & omnino diuinum quiddam præ se ferre. Neque dubium est id inde accidere, quod mens a contagio corporis paulo liberior, incipit natiuam sui vim exerere. Idem arbitror esse in causa, cur laborantibus vicina morte simile quiddam soleat accidere, vt tanquam afflati prodigiosa quædam loquantur. Rursum si id eueniat studio pietatis, fortasse non est idem insaniæ genus, sed tamen adeo confine, vt magna pars hominum meram insaniam esse iudicet, præsertim cum pauculi homunciones ab vniuerso mortalium cœtu, tota vita dissentiant. Itaque solet iis vsu venire, quod iuxta Platonicum figmentum opinor accidere iis, qui in specu vincti rerum vmbras mirantur, & fugitiuo illi, qui reuersus in antrum, veras res vidisse se prædicat, illos longe falli, qui præter miseras vmbras nihil aliud esse credant. Etenim sapiens hic commiseratur, ac deplorat illorum insaniam, qui tanto errore teneantur. Illi vicissim illum veluti delirantem rident, atque eii-

ciunt. Itidem vulgus hominum ea quæ maxime corporea sunt maxime miratur, eaque prope sola putat esse. Contra pii, quo quidq; propius accedit ad corpus, hoc magis negligunt, totique ad inuisibilium rerum contemplationem rapiuntur. Nam isti primas partes tribuunt diuitiis, proximas corporis commodis, postremas animo relinquunt: quem tamen plerique nec esse credunt, quia non cernitur oculis. E diuerso illi primum in ipsum Deum, rerum omnium simplicissimum toti nituntur: secundum hunc, & tamen in hoc quod ad illum quam proxime accedit, nempe animum: corporis curam negligunt, pecunias ceu putamina prorsus aspernantur ac fugitant. Aut si quid huiusmodi rerum tractare coguntur, grauatim ac fastidienter id faciunt, habent tanquam non habentes, possident tanquam non possidentes. Sunt & in singulis rebus gradus multum inter istos diuersi. Principio sensus tametsi omnes cum corpore cognationem habent, tamen quidam sunt ex his crassiores, vt tactus, auditus, visus, olfactus, gustus: Quidam magis a corpore semoti, veluti memoria, intellectus, voluntas. Igitur, vbi se intenderit animus, ibi valet. Pii quoniam omnis animi vis ad ea contendit, quæ sunt a crassioribus alienissima, in his velut obbrutescunt, atque obstupescunt. Contra vulgus in his plurimum valet, in illis quam minimum. Inde est, quod audimus nonnullis diuinis viris accidisse, vt oleum vini loco biberint. Rursum in affectibus animi quidam plus habent cum pingui corpore commercii, veluti libido, cibi somnique appetentia, iracundia, superbia, inuidia. Cum his irre-

rreconciliabile bellum piis, contra vulgus sine his itam esse non putat. Deinde sunt quidam affe-tus medii, quasique naturales, vt amor patriæ, cha-itas in liberos, in parentes, in amicos. His vulgus ionnihil tribuit. At illi hos quoque student ex nimo reuellere, nisi quatenus ad summam illam ani-ni partem assurgunt, vt iam parentem ament, non anquam parentem, quid enim ille genuit, nisi cor-ius? quanquam hoc ipsum Deo parenti debetur, sed anquam virum bonum, & in quo luceat imago ummæ illius mentis, quam vnam summum bonum ocant, & extra quam nihil nec amandum, nec expe-endum, esse prædicant. Hac eadem regula reliqua tem omnia vitæ officia metiuntur, vt vbique id juod visibile est, si non est omnino contemnendum, amen longe minoris faciant, quam ea quæ videri ne-jueunt. Aiunt autem & in sacramentis atque ipsis iietatis officiis corpus & spiritum inueniri. Velut n ieiunio non magni ducunt, si quis tantum a car-ibus cœnaque abstineat, id quod vulgus absolutum esse ieiunium existimat, nisi simul & affectibus ali-juid adimat, vt minus permittat iræ quam soleat, ninus superbiæ; vtque ceu minus iam onustus mo-e corporea, spiritus ad cœlestium bonorum gustum, ruitionemque enitatur. Similiter & in Synaxi, ametsi non est aspernandum, inquiunt, quod cære-noniis geritur, tamen id per se, aut parum est con-lucibile, aut etiam perniciosum, nisi id quod est spi-ituale accesserit, nempe hoc quod signis illis visi-iilibus repræsentatur. Repræsentatur autem mors Christi, quam domitis, extinctis, quasique sepultis

corporis affectibus, exprimere mortales oportet, vt in nouitatem vitæ resurgant, vtque vnum cum illo, vnum item inter sese fieri queant. Hæc igitur agit, hæc meditatur ille pius. Contra vulgus sacrificium nihil aliud esse credit, quam adesse altaribus, idque proxime, audire vocum strepitum, aliasque id genus ceremoniolas spectare. Nec in his tantum, quæ duntaxat exempli gratia proposuimus, sed simpliciter in omni vita refugit pius ab his, quæ corpori cognata sunt, ad æterna, ad inuisibilia, ad spiritualia rapitur. Proinde cum summa sit inter hos & illos omnibus de rebus dissensio, fit vt vtrique alteris insanire videantur. Quanquam id vocabuli rectius in pios competit, quam in vulgus, mea quidem sententia.

Summa felicitas insania quædam.

Quod quidem magis perspicuum fiet, si quemadmodum pollicita sum, paucis demonstraro, summum illud præmium nihil aliud esse quam insaniam quandam. Primum igitur existimate Platonem tale quiddam iam tum somniasse, cum amantium furorem omnium felicissimum esse scriberet. Etenim qui vehementer amat, iam non in se viuit, sed in eo quod amat, quoque longius a se ipso digreditur, & in illud demigrat, hoc magis ac magis gaudet. Atque cum animus a corpore peregrinari meditatur, neque probe suis vtitur organis, istud haud dubie furorem recte dixeris. Alioqui quid sibi vult, quod vulgo etiam dicunt: Non est apud se, & ad te redi, & sibi redditus est? Porro quo amor est absolutior, hoc furor est maior, ac felicior. Ergo quænam futura

est

:ſt illa cœlitum vita ad quam piæ mentes tanto ſtu-
lio ſuſpirant? Nempe ſpiritus abſorbebit corpus,
rtpote victor ac fortior. Idque hoc faciet facilius,
artim quod iam olim in vita corpus ad hu-
uſmodi transformationem repurgarit, atque
:xtenuarit. Deinde ſpiritus a mente illa ſum-
na mire abſorbebitur, quippe infinitis partibus po-
:entiore. Ita vt iam totus homo extra ſe futurus ſit,
iec alia ratione felix futurus, niſi quod extra ſeſe po-
ſitus patietur quiddam ineffabile a ſummo illo bono,
omnia in ſe rapiente. Iam hæc felicitas quamquam
tum demum perfecta contingit, cum animi receptis
priſtinis corporibus immortalitate donabuntur, ta-
men quoniam piorum vita nihil aliud eſt, quam illius
vitæ meditatio, ac velut vmbra quædam, fit vt præmii
quoque illius aliquando guſtum aut odorem aliquem
ſentiant. Id tametſi minutiſſima quædam ſtillula eſt
ad fontem illum æternæ felicitatis, tamen longe ſu-
perat vniuerſas corporis voluptates, etiamſi omnes
omnium mortalium deliciæ in vnum conferantur,
vſque adeo præſtant ſpiritualia corporalibus, inuiſi-
bilia viſibilibus. Hoc nimirum eſt quod pollicetur
propheta: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in
cor hominis aſcenderunt, quæ preparauit Deus dili-
gentibus ſe.* Atque hæc eſt Moriæ pars, quæ non
aufertur commutatione vitæ, ſed perficitur. Hoc
igitur quibus ſentire licuit, contingit autem perpau-
cis, ii patiuntur quiddam dementiæ ſimillimum,
loquuntur quædam non ſatis cohærentia, nec huma-
no more, ſed dant ſine mente ſonum, deinde ſubinde
totam oris ſpeciē vertunt, Nunc alacres, nunc deiecti,

NO

nunc lachrymant, nunc rident, nunc ſuſpirant, in ſumma, vere toti extra ſe ſunt. Mox vbi ad ſeſe redierint, negant ſe ſcire vbi fuerint, vtrum in corpore, an extra corpus, vigilantes, an dormientes, quid audierint, quid viderint, quid dixerint, quid fecerint, non meminerunt, niſi tanquam per nebulam, ac ſomnium, tantum hoc ſciunt ſe feliciſſimos fuiſſe, dum ita deſiperent. Itaque plorant ſeſe reſipuiſſe, nihilque omnium malint, quam hoc inſaniæ genus perpetuo inſanire. Atque hæc eſt futuræ felicitatis tenuis quædam deguſtatiuncula.

Epilogus. Verum ego iam dudum oblita mei 1 *ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδῶ.* Quanquam ſi quid petulantius aut loquacius a me dictum videbitur, cogitate & ſtultitiam, & mulierem dixiſſe. Sed interim tamen memineritis illius Græcanici prouerbii, 2 *πολλάκι τοι καὶ μωρὸς ἀνὴρ κατακαίριον εἶπεν,* niſi forte putatis hoc ad mulieres nihil attinere. Video vos epilogum expectare, ſed nimium deſipitis, ſiquidem arbitramini me quid dixerim etiamnum meminiſſe, cum tantum verborum farraginem effuderim. Vetus illud, 3 *μισῶ μνάμονα συμπότην.* Nouum hoc, 4 *μισῶ μνάμονα ἀκροατήν.* Quare valete, plaudite, viuite, bibite, Moriæ celeberrimi Myſtæ.

---

1 *Ultra limites ſalio.* In digreſſiones. 2 *Sæpe & ſtultus opportune loquitur.* 3 *Odi memorem conuiuam.* 4 *Odi memorem auditorem.*

INDEX I.

COLLOQVIORVM.

Opu-

INDEX II.

LATINITATIS

D.

Decer-

F.

en-

L.

Peruc-

Tabu-

T.

V.

Viaticum

FINIS.

